DOCTORIS ANGELICI

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA

PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
49, RUE NOTRE-DAME-DES-CHAMPS, 49

DOCTORIS ANGELICI

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM

OPERA OMNIA

SIVE ANTEHAC EXCUSA,

SIVE ETIAM ANECDOTA; EX EDITIONIBUS VETUSTIS ET DECIMI TERTII SÆCULI CODICIBUS RELIGIOSE CASTIGATA;

PRO AUTHORITATIBUS AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE PATROLOGIÆ TEXTUUM,

NUNC PRIMUM REVOCATA;

NOTIS HISTORICIS, CRITICIS, PHILOSOPHICIS, THEOLOGICIS, CUNCTAS ILLUSTRANTIBUS CONTROVERSIAS

OCCASIONE DOGMATUM SANCTI AUTHORIS EXORTAS, SOLLICITE ORNATA,

STUDIO AC LABORE

STANISLAI EDUARDI FRETTÉ

Sacerdotis Scholæque Thomisticæ Alumni

VOLUMEN TRIGESIMUM-UNUM

IN GENESIM. — IN DANIELEM.

IN LIBROS MACHABÆORUM.—IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS.

EXPOSITIO I^a SUPER APOCALYPSIM.

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXVI

S. THOMÆ AQUINATIS

POSTILLA

SEU EXPOSITIO AUREA IN LIBRUM GENESEOS

CAPUT PRIMUM.

In principio creavit etc. Liber iste dicitur Genesis : et ratio est, secundum Damascenum, quia genesis sive generatio, quod idem est, generale est ad primam rei conditionem ; unde infra II : *Istæ sunt generationes cœli et terræ*, et ad propagationem naturalem ; unde infra V dicitur : *Hic est liber generationis Adam etc.* Liber igitur iste, in quo de propagatione naturali agitur, et de prima rerum conditione, in duas partes dividi potest. In quarum prima ponitur prima conditio secundum quam sunt omnia creata. In secunda ponitur propagatio naturalis, secundum quam natura humana est multiplicata, infra cap. III : *Sed et serpens erat callidior.* In prima primo agitur de rerum omnium conditione generaliter. In secunda de productione hominis in speciali, cap. II : *Istæ sunt generationes cœli et terræ.* In prima, primo quantum ad factionem. In secunda, quantum ad perfectionem, cap. II : *Igitur perfecti sunt cœli et terra.* Factum vero distinguitur per creationem, de qua agitur primo, et per distinctionem, de qua ibi, *Dixit quoque Deus : Fiat lux.* Et per ornatum sive dispositionem, de qua ibi, *Et ait : Germinet terra.* Secundum enim auctorem libri *de Spiritu et anima*, tria omni existenti insunt : essentia qua res est, species qua differt, usus quo utilis est et proficua. Essentia pertinet ad creationem, species ad distinctionem, usus ad utilitatem. De opere creationis tangit causam creatricem, et substantiam creatam, ibi, *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Dicit itaque, *In principio.* Quæstio autem potest esse, si in principio teneatur causaliter, vel temporaliter. Si tenetur causaliter, sic est sensus : In principio, id est, in Filio vel per Filium, qui est principium, secundum illud Joan. cap. VIII : *Ego principium, qui et loquor vobis.* Et Psal. CIII : *Omnia in sapientia fecisti.* Et hoc dicit Hieronymus in lib. *Hebraicarum quæstionum*, sensisse Hilarium in expositione cujusdam Psalmi : ubi dicit quod in Hebræo habetur « : In filio fecit Deus cœlum et terram. » Augustinus etiam XII *Confess.* ait : « Pater, in principio quod « est de te, et in sapientia de te nata fe- « cisti cœlum et terram. » Licet autem ita possit vere intelligi secundum unum sensum, sicut etiam dicit Hieronymus in illo libro : tamen mens litteræ magis videtur esse quod accipiatur principium non causaliter, sed initialiter, quod est pro initio temporis. Unde in *Decretali* « firmiter credimus » dicitur quod ab initio temporis simul utramque naturam condidit, spiritualem et corporalem : et in Psal. CI dicitur : *Initio tu, Domine, terram fundasti.* Quo sensu etiam Apostolus ad Hebr. I, assumit hoc verbum : Et Propheta utique super istam Moysi auctori-

tatem fundat dictum suum. Ratio etiam ad hoc facit; quia magis necessarium fuit exprimere mundum non fuisse ab æterno, quam Trinitatem. Unde Rabbi Moyses inquit quod Moyses nisus est vehementer mundi inceptionem exprimere, et ideo describit creationem ita seriose, et texit numerum annorum ab Adam usque ad Abraham, et deinceps. Nec cogit auctoritas Hilarii in contra citata. Nam Hieronymus inquit falsum esse quod in Hebræo habeatur, « In filio creavit etc. : » quod probat per omnes translationes. Unde Hilarius potuit decipi per dictum alicujus non textum exponentis, sed allegorizantis, sicut etiam allegorizat Augustinus in *Confess.* lib. xii. Item quæritur, utrum initium vel principium stet ibi pro initio tam corporalis quam spiritualis creaturæ. Nam Damascenus lib. ii, cap. iii dicit, quod stat pro initio corporalis creaturæ; ait enim : « Quidam inquiunt, quod ante creaturam omnem « incorporalem Angeli sunt creati. » Unde dicit Theologus Gregorius quod primum excogitavit Deus angelicas virtutes, et excogitatio ejus opus fuit. Alii autem quod postquam genitum est primum cœlum. Ego autem Gregorio Theologo consentio. Par enim fuit intellectualem substantiam creari, atque inde sensibilem, et tunc ex utrisque hominem. Unde et super illud ad Tit. i : *Quem promisit Deus non mendax ante tempora sæcularia ;* post alia inquit Hieronymus : « Sex millia nostri temporis nondum implentur « annorum : et quantas prius æternita- « tes, quantas spatiorum origines fuisse « arbitrandum est, in quibus Angeli, « Throni, Dominationes, cæterique ordi- « nes servierunt Deo, et Deo jubente sub- « stiterunt. » Item Moyses non subdit nisi de creatione corporalium. Hujus contrarium habent Augustinus et cæteri auctores Latini, et Innocentius tertius, in illa *Decretali* « Firmiter credimus ». Dicit enim quod simul Deus condidit creaturam spiritualem et corporalem. Et hoc etiam ex textu videtur haberi, in quo dicitur non in principio hujus vel illius, sed simpliciter et absolute, *In principio*. Sicut etiam finis simpliciter et absolute dictus accipitur pro fine ultimo totius creaturæ. Item Joan. viii : *Ille erat homicida ab initio :* et certum est quod non fuit homicida ante hominem : igitur facti sunt simul. Item Joan. I ad instar Genesis dicitur : *In principio erat Verbum*. Sed principium ibi sumitur pro initio corporalium et spiritualium : ergo etiam sic in Genesi. Item Job xl : *Ecce, Behemoth quem feci tecum*. Item Ecclesiast. xviii : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Item Pet. ii : *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed in tartarum detractos tradidit cruciandos :* ergo fuit tunc infernus factus, et multo fortius aliæ creaturæ corporales. Item Isaiæ xiv : *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram.* Igitur terra tunc erat cum Angelo cadente : et hoc credo verum. Neque obstat quod Hieronymus et quidam Græci aliud dicunt : quia, quamvis hoc sit magis probabile, aliud tamen non est impossibile, nec id per Scripturas ita necessario constituitur, quin alia pars possit defendi. Igitur *in principio*, id est, in temporis initio, *Deus*, id est, tota Trinitas, ut teneatur essentialiter, non pro aliqua persona particulari, *creavit*, id est, de nihilo fecit. Et ponitur illud suppositum respectu talis actus, quod etsi non poneretur, intelligendum erat; quia nihil potest isti actui supponi nisi natura potentiæ infinitæ, cujusmodi est natura divina sola. Deinde tangit substantiam creatam triplicem : scilicet, luminosam, *cœlum :* et opacam, *terram :* mediam, id est, transparentem, quæ non est luminosa de se, nec totaliter opaca, quia illuminabilis est ex alia natura, ut sunt aquæ. Aqua enim est diaphana et media inter cœlum et terram situ et natura. Et primo agit de extremis, deinde de medio. Dicit igitur, *cœlum*, id est, totam naturam cœlestem super elementa constitutam. Et ponitur hic cœlum singulariter, non pluraliter, quia omnes cœli in una natura consistunt luminosa, et in una figura circulari, et in una periodo vel mensura in esse corporali. Et dicitur cœlum a cœlando, quia totam naturam inferiorem integraliter ambit, et in se et sua continentia claudit. *Et terram*, id est, naturam opacam et inferiorem. Et dicitur terra quia teritur pedibus animalium, et est eorum solidum sustentaculum, et etiam vomeribus et aliis instrumentis ut exculta fructificet, quia est animalibus in nutrimentum et pabulum. Describit autem eam pro tempore creationis quantum ad triplicem defectum : scilicet quantum ad defectum fecunditatis, quia, *inanis*, id est, non fœcunda in fructibus : quantum ad defectum ornatus vel decoris, quia vacua animalibus : unde

dicit, *et vacua* : et quantum ad carentiam extrinsecæ lucis, quia carebat radiis illustrantibus : unde dicit : *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Tenebra dicitur quasi terens umbram. Et nota quod idem intelligitur nomine terræ et abyssi ; sed terra dicitur, quia ut commune subjectum generationis naturalis et naturalis actionis et sustentationis animalium, multiplicibus actionibus teritur et patitur. Abyssus autem dicitur ratione informitatis, inanitatis, et tenebrositatis, sub quibus creata est. Abyssus enim dicitur ab a, quod est sine, et byssus quod est candor, quasi sine candore vel pulchritudine. Vel ab a, quod est sine, et base, quasi sine base vel fundamento, quia non habet corporale sustentaculum. Unde Job dicitur : *Expandit terram super nihilum*. Et nota quod cum dicitur, *Et tenebræ erant etc.*, per tenebras non intelligitur natura aliqua, sicut Manichæi volunt, dicentes tenebram rem aliquam creatam esse a malo Deo ; sed intelligitur tantum lucis carentia vel defectus, sicut dicit Augustinus contra Manichæos : et ponit exemplum accommodum, dicens : Silentium nihil est, sed silentium est ubi sonus non est. Unde si esset ponenda regio tenebrarum, esset etiam ponenda regio silentiorum contra vocem Domini, sicut tenebrarum contra lucem ab eo factam. Consequenter tangit creationem naturæ mediæ quæ est diaphana, cum dicit : *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*. Inter alia elementa a terra tantum ponitur aqua, secundum Hieronymum et Augustinum, et subticentur aqua et ignis, quia sola aqua est visibilis. Moyses autem rudi populo loquens, creationem naturæ visibilis vel sensibilis volebat texere. Et per spiritum intelligunt vim divinam Spiritui sancto appropriatam, materiam illam incompletam, inanem et vacuam, foventem et regentem. Non quod ignis et aer non sint aliquid creatum reale, sed quia non ita visibiles res sint. Aliqui tamen inquiunt aquas tantum exprimi et terram, quia alia elementa non sunt aliquid per se. Nam ignis, inquiunt, non est in sphæra, in qua ab aliquibus ponitur, scilicet, in sublunari globo : sed tantum in materia terrea, de qua educitur per sublimationem de terra : unde non debet poni distinctum elementum ab ipsa, sicut nec metalla, nec animalia quæ ex illa educuntur. Aer etiam non est aliud nisi vapores beneficio caloris a terra et aqua generati, qui occupant totum medium inter cœlum et aquam. Quod etiam inde probant, quia in multis locis aer parum differt ab aqua, sicut patet in locis humidis et frigidis : et etiam quia omnia illa quæ assignantur ad ponendum aerem possunt salvari cum isto modo, sicut spiratio et respiratio, et alia hujusmodi. Item quia ponere ignem in sphæra superiori superfluum videtur. Nam calor generatus ex corporibus primis sufficit ad caloris generationem, quantum ad necessitatem generationis et corruptionis naturalis attinet. Addunt etiam ad hoc Augustinum dicentem, quod aves per illum aerem volare possunt, qui de terræ et maris humoribus surgit. In Olympo autem Macedoniæ monte non volant propter nimiam subtilitatem. Dicit igitur : *Et spiritus Domini ferebatur, etc.* Quod per spiritum hic intelligatur vis divina Spiritui sancto appropriata, patet per aliam litteram, quæ sic habet : Spiritus Domini incubabat super aquas. Et etiam quia si Spiritus Domini accipiatur pro aere ; sicut dicitur Spiritus Domini, sic etiam diceretur super aquas Domini : nam ut aer sic etiam et aquæ sunt Domini. Non tamen est negandum quia sæpius in Scripturis spiritus pro aere legatur, ut patet Exod. xv et in Psal. CXLVII : *Flabit spiritus ejus et fluent aquæ*. Et attende quod illa tria, cœlum, terra et aqua, fuerunt facta non sub formis completis et distinctis : nam postmodum dicitur, *Fiat firmamentum, et vocavit Deus firmamentum cœlum*. Sed sub formis incompletis, vel in materia ad tales formas apta, quæ jam vocabatur nominibus formarum, ad quas erat apta ; sicut Augustinus dicit in lib. *de Genesi* contra Manichæos, et sicut modus est Scripturæ plurimis in locis aliis. Et ponit exemplum in verbo illo : *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Non quia jam notificasset, sed quia notificaturus erat.

Dixitque Deus, *Fiat lux*. Descendendo de opere creationis, determinat de opere actualis distinctionis, quæ non est creatio, cum supponat jam naturam creatam. Unde magis dicitur factio quam creatio. Propter quod signanter dicitur in sequentibus, *Fiat et factum est*. Non autem dicitur, Creavit et creatum est. Et secundum triplicem naturam, scilicet, luminosam, opacam et mediam, ponit triplicem distinctionem per ordinem, secundum triplicem differentiam generalem

earum : prima est distinctio lucis a tenebris ; secunda est aquarum ab aquis ; tertia est aquarum inferiorum ab ipsa terra vel a rebus infimis, vel rerum mediarum ab infimis. Dixit ergo, *Dixitque Deus*. Istud dicere non fuit vocalis expressio seu nominatio ; sed fuit tantum conceptio cum ipsius voluntatis imperio : ad quæ subsecuta est exterior operatio. Unde differentia est inter nostram locutionem et Dei ; quia ad ejus dicere sequitur facere, et loquor de intellectu ejus ad voluntatem relatum : ad nostrum autem dicere vel velle non sequitur aliud extra, cum actiones quæ faciunt aliquid extra, requirant materiam in quam agant. Istæ autem actiones intelligere et velle sunt actiones intrinsecæ ; ideo nulla creatura nec angelica nec humana per illas exterius aliquid facit. Unde decipi eos puto qui dicunt quod Angeli motum movent solum per actum intellectus et affectus. Ex eo autem quod dicendo fecit facere, ostenditur Dei potentia, cui ita facile est dicere sicut facere et e contra.

Sequitur, *Fiat lux*. Non dicit, creetur lux, vel creavit lucem, sed, fiat lux, quia illa fuit facta de præjacenti materia. Si autem quæritur ubi fuerit facta vel in qua parte mundi, credo quod in Oriente ; et cum moto circa illam materiam informem faciebat diem in una parte, quam potes appellare hemisphærium ; in alia parte relinquebat sua absentia noctem, sicut sol facit modo. Unde iste modus qui dicit quod suos radios diffundebat ad diem faciendum et retrahebat ad noctem causandam, non videtur verus ; quia sequeretur quod hoc fieret cum miraculo, vel quod vergit a proposito. Et etiam non posset assignari ratio, quare magis alternaret vices lucendi in una parte quam in alia. Si autem quæritur quid factum sit de illa luce cum factus est sol, dicitur vel quod redacta est in materiam præjacentem, sicut dicit Magister, suo officio peracto, vel de ea factus est sol, vel etiam cum sole manens indivisa manserit, tamen non apparet, quia ejus lux minor majoris luminis solaris claritate absorbetur. Si rursus quæritur, Cur non dicitur, Dixit Deus, *Fiat cœlum et terra*, sicut dicitur, Dixit Deus, *Fiat lux* ; dicendum, quod dicere ipsum Dei importat actum interiorem et effectum exteriorem. Et ideo si res imperfecta diceretur dicta, posset intelligi actio interior Dei imperfecta, quod non potest esse. *Et vidit Deus lucem quod esset bona*. Hoc reprehendunt Manichæi, quia ex hoc, inquiunt, videtur quod prius non sciverit lucem esse bonam. Sed ad hoc respondet Augustinus in lib. *de Gen. contra Manichæos*, dicens : « Quod illud « quod scivit vel vidit bonum ex simplici « intelligentia ab æterno, vidit bonum « ex experientia, quando lux fuit forma- « ta. » Et ponit exemplum de artifice, qui primo concipit domum et intelligit ejus fructum ; tamen hoc non experitur nisi modo, cum videt quod sit bona. Neque solum bona erat mediocriter vel communiter, sicut sunt omnia entia ; sed etiam excellenter : et non solum formaliter, sed etiam efficienter. Nam inter corporalia lux est ens accidentalius, virtuosius, et ad omnem actionem naturæ aptius. Unde potest appellari totius naturæ generalis et corporalis spiritus et anima : sicut in alchimia sunt quædam corpora quæ vocantur spiritus, quia quasi in omnibus effectibus alchimiæ necessaria est illorum influentia ; ut argentum vivum, et alia similia. Ideo ut Deus res produceret secundum debitum ordinem, primo lucem produxit. Quia vero unumquodque eo ipso quod in se perficitur, ab alio distinguitur, et præcipue ab opposito, sequitur, *Et divisit lucem tenebris*. Non quod tenebræ aliquid essent in rerum natura quod posset a luce dividi, sicut aqua ab aqua dividitur, vel terra vel una differentia contra aliam oppositam. Sed pro tanto dividi dicuntur a luce cum lucis sint privatio, quia per lucem, ac si essent aliquid, cognosci possunt : privationes enim per habitus cognoscuntur, sicut et rectum est sui index et obliqui.

Sequitur, *Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem*. Nota quod hæc appellatio non dicit aliquam expressionem idiomatis alicui factam actualiter ; sed hoc tunc præconcepit quod postmodum complevit, cum fuit qui illud idioma potuit concipere. Lux autem illa dicitur dies, non quidem proprie et formaliter secundum suam essentiam et secundum diffusum ab ipsa luce fulgorem, et nox etiam dicit illius fulgoris absentiam. Unde si sol esset sine fulgore super terram, non esset dies, sicut patet cum eclypsatur, et ut fuit in Passione Domini. Et dicitur lux a luendo vel purgando, quia tenebrarum et sordium purgativa est ; ac per hoc ubi non incidit lux, locus est spurcissimus. Attende etiam quod non omnis tenebra nox est, sicut tenebræ sunt in speluncis ;

sed illæ quæ succedunt luci solis dum recedit et recedunt etiam, vel non sunt dum sol ipse revertitur. Sicut neque e contra omnis lux est dies, sed illa sola quæ est ex solis præsentia. Lux enim candelæ non dicitur dies. Et hoc habet Augustinus lib. I *super Genesis*. *Et factum est vespere et mane dies unus*. Non accipitur hic unus pro re aliqua indivisa, sed accipitur pro prima. Nam et sequentium quilibet posset dici unus. Sed hic est notanter primus : nam in eo ostenditur nova lucis forma ; cum hoc etiam ostenditur relatio ad sequentem qui dicitur secundus. Luce autem jam facta in Oriente, et præcedente ad motum solis, factum est vespere ex occasu illius, quia vespera dicit finem diei artificialis : eadem autem luce migrante sub terra et faciente noctem super illam per suam absentiam et veniente ad ortum suum, factum est mane : et sic ex vespere et mane factus est unus dies naturalis ex viginti quatuor horis. Et per hoc solvitur quæstio quæ fit quare primus dies non habuit mane : quia mane dicit finem noctis præcedentis et initium diei sequentis. Quia igitur primam diem nulla nox præcessit (nox enim dicit privationem lucis diurnæ quæ diem constituit), et ante lucem illam primam non fuit privatio illius (nihil enim privatur antequam sit), propter hoc primus dies mane non habuit. Quia autem hic supponitur quod distinctio rerum facta fuit senario dierum numero, et per quamdam successionem res fuerunt ab incompleto esse ad completum deductæ, ideo id ponitur sub quæstione. Augustinus lib. XI *super Genesim ad literam* et lib. ult. *Confes.* dicit, quod omnia fuerunt simul facta sub formis completis, et inquit quod opera sex dierum intelliguntur per respectum ad causas ipsorum operum et illuminationis Angelorum sub operibus prædictis. Itaque mane vocat Augustinus cognitionem ipsarum rerum in Verbo tantum, quæ est clara : vespere autem cognitionem earumdem rerum in genere proprio. Et movetur ex eo quod dicitur Eccles. XVIII : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*. Item Genesis II : *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quæ creata sunt in die quo fecit Deus cœlum et terram et omne virgultum*. Commendatur etiam in hoc omnipotentia Dei. Deriderent enim aliqui infideles Scripturam, cum videretur ponere quod Deus indiguerit dierum successione et temporum. Istam tamen viam non tenent doctores moderni, nec sancti alii sicut Hieronymus, Gregorius et alii : et Scriptura oppositum videtur habere. Nec valet responsio, quod ideo hæc ita narrat Moyses, ut populus melius intelligeret, nam æque bene intelligeret omnia simul facta, sicut successive, sicut etiam intellexit materiam omnium simul factam, quod difficilius fuit intelligere quam rerum distinctionem per actualem et completam formam : cum nullum agens naturale agat materiam, sed supponat illam ; formam autem potest agere. Præterea nulla occasione Moyses legislator et instrumentum Spiritus sancti, et de præterito ignota prophetans, falsum diceret : Falsum est autem quod simul sit terra discooperta et operta aquis, et homo simul formatus de limo et de nihilo, et quod Adam simul fuit extra Paradisum et intra, et multa talia. Item falsum esset quod Deus statuit diem septimum coli ad firmandum fidem creationis mundi. Et Exod. XX redditur ratio præcepti. Quia sex diebus fecit Deus *cœlum et terram, et requievit Deus etc.* Item in hoc quod materia primo est creata, et postmodum dicitur ad actum completum deducta, magis eliditur Platonis opinio, qui posuit materiam æternam. Si enim omnia essent simul facta posset intelligi quantum ad formam, non quantum ad materiam. Item per hoc etiam ostenditur quod Deus non agit necessitate naturæ, sed libere prorsus. Ad rationes autem in oppositum dicitur ad primum, quod auctoritas Ecclesiastici intelligitur sic, quod omnia sunt simul facta, id est in brevi tempore.

Sequitur, *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum*. In ista parte postquam posuit distinctionem luminosæ naturæ per productionem lucis, ponit distinctionem naturæ mediæ, scilicet aquarum ab aquis. Unde Scriptura hæc dicit, quod fecit firmamentum quod aquas superiores ab inferioribus divisit. Dicuntur autem aquæ superiores non aquæ lubricæ vel fluidæ, sicut sunt istæ inferiores aquæ. Quare autem ibi ponantur aquæ istæ, credo hoc esse ad contemperandum calorem a calore cœlesti et a stellis et planetis influentiæ calidæ generatum. Unde sicut in minori mundo, hoc est in homine, in parte superiori, hoc est in cerebro, sunt aquæ, inquantum cerebrum est naturæ frigidæ et humidæ (quod quidem cerebrum calorem naturalem hominis et ejus excessum contempe-

rali ; ita et in mundo majori. Unde licet hoc subticeat Scriptura, hoc docet ratio recta. Firmamentum autem illud quod inter aquas dividit, est cœlum ipsum in quo sunt stellæ fixæ, sub quo sunt septem planetæ et eorum orbes : et dicitur a firmitate formæ, quia est incorporale, neque recipit peregrinas impressiones. Dicitur etiam firmamentum a firmitate loci : quia quamvis moveatur super polos suos, quantum ad singulas partes, tamen totum suum locum non mutat : et sic a firmitate situs dicitur etiam. Et inde quod istius firmamenti exprimit essentiam dum ait : *Fiat firmamentum*. Et quia unumquodque debet locari secundum naturam, exprimit suum locum dum dicit : *Fiat in medio aquarum*. Exprimit etiam suum necessarium actum dum inquit : *Et dividat aquas ab aquis*. Sicut enim aquæ superiores et inferiores sunt necessariæ ad temperamentum caloris, ita firmamentum cum motu suo est necessarium aquis frigidis ad temperamentum suum frigoris et humoris. Et ideo quia secundum Philosophum in de *Anima*, natura in superfluis non abundat, neque deficit in necessariis ; ideo illud fuit satis rationabile : ideo supponit : *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant super firmamentum ab iis quæ erant sub firmamento*. Sed videtur quod hanc divisionem facere non debuit : quia unumquodque secundum exigentiam suæ naturæ locare debuit ; et quæ sunt propinquiora in natura, sunt etiam propinquiora secundum locum. Sicut aqua propinquior est terræ quam cœlum, et cum ea magis convenit in natura. Igitur aquæ debuerunt simul stare, vel saltem consequenter sine firmamenti interjectione. Dicendum ad hoc quod quamvis ita esset secundum convenientiam naturarum particularium, tamen propter bonum naturæ universalis et harmoniæ communis, oportuit illa quæ magis conveniebant dividere, ne possent in suis actionibus excedere et naturæ ordinem corrumpere. Sicut videmus quod ligna igni subtrahuntur vel pars ignis, ut caloris temperies conservetur. Determinat postmodum duplex esse ipsius firmamenti : scilicet esse existentiæ naturalis, cum dicit : *Et factum est*, semper ut Deus disponebat ; et esse etiam in cognitione vel in esse intellectuali, ut quando dicit, *Et vocavit Deus firmamentum, cœlum*, id est, celatum, quia omnia inferiora celat et claudit. *Dixit vero Deus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum unum*. Agitur jam de distinctione naturæ opacæ, scilicet terræ, a perspicua inferiori, scilicet ab aquis inferioribus. Unde tangitur hic istorum duorum elementorum actualis et completa productio, et tangitur etiam suum fieri sive factum esse ; bonitas etiam quam habet ex suo fine. Dicit igitur, *Dixit vero Deus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt*. Illud enim quod producitur vel efficitur, congregari dicitur ; quod autem corrumpitur, dispergi. Cujus ratio est, quia partes simul uniuntur et causæ intrinsecæ. Ideo ait, *Congregentur aquæ*, id est producantur, *quæ sub cœlo sunt*, id est sub firmamento, in locum unum. Sed quare magis de aquis ponit quod congregentur in locum unum quam de aliis? Dicitur quod quia aquæ quantum est ex se habent fluxibilitatem et lubricitatem per quam quidem disperguntur ; et ideo ad hoc quod maneant, oportet quod in unum colligantur : unde congregatio est id sine quo nihil prodesset eadem productio. Ubi autem fuerint congregatæ, dicit Beda, quod in magno mari. Nam quamvis flumina discontinuantur et multa terrarum spatia inter ipsa intercipiantur : tamen et venæ terræ aliquam partem accipiunt in terræ visceribus, sicut patet in fluviorum originibus. Attamen secundum ipsum Bedam, omnes aquæ in ipso mari congregantur ; omnia namque maria magno mari immerguntur, et aquæ in occultis meatibus in mare revolvuntur. Subdit mox de productione terræ in sua actualitate, et dicit : *Appareat arida*. Prius enim latebat ob suam incompletionem, quia etiam erat aquis vel aquarum materia velata ; et cum discooperta fuit, tunc actualitas sua, quantum in se fuit, se exhibuit, ut sui cognitionem generaret : et etiam quia impedimentum amotum fuit, videlicet ipsæ aquæ quæ ipsam circumdabant. Hoc autem factum est propter necessitatem animalium quæ non possent in aquis vivere. Et vocat eam aridam propter ejus qualitatem alteram : est enim frigida et sicca, unde multi in quibus abundat terra per prædominium, sunt frigidi et sicci, et ob hoc tristes et meditativi : quia calor cor dilatat et exhilarat, frigus vero contristat. Unde rationabiliter sequitur : *Vocavitque Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria*. Pluraliter dicitur maria propter multos ejus sinus. *Et vidit Deus quod*

esset bonum. In hoc notatur istius discooperticnis bonitas et utilitas, scilicet habitatio animalium terrestrium, præcipue eorum quæ habent pulmonem et respirant, quæ in aqua diu non durant sine suffocatione : sicut sunt aliqui pisces ut delphini secundum Aristotelem. Si autem quæritur ubi legitur productio aliorum cœlorum a firmamento et a crystallino, quia de istis solum fit mentio : Dicitur quod productio eorum notatur in divisione aquarum quæ sunt super firmamentum : ibi enim traditur distinctio totius regionis cœlestis. Nam illa omnia corpora fuerunt per firmamentum ab elementis distincta et divisa. Unde sicut a parte elementorum ponuntur aquæ, quia secundum apparentiam, id est secundum ea quæ sensui apparent, sunt firmamento immediatæ : ita aperte corporum cœlestium illud tantum cœlum exprimitur, quod immediate firmamento conjungitur, illo tamen mediante alia dividuntur.

Sequitur, *Germinet terra herbam virentem.* Post elementorum distinctionem agit in hac parte de eorum ornatu : et primo de ornatu naturæ opacæ ; secundo de ornatu luminosæ, ibi, *Fiant luminaria;* tertio de ornatu mediæ, scilicet aquæ, ibi, *Producant aquæ;* quarto ut addat aliquid, replicat de ornatu terræ, ibi : *Producat terra.* Dicit igitur primo, *Germinet terra.* Describit eam sicut prius, et quantum ad fieri, et quantum ad factum esse, et a sua utilitate. Dicit igitur, *germinet :* ad productionem enim sequitur collatio potestatis ipsi terræ ad producendum terræ nascentia : pro nihilo enim materia requireretur, nisi illi data esset seminalis potentia. Unde confertur potentia quantum ad duo : quantum ad illa, quæ sunt in usum hominum et jumentorum communiter : et quantum ad illa, quæ sunt in usum hominum specialiter vel singulariter. Prius igitur describit collationem potentiæ seminalis respectu eorum quæ sunt ad usum animalium generaliter, cum dicit : *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum :* et subdit productionem actualem cum dicit : *Et protulit terra herbam virentem et facientem semen juxta genus suum ;* et istud est ad usum animalium generaliter : *Et hortum pomiferum faciens fructum unumquodque semen secundum speciem suam :* et istud est ad usum hominum specialiter : unde naturalis cibus jumentorum est herba, naturalis cibus hominum sunt fructus vel poma ; sicut patet per sequentem litteram, quæ dicit, quod homini in statu naturæ integræ fuit datum et assignatum alimentum illi statui conveniens. Sed fuerunt tantum assignati fructus arborum. Unde quod aliis utantur animalia vel jumenta et homines, non facit naturalis necessitas, sed humana curiositas, quæ ad suam voluptatem exquisivit tantam potuum et ciborum varietatem. De hoc autem, quod hic dicitur, *Protulit terra herbam virentem etc*, dubitatio consurgit. Certum est enim, quod illud opus, sicut alia opera sex dierum, sunt facta in instanti. Non enim est intelligendum, quod tota die Deus opera sua continuaret sicut artifex creatus. Agere autem in instanti est creato agenti impossibile. Igitur non debuit dicere, protulit, sed quod Deus produxit. Ad hoc posset dici, quod terra non dicitur germinasse aut protulisse herbam tamquam causa efficiens, sed solum tamquam causa materialis, de qua et in qua est hoc factum, itaque quasi se habeat sicut mater ad supernaturalem partum, etiam cum dicitur protulisse : quia non fuit in ipsa terra tantum potentia susceptiva vel pura materia, sed ratio seminalis ad talem effectum vel formam specialiter ordinata. Sicut etiam terra cum actione communis patris, scilicet solis, dicitur proferre herbas et talia, non quia habeat modum et dispositiònem susceptivam a se, sed ab ipso agente. Unde si sol posset agere in instanti, et educere potentiam materiæ in actum, diceretur proferre herbam in instanti, quia illud administraret quod deberet, scilicet materiam et rationem seminalem, illam materiam ad talem effectum determinantem, præsupponendo agentis actionem. Modus enim successivus non est in rebus ex parte materiæ vel seminalis potentiæ : sed ex defectu agentis hoc habuit potissimum. Nec minus propter hoc dicitur illum fructum proferre. Et hoc intelligo respectu illorum, respectu quorum habet seminalem potentiam terra ex se sine particulari agente, cum influentia universalis agentis : respectu enim illorum non fuit miraculum, nisi quantum ad modum. Si autem sunt aliqua ligna, ad quæ non est terra in potentia seminali ex se, nisi mediante aliqua specie, sicut pinus et ficus et talia : exponitur, quod protulit ista, quia in eis ista prolata sunt. Dicitur ergo, *Et ait* Vox illa, ut dicit Basilius, fuit quædam

hoc natura, terræ fructificandi præstans in posterum facultatem. Unde sequitur, *Germinet*: id est, a me potestatem germinandi accipiat, *herbam virentem*. In hoc mirabilis apparet Dei potentia, quod in terra frigida et sicca aliquid virens efficitur, et de ea educitur naturaliter res virens, quæ humida est et calida. Viventia enim vivunt, et vita fundatur in calore et humore secundum Aristotelem in lib. *de Plantis*. Herbam autem vocat hic omnia terræ nascentia, quantitatem brevem habentia, et raram substantiam. Lignum autem pomiferum vocat arbores, quæ habent soliditatem majorem lignorum, non raritatem herbalem: et habent quantitatem majorem. *Juxta genus suum*. Secundum enim naturam terræ nascentium est natura fructuum. In quo ostenditur, quod in rebus creatis effectus specialis respondet causæ speciali, et proprio generi; unde genus unum non se extendit ad diversa genera effectuum, sicut nec actus intrinsecus, qui est intra rem, scilicet ipsum esse, quod est actus entis: et ita se habent actus extrinseci super actus intrinsecos, sicut super radices proprias effectivas fundati. Ideo diversa genera arborum habent diversa genera seminum, et productorum effectuum. Deus autem est illimitatum ens producens istos effectus inferiores, non secundum naturam vel genus suum, sed secundum suæ voluntatis imperium. Ideo sicut natura potest in illa ad quæ se extendit et ordinatur, ita et voluntas libera potest in omnia illa ad quæ se extendit libertas sua. Voluntas autem potest se extendere quantum ad actum in omnia rationem bonitatis habentia; ideo potest in omnia non secundum genus suum, sed secundum suum imperium. Et sequitur, *Et lignum pomiferum faciens fructum secundum speciem suam*. Herbæ enim faciunt secundum genus suum, non secundum speciem suam, quia frequenter ex dispositione terræ ex semine unius grani secundum speciem surgit aliud secundum speciem, sicut ex tritico siligo: et hoc propter imperfectionem et indifferentiam specierum. Sicut etiam masculus propter infirmitatem sive naturalis potentiæ vel materiæ mulieris, quando est debilis, generat feminam; et quando est fortis, generat similem. Arbores autem semper in semine suo generant idem secundum speciem. Si autem quæritur, quo tempore mundus est formatus? respondet Beda in *Glossa*: *germinet etc.*, quod incepit in tempore vernali, in quo solent terræ nascentia germinare. Nec obstat, quod dicit Basilius ratiocinando, quod in autumno formatus est, arguens ex plenitudine fructuum et seminum; quia ex quo illi fructus non fuerunt educti per generationem, non oportuit quod expectarunt æstivam maturationem. Fuit enim illa per vim divinam, quæ subito potest totum facere: et probabilius fuit ac rationabilius, quod fieret in vernali tempore, in quo naturaliter germinant omnia communiter, quam in autumno, in quo supernaturaliter fieri oportet germinationem et maturationem. Ita enim Deus res administrat, quod quantum possibile est sibi, illud quod potest illis reservat. Rationabile enim videtur, quod illo tempore fieret, quo dies noctibus adæquarentur: et hoc est in tempore vernali, et sub Ariete, non sub Leone in augusto, vel sub Libra in autumno.

Sequitur, *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli*. Agitur de ornatu firmamenti, et quantum ad fieri, et quantum ad situm, et quantum ad motum, secundum quem est distinctio diei et noctis, et temporum, ibi, *Et dividant diem et noctem*, et quantum ad effectum, ibi, *Ut luceant in firmamento*. Quantum igitur ad fieri et situm dicit, *Fiant luminaria in firmamento*. Hoc intelligatur de firmamento large, non de eo in quo sunt stellæ fixæ; quia in eo non sunt sol et luna. Sed accipitur firmamentum pro loco stellarum sive erraticarum sive fixarum. Ista autem luminaria quamvis nondum exprimantur propriis nominibus, exprimuntur tamen in suis effectibus. Unde sequitur, *Et dividant diem etc*. Præsentia enim solis facit in hemisphærio uno diem, et ejus absentia noctem. Item secundum ista non tantum est indicium diei et noctis, sed serenitatis et tempestatis, et ex interjectione diversarum nubium fiunt sol et luna diversi coloris, et ex diversis eorum coloribus deprehenditur serenitas vel tempestas, secundum illud quod dicitur, « Mane rubens cœlum notat imbres: sero, serenum. » Ratio vero est, quia quando sero rubet cœlum, nubes sunt in oriente ad oppositum, ac ideo sol in mane invenit eas, et sibi propinquas dissolvit. Quando autem in mane sunt nubes longe a sole, et oppositæ, non potest sol eas dissolvere, et ideo fit pluvia. Sunt etiam in tempora, nam secundum

quod sol est in diversis signis, variantur tempora anni quatuor, atque in quolibet tempore stat sub tribus signis. Tempora autem sunt ver, æstas, autumnus, hyems. In vere stat sub ariete, tauro, geminis. In æstate sub cancro, leone, virgine. In autumno sub libra, scorpione, sagittario. In hyeme sub capricorno, aquario, piscibus. Et sunt ista signa diversæ portiones cœli, sub quibus suo motu pertransit sol in zodiaco : et denominantur sic a stellis, quæ in illis portionibus sunt sitæ secundum aliquam similitudinem ad illa ex quibus sumuntur ista nomina. Luna etiam sub istis signis diversificat tempora vel qualitates aeris. Sunt etiam in dies et annos. Nam suo motu diurno sol facit dies continue, et suo motu in orbe proprio et annuo facit annos, secundum quod movetur ab oriente in occidens in duodecim mensibus. Postmodum describit ea, quantum ad effectum vel actum, et intrinsecum, qui est ipsius luminaris in se, et extrinsecum, qui est in aliud. Unde sequitur, *Ut luceant in firmamento cœli*, ut legatur intransitive, quasi dicat, quod est cœlum : *et illuminent terram :* unde describitur et quantum ad actum interpolatum, qui est illuminare. Et tunc subdit, *Fecit Deus duo luminaria*. Agitur de istis luminaribus distincte, postquam indistincte de illis actum est. Et primo agit de majoribus per se, secundo de minoribus per se, ibi, *et stellas*, et simul de utrisque, ibi, *ut luceant*. Dicitur vero Deus fecisse duo luminaria magna, quia magna utique sunt ambo in se considerata : licet unum ad aliud relatum sit minus illo, ut luna quam sol : unde sequitur, *et luminare minus, ut præesset nocti*. Sicut mons aliquis dicitur magnus absolute, et respectu majoris montis dicitur parvus. Luna ergo in se magna est, et aliter, cum decrescit, et aliter cum est integra, res disponit : cerebrumque augmentat pecorum, et animalium marinorum viscera, arborumque medullas et ossium, et sic est etiam virtute magna. *Luminare majus, ut præesset diei*. Sol enim major est luna quantitate et virtute. Quod quantitate, patet ex eo, quia est a nobis remotior, et tamen apparet major : cum tamen a remotiori res videantur minores, sicut homo super campanile videtur, quantitate unius corniculæ. In virtute etiam excedit, quia omnino illuminat et lunam et stellas, et vivificat omnia : unde dato quod stellæ et luna etiam ex se luceant, tamen ex hoc apparet solaris lucis et virtutis suæ excellentia, quia earum lumen sua præsentia absorbet. *Et stellas*. Agit de minoribus, quas posuit in firmamento, et ad illuminationis effectum ; unde sequitur: *Et posuit eas in firmamento, ut lucerent super terram*. Quod quidem dicit, non quia luceant super aquas, et in aere simpliciter, sed quia earum lux magis apparet in terra. Vel forte, quia radius non illuminat, nisi in aliquo solido impingat : atque ideo, quia terra magis solida est, ideo magis resultat lumen ab ea, vel circa eam, *ut præessent diei et nocti*. Non respectu solis et lunæ, sed respectu illuminationis, propter quod sequitur : *Et dividerent lucem ac tenebras*. Non complete et integraliter, sicut lux primo facta, vel sol : sed incomplete, quia incompletam illuminationem faciunt, quæ sufficit ad necessitatem ; nec est tanta, quod excludat animalium quietem. Lux enim magna est sensuum aperitiva [1], et sic cum somnus sit retractio et clausio sensuum, lux intensa quiescere non sinit : ideo est temperata de nocte, et commendatur ex hoc et aliis multis finibus.

Sequitur, *Vidit Deus, quod esset bonum, et factum est mane et vespere dies quartus*. Si autem quæritur, utrum sol et luna et stellæ differant specie ab ipsis orbibus et cœlis : quamvis non possumus habere magnam super hæc certitudinem, credo tamen, quod differant specie : et probatur ex Scriptura, quæ dicit ea facta in quarta die, cœlum autem in secunda. Non enim verisimile est, quod eadem specie fierent in diversis diebus. An vero inter se differant specie ? Dicitur id facile sciri non posse : bene videmus tamen diversitatem effectuum, quia una stella infrigidat, alia inflammat ; una humectat, alia desiccat. Ex qua diversitate possumus arguere diversitatem speciei, sed non certitudinaliter : nam vidimus mirabiles diversitates in aquis, et tamen secundum Philosophum, omnis aqua omni aquæ est eadem specie. Videmus etiam mirabiles diversitates in vino : aliud est rubeum, aliud album, aliud dulce, aliud amarum etc. ; et tamen omne vinum, omni vino idem specie dicitur, unde in omni vino consecratur : et omnis aqua eadem specie est

[1] « Appetitiva » habet edit. Antuerp. vel Colon per errorem.

omni aquæ, unde in omni aqua baptizatur. Licet autem hoc non sit demonstrabile, tamen est possibile. Si autem quæritur, utrum sol et luna sint majora cœli luminaria? Respondetur, quod Augustinus movet hanc quæstionem libro II super Genesim ad litteram cap. XVI, et refert opiniones quorumdam dicentium, aliquas stellas esse majores illis duobus, propter earum majorem remotionem apparere minores. Et subdit : « Sicut quisquis velint, « tamen teneamus illa esse majora, quæ ma- « gis commendat Scriptura ; et certe hoc « commendat nostris oculis, quod patet « magis lucere hæc duo super terram. » Quærit autem libro, cap. XV, Augustinus, utrum luna fuerit facta plena : et arguit, quod sic, secundum aliquos, quia non debuit esse imperfecta : et neutram partem asserit. Tamen Magister historiarum dicit, quod fuerit facta plena, quod probat per aliam translationem, quæ dicit, « Luminare minus in inchoatione noctis. » In principio autem noctis non apparet nisi plena, quia tunc est soli opposita diametraliter. Si tamen non fuit plena, non est inconveniens, quia ista imperfectio non esset in ea, sed in oppositione ad solem ; in se enim fuit perfecta. Quærit etiam Augustinus de cœlis, an sint animati, libro II super Genesim cap. ultimo, et nihil determinat. Tamen Damascenus libro II dicit : « Nullus animatos cœlos existimet : inanimati enim sunt et insensibiles. »

Sequitur : *Producant aquæ reptile*. Ubi agit de ornatu naturæ, vel perspicui, scilicet aeris et aquæ ; secundum modum in aliis observatum, et quantum ad conditionem, et quantum ad suum ordinem, ibi, *Et vidit Deus quod esset bonum*, et quantum ad multiplicationem, ibi, *Et benedixit dicens, Crescite* etc., et quantum ad consummationem, ibi, *Et factum est vespere*, etc. Dicit igitur, *Producant aquæ reptile*. Reptile est, quod repit, id quod serpit : et dividitur reptile contra gressibile. Sed circa hoc quæritur. Nam dicit universaliter, quod ornatus aquarum est reptile. Videtur enim, quod hoc sit falsum ; nam in terra sunt quædam reptilia, sicut ranæ, sicut cancri, sicut tauri marini, sicut crocodili. Respondit Basilius, quod in animalibus aquæ, de quibus loquitur, est præcipue natatus : unde dicit reptile, quod communiter corpus per aquas trahit. Et duo aquis attribuit : scilicet reptilia, et etiam volatilia. Unde per hoc dicunt quidam, quod innuit quod aquæ non sunt ab aere distinctæ, quantum ad intentionem Scripturæ. Nam certum est, quod aves fiunt vel producuntur ex aere isto pingui aquis vicino. Non quod non sint in avibus alia elementa, scilicet terra et aqua, sed aer est ibi in prædominantia. Et si argueretur, quod tunc sequeretur, quod aves supernaturaliter moventur, quia unumquodque movetur secundum naturam prædominantis in ipso : sicut videmus quod metalla, lapides, et talia, quæ sunt per prædominium de terra, moventur deorsum ; Dicendum, quod aves et omnia animalia ex conjunctione elementorum producta sunt a terra omnino, et plus est in illis de terra, quam de alio elemento : atque ideo omnes sequuntur ejus motum, et moventur ex gravitate, quam habent deorsum. Dicuntur tamen aliqua animalia ab aqua, aliqua ab aere : non quod ibi sit plus de aqua vel de aere, quam de terra ; nam alias nec haberent tantam densitatem, nec tantam gravitatem, nec tantam soliditatem, cum talia præcipue sequantur terram, et qualitatem terræ : sed pro tanto dicuntur ab aere vel ab aqua, sicut pisces vel aves, quia in ipsis plus abundant ista, scilicet aqua in piscibus, aer in avibus, quam in cæteris animalibus, sicut patet. Nam pisces habent naturam humidiorem et rariorem et frigidiorem : quod patet, quia citius propter suam raritatem corrumpuntur, propter suam frigiditatem non ita nutriunt. Propter quod et religiosi magis in conventibus piscibus utuntur, quam carnibus, quia homines ex usu piscium propter suam frigiditatem ad voluptates non ita inardescunt, neque tantum humorem, neque tantum calorem in homine relinquunt ; sicut etiam patet in avibus, quæ plumescunt, et plumæ ex natura sua habent levitatem et raritatem, quæ sequuntur aerem. Quod autem per aquas, de quibus producuntur aves, intelligatur aer crassus et pinguis, apparet per illam *Glossam* Augustini super illum locum, ubi dicit, « Aquarum natura lo- « cum sortita inferiorem hic in terra, et « superiorem in aura flabili. » Nota autem quod per hoc, quod dicit reptile animæ viventis, excludit errorem Philonis, qui posuit Angelos esse ornatum aeris. Et dicit volatile secundum genus suum. Ex quo videtur, quod non fecit nisi unam speciem volatilis et reptilis. Nam in una specie servatur ratio generis. Et sic opor-

tuit postmodum alias species creari, vel de elementis sine particulari agente cum causa universali, scilicet cum sole educi. Quod tamen falsum videtur de speciebus completis, quæ non generantur per putrefactionem, sed per propagationem. Ad hoc dicendum, quod genus accipitur secundum totum suum ambitum, scilicet pro omnibus speciebus, in quibus salvatur et servatur ratio generis : unde accipitur pro genere, et pro omnibus de quibus prædicatur, et in quæ descendit per differentias formales, sicut sunt omnes suæ species. Itaque accipitur hic genus pro speciebus generis, sicut etiam accipitur quandoque species pro omnibus individuis, ut patet infra, cum dicitur : *Delebo quippe hominem a facie terræ*. Describit deinde opera illius diei, quantum ad ordinem, cum dicit, *Vidit Deus, quod esset bonum*. Nota, quod non semper in præcedentibus posuit verba ista, scilicet in productione firmamenti. Cujus quidem ratio potest esse, quia non oportet illa exprimere, quæ in omnibus patent et quæ nullum latent. Illa autem, quæ sunt patentia super omnia, quantum ad necessitatem mundi et ordinis universi, sunt corpora cœlestia, sine quibus nec aliquis vivit nec durat. Illa autem, quæ latent, et sunt ad certitudinem difficilia vel ad intelligendum, oportet magis exprimere : sicut est de istis reptilibus et volatilibus, in quibus sunt multa, quæ non videntur habere aliquam necessitatem, sed magis superfluitatem, imo magnam contrarietatem ad universi ordinem, sicut sunt etiam multa animalia reptantia et aves volantes. Quæ quidem, etsi utilitates earum latent vel eorum, tamen in ordine universi magnam utilitatem afferunt. Mundus enim quibusdam decoratur antidotis : nam id, quod est uni rei vel particulæ nocivum, est alteri necessarium : et illud, quod est contrarium naturæ sanæ, est opus naturæ ægræ : sicut patet de theriaca et multis aliis venenis. Atque propter hoc ut simplices edocerentur in illis, quæ non sunt per se expressa, et quæ sunt occulta, et a speciali providentia divina specialiter disposita, hic addit, *Vidit Deus quod esset bonum*. Non autem in præcedenti die, cum illud esset evidentissimum. Vel etiam illud non posuit tunc, ut magis credo, ne toties illud replicando generaret fastidium legentibus et audientibus. A quo etiam cavere debet, qui aliquid in scriptis redigit, ne suus labor displiceat et contemnatur ; et scripturæ debito fine priventur, si non legantur.

Sequitur, *Et creavit Deus cete grandia*. Ingeminatio hæc ponitur propter duplicem rationem, quam res supponit, ut exeat in esse, scilicet causalem et seminalem. Causalis est apud Deum vel divinam potentiam, et ob id dicitur, *creavit*, Seminalis apud materiam, propter quod dixit, *Producant aquæ reptile*. Et accipitur hic creatio non pro productione rei ex nihilo, sed de materia præjacenti. *Et omnem animam viventem ac motabilem*. Per hoc quod dicit, Omnem animam viventem, excludit arbores, et ea, quæ vivunt non per animam, sed per viriditatem, sicut dicit Gregorius in *homil*. Motabile dicitur ad excludendum animam rationalem, quæ non est mutabilis ab esse in non esse. Et istam sententiam ponit *Glossa* Bedæ : unde accipit motabile pro corporali. Quod quamquam sit verum, et quod anima rationalis est incorruptibilis, omnis autem anima sensitiva et vegetativa corruptibilis : tamen non videtur ille proprius sensus literæ. Credo autem, quod intelligit per motabile animam, quæ est principium motus localis, ut discernat inter opus diei tertiæ, et istius diei quintæ. Nam tertia die fuerunt facta viventia, sed non mobilia secundum locum, sicut herba et plantæ. Et per hoc etiam et secundum istum sensum potest haberi differentia operis istius respectu animæ hominis. Nam anima rationalis, inquantum rationalis, non est principium motus localis, sed ille est ab altera anima, vel ab altera potentia, quam sit rationalis ; quia motus localis est communis animalibus brutis et hominibus : ideo oportet quod sit per aliquid commune. Rationale autem non est quid commune brutis et hominibus. In hoc etiam ponit differentiam animæ vegetabilis, quæ non movetur secundum locum. Et advertendum, quod dicit, quod Deus illud creavit, et quod aquæ produxerunt, ut concludatur, quod nulla creatura in sua actione causam primam excludit, ex quo cum productione aquæ eamdem rem producit. Quamvis, ut proprie loquamur, in ista materia, ideo producere dicuntur aquæ, quia inde fuerunt ista producta, non quod fuerit illa causa activa. Sequitur jam ea pars, in qua tangit de illorum benedictione : unde dicit : *Benedixitque illis, dicens, Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris, et multiplicentur super ter-*

tum. Ubi benedictionem suam ad tria retraxit ordinatam. Ad propriam rerum permansionem, ibi, *Crescite*: et quantum ad generandorum universitatem, ibi, *et multiplicamini*: et quantum ad ordinem et totius universi decorem, ibi, *et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram*. Ista enim sunt tria quæ erant benedictionis judicium, quando videlicet res in se debitum incrementum suscipit; quando aliud a se facit, unde in *Metaphysicorum*, unumquodque tunc perfectum dicitur, quando generat sibi simile. Et etiam quando suum locum tenebat et universitati prodest. Et inde sunt illa tria prædicta. Et sequitur consummatio, *Et factum est vespere et mane dies quintus*.

Sequitur: *Fecit quoque Deus, producat terra animam viventem*. Agitur primo de conditione irrationabilium: secundo de conditione rationabilium, ibi, *Faciamus hominem*. Producit igitur terra animam viventem, aliam scilicet a genere avium et piscium; nam et illa fuerunt quinta die facta. Quare autem ista animalia, sicut jumenta, bestias et reptilia terræ fecit ultimo die vel sexta cum homine, reddit se causa, quia cum homine habent communem habitationem; ideoque cum sint facta ad habitaculi ornatum, eadem die debuerunt produci. Et dicit, *in genere suo*; quia sub multis speciebus continentur. Possunt autem hæc, quæ hic notantur, sic distingui. Nam animalium quædam sunt in hominis adjutorium, et hæc *jumenta* dicuntur, unde jumenta sunt quasi juvamenta. Quædam sunt in exercitium, sicut illa, quæ habent potestatem lædendi. Et hoc duplex potest esse; quia quædam habent potestatem nocendi occulte, ut serpentes et reptilia, quædam autem manifeste, sicut bestiæ, quæ feritatem habent. Attamen secundum Augustinum, lib. III *super Genesim ad litteram*, quamvis ista fuerint ad nocendum apta post peccatum, tamen homine stante in statu innocentiæ, ista aptitudo reduci non posset in actum, licet tunc creata fuisse non videatur posse dubitari. Unde et infra cap. III patet, quod serpens fuerat creatus, unde ibi dicitur, *Serpens erat callidior etc*. De spinis autem, et herbis nocivis, an fuerint ante peccatum? Dicitur quod sic. Quod vero infra cap. III dicitur: *Spinas pariet tibi*. Respondetur, quod non est absolute dictum, pariet, sed pariet tibi. Quod enim fuerunt, hoc fuit ex creatione Dei; sed quod ita creverint, ut herbis fructiferis damna fuerint, et labor proinde exerceri debuerint ad illarum evulsionem, hoc est ex pœna peccati. Si vero quæritur de animalibus, An unum aliud comedisset tunc? Non videtur inconveniens id concedere, cum unum sit alterius alimentum. Posset etiam fieri, quod omnia animalia fuissent herbis contenta, sicut videtur ex eo, quod hic dicit, *Dedi vobis omnem herbam, et universa ligna, ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus*: unde licet id detur, quod tunc fuissent animalia herbis contenta, et unum aliud non occidisset, non sequitur quod natura eorum esset mutata. Nam videre est etiam homines, qui maximam accipiunt variationem in cibis. Inveniuntur quoque mulieres, quæ vivunt de carbonibus; aliqua etiam fuit, quæ vivebat de veneno, ut in antiquis historiis legitur.

Sequitur: *Et vidit Deus, quod esset bonum, et ait, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Ubi ultimo agitur de conditione hominis, et id quantum ad finem, quia, ut dicit Beda, et habetur etiam secundo lib. *Physicorum*, homo est omnium finis. Determinat vero de conditione hominis, et quantum ad fieri, et secundo quantum ad factum esse, ibi, *Et factum est*. Tertio, quantum ad ordinationem in suum optimum, ibi, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*. Quarto, quantum ad suam consummationem, ibi, *Et factum est vespere et mane etc*. Dicit igitur, *Faciamus*. In quo per numerum pluralem aperte explicat ipsam Trinitatem; quia ante hoc nullus dogma de Trinitate intelligere potuit: unde et *Glossa* ait: « Dum enim, qui doceretur, non » erat, occulta fuit prædicatio veritatis. » Si autem quæritur, Cujus fuit illa locutio et ad quid, et ad quos fuit directa? Respondetur, quod non fuit ad Angelos, quidquid dicant Judæi; quia Dei et Angelorum non est imago una, nisi secundum analogiam. Deus autem non loquitur nisi ad habentem suam similitudinem. Unde puto dicendum, quod est locutio vel verbum totius Trinitatis sub personarum trium distinctione loquentis et pluralitate. Nec audeo vel nolo dicere, quod fuerit locutio Patris loquentis ad Filium, quia respectu creaturarum non legi distinctionem actionum. Distinctio autem est inter loquentem et audientem, et inter loquutionem in quantum est in loquente, et in quantum recipitur in audiente. Propter hoc autem exprimitur hic

distinctio Trinitatis, et ejus similitudo vel imago, quia homo configurationem habet ad Filium propter rationem et intelligentiam, quia Filius est ars Patris. Et hoc notatur in ratione imaginis. Nam sic intelligentia est expressa similitudo memoriæ, sicut sicut Filius est expressa similitudo Patris. Configuratur etiam Patri ; quod notatur in hoc, quod dicit, *et præsit piscibus maris*. Nam in præsidentia designatur potentia, et potentia appropriatur Patri. Configuratur etiam Spiritui sancto cui appropriatur bonitas ; quod ostendit, cum dicit : *Et vidit cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*. Dicit igitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Habent ista duo distinctionem : nam imago attenditur secundum potentiam cognoscendi, similitudo quantum ad potentiam diligendi, secundum auctorem libri *de Spiritu et anima*. Vel imago dicitur, quantum ad naturalia, et dispositionem partium naturalium ; sicut videmus, quod imago habet consimilem dispositionem in partibus quantitatis cum re imaginata. Similitudo autem attenditur quantum ad gratuita, sicut dicit Magister in historia. Et subdit postea dispositionem suæ prælationis vel sublimationis, cum dicitur, *et præsit piscibus maris* : ubi tangitur ejus præsidentia respectu aquatilium et volatilium, et respectu terrestris duplicis, scilicet gressibilis et reptilis, quæ omnia patent in litera : Et respectu creaturæ omnis corporalis universæque terræ. Quod alicui videbitur contrarium esse veritati et sensui. Nam videmus multa sibi resistere et contrariari etiam pro illo statu innocentiæ : nam tunc corpora cœlestia non fuissent illi subjecta, nec sol, nec stellæ, neque etiam hic mineralia. Ad hoc dicitur, quod pro illo statu habuit duplicem præsidentiam super omnem creaturam irrationalem : primo scilicet præsidentiam naturalis bonitatis ; secundo præsidentiam finis bonitatis ; quia sicut omnibus fuit natura superior, sic ad ejus servitium et utilitatem omnia sunt producta, et propter ipsum. Respectu autem naturalium, vel rerum, quæ possunt nutus humanos aliqualiter recipere, habuit tertiam præsidentiam imperii : quandiu enim expediret, ejus nutibus obtemperassent. Si autem quæritur, an tunc esset aliqua impressio in animalibus, quæ non modo sit propter quam nutui hominis paruissent, an forte sic se habent modo, etiam quod si homo non esset infectus, adhuc sibi obtemperassent ? Incertum est, quid horum duorum sit verius : verisimile est tamen, quod ex utraque parte modo sit defectus. Et quod tunc ex parte virtutis hominis, scilicet justitiæ originalis, et ex parte dispositionis animalium obedientia illa causaretur, quorum utrumque nunc deest. In quibusdam tamen, Deo sic ordinante, dispositio ista remansit propter hominum maximam necessitatem, sicut in pecoribus et jumentis. Pisces dicuntur a pascendo, quia ex illis pascimur, vel quia unus alterius est cibus. Dicit autem Papias, quod piscibus nomina sunt instituta post animalia ; unde vocantur aut ex similitudine animalium terrestrium, ut vituli, aut ex colore, aut ex moribus ut canes, quia mordent. Alia vero nomina sunt prius exposita, ut volatile, etc. Sequitur. *Et creavit Deus etc*. Ubi post dispositionem factionis tangit ipsam factionem hominis, et tangit ipsius esse, secundum quod fuit in fieri, et secundum factum esse, et secundum sexuum distinctionem : unde dicit per ordinem, « creavit, » id est, de materia produxit. Accipitur enim hic creatio pro factione, et non pro productione ex nihilo. Quamvis autem productio hominis fuerit de materia, dicitur creatio, quia fuit factus subito homo ; unde etsi fuerit factus propter subjectum, quod ibi fuit materia tamen dicitur creatus propter istam causam. Sicut etiam Scriptura vocat eum hominem ab humo vel limo, de quo fuit factus cum aliis animalibus communiter : et denominatur sic a viliori ut ex suo nomine discat homo subjici et humiliari Deo, quando cognoverit se esse de materia ista vili, et non possit eum latere, quando nomen ejus ad materiam tam vilem tantam habet vicinitatem. Et ne forte æstimari posset, quod ipsum fecisset quantum ad corpus solum, et quod non esset in eo aliquid nisi corporale et eductum de materia corporali, addit : *ad imaginem et similitudinem nostram*. Quia secundum quod dictum est, imago attenditur in homine secundum animam. At vero ne etiam ab aliquibus putaretur, quod Deus solum produxit hominem secundum animam, eo quod toties ponitur imago et similitudo, quæ sequitur animam, sicut etiam dixerunt Manichæi, quod corporalia essent a Deo malo ; subdit, *Masculum et feminam creavit eos*. Distinctio enim sexuum ad corpus pertinet, et ex illo pen-

dit. Proinde Manichæorum error ex hoc manifeste eliditur. Hic autem movetur prima quæstio de muliere : An eodem die est formata, an post septimam diem ? Nam Scriptura, postquam consummavit opera sex dierum, et post septimam diem quietis enarrat formationem illius. Sed per istam literam potest videre aliquis solutionem, quia dicitur hic, quod fecit masculum et feminam, et sic utrumque videtur factum fuisse *die sexta*. Sed contrarium videtur dicere Scriptura in alio loco. Ideoque aliqui dixerunt quod ambo sexta die fuerunt facti secundum rationem causalem aut seminalem, postea autem fuerunt facti secundum existentiam actualem. Quod credo non esse verum : sed secundum quod hic innuit Scriptura, credo prius, scilicet sexta die, fuisse factum hominem in genere masculino, et postmodum, et eo formatam mulierem, ut ex hoc insinuetur, quod homo sit generis humani principium, et quod respectu mulieris debet habere principatum. Et ut notaretur, mulierem ad speciem humanam quasi quid annexum, ad generationis scilicet officium, esse. Sequitur : *Benedixitque illis*. Ubi agitur de conservatione hominis secundum naturam speciei : et prima potentia multiplicativa tribuitur. Secundo formatio illius potentiæ exprimitur, ibi, *Crescite et multiplicamini*. Tertio dignitas multiplicandorum subjungitur, ibi, *et subjicite eam*. Ait ergo : *Benedixitque illis*. Bonum est sui ipsius diffusivum. Unde per verbum benedictionis intelligitur collatio gratuitæ virtutis, quæ est radix diffusionis. *Crescite et multiplicamini ; et replete terram, et subjicite eam*. In hoc nota secundum *Glossam*, quod nullo modo sunt damnandæ nuptiæ, quas ad propagationem suprema benedictio instituit, ubi virginitas prædicatur, secundum quod probat Augustinus in libro *de Virginitate*. Videtur autem, quod matrimonium hic fuerit institutum ; alibi autem videtur, quod sit institutum infra in cap. II, ubi dicitur : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; propter hoc relinquet homo patrem et matrem*. Sed hæc contrarietas potest solvi per distinctionem. Nam in matrimonio requiritur ad actum conjugalem habilitas, quæ fundatur in distinctione sexuum, et aptitudine ad multiplicationem secundum vim et potentiam diffusivam : et hoc secundum statum etiam innocentiæ generaliter et universaliter, et secundum statum naturæ communiter consideratæ. Sed etiam fundatur in aptitudine ad concupiscentiæ repressionem ; et hoc secundum statum naturæ lapsæ singulariter, in quo matrimonium est in officium communiter, sicut in statu naturæ integræ, et specialiter in remedium concupiscentiæ. Et quantum ad ista fuit matrimonium institutum in illo loco quando vis generativa fuit homini data. Requiritur etiam in matrimonio consensus animorum ; et quantum ad hoc fuit institutum cap. II in loco citato. Non tantum autem dedit ei hominibus fecunditatem, sed et dignitatem et præsidentiam : unde dicit, *et subjicite eam*, id est terram, *et dominamini piscibus maris*. Quæritur, cur horum accepit homo dominium, cum hæc non essent in alimentum, nec in juvamentum ? Respondet Beda, quod Deus præsciebat eum lapsurum ; ideo dedit ei, unde posset se secundum statum infirmitatis tueri ; animalia scilicet in alimentum, indumentum, et laboris juvamentum. Secundo potest dici, quod etiam pro illo statu fuerunt facta, et ad illum ordinant, ad decorem, scilicet, et ornatum habitationis humanæ, et ad multiformem ostensionem divinæ potentiæ et sapientiæ, et ad monstrandum in effectu multiformem ambitum generis et specierum entis. Item ut ex hoc relucerct hominis nobilitas et dominativa potestas, et ejus sagacitas in gubernatione rerum. Propter hoc autem facta sunt sub tanta varietate, ut ex hoc admirabilis appareret divinæ sapientiæ pulchritudo, quæ sub tanto ordine teneret, non tantum convenientia secundum mores, sed etiam contraria. Sicut videmus, quod quædam habent mititatem, quædam ferocitatem, et sic de aliis : et tamen omnia sequuntur incommutabilem ordinem. Sequitur : *Dixitque Deus, Ecce dedi vobis etc.* Agitur de conservatione individui. Primo enim contulit potentiam generativam ad multiplicandum speciem, et postmodum dat materiam et potentiam ad conservandum individuum : et patet ordo, quia illud prius est divinius et communius. Quamvis enim quælibet substantia singularis super seipsam moveatur, reciproce, et quasi naturaliter alia diligit, in quantum ad seipsam et ad bonum suum reducit ; sicut dicit Philosophus IX *Ethicorum*, quod amicabilia, quæ sunt ad alterum, sunt ex amicabilibus quæ sunt ad se. Cujus etiam exemplum est in ordine potentiarum ; quia natura

plus defert potentiæ nutritivæ, quæ est ad conservationem individui, quam generativæ, quæ est ad conservationem speciei. Nam communiter non mittit ad generativam nisi superfluum alimenti, secundum Philosophum in libro XVI *de Animalibus* : tamen causa generationis, quæ est naturæ vis generativa, magis intendit bonum commune, quam bonum cujuslibet præcise. Sicut etiam rector civitatis, ut salvet rempublicam occidit malefactorem. Ideo dico, augetur de conservatione individui, quæ erat futura in hominibus et animalibus per modum nutrimenti. Quamvis enim homines possent non mori, tamen non habebant necessitatem ad non moriendum. Immortalitas enim illa fundabatur super hoc quod cibum proportionate ac sobrie sumerent, et a demonum adversitate per industriam suam et Angelorum adjutorium se defenderent, et omne illud quod posset eos gravare, vitarent. Quia igitur indigebant cibo ait : *Ecce dedi vobis omnem herbam*, *etc.*, *cunctisque animantibus*. Manifestum ex hoc, ut quod animalia cuncta communiter viverent cum homine de herbis, granis et terræ nascentibus. Ratio autem, quare Deus voluit, ut homo et animalia cibos haberent communes, fuit, quia voluit ei dare occasionem suæ humiliationis, ne nimis superbiret ex consideratione suæ prælationis et dignitatis.

Sequitur, *Et factum est ita*, ubi post divinum imperium sequitur necessario, ut res imperata procedat in actum. Nam imperium suum est practicum et operis effectivum, et sine transitu ad materiam agit rem exterius. Non enim agit ut nos, sed tantum dicit, et fit quod dicitur, *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona*, ubi describitur conditio hominis quantum ad suum optimum et finem. Et signanter post productionem naturæ rationalis humanæ, additur, *valde bona*. In aliis autem præcedentibus dicebatur, vidit Deus, quod esset bonum. Nam ex conditione naturæ hominis dependet sub Deo quasi bonitas omnis naturæ corporalis, cum finis sit quodammodo omnium, et ex fine habent ea quæ sunt ad finem necessitatem, bonitatem et ordinem : unde ex comparatione ad hominem ad quem ordinantur, etsi res quælibet sit bona in se, tamen per respectum ad finem omnes sunt valde bonæ. Si autem illud signum (cuncta) accipiatur collectivo, tunc nullum dubium est, quin omnia sint valde bona, et perfecta. Ideo sequitur consummatio, *Factum est vespere et mane dies sextus*. Secundum aliquos ideo in sexto die factæ sunt res adeo perfectæ, quia ille est numerus perfectus. Constat enim ex omnibus partibus suis aliquoties simul sumptis. Partes autem aliquotæ sunt, quæ aliquotiens sumptæ totum suum reddunt ; sicut in senario unitas, binarius, et ternarius. Ista enim simul sumpta faciunt sex. Sed ego neque isti neque alteri numero tantam prærogativam dandam puto, ut dicatur Deum fecisse res sub tali numero propter conditionem seu perfectionem numeri. Ideo magis putarem dicendum, quod Deus fecit res sex diebus, propter perfectionem rerum, in quantum quæ sex sufficiunt ad pulchritudinem et debitum ordinem universi. Quod vero inquiunt sancti, quod est attendenda ratio numeri in rebus factis, intelligendum est secundum sensum mysticum, qui potest trahi quovis modo de littera, dum tamen possit probari per alium litteralem sensum.

CAPUT II.

Igitur perfecti sunt etc. Postquam determinavit de rerum factione, agit de rerum perfectione et ponuntur tria per ordinem, perfectio ibi, *facti sunt;* completio ibi, *complevitque Deus*, cessatio ibi, *et requievit Deus*, benedictio ibi, *benedixitque diei*. Dicit : *Igitur perfecti sunt cœli et terra*. Expressis enim operibus, et sigillatim acceptis, et secundum se distinctis sequitur necessario totius operis perfectio. Et sicut ex præmissis bene ordinatis secundum artem sequitur necessario conclusio : Sic etiam Deus faciendo opera singula et ornatus, operabatur secundum perfectam sapientiam et voluntatem, et ex istis infert perfectissimam universi machinam : ideo dicit : *Igitur etc.* Et dicit pluraliter, *cœli*, quia comprehendit cœlum empyreum, cujus ornatus sunt Angeli, qui facti etiam fuerunt, quamvis illud in Scriptura non sit evidenter expressum, et aqueum cœlum et firmamentum, et omnes orbes planetarum. Per terram autem innuit totam mundi machinam inferiorem sub orbe lunæ conditam quam vocamus naturam elementalem. Elementa etiam cum suis ornatibus comprehenduntur : bestiæ enim

et homines sunt ornatus terræ; aves autem pisces aquæ; ignis vero non legimus ornatum distinctum, quia sicut lucem sui potest. Forte non est elementum ab aliis distinctum, sed alia elementa per subtilitatem naturæ excedit. Si autem opponitur, quod postea sunt alia facta, quæ non fuerunt tunc producta, nec secundum speciem, sicut multa, quæ fiunt per putrefactionem, per quam generantur etiam novæ species, sicut etiam fuit nova stella, quæ Magos deduxit, Matth. II, et columba, quæ super Christum descendit, Matth. III: Respondeo secundum Augustinum, quod omnia fuerunt facta vel causaliter vel potentialiter et materialiter vel exemplariter. Causaliter, sicut illa, quæ generantur per putrefactionem, quorum ratio causalis est in natura. Exemplariter, sicut illa stella et columba, quorum exemplar fuit in ceteris stellis et ceteris columbis. Potentialiter, sicut aliqua miraculose facta, quæ nec habent causam in natura, nec similitudinem; sed tantum sunt in materia secundum obedientiam, qua Deo omnia obediunt, ut inde faciat quicquid disponit et ordinat. Et sequitur, *Complevitque Deus die septimo*, ubi ponitur rerum completio. Illud autem verbum magnam inducit difficultatem: qualiter, scilicet, die septimo Deus complevit mundum, cum illa die nihil fecerit; ex nihilo autem facto non potest advenire aliquod complementum alicui creaturæ aut facturæ. Præterea nihil faciendo non aliquid facit; et ideo, cum septima die nihil fecerit, videtur quod nihil complevit. Ista autem difficultas sic explanari potest. Nam completio rei potest haberi dupliciter: vel in ipso fieri rei, et sic non complevit Deus in die septimo mundum, quia, secundum quod est probatum, nihil tunc fuit in fieri, nec Deus fuit in facere. Alio modo potest haberi completio in ipso facto esse, quia tunc res est completa proprie, quando jam est facta, non quando est in fieri; et sic mundus fuit completus die septimo. Primo autem modo fuit completus die sexto. Et secundum quod dupliciter potest sic exponi, habetur duplex translatio. Una enim dicit, quod die sexto complevit. Translatio autem secundum hebraicam veritatem dicit, quod die septimo; et hoc habet una *Glossa* ordinaria super illum locum: quæ dicit, quod una translatio habeat sexto die, hebraica autem veritas habet die septimo. Si autem quæritur, a quo opere dies ista denominatur? Dic, quod ab opere conservationis præcise: in aliis enim diebus aliqua faciebat, et etiam omnia jam facta in esse conservabat. In ista autem die nihil fecit, sed solum et præcise omnia conservavit. Sic ergo dicendo ponit: *Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat*. Et sequitur, *Et requievit Deus die septimo*. Ubi post completionem congrue ponitur cessatio: quia cum omne ordinetur ad rei completionem, completione habita est quiescendum: sicut et motus ad formam, ordinatur ad quietem sub forma, ideo Deus quievit. Attende tamen quod quies ista intelligitur ab opere primæ conditionis, quæ fuit miraculosa et supernaturalis; non de opere cooperationis in operibus propagationis et productionis naturalis, quæ sunt ex propriis causis rerum, secundum quod dicitur Joan. V: *Pater meus operatur usque modo, et ego operor*: quod bene insinuatur, cum dicit: *Requievit ab universo opere, quod patrarat*. Non enim cessavit ab opere futuro, sed ab opere jam facto: quia postmodum non fecit opus conditionis partium principalium mundi, nec opus communis exornationis.

Et sequitur, *Et benedixit Deus diei septimo*. Ubi ponitur istius diei benedictio et ponuntur tria: primo ponitur benedictio, ibi *Benedixit etc.* Secundo sanctificatio, ibi, *et sanctificavit illum*. Tertio sanctificationis ratio, *quia in ipso cessaverat etc.* Primo igitur ponitur benedictio: Dicitur autem dies benedicta non ex se, sed ex felici eventu diei jam dictæ, quia in ipsa die fuerunt partes mundi completæ secundum esse; sicut etiam dicitur maledicta dies ex infelici eventu, sicut ibi Job. III maledixit diei suæ: *Pereat dies in qua dictum est, Conceptus est homo*. Ideo dicitur dies benedicta, id est a bono diei. Et sequitur sanctificatio, *Et sanctificavit illum*, id est sanctitati deputavit. Nam a nobis sancte diem Dominicum coli voluit; et ideo specialiter etiam sancto cultui divino vacare, et in ipso et in memorali ejus continuo beneficium nostræ creationis recolere; et ideo in lege veteri præceptum est in dicta die ab operibus servilibus vacare, ut Deo magis et cultui divino liberius possent intendere. Unde vocatur illa dies sabbatum, quod idem est quod requies. Non tantum enim fuit ratio moralis vel litteralis, quod idem est in materia ista, sed etiam

figuralis. Nam ista dies multas significativas refulgentias habet, quas longum esset enarrare : quia quot possunt inveniri quietes spiritualis mysteria, tot possunt inveniri etiam sabbata. Si autem quæritur, utrum adhuc maneat observantia sabbati? Dic, quod ibi fuit aliquid morale, scilicet vacatio a servili opere, secundum quod possibile est, et attentio ad divinum cultum, cum idoneo modo et tempore et circumstantiis. Aliud est ibi figurale, sicut determinatio talis diei præcise ; et talis determinatio erat ad aliquid designandum, videlicet quietem corporis in sepulchro et aliqua alia. Ideo cum jam non sit tempus umbræ, sed veritatis exhibitæ, quantum ad ista potuit et decuit cessare. Ideo Ecclesia ex ratione naturæ, ne videatur judaizare, diem illum transtulit in diem dominicum, et propter quietem completam corporis et animæ, quam Christus assumpsit in resurrectione, quæ fuit facta in dominica die. Et sequitur, *Quia in ipso cessaverat ab omni opere, quod creavit Deus, ut faceret*. Ubi ponitur sanctificationis causa : nam beneficia sunt magis grata, quanto magis completa : ac ideo quia die septimo ab omni opere cessavit, et omne opus complevit, merito illum diem memoriale operum divinorum reliquit et servitium ex suo tam magno exposcit beneficio ; ideo sanctificavit, id est sanctitati deputavit, et cultui sancto, et in ipso grates et laudes requirit. Et nota, quod dicit, quod *Deus creavit ut faceret*. Quod dupliciter potest exponi : uno modo sic, quod Deus creavit primo in materia informi, ut faceret postmodum de illa communi. Alio modo, secundum modum loquendi hebraicum, forte quod Deus creavit, ut faceret, id est in opere vel de facto. Sicut dicimus, aliquid generatur in effectu, contra generationem in potentia, secundum modum loquendi Avicennæ et Aristotelis. Aristoteles enim dicit in actu, et Avicenna in effectu. Et hic videtur dicere *Glossa* interlinearis : Dicit enim sic : Creavit ut faceret, id est in opere.

Istæ sunt generationes cœli et terræ. Hic ponitur primo recapitulatio præcedentium. Secundo prosequitur propositum, ibi, *Formavit igitur Deus hominem etc*. Intentio istius libri et propositum est describere hominis et Ecclesiæ fundationem productionem et introductionem ad legis susceptionem. Et primo recapitulat rerum productionem generaliter. Secundo specialiter, ibi, *et omne virgultum agri*. Tertio ostendit, quomodo producta fuerunt prius, et post differenter, ibi, *Non enim pluerat Dominus super terram*. Dicit igitur, *Istæ sunt generationes cœli et terræ, quando creatæ sunt*. In hoc autem duplex modus producendi notatur : unus, quo res exiverunt in esse per productionem de materia præjacenti : quem modum vocat Scriptura generationem, et nos rerum distinctionem. Alius quo res fuerunt factæ de nihilo secundum unam informem materiam, quam vocat creationem. Propter quod dicit, *Sunt generationes quando creatæ sunt*. Ita quod prius fuit creatio rerum, quam earum generatio. Vel accipitur hic generatio et creatio pro eodem ab eodem termino ad quem : motus enim denominatur a termino ad quem est, secundum Philosophum III *Physicorum*. Et ideo, cum creatio et generatio sint ad esse rerum substantiale, generatio accipitur hic pro creatione. Non autem per respectum ad terminum a quo : quia generatio est de aliquo, creatio autem de nihilo. Si autem quæritur, Quare non facit mentionem de mediis, sed tantum de cœlo et terra? Jam dictum est, quod per cœlum intelligit omnem naturam superelementarem vel cœlestem, per terram autem naturam inferiorem vel subcœlestem. *In die quo fecit Deus cœlum et terram*. Ponit autem hic diem in singulari : non quod creatio fuerit facta una die vel rerum productio, de qua hic loquitur. Sed per diem intelligit totum tempus sex dierum vel productionis rerum. Scriptura enim habet istum modum, quod quandoque diem accipit pro tempore, sicut habetur Matth. IV : *Tolerabilius erit in die judicii Sodomæ et Gomorrhæ, quam illi civitati*. Non enim est certum, quantum protendetur judicium. Sed accipit diem judicii pro toto tempore judicii. Unde Augustinus *de Civitate Dei*, lib. XX, cap. I : « Cum dicimus ultimum diem divini judicii, « novissimum tempus significare intendimus, et non solum unum diem. Nam « per quot dies judicium hoc protendatur, hoc incertum est : sed Scripturarum more sanctarum, diem solere poni « pro tempore, nemo qui illas litteras « quamlibet diligenter legit, nescit. » Item per hoc solvitur, quod dici potest, quod cœlum et terra fuerunt facta ante omnem diem, non in die igitur. Ad quod

dicendum, quod si dies acciperetur pro diurno motu solis vel lucis, sic valeret objectio : quia ante talem diem fuerunt facti cœli et terra, ratione scilicet illorum, qui dicunt, superiorum et inferiorum informem factam fuisse materiam : quia fuerunt facta ista in principio ante productionem lucis, sicut Scriptura habet quæ dicit, *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Sed dies non accipitur pro motu solis vel lucis, sed communiter pro duratione qualibet temporalis productionis : et sic cessat objectio. Quod autem accipiatur hic dies non pro una tantum die, sed communiter pro productionis vel primæ conditionis tempore, ostenditur, cum dicit : *Et omne virgultum agri.* Certum est enim, quod virgultum fuit factum tertia die. Nam per virgultum intelligit herbas et ligna fructifera : unde illa translatio, quam sequitur Augustinus, dicit, et omne viride agri. Ista autem fuerunt tertia die facta. *Antequam oriretur in terra. Et omnem herbam regionis antequam germinaret.* Istud videretur implicare contradictionem nisi unam acciperet expositionem. Nam primo dictum est, quod creatum fuit virgultum, et cœlum et terra etc. Hic autem dicitur, *antequam oriretur* : quod sic declaratur, quod prius habuerunt herbæ et arbusta esse a prima conditione et divina dispositione, quam a naturali germinatione : unde prius ea condidit : et postmodum per rationes seminales terræ inditas a Deo, et per vim seminativam, produxit terra consimilia. Et quod iste sit intellectus, patet ex littera sequenti, quæ reddit rationem, quare virgulta et herbæ non fuerunt vel non cœperant per germinationem, sed per divinum imperium et voluntatem. Nam subjungit : *Non enim pluerat Dominus super terram.* Ad actum enim germinationis naturalis communiter necessarius est humor pluvialis. Quia igitur Dominus super terram non pluerat, terra non germinaverat. Sicut autem ad simplicem generationem indiget terra pluviali humore : ita ad perfectam germinationem indiget humano opere quo excolitur. Humanum autem opus tunc non erat : unde sequitur, *Et homo non erat qui operaretur terram.* Igitur istæ generationes fuerunt, antequam oriretur virgultum de terra per germinationem de ratione seminali : non antequam a Deo de nihilo vel de materia virtute divina fieret. Triplicem enim legimus hujusmodi originem rerum. Prima enim est per exitum a Deo de nihilo. Secunda est per exitum rei de materia ad speciem. Tertia est per exitum rei de consimilibus, consimili virtute speciei se multiplicantis. Primus exitus est creatio. Secundus est factio. Tertius generatio. Primus habet causam solum Deum. Secundus Deum et materiam. Tertius Deum, et materiam et speciem. Rationes primi exitus sunt in solo Deo, et dicuntur extra res. Rationes secundi exitus sunt in Deo et materia, et dicuntur causales. Rationes tertii exitus sunt in Deo, materia et specie, et dicuntur rationes seminales. Primus exitus notatur ibi, *Quomodo creatæ sunt.* Secundus ibi, *In die quo fecit Deus cœlum et terram.* Tertius ibi, *Antequam oriretur, etc.* Et nota quod hic recapitulat de ornatu terræ, non de ornatu aliorum elementorum, ut ordinate introducat propositionem de formatione hominis et ejus collocatione in Paradiso herbis et arboribus consito.

Et sequitur, *Sed et fons ascendebat a terra, irrigans universam superficiem terræ.* Quia posses quærere, ex quo non pluebat, et ad generationem temporalem humor sit necessarius : quomodo res poterant germinare, et se multiplicare ? Dicit, quod aqua fontis terram irrigantis vices pluviarum supplebat. Si autem quæritur, quomodo unus fons poterat tantum ? Solvere possumus multipliciter. Uno modo, quod sumitur ibi singulare pro plurali, more Scripturæ in multis locis, sicut ibi, et *homo non erat, qui operaretur terram*, id est homines : quia per unum hominem non posset bene excoli. Unde accipitur fons collective pro omnibus fontibus terræ qui a terra erumpebant et eam irrigabant et fecundabant : unde non erat ita arida, nec ab aquis sequestrata, quin posset per irrigationes talium fontium producere terræ nascentia. Vel forte intelligit unum fontem, Paradisum voluptatis irrigantem, e quo exiliunt quatuor flumina, sicut dicitur infra IV : unde per universam superficiem terræ intelligit superficiem Paradisi, de quo volebat specialiter agere. ***Formavit** igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.*

Terminata recapitulatione agitur de hominis formatione. Secundo de formati conservatione, ibi, ***Plantaverat autem Deus.*** Tertio de formati et conservati multiplicatione, ibi, ***Dixit quoque Deus :***

non est bonum hominem esse solum. Item primo agit secundum esse corporis materiale, secundo quantum ad esse formale, ibi, *Et inspiravit in faciem ejus.* Dicit ergo, *Formavit igitur Deus,* id est fieri voluit, id est jussit, quia ipse solus agit solo voluntatis imperio. *De limo terræ.* Id dicitur per synecdochen, accipiendo totum pro parte. Nam sola pars corporalis hominis fuit facta de limo terræ : anima enim non fit de limo terræ, sed creatur de nihilo. Formatus est autem homo de limo terræ, quæ est vilis terra aquæ admixta, ut homini generoso, qui de levi ex consideratione suæ dignitatis effertur, occasio humiliationis daretur. Et fuit factus de limo terræ, non quod non essent ibi alia elementa, sed quia elementum terræ est ibi per prædominium, sicut etiam in aliis omnibus corporibus sensibilibus, eo quod terra habeat in omnibus terminum ex eorum densitate, quæ propria passio terræ apparet. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Hic agitur de formatione hominis secundum esse formale ipsius, scilicet animæ rationalis. Unde dicit, *inspiravit*, id est substantiam animæ et spiritus fecit quæ hominem vivificant, sine qua homo non vivit, unde dicitur spiraculum vitæ, et quia a Deo spiratur ad vitam dandam corpori : et etiam dicitur spiraculum vitæ activæ, quia scilicet spirat vitam formalem, vitam rationalem, vitam animalem, vitam vegetalem : unde ex hoc habetur aliqua suasio, quod ista tria sunt una substantia. Nam hic nominatur spiraculum singulariter. Quod licet sit verum, non disputo in præsentiarum. Licet ad inductionem hanc respondetur ab aliquibus, quod non cogit : quia est dictum in singulari spiraculum, non quia una sit substantia vel natura simpliciter sola sensitiva vel vegetativa : sed quia ista tria vel duo unum actum vitæ perfectæ præstant, propter quod possunt dici una anima, ab uno actu completo animandi, secundum triplicem differentiam animationis, quam ponit Philosophus II *de Anima* et III. Sicut videmus, quod ad actum justitiam exsequendi multæ ordinantur particulæ : quæ tamen omnes propter unum actum completum justitiam exsequendi vocantur singulariter justitia, unde dicitur : *Recurre ad justitiam.* Hic autem potest moveri quæstio, utrum anima rationalis sit de substantia Dei : nam per istam litteram videtur quod sic. Illud enim, quod aliquid inspirat, videtur, quod de se aliquid emittat. Igitur cum Deus animam inspiraverit, videtur quod de sua substantia emisit. Respondeo quod circa istam quæstionem fuit multiplex error : aliqui enim dixerunt, quod idem spiritus erat divinus et humanus. Divinus enim dicebatur prout in se consideratus : humanus, secundum quod perficit humanum corpus. Quod falsum est. Nam illud, quod informat aliquid, est imperfectum respectu illius, quod cum forma et in esse formali surgit : et sic Deus esset homine imperfectior. Item spiritus nobis conjunctus errat, et in operabilibus, et in speculabilibus : Deus autem est sapientiæ infinitæ, nec potest errare. Alia est opinio Manichæorum quæ sine argumento respondet, secundum quod recitat Augustinus *de duabus Naturis*, quod in homine est duplex anima : una bona, et ista non errat : et alia mala, et ista errat, et ad malum inclinat. Quæ opinio est contra veritatem, et contra philosophiam. Nam secundum Philosophum II *de Anima*, propriæ materiæ respondet propria forma. Si autem essent duæ, nulla esset propria. Item una materia non recipit duos actus non coordinatos ad invicem, maxime contrarios : quia cum recipiat formam secundum dispositionem congruam, jam sequitur, quod simul contrarie disponeretur. Item si esset de substantia Dei ; aut de toto, aut de parte. Non de parte, quia sic Deus esset partibilis, nec esset simplicissimus, quod esset hæreticum. Si de toto, tunc non posset assignari pluralitas animarum. Unde dic, quod secundum Philosophum, II *Physicorum*, quædam sunt causæ rei extrinsecæ, sicut causa efficiens, exemplaris et finalis : et tales possunt Deo convenire respectu creaturæ, quia dicunt et ostendunt Dei perfectionem : efficiens enim ostendit Dei potentiam : finis suam bonitatem : exemplum suam sapientiam. Aliæ sunt intrinsecæ, sicut materia et forma, et istæ Deo non conveniunt. Nam tales causæ rei sunt commixtæ. Deus autem regit res ita, quod non commiscetur eis. Item ista sunt partes compositi et compositum est totum, et totum est majus parte, et sic Deo aliquid majus esset. Dic ergo, secundum Augustinum *super Genesim* circa finem, ubi movet quæstionem de hoc, quod anima est de nihilo. Unde in primis rebus non fuit secundum materiam, ex qua fieret : sed secundum ma-

terram, in qua fuerit ; quia corpus fuit factum ex materia, et anima fuit tantum corporis. Item quæritur, utrum fuit facta anima in corpore vel extra corpus? Augustinus videtur aliquando dixisse omnes animas cum Angelis productas et postmodum successive suis corporibus conjunctas jussu Dei. Sed istud reprobat Augustinus vi super Genesim et vii, et rationabiliter ; quia sic haberent animæ ad corpora aliqua merita vel demerita, quod est contra Apostolum ad Rom. xi, de Jacob et Esau, qui dicit : *Cum nondum nati essent etc.* Item sic Baptismus non tantum esset in parvulis contra peccatum originale, sed contra actuale. Ideo sunt alii, qui dicunt, et videntur sequi Augustinum, quod aliæ animæ infunduntur corporibus, et creantur in eis. Sed anima Adæ non, sed prius fuit producta ; nam a principio fuit mundus completus, quantum ad partes principales ; et hoc quantum ad esse actuale. Credo tamen, quod Augustinus hoc non dicit asserendo, sed inquirendo : et convenientius est potius, quod etiam Adæ et aliæ animæ creantur, cum corporibus infunduntur. Et ad hoc ratio est. Nam secundum Philosophum i et ii *Physicorum*, ars imitatur naturam, et natura artem : quia in rebus creatis prius fuit effectus artificialis, quam naturalis. Omnes res procedunt a Deo per modum artis : posterius autem habent esse naturale. Unde, cum natura prius materiam disponat, deinde formam inducat, Deus similiter agens, ita fecit de anima, cum ipsa sit corporis forma, quia est actus corporis physici organici, ut dicitur *de Anima* libro ii. Et hoc innuit Scriptura hæc, quæ dicit, quod Deus formavit corpus de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus. Nominat autem faciem, quia opera vitæ rationalis præcipue in facie relucent. Et sequitur : *Factus est homo in animam viventem.* Antequam enim anima corpori infundatur, homo non dicitur nisi æquivoce. Homo enim mortuus non est homo. Unde exponit : Factus est homo in animam viventem, id est per animam viventem.

Plantaverat autem Dominus etc. Determinavit de hominis formatione, agit de ejus conservatione. Tria autem necessaria sunt ad hominis conservationem : locus aptus continens, et nutrimentum sustentans, et exercitium exterius delectans. Igitur primo ostendit, quomodo ista duo Deus ordinavit, secundo qualiter homini communicavit, ibi : *Tulit ergo*, etc. Et primo de loco dicit : *plantaverat etc.* Credo, quod tertia die, quando fecit herbas et ligna pomifera. *Paradisum.* Paradisus græce idem est quod hortus latine. Alia translatio dicit paradisum in Eden, quod interpretatur delitiæ, quam sequitur Augustinus viii *super Genesim*. Unde sensus est, quod Deus fecit hortum diversis plantis consitum, amœnum et deliciosum, et hoc a principio, id est, tertia die, sicut dictum est. *Littera* autem Septuaginta, secundum Hieronymum habet, ad orientem : et sic accipitur principium non pro initio temporis, sed pro prima parte terræ habitabilis versus orientem. Dicit autem Isidorus libro xiv *Etymolog.* cap. iii, quod ille semper vernalem temperiem habet ; quod satis est credibile, cum esset locus hominis, pro statu nobilissimo viæ illius. Istius autem temperiei multiplex potest esse ratio : una, aeris subtilitas, quia calor minus potest sibi incorporari, sicut videmus de igne, qui fortius agit in materia grossa, quam subtili vel rara. Ignis enim in stipula est minus calidus, quam in ferrea materia. Secunda causa esse potest puritas impermixta ; quia propter altitudinem terreni vapores ad locum illum non adscendebant, nisi aliqui pauci valde : qui per naturam illius ex propinquitate cum igne tepefacti, cito poterant converti. Præterea radii a terra usque ad illum locum non reflectebantur ; ac ideo calor ille ibi generatus ad amplissima spatia illius interstitii totius se refundens, remanebat in illo loco minus. Item et temperatus erat locus, quantum ad superioritatem. Nam ille locus erat sub circulo medio, vel æquinoctiali : unde bis in anno radius solis erat directe super illum locum, scilicet in ascensu suo ad tropicum æstivalem, et in descensu ad tropicum hyemalem : et nunquam sol ab illo loco multum recedit : quia est inter duos suos terminos, scilicet tropicum æstivalem et hyemalem : et propter hoc, quantum in se est, est locus calidissimus ex dispositione radiorum : et ideo vocatur a philosophis torrida zona. Tamen ex præcedentibus rationibus accidentibus erat temperatus. Item erant ibi fontes, qui illam partem temperabant, et subtilitatem nimiam aeris respectu hominis ad grossitiem proportionatam reducebant. Quod autem dicunt Magister et Beda, quod usque ad lunarem circulum pertingit, intelligendum est hyperbolice, hoc est, quia altissimus fuit. Nam ille lo-

eus supra se habuit auram respirabilem, sicut infra legitur, Dominum ambulasse ad auram post meridiem : quod tamen non esset, si lunarem circulum attingeret. Et quia unumquodque est vanum, nisi ordinetur ad finem debitum et bonum, subjungit finem plantationis istius paradisi, dicens, *In quo posuit hominem quem formaverat.*

Sequitur, *Produxitque Dominus.* In qua parte agitur de nutrimento hominis. Et primo ponitur productio arborum communium : et secundo productio prærogativarum singularium, ibi, *Lignum etiam scientiæ boni et mali. Produxitque Dominus etc.* Nota, quod illud dicitur per recapitulationem. Nam tertia die istud fuit factum, sicut loquitur supra. Primo autem describitur illud, quod a Deo factum est, ut appetibile gustui, et delectabile visui, ut inferret homini delectationem, non tantum conjunctam, sed etiam separatam ; non tantum ut ab homine consumitur, sed etiam secundum quod in se manet et conservatur. Lignum etiam vitæ dicitur secundum Augustinum libro XIII *de Civitate Dei*, capite XX, quia aliis lignis alebantur homines, ne esuriendo et sitiendo molestiæ aliquid sentirent. De ligno autem vitæ gustabant, ne mors eis unquam subreperet : quod habebat non ex qualitate aliqua absoluta, sed ex ordinatione divina : sicut nunc videmus, quod sacramentis novæ legis inest divina vis ad conferendam gratiam : quamvis non sit vis aliqua absoluta ibi. Et hoc videtur dicere Augustinus *super Genesim ad litteram* libro XI, capite XVIII : ubi dicit, quod status suæ immortalitatis de ligno vitæ virtute mystica præbebatur. Alii autem dicunt, quod lignum vitæ ex vi suæ naturæ administrabat homini nutrimentum : erat enim assimilabile et convertibile, quantum erat conveniens conservationi et restaurationi humanæ. Et credo, quod Augustinus istam vim præsupposuit, sed aliam ad istam addidit : quia forte ista omnino non sufficeret, nisi cum hac vis divina adesset : sicut homo non sufficit ex sua voluntate, vel etiam gratia habita particulari sanante animam, ad continuationem vitæ spiritualis sine exercitio in sacramentis, et sine vi sacramentali. Et dicitur lignum vitæ sicut lignum scientiæ boni et mali, quod sic vocatum est, quia diabolus dicit, per ejus esum posse acquiri scientiam boni et mali, sicut infra dicitur, *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Alia ratio, quia per ejus esum habuit experimentalem scientiam boni et mali. Boni, scilicet, quod perdidit, et mali culpæ, quod commisit, et mali pœnæ, quod incurrit.

Fluvius egrediebatur de loco voluptatis, id est de medio istius horti, vel de qualibet ejus parte, qui inde dividebatur in quatuor capita, id est, in quatuor fontalia initia quatuor fluminum. Utrum autem ante peccatum flueret per alveos, nescitur : tamen modo non videtur hoc fieri. Imo, sicut ait Magister historiarum, Ganges fluvius Indiæ, qui hic dicitur Phison, dicitur nasci in locis cavernosi montis. Nilus vero fluvius Ægypti, qui hic dicitur Gion, dicitur nasci non procul ab Atlante, Tigris et Euphrates ab Armenia. Igitur per occultas regiones modo, et non per alveos apertos sub visceribus terræ a Paradiso oriuntur, et ab illo altissimo loco fluunt. Unde dicit Augustinus quod sub terra sunt, et post longos tractus rumpunt. Istorum autem fluviorum, excepto ultimo, ponitur duplex notificatio : scilicet et per nominis interpretationem, et per vicinam terram, et ejus proprietatem : et hoc, quia pro magna parte ex natura fluviorum est nobilitas terrarum. Phison interpretatur mutatio oris. Nam mutatur a facie sua, id est, specie, quam habuit in paradiso secundum diversa loca : quia in uno est clarus, in alio est turbidus : alibi parvus, alibi magnus : alibi calidus, alibi frigidus : « Ipse est, qui circuit terram Hevilath, » id est Indiam. Hieronymus dicit, quod Hevilath est regio Judæ, quæ possessa est ab Hevila filio Cham filii Heber patriarchæ Hebræorum, sicut dicitur I Paralip. I. India autem secundum Plinium, est terra, quæ venis aureis præ cæteris abundat. *Ibi invenitur bdellium.* Bdellium secundum aliquos est genus lapidis. Secundum Plinium est arbor aromatica ad magnitudinem olivæ, cujus lacryma lucida, gustui amara, et boni odoris. *Et lapis onychinus.* Glossa. Onyx est pretiosus lapis, sic dictus, quia habet candorem permixtum cum rubedine ad similitudinem unguis humani : quia onyx græce, unguis latine dicitur. Antiqua autem translatio habet carbunculum, qui est ignei coloris. Nomen secundo fluvio Gion. Gion interpretatur hiatus terræ, quia impetu suo dissolvit terram, et terram aperit, et secum trahit. Nomen tertio fluvio Tigris, qui ad similitudinem

tigris animalis velocissimi, est velocissimus, et decurrit contra Assyrios. Hæc tria flumina sic determinantur, quasi remota et ignota. Quartus vero fluvius dicitur Euphrates, quasi frugifer, non determinatur per terram, quia notus est : est enim unus finium terræ promissionis.

Tulit ergo Dominus Deus hominem. Descripta Paradisi amœnitate, subdit de hominis collocatione : ut ex fructuum bonitate, et loci amœnitate conservetur in esse. Et primo ponitur in Paradiso. Secundo deputatur exercitio, *ut operaretur et custodiret.* Tertio sibi dantur præcepta disciplinæ, ut proficeret in obedientiali merito, ibi: *De omni ligno.* Et ponitur præceptum et affirmativum et negativum. Tulit igitur de loco, in quo factus fuerat. Non enim factus fuerat in Paradiso, ut ex hoc sciret, quod ex mera gratia ibi erat positus : et sic esset magis gratus ex illis, quæ erant donis naturæ superaddita. Item ut ex hoc esset humilior, et remotior ab omni præsumptione et superbia. Et ex hoc etiam cognosceret, quod nisi benefaceret et obediret, Deus, qui eum ad illum locum transtulerat, eum inde extraheret. Si quæritur, Quare Deus non fecit totam terram habitabilem pro Paradiso hominis ? Respondetur, quod decuit præ cæteris animalibus magnam partem terræ parari, ut ibi starent communiter. Homini autem nobilissimæ parti mundi, et qui erat aliarum partium quasi finis, nobilissimam partem deputari specialiter. Si quæritur, utrum in illo statu Adam ad ista inferiora ex illo loco esset descensurus ? Respondeo, quod ex Scriptura non habetur, quod non posset descendere, et inde ex aspectu creaturarum ad laudem Dei assurgere. Verum est tamen quod non deberet nec vellet descendere, tanquam habitaturus : sed quantum conveniret suæ jucundæ contemplationi, et inferiorum gubernationi. *Ut operaretur et custodiret illum.* Hortum illum scilicet, et Paradisum excoleret et custodiret. Nota tamen, quod illam operationem non faciebat laboriose, sed deliciose. Labor enim non sequitur operationem nisi improportionatam agenti : et in substantia passibili et debili et infirma. Dederat autem Dominus facultatem operandi homini non propter indigentiam, quæ cogeret, sed quantum volenti satis esset. Videmus etiam nunc multos ex voluptate agrum colere : tunc vero major voluptas erat : quia nihil adversi accidebat, nec de cœlo, nec de terra. Si quæritur, quid operaretur cum locus ille gratis daret omne lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave ? Dicendum quod locus ille daret gratis omnia, quæ deberent exire per naturalem influentiam, et etiam per occultam Dei administrationem : tamen adhuc aliqua possent surgere specialia per hominis industriam, et posset etiam facere locum illum aliquantulum amœniorem. Sed ad quid oportebat custodire illum locum, cum nullus esset violentus invasor ? Potest dici, quod licet Deus locum illum sufficienter custodiret, et nunc etiam custodiat : decens tamen fuit, quod aliqua ejus custodia homini committeretur, quamdiu ibi staret. Unde quælibet incommoda, quæ poterant vel ab aliis animalibus, vel etiam a dæmonibus contingere, poterant per hominem removeri vel impediri. *Præcepitque ei dicens etc.* Non fecit autem Deus aliquod præceptum morale homini, sed præceptum disciplinæ : quia ad præcepta moralia erat per virtualem et naturalem rectitudinem sufficienter inclinatus, et ad illa, quæ sunt a natura, non oportet tantum insistere : sicut non habent homines præceptum de amore filiorum. Item dedit sibi præceptum cæremoniale, nullam in se bonitatem includens : ut probaretur ejus obedientia, retrahendo se ab appetibili materia secundum gustum, sensum vel tactum. Fuit autem præceptum in materia gulæ magis, quam alterius sensus : quia gustus aliis sensibus subservit, et ex ejus ordinatione vel deordinatione, aliorum sensuum ordinatio vel deordinatio multum dependet. Et si contra hoc objicitur : Cur ergo ponitur præceptum de aliis fructibus comedendis, cum de se esset ad hoc inclinatus, ut, quantum expediebat suæ necessitati, sumeret ? Ad hoc dicendum, quod hoc fuit factum, et prohibitioni ligni vetiti annexum, ut ex hoc convinceretur magis illius contumacia, quando pro sua necessitate haberet cibaria ita delectabilia, et ita varia. Nec est intelligendum, quod esset coactus de omnibus comedere, sed tantum de aliquibus eorum, quantum sufficiebat nutritioni suæ : unde aliud erat ibi præceptum, aliud concessum, et suæ libertati commissum. Præceptum quod comederet, quantum suæ necessitati expediret. Liberum quod acciperet de quibus vellet, excepto ligno scientiæ boni et mali. Fue-

runt autem data ista præcepta statim, quia non erat ratio differendi, et debuit ad Dei cultum statim ordinari. Illud autem præceptum fuit factum per aliquam vocem sensibilem, et etiam forte intelligibilem, sicut homo est ex anima et corpore : quamvis hoc non sit clarum ex Scriptura. Fuit etiam dictum illud præceptum non tantum pro se, sed pro tota sua posteritate. Quod patet, quia ad Evam devenit, sicut infra tertio dicitur : *Dixit dæmon. Cur præcepit vobis etc.* Item pœna est communis, et omnes contingit, et sic præceptum, unde omnes fuissent obligati, si Adam stetisset. *In quacumque die comederis, morte morieris.* Hic iteratur, et per se primo intelligitur necessitas moriendi : unde translatio Symmachi magis proprie loco illius, morte morieris, habet, mortalis eris. Includebatur et ibi mors damnationis æternæ, scilicet, carentia visionis divinæ, quæ per illam transgressionem incurrebatur ; et janua paradisi claudebatur. De ista tamen morte non agitur in littera aperte, sed tantum occulte, secundum Augustinum in libro *de Civitate Dei* : quia hujus mortis explicatio ad novum Testamentum pertinebat et spectabat, ubi secunda mors apertissime declaratur. Item per mortem intelligitur tota infectio concupiscentiæ originalis. Si autem quæritur, utrum ex solo isto peccato incurrisset mortem pro se, et pro sua posteritate, vel etiam eam incurrisset pro alio quovis peccato mortali, Incertum est mihi ; tamen credo quod sic, si fecisset contra unum præceptum morale. Si tamen opponitur de Eva, quæ statim non incurrit, donec comedit, et dedit viro, potest dici, quod ex ratione fuit dilatum, donec fuisset probatum, quid faceret vir suus. Vel etiam incurrit, latenter tamen, neque ita evidenter, quod posset deprehendi : ut probaretur virtus mariti.

Non est bonum hominem esse solum. Descendendo de conditione viri, in quo completa est subsistentia singularis hominis, determinatur de formatione mulieris propter multiplicationem speciei hominis : et primo ponitur dispositio, secundo factio. *Immisit ergo Deus soporem in Adam.* Tertio ordinis determinatio ad ipsum virum mulieris jam factæ, ibi, *Adduxit eam ad Adam.* Primo enim res disponitur fieri, secundo fit, tertio ad finem ordinatur. « Non est bonum. » Bonum, secundum Dionysium, est sui diffusivum : solus autem si esset vir, non posset se diffundere : ergo si esset solus, non esset sufficienter bonus. Et nota, quod non intelligitur, quod non sit bonum esse hominem solum, etiam pro statu illo, quia sic Deus fecisset non bonum, quod est contra rationem : sed refertur ad tempus futurum, quia erat factus ut esset totius generis humani principium. Si quæritur, Quare Deus non fecit, quod solus vir esset generationis principium ? Dicendum, quod id magis competebat et ordini naturæ, et societati humanæ et propagandæ. Ordini naturæ competebat. Nam ad hoc, quod proles formaretur, oportet ibi esse aliquid activum vehementer, et forte et prædominans in calore, ad sufficientem digestionem materiæ, et siccitatem solidioris compactionis. Requiritur etiam materia mollis et humida, et bene formabilis. Ista autem duo non possunt in una persona concurrere : et ideo oportet pro primo esse masculum, qui est calidus et fortis : et pro secundo feminam, quæ est humida et mollis. Convenit etiam societati humanæ, ut fratres, qui debent simul convivere in una domo, vel in una urbe, habeant exemplar in suis parentibus. Et necessitas etiam prolis hoc exigit, quæ indiget prius, quantum ad corpus, pie ac blande foveri, et simpliciori et rudiori doctrina imbui : et tandem robustioribus exerceri, et instrui perfectiori et subtiliori doctrina : quorum unum habet ex muliere vel matre, quæ est pia et magis infirma ; aliud ex viro magis duro et forti, et magis docto : propter quod dicit rationabiliter, *Faciamus ei adjutorium sibi simile.* Et dicit simile, quia dissimile non conveniret simul speciei multiplicandæ, vel productioni univocæ : sicut ex equo et asino similis species non exit, *Formatis igitur Dominus Deus cunctis animantibus.* Ponitur autem necessitas productionis mulieris, quia ad prolem generandam, seu propagandam necesse fuit, ut haberet homo aliquam naturam similem. In rebus autem prius factis, et ad Adam adductis, non est inventa aliqua similis natura : ac ideo oportuit quod de novo fieret. Dicit igitur, *Formatis de humo.* Prius dixit volatilia de aquis formata. Quomodo igitur dicit de humo ? Respondeo, quod omnia animalia sunt de humo per prædominium et simpliciter, quia plus est ibi de terra, quam de alio elemento : quod probatur per suam densitatem, et per suam soliditatem, quæ sunt magis passiones ad terram spectantes.

propter quod dicit hic formari omnia de limo. Cum vero aliqua dicantur facta de aqua, dicitur id, quia in ipsis magis abundat aqua, quam in aliis; sicut in piscibus aqua fluxibilis et humida, et avibus aqua vaporalis, et superius elevata. *Adduxit ea ad Adam*. Non tantum visione intellectuali vel imaginaria, ut aliqui dixerunt; sed corporaliter sibi præsentata. Quamvis enim verisimile sit, quod omnium habuerit [illegible] scientiam; tamen ad suam consolationem etiam necessariam, specialiter in Deum voluit, ut quod haberet etiam de eis notitiam non tantum infusam, sed a rebus acceptam. Non enim Scriptura ita solemniter istam adductionem describeret, si tantum fuisset imaginaria, nec Adam multum lætatus esset. Sed quare non fit mentio de piscibus? Potest dici, quod sub illo nomine animantium intelliguntur. Unde paulo post dicitur, *Adam omnia vocavit nominibus* [illegible]. Vel potest dici, quod de piscibus non erat tanta ratio, quia non habebant tantam vicinitatem et societatem cum homine sicut alia animalia; nec erat sic de avibus. Præterea probato, quod nullum simile sibi erat in animalibus, evidens erat de piscibus; cum minus conveniant cum illis, quam cum animalibus aliis. Item pisces non possunt aquas deserere [illegible] commode venire non poterant; unde fuerunt eis nomina imposita, postmodum cum paulatim venirent ad hominum notitiam; et similitudinem haberent ad animalia terrestria, secundum quod dicit Papias: Sicut vitulus marinus et porcus, etc. Fuerunt autem adducta, ut homo probaret sensibiliter, quod nullum sufficiebat sibi ad sapientialem collocutionem, nec ad amicitiæ societatem, nec ad Dei laudem: ideo desideraret sociam similem. Et illud verbum, *Faciamus adjutorium etc.*, et illud, *Non est bonum esse hominem solum*, dixit Deus non tantum intra, sed etiam illustrando mentem ipsius Adæ. Fuit enim conveniens [illegible] ejus [illegible]; quia nulli debet dari nisi ejus propria [illegible], tanquam de substantia sua [illegible] fieri quemquam sine ejus [illegible] aliquali. Similiter Christus voluit de [illegible] Virginis [illegible] ejus [illegible]; et [illegible]. *Ut videret quid vocaret ea*, id est, [illegible] ut ei voluit probare, quomodo vocaret ea. [illegible] enim nobis Deus [illegible] homini, sicut mater infantibus condescendit puero. Si quæratur, utrum Adam tunc haberet aliquam scientiam terrenarum rerum, vel idioma ad significanda specialia signata? Si enim ante habebat, tunc videtur, quod prius sciret nomina animalium, sicut et nomina aliarum rerum. Si non habebat, cur fuit dictum specialiter? quia primitiva nomina imponere non est difficile, nec requirit magnam scientiam. Dicendum quod verisimile est, quod Adam primarum rerum, sicut primorum generum, et corporum mundi, et principiorum nascibilium, et mixtorum, et talium nomina accepit. Vel ipse primo nominavit ea secundum placitum. Animalium autem nominationem per quamdam derivationem a principio homini ipse Deus reliquit. Et intelligo derivationem non solum quæ fit per flexionem plurium nominum, sicut ab homine humanus, ab humo homo; sed de illa, quæ fit per transumptionem, per comparativas habitudines et analogias. *Ipsum est nomen ejus*. Ex hoc videtur, quod nomina animalium, prout apud Hebræos tempore Moysis vocabantur, fuerunt eadem, quæ et tempore Adæ. Ex quo etiam patet, quod lingua Adæ Hebræis mansit.

Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. Ubi post dispositionem de muliere facienda ponitur formatio mulieris. Et ponit factum, et modum. Modum ibi, *Omnique etc. Immisit ergo soporem etc.* Septuaginta habent extasim, id est mentis excessum. Symmachus habet gravem et profundum soporem. Et ex verbo immissionis satis patet. Somnus enim est quies virtutum animalium cum intensione naturalium. Immisit, dico, somnum, qualis immittitur Prophetis ad videndum aliquas illustrationes divinas. Illa tamen somnia, secundum Augustinum, tam felicia fuissent in statu innocentiæ, quantum visa vigilantium; unde intellectus Adæ talis esset. Videtur intelligere Augustinus quod nunquam ligaretur; imo semper esset in aliquo suo usu: a laude enim Dei et merito nunquam ad horam deberet impediri. Omnis enim recta ratio vult semper Deum contemplari, et semper facere aliquid meritorum; et ideo ligatio intellectus et liberi arbitrii respectu istorum est aliquid pœnale, respectu status innocentiæ, est aliquid damnosum. Impedimentum etiam liberi arbitrii provenit ex prostratione dominativæ beatitudinis potentiarum respectu inferiorum. Quæ prostratio vi-

detur esse ex peccato : et ideo non esset tale ligamentum. Si autem quæritur, utrum ibi esset naturalis somnus ? hoc non definit Augustinus. Tamen aliquibus videtur, quod non : quia sicut corpus poterat præservari a corruptione, sic vires sensibiles poterant teneri in tali moderamine operandi, quod numquam lassarentur per vigiliam, et quod cum vigilia vigerent maxime in operibus vegetativæ partis : et sic non esset somnus necessarius, nec propter repausationem virium, nec propter præservationem earum a lassitudine, nec propter vigorationem earum in actibus vegetativæ partis. Abstraherentur tamen a sensibus quandoque per actus dulcis contemplationis, et per specialem gratiam supernæ immissionis : ita quod extatice soporarentur. Quia differentia est inter soporem et somnum, quia somnus secundum Philosophum *de Somno et vigilia* est quies animalium virium cum intensione naturalium. Et sopor est quies animalium cum intensione intellectualium. *Tulit unam de costis ejus.* Intelligendum est, quod non sine carne, sed cum carne. Nam infra eodem cap. dicitur : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Non autem debuit fieri de nihilo, ut in genere humano esset perfecta connexio, et perfecta reductio ad unum principium, sicut in omnibus rebus ad Deum : et hoc ut perfectius esset fœdus societatis humanæ, cum in gradu uno speciei suæ communicent, et ab uno omnes descenderint. Fuit autem facta de costa lateris, ad designandum etiam speciem communem, et quasi comparem ejus ; et nobilitatem viri respectu mulieris. Item ex hoc constat, quod mulier fuit facta in Paradiso, et quod etiam fuit perfecta de nobiliori materia, quam ipse vir. Et hoc forte fuit, ne ipse vir eam contemneret. Nec propter hoc tamen præsumeret ; quia quicquid habuit, et locum, dignitatem, et materiam, mediante viro habuit. Hic autem potest quæri quomodo de illa costa fuit formata Eva, utrum per rarefactionem materiæ, vel per additionem alienæ ? Dicunt aliqui quod per additionem novæ materiæ alienæ. Terrena enim materia et quæcumque alia habet suæ rarefactionis terminos. Costa autem non habet rationem materiæ, quod posset tantum rarefieri quod corpus humanum inde formaretur : ideo additio fuit facta. Item de costa illa fuit mulier facta sicut faceret natura : nisi quod natura faceret successive, et ista actio facta fuit subito, quia ab agente infinito Deo. Natura autem si faceret aliquam materiam in se, vel in materiæ similitudinem converteret (sicut patet de embryone, et sicut patet de semine plantarum, quæ requirunt humidum quod convertunt), successive ea faceret. Dicitur tamen magis fieri de costa quam de alia materia, quamvis alia materia fuerit major : quia costa fuit principalis materia in quam assimilavit et transmutavit Deus ipsam in naturam convenientem corpori humano. Item si tantum rarefieret costa : jam densitatem corpori humano debitam non haberet. Argumentum autem contra hoc est de corpore Christi, quod factum fuit de sanguinibus parvis Beatæ Virginis sine additione : igitur hic potuit esse. Quod solvitur, quia non est simile. Nam corpus in ipso instanti fuit parvum ; ideo non oportuit nimis rarefieri naturam. Præterea non reputo inconveniens si ad naturam illam sementinam fuisset aliquid subito conversum. Item ad argumentum, quia panis convertitur in corpus Christi, et fit ibi corpus Christi sine additione, Dicendum similiter quod non est simile, quia panis non manet in corpore Christi, nec est ejus materia ; ideo non est vis si est magnus vel parvus, vel si rarescit vel non rarescit : hic autem manet tota natura sub tota forma, ad quod non sufficeret parva materia. Si autem quæritur, utrum Eva fuerit producta de illa costa secundum rationem seminalem? Dicendum, quod aliquis effectus habet in materia potentiam et ordinationem ad actum secundum obedientiam divinam, sicut justificatio impii, sicut etiam cum de pane fit corpus Christi : et talia non habent rationem seminalem. Alio modo potest esse secundum ordinationem ad actum per aliquam naturalem potentiam, vel unam, vel plures. Et isto modo potest esse dupliciter : vel secundum ordinationem remotam, sicut homo est in porco vel in cibo, quia potest comedi et in se converti et homo potest inde generari : et sic dicitur ibi esse secundum rationem causalem, secundum Sanctos ; et isto modo erat Eva in costa. Tamen ista ratio fuit per vim supernaturalem adjuta, et quantum ad modum promota : quia quod faceret natura successive fecit vis divina subito. Alio modo habet ordinationem ad actum propinquam, sicut et embryo ad hominem : et isto modo est secundum ratio-

nem conjunctionem. *Et adduxit eam ad Adam.* Non quod veniret a remotis, quia erat facta in Paradiso, sed adduxit sibi eam præsentando et in uxorem tradendo: unde sicut adductio corporalis est ab ipsa remotione ad propinquitatem, ita ista fuit a quadam extraneitate ad familiaritatem. *Dixitque Adam, hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Illud autem non scivit, quia illud vidisset: cum in formatione mulieris esset in sopore et sensus sui exteriores essent ligati: sed hoc habuit per revelationem in illo sopore acceptam. *Hæc vocabitur virago,* id est de viro facta: unde subjungit rationem suæ nominationis. *Quia de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ.* Aliqui illud verbum *quamobrem,* referunt ad modum facti, sic: quia tanta est unitas viri et uxoris, quod prima est formata de viro suo. *Relinquet homo.* Illud autem parum valet nisi pro ipso, quia uxor sua nullum sibi attribuebat, quia de se sumpta erat: et tamen id etiam intelligit de aliis sicut de se, quia dicit, *Relinquet homo patrem et matrem.* Certum autem est quod ipse non habuit patrem nec matrem: quia factus fuit de limo terræ. Sed referendum est ad ipsam uxorem illud, quamobrem, ut sit sensus, *quamobrem,* id est propter illam rem, propter uxorem scilicet *relinquet etc.*, non quantum ad dilectionem: sed quantum ad cohabitationem, et propriæ domus regimen et dispensationem. *Et erunt duo in carne una,* id est in carnali commixtione per quam sunt quasi una caro. Sicut etiam in una carne prolis, respectu cujus habent unam vim generativam. Item sunt unum per vim indissolubilis conjugii, per quam unus indissolubiliter alteri alligatur, et potestas corporis unius alteri traditur. Ex hoc autem videtur quod posset trahi quod de ratione conjugalis status est, quod unus non habeat plures uxores, nec uxor plures viros: quia tunc erunt plures in carne una quam duo. *Erant autem uterque nudi, et non erubescebant.* Nudi siquidem erant ex defectu exterioris operimenti, sed non nudi ex defectu interioris ornamenti: et ideo quia in suis membris nihil erat quod rationi rebellaret (quia nullum habebant defectum vel enormitatem) non erubescebant. Erubescentia enim est de factis ingloriis et turpibus secundum Aristotelem II *Rhetoric.* Quia igitur membra genitalia rationi rebellant et contra rationem rectam et voluntatem se movent; ideo ad factum tale idem homo modo nudus erubescit et plus quam ex aliis passionibus. Sunt enim istæ magis fœdæ et magis viles et ex toto sine ratione et voluntate: quod non est de aliis ita communiter. Aliqui tamen dicunt, quod est ex consuetudine, non ex natura: quod videtur falsum. Nam a principio non fuit consuetudo, sed tamen a principio sic fuit, ut infra Genes. III. Præterea Augustinus dicit lib. XXIV *de Civitate Dei* c. XX, quod « quidam sunt Cynici qui contra humanam verecundiam, caninam et impudicam sententiam protulerunt: » ut videlicet cum uxore palam non pudeat agere, nec in vico nec in platea conjugalem concubitum devitare. Et dicit contra istos, quod pudor naturalis vicit opinionem hujus erroris. Et c. XVIII dicit quod Tullius ait: « Cum omnia recte facta in luce « se collocari velint, hoc recte factum, « scilicet concubitus conjugalis, sic appe« tit sciri, ut tamen erubescat videri: ita « quod nec filii testes hujus fieri permit« tantur. » Et c. XVII dicit, quod ex pudore quo Adam sua pudenda velavit, omnes gentes, quoniam ex illa stirpe procreatæ sunt, usque adeo tenent insitum pudenda velare: ut cum quidam in India nudi philosophentur, adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cætera membrorum carent. Si quæritur de costa de qua fuit facta Eva, utrum fuit de substantia Adæ? Dicendum, quod sic: tamen non fuit postmodum detruncatus: quia vel potuit aliunde impleri: vel ista costa fuit sibi addita super illas quas habent homines communes, ad illius mulieris formationem; sicut semen quod esset superfluum individuo singulari, et tamen necessarium speciei.

CAPUT III.

Sed et serpens erat callidior. Præmisso de hominis conditione, agitur de ejus per peccatum destructione. Et primo narratur ejus tentatio, et secundo ejus prævaricatio et concupiscentialis infectio, ibi, *Vidit igitur mulier.* Tertio ejus a Deo justa punitio, ibi, *Et cum vidissent,* etc. Primo igitur tangit astutum processum in tentando: quia primo venit ad mulierem, sicut ad partem generis humani infirmiorem: non enim venit

ad virum quia vir in assumpta natura facile posset ipsum et fraudam suam dignoscere : sed solum ad mulierem quæ non fuit tantæ prudentiæ, quod ipsum dignosceret, nec tantæ constantiæ quod sibi resisteret. Et in tentando procedit, non asserendo, sed interrogando; nec interrogando illam de re de qua intendebant evidenter, sed latenter et universaliter : quia si expressisset de ligno scientiæ boni et mali, dicendo, Quare præcepit vobis Deus ne comederetis de ligno scientiæ boni et mali : magis posset habere suspectum quod intenderet aliquod malum. Sicut si aliquis vellet de aliquo inquirere caute si in aliquo loco fuisset : magis quæreret in universali. Fuit hic aliquis homo de tali regno? ut ad quæstionem universalem, reciperet quæstionem specialem. *De ligno autem scientiæ boni et mali præcepit etc.* Et quia homo quandoque vitat peccatum timore pœnæ : excludit timorem mortis, dicens : *Nequaquam moriemini.* Sub testimonio etiam divinæ scientiæ et auctoritatis, subdit incentivum magnæ ambitionis et curiosæ perscrutationis, dicens : *Scit enim Deus etc.* Invocat testem Deum ad falsum, et assumit Deum et suam scientiam in vanum : unde ex hoc est pater mendacii et perjurii. Dicit igitur, *Sed, et serpens etc.* Ex ista littera innuitur, quod in isto serpente erat aliqua intellectualis substantia, et ex hoc quod loquitur caute et astute, et ex hoc quod dicitur quod erat callidior. Si autem quæritur, Cur Deus permisit hominem tentari? Dicendum, quod tentatio dicit actum qui est ad hominis experimentum : sicut tentatur homo in scientia, quando in aliqua difficili quæstione probatur : et consimiliter spiritualiter tentatur, quando ejus vires spirituales per aliquem actum homini difficilem probantur, ut quando allicitur fortiter per delectabilia vel terretur per tristabilia : et sic probatur vel virtus vel infirmitas sua. Sicut dicit Philosophus in lib. *Elench.* de syllogismo tentativo, qui non est ad habendum conclusionem, sed tantum ad habendum de hominis scientia argumentum. Ista autem tentatio potest esse quantum ad intentionem alicujus vel permittentis vel tentantis, ad tentati laudem et promotionem, vel saltem ad alicujus boni de illa tentatione extractionem. Et isto modo tentat Deus, sicut infra dicitur, *Tentavit Deus Abraham.* Isto modo etiam tentari permittit, et etiam ex causa bona : et sic permisit hominem tentari. Alio modo tentare dicitur in ordine ad dejectionem : et sic tentat diabolus. Si quæritur : Quare diabolus non apparuit Evæ in propria specie? Dic quod homo non poterat in statu innocentiæ videre substantias separatas : unde indigebat alicujus imaginis adminiculo. Et quod ita sit, patet. Nam distabat hierarchia Angelica ab humana, quantum ad societatem secundum Dionysium et quantum ad intelligendi modum naturalem, sicut dicit IV cap. *Hierarchiæ Angelicæ.* Si autem videret Angelos clare, et spiritus, non poneretur hæc differentia. Præterea si Angelos aspiciebat, multo magis omnia animalia et eorum intima. Igitur non oportuisset adduxisse ea ad nominandum ea. Item si Eva Angelum vidisset, bene advertisset, quod non esset beatus quum rationabile sit credere, sicut a plerisque tenetur, quod in genere naturæ spiritualis et intelligibilis, dæmon est natura horribilis. Nam in eo (ut puto) pulchritudo naturalis ex deformitate sui criminis est limitata ; sicut etiam anima rationalis quæ est substantia incorruptibilis sicut Angelica, facta est ex conjunctione cum carne infecta et fœda. Verum est tamen quod secundum Dionysium, naturalia substantialia eis remanserunt integra, quod non est contra istud ; quia hoc exterius esse, accidentale potius est, quam esse substantiale. In signum hujus non permittuntur communiter assumere nisi corpora turpia eorum deformitati convenientia. Item gradus substantiarum est secundum gradus operationum. Ideo cum habeant Angeli ulteriorem gradum entis, etiam habent ulteriorem gradum operationis : quod non esset si primi parentes agnoscerent naturaliter Angelos ; cum illud sit eorum supremum intelligibile per naturam. Si autem opponitur quod anima Adæ ita erat in potentia conjuncta, sicut anima separata, quia corpus tunc non erat corruptum, nec eam aggravabat ; ac ideo cum substantias separatas videant animæ separatæ, videtur quod animæ conjunctæ tunc vidissent : Ad istud respondent aliqui, quod naturale est animæ conjunctæ nihil videre nisi cum phantasmate : unde cum Angeli non cadant sub phantasmate, tunc non poterant videri. Ista responsio tamen non est sufficiens, neque videtur valere. Quod enim anima innaturaliter existens extendat se naturaliter ad nobi-

horum operationem quam quando habet medium suum debitum et convenientem, videtur absurdum. Præterea si damnati post resumptionem corporum non viderent bestiales larvas dæmonum : quod tamen posset eorum maxima pœna. Sic etiam beati in suis corporibus non viderent Angelos bonos in genere proprio, sed tantum in verbo ; et sic non gauderent in societate eorum. Ideo potest dici quod animæ conjunctæ vel animæ separatæ ex earum naturali conditione non possunt videre substantias separatas, cum substantiæ separatæ sint naturaliter in alio genere quam animæ : quia illæ sunt separatæ ita quod non possunt corporibus conjungi ut ea informent ; hæ autem sunt ita conjunctæ quod tamen possunt separari. Quod autem animæ vel conjunctæ vel separatæ videre possint substantias illas inconjungibiles, hoc habent ex aliquo sibi supernaturaliter addito, quod eis additur regulariter in statu determinato : sicut in statu extra meritum sive anima sit conjuncta, sive sit separata : et hoc ad bonorum gaudium et ad malorum supplicium. Sicut videmus etiam quod corpora resumpta ex naturali complexione non essent incorruptibilia, nec damnatorum, nec beatorum : cum tamen ex aliquo supernaturaliter addito et communiter et immutabiliter dato habebunt incorruptibilitatem. Bonorum quidem corpora propter suum bonum ; malorum autem propter suum continuandum supplicium. Si quæritur : Quare in specie amicabiliori non apparuit, sicut specie humana? Dicit Beda, secundum quod refert Magister in *historia* [1], quod serpens ille quem elegit diabolus ad decipiendum, fuit quidem serpens, sed habens vultum quasi mulierem virgineum : ut sic quasi ex similitudine formæ sibi applauderet. Vel dicendum, quod non tentavit diabolus, nisi sicut fuit a Deo permissus. Fuit autem permissus in specie serpentis, ut per hoc quod est animal turpe et terribile posset Eva aliqualiter deprehendere dolum suum : ut tentatio scilicet esset minus violenta : et si caderet esset Eva minus excusabilis. Si quæritur utrum ille serpens esset serpens verus vel assumptus ex vaporibus formatus? Non est magna vis : tamen verisimile est quod fuit ex vaporibus, quia ille est communis modus dæmonis.

Sed numquid credidit mulier quod serpens qui loquebatur esset serpens purus, vel quod in eo esset Angelus ? Aliqui credunt quod nullo modo Eva fuit ita fatua, quod hoc credere posset : præsertim cum in eis nullus error posset esse nisi peccatum præcessisset, quia omnis error est pœnalis ; quamvis ignorantia vel nescientia possit esse naturalis. Item decuit eam esse sapientissimam, sicut universalem matrem totius humani generis : parum autem sciret, nisi sciret, illam distinctionem humanæ speciei contra totum genus animalium esse per rationale et irrationale, cum illud sciant pueri artistæ. Præterea si credidisset quod esset tantum serpens, non fuisset ei locuta de altissimis tanquam parum ratione utenti. Nec igitur credidisset de rebus altissimis et secretissimis scilicet quod esum consequeretur scientia Deorum, quod non poterat capi ex vi aliqua ligni, sed ex vi aliqua divina, et quasi modo sacramentali assistente illi ligno, sicut dicetur super illum passum. Ideo puto eam non credidisse esse purum serpentem, sed scivit Angelum sibi in serpente loquentem. Et quamvis crederet forte eum bonum Angelum, non propter hoc deprehendebat ejus fraudem ; quia Angelus eo modo loquebatur quo poterat loqui homini pro illo statu : unde quod corpore utebatur erat ex necessitate, unde non poterat deprehendi quod fieret ex mala voluntate. *Ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur*. Rerum enim illicitarum non tantum prohibetur usus, sed etiam tactus. Et intelligo de tactu qui ordinatur ad usum de propinquo : unde sicut prohibitum est uti muliere carnaliter impudice, ita tangere tali tactu, qui de se ad talem actum disponit, vel in se illum intendit, sicut tangere impudico tactu. Sed quæritur quomodo potuit esse in muliere talis hæsitatio cum prius non peccasset? Dicendum quod potuit hæsitare absque culpa, an sententia illa esset data omnino irrevocabiliter, aut quod sic inferretur, nisi Deus vellet eam misericorditer remittere : sicut etiam dicit Anselmus *de casu diaboli*, quod primus Angelus nescivit se sic peccare, ut foret irrevocabiliter damnandus, sicut fuit. Item alio modo potest responderi, quod sicut dicit Augustinus lib. II *super Genesim ad litteram* cap. XVI, quod aliqua

[1] *Scholastica*

elatio præcessit in muliere, quæ excæcavit ejus intellectum, et inclinavit ad credendum : et fuit forte elata ex blando modo loquendi et reverenti modo quem tenuit Angelus loquendo cum ea. Mulier enim quasi a natura est magis gloriosa et magis gloriæ cupida. *Dixit autem serpens ad mulierem. Nequaquam : scit enim Deus, etc.* Verbum est scriptoris vel Moysi. In quolibet enim libro inveniuntur quædam verba quæ non dicuntur in persona scriptoris sed alicujus alterius ; sicut illa verba : *Non est bonum hominem esse solum, etc.* Alia autem sunt verba scriptoris aliquam veritatem enunciantis ; sicut illa verba, *in principio creavit Deus cœlum et terram*, etc. Sicut hic dicitur, *Dixit autem serpens ad mulierem.* Diabolus secundum veritatem, serpens secundum apparentiam sensibilem, et secundum metaphoricam proprietatem dicitur. Et vocat eam proprie mulierem : quia jam ex hæsitatione probaverat eam mollem et inconstantem. Et sequitur, *Nequaquam moriemini*, ubi ut intendat ad transgressionem, promittit impunitatem et abjicit divinum timorem. Inter omnia enim quæ tenent hominem in bono et retrahunt a malo, est timor divinus. Nam qui timet Deum faciet bona. Et ideo cum vult diabolus introducere peccatum in mentem hominis, conatur abjicere timorem Dei et suæ justitiæ vel sui rigoris, et introducere curat præsumptionem impunitatis et securitatem malam : et tunc aperit ostia mentis omni iniquitati, malitiæ et vanitati. Propter hoc dicit diabolus : *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quacumque die comederitis, eritis sicut dii scientes bonum et malum.* Ecce quod advocat divinam scientiam in testimonium falsitatis. Sed quæritur, quam apparentiam potuit habere verbum serpentis, quod ex comestione unius ligni, homo scientiam reciperet boni et mali. Imo tantam scientiam sicut divinæ personæ. Scientia enim non acquiritur per comestionem, sed per studium et spiritualem et intellectualem exercitationem ; unde videtur fatua fuisse valde si hoc credidit : vix enim est homo ita simplex qui hoc crederet, quod ex comestione alicujus generaretur menti aliquis habitus. Cibus enim agit in ventrem non in mentem : restaurat corpus, non mentem. Ad quod dicendum quod Eva non ita fatua fuit, nec diabolus ita incredibile proposuit : imo cautissime processit. Nam secundum Augustinum in *sermone de Sancto Laurentio*, quantumcumque aliquid sit incredibile, si video de facto simile, judico esse possibile : unde dicit : « Nam cum mihi quædam impossibilia vi« debantur, cum simile esse conspexi, « possibilia esse cognovi ; » sicut dicit *de passione Sancti Laurentii.* Multipliciter autem probaverat, quod lignum vitæ quasi modo sacramentali erat, conveniens ex vi divina sibi assistente respectu utentium ad præservandum corpus humanum ab omni corruptione, secundum quod dicit Augustinus lib. XIII *de Civit. Dei*, cap. XX : ac per hoc simpliciter poterat credere valde leviter quod lignum illud per vim divinam sibi assistentem perficeret in cognitione mentes sumentium de illo ligno : ideo quia leviter potuit credere propter simile, diabolus sicut verisimile proposuit ; et ipsa ex simili experto statim illi credidit et consensit. Et nota cum dicit, *Aperiuntur oculi vestri.* Intelligit non de oculis corporalibus sed mentalibus. Bonum enim et malum objecta oculorum sensibilium non sunt, sed intellectualium : unde locutio est metaphorica qua corporalia transferuntur ad spiritualia. Oculi dicuntur secundum Papiam, quia eos ciliorum tegmina occultant ; unde oculi quasi occulti : et dicuntur ab occulo occulis. Et hoc ponit Isidorus *Etymologiarum* lib. II, cap. I, et Papias eadem verba ponit. Et attende quod dicitur. *Et aperiuntur oculi vestri :* non quod essent clausi totaliter et cognitione carentes : sed quia non erant ad sciendum bonum et malum intenti.

Vidit igitur mulier. Ponitur post tentationem ipsa prævaricatio. Et ponuntur tria per ordinem. Primo *vidit*, postea *tulit*, deinde *comedit*, propter tria quæ sunt in peccato : scilicet, cogitatus, cum dicit, *vidit.* Ideo summe cavendum est quid homo in corde revolvat : quia omne malum intrat per sensus et cogitatus : unde ille est janitor diaboli, scilicet, oculus et malus cogitatus : qui introducit bestias inferni, quæ animas vastant, secundum illud Thren. III : *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Et ponuntur tria quæ sunt in cogitatu, quæ solent movere affectum : scilicet bonum utile, quod ponitur cum dicitur, *bonum ad vescendum* : bonum honestum cum dicitur, *pulchrum oculis* : bonum delectabile cum dicitur, *aspectu delectabile.* Et cum ista affectum moveant, sequitur, *Et tulit de*

fructu. Non consenserat enim tollere. Tertio post expletum vel consensum sequitur effectus. *Et comedit.* In quo fuit completum peccatum. Non tantum autem peccatum suum consummavit, sed etiam aggravavit, eo quod virum ad consimile peccatum sollicitavit. Illud autem potuit facere vel ex carnali et naturali affectione, quia dulcedinem fructus probaverat, et quod erat bonum et dulce voluit socio communicare; vel potuit esse ex elatione et corrupta voluntate, quia jam in aliquo se peccasse sensit: et ex societate viri in crimine excusationem sui criminis quæsivit. *Et comedit.* Mirum est quod Adam ita cito consensit, cum ita esset illustratus. Ad quod potest dici quod Adam non credidit sicut Eva. Nam quia Eva credidit, propterea dicit Apostolus I ad Timoth. II: *Adam non est seductus, sed Eva seducta fuit.* Sed quamvis non crediderit illud, *Eritis sicut dii etc.* videtur quod seductus fuit. Nam Augustinus lib. XIV *de Civit. Dei* cap. XI et XIII, dicit quod inexpertus divinæ severitatis æstimavit se in Dei oculis ita charum, quod sententiam de morte non exequeretur super eum: et ideo Evæ multipliciter forte suadenti comedit: quia eam multum sane diligeret et aliam sociam non haberet, noluit eam contristare: unde ex tali causa frequenter fit quod offenditur Deus ne offendatur amicus. Nec propter hoc minus peccavit, secundum Augustinum ibidem; immo magis, quia sciens et prudens peccavit: unde multum exaggerat Augustinus istius peccati magnitudinem. *Et aperti sunt oculi amborum.* Non quod prius essent clausi, sed quia tunc experti sunt quod non habebant, scilicet differentiam boni et mali. *Cumque cognovissent se nudos.* Quamvis prius scirent se nudos, hoc tamen dicitur, quia prius non habebant id sicut verecundum, nec sicut damnosum; ideo super nuditatem oculos non ponebant. Sicut homo in camera non curat de incompositione sua, sicut non consideratur quod non est causa boni nec mali; sed quando est in aperto tunc convertit se ad suum defectum; quia sibi infert verecundiam. *Consuerunt folia ficus.* Non cum acu vel ferro, sed forte cum aliqua herba, vel junco texuerunt ad modum fili. *Et fecerunt sibi perizomata,* id est circumcinctoria, quasi bracchas, a peri, quod est circum, et zoma, quod est corpus. *Et et cum audissent.* Hic agitur de primorum parentum punitione. Et primo de eorum accusatione. Secundo de eorum misericordi conservatione: *Et vocavit Adam.* Tertio de eorum a Paradiso ejectione, *Ecce Adam etc.* In primo sic procedit sicut bonus et optimus judex: unde originaliter et radicaliter hic docetur processus judicii. Primo enim ponitur judiciaria inquisitio seu interrogatio. Secundo interseritur peccantium confessio, ibi, *Mulier quam dedisti mihi etc.* Et tertio subditur condemnatio, ibi, *Ait Dominus ad serpentem.* Dicit igitur, *Cum audissent vocem Domini deambulantis.* Ista Dei apparitio secundum Augustinum XI *super Genes.* cap. XXXIII, fuit facta per creaturam visibilem sive formam: unde et auribus sensibilibus audierunt aliquam vocem corporalem; et hoc ut ipsi homines cum Deo tamquam cum homine loquerentur, sicut Abraham locutus est cum Deo ad quercum Mambre. Si quæritur quomodo cognoverunt quod ille esset modus Dei vel lex ejus, et quod ille qui loquebatur esset Deus? Dicit Augustinus, cap. præfato, quod satis probabile est, solere Deum in forma humana illis hominibus apparere: quia per creaturam tali actioni congruam, vel potest dici, quod in forma qua apparebat, relucebant quædam divinæ majestatis insignia et auctoritatis: ex qua vel cum qua immittebatur audienti vel intuenti sensus divinæ præsentiæ. *Ad auram post meridiem.* Id est, hora nona. Nam sexta hora, secundum quosdam, peccavit, et etiam sexta die. *Littera* autem Hieronymi habet, ad vesperam. Et loquitur de eo ad modum viri in horto suo propter æstum refrigerium quærentis. Et dicitur aura ab aere, quasi aera: quia levi et suavi motu aeris facta. *Abscondit se Adam.* Quæritur quomodo Adam fuit ita demens, quod Deo cujus oculi intima omnium rerum penetrant, se occultabat, et maxime per latibula lignea? Ad hoc Augustinus, lib. II *super Gen.* cap. XXXIII, respondet, et dicit quod non est mirum si ex passione pudoris et timoris fecit aliqua dementiæ similia, cum homines prudentissimi, ex talibus passionibus, ita frequenter ligentur, quod fiunt quasi pueri et tremuli et trepidi, et verbum et usum rationis amittunt. Et hoc præcipue potuit contingere, quia etiam judicem suum sentiebat non tantum fide, non tantum mente, sed etiam corporali specie. Ideoque majorem timorem ingerebat. *In medio ligni paradisi.*

disi, id est, in medio lignorum, singulare pro plurali assumendo. Hæc autem apparitio Dei fuit facta homini ut reduceretur ex tali timore ad pœnitentiam : secundum quod patet secundum faciem litteræ. *Et dixit ei : ubi es?* Hæc autem vox vel quæstio, non fuit Dei ignorantis, sed Dei responsionem de miseria in quam ceciderat extorquere volentis. Fuit etiam insultantis et vocantis Adam ad comparendum coram judice pro meritis recepturum. Culpa enim sua eum coram Deo accusabat : et Dei justitia eum ad judicium proclamabat, cum dicit, *Adam ubi es?* Et interrogavit prius Adam quam Evam, quia peccaverat recentius : ideo peccatum suum erat recentius. Nam procedit more hominum inquirentium absconsa et occultiora per præsentiora et patentiora. Item interrogat eum prius, quia ipse erat principalior, et corruptio generis humani magis ad ipsum spectabat. Item alia ratio est, quia veritas ut est virtus moralis, est ex quadam constantia, et audacia est dicere rem sicut est. In timore autem audaciores sunt homines quam mulieres, et fortes quam molles. Item quia a naturali complexione est homo veracior : et citius confiteretur culpam ; ideo a pœna suæ nuditatis inquiritur ; et concludit suam culpam, quia per culpam inciderat in illam pœnam, cum dicit, *Quis vero ostendit tibi quod nudus esses, nisi quod de ligno de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti?* Et nota quod serpens non interrogatur, quia omnino perversus erat et obstinatus et finaliter condemnatus ; ideo illa interrogatio nihil profecisset, quia non fuisset correptoria. Dicit tamen Augustinus, lib. XI *super Genesim* cap. XXXVI, quod ideo non interrogavit serpentem, quia hoc fecerat non per seipsum, sed per diabolum moventem ipsum, sicut Angelus locutus fuit per asinam : unde vult quod fuit verus serpens. *Mulier quam dedisti mihi.* Ecce quod culpam suam refert et in mulierem et in Deum per reductionem, quia Deus dederat mulierem. Hæc autem dixit ut fortius se excusaret, credens quod Deus sibi citius remitteret, ex quo ab aliquo a Deo dato homo ad peccandum occasionem acceperat. Unde cum homo quærit excusationis suffugium, nunquam petit veniam : nusquam infirmus implorat medicinam. Attende tamen quod isti suam culpam non negant sicut Cain, sed in alium referunt ut allevient et excusent. Non tamen a toto, quia sciebant quod habebant libertatem et scientiam, et cognitionem, et gratiam, quibus accedentibus poterant peccato resistere et non consentire. Tamen volebant se excusare a tanto ; quia culpabilius est cadere nullo instigante, quam aliquo suadente ; ideo homo refert in mulierem aut in serpentem. Ista est enim natura conspirantium in aliquem, quod quando reprehenduntur, unusquisque totum malum in alium refundit et excutit a se quantum potest, et alteri imponit : et sic solvitur talis concordia, sicque contigit in proposito. *Serpens decepit me.* Ex hoc patet quod capiebat in serpente ipsa Eva aliquam substantiam ratione utentem, quia nunquam naturæ brutali imponeret quod decepisset eam : quia decipere est naturæ sagacioris et astutioris. Ideo etiam ipse homo de muliere non dicit, Mulier decepit me, quia tunc recognovisset mulierem aliquo modo astutiorem et simpliciorem : unde mulier in serpente credidit esse Angelum sagacioris et astutioris naturæ. *Et ait Dominus ad serpentem.* Ubi dat pœnas pro peccato. Et debito procedit ordine : quia sicut peccaverunt, ita secundum ordinem puniuntur. *Qua fecisti hoc, ideo maledictus eris.* Aliquis exponunt litteram istam moraliter, referendo ad mores. Vel ad malitiam diaboli, exponendo mystice non litteraliter. Tamen credo quod potest litteraliter exponi de serpente vero. Nam ex facto isto est animal generi humano odiosum : quia fuit primæ prævaricationis instrumentum. Unde sicut signum crucis est diabolo odiosum, quia fuit instrumentum quo Christus exhibuit nobis nostræ liberationis beneficium : ita similiter serpens est apud homines maledictus, quia fuit talis maledictionis instrumentum. Unde est maledictus super omnes bestias terræ. Et licet sit animal venenosum, tamen ex eventu isto est redditum magis odiosum. Quare autem est punitus serpens, cum non sit animal quod habeat liberum arbitrium? Dicendum quod illud fuit ad ostensionem divinæ justitiæ, et scandalum vitandum, ne videretur quod Deus peccatum alicujus naturæ intellectualis dimitteret impunitum : ideo sicut fuerat in eo aliqua similitudo intellectualis, quia scilicet loquebatur : ita esset in eo aliqua similitudo pœnæ inflictæ pro peccato. Quod autem sequitur, *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes omnibus die-*

hoc non esse, quidam exponunt et dicunt quod serpentes tunc ibant et incedebant erecti, et remanebant fructibus, vivebantque de terræ nascentibus, sicut recitat Magister in historiis. Unde quod super suum pectus gradiantur, habent ex ista sententia, non ex natura. Hoc autem frivolum videtur. Nam nos non videmus quod habeant pedes vel instrumenta quibus possent incedere erecti, cum pars eorum ultima sit in fine debilior ad totum corpus, et ita tibiæ ei non posset inniti. Ideo dico quod aliqua incommoda sunt quæ habent serpentes ex ista sententia, sicut quod est maledictus et horribilis redditus ex isto facto, et ex facti consideratione fidelibus, et ex insinuatu aliquo per divinam justitiam et ordinationem complantato in omnibus locis, sicut etiam est sequens pœna quæ ponitur consequenter cum dicitur : *Inimicitias ponam inter te et mulierem.* Aliqua autem sunt incommoda quæ habuit ante, sicut ista *Super pectus tuum gradieris, et terram comedes.* Et ista ponuntur et replicantur ut ex hoc aggravetur alia, et appareat major pœna, sicut major est afflictio addita infirmo quam sano. *Inimicitias ponam inter te et mulierem.* Ad litteram credo quod ex aliquo instinctu facto in muliere a Deo, habet quemdam horrorem et imaginationem quasi naturalem ad ipsum serpentem. Unde fit ut mulieres magis nitantur istam speciem exterminare, et caput suum conterere. Vel aliter dici potest, quod mulier ex natura habeat sicut sexus infirmus, quod ista venenosa horreat, quod ante non horrebat in statu innocentiæ : et tunc hoc habebat ex speciali dono divinæ gratiæ, quod poterat certitudinaliter laterum nocumenta vitare, ac ideo non curabat ista persequi : Sicut etiam ex naturæ complexione nunc patitur in partu mulier, tamen ex gratia Dei non pateretur in statu innocentiæ. Ideo ex culpa quæ istam gratiam privavit, est ista pœna. Item poterat esse quod aliquid erat in animalibus brutis, et aliqua impressio qua homini obediebant et parebant. Ista autem omnia cessaverunt per hominis culpam. Animalia enim fuerunt suis naturalibus passionibus relicta, et mulier fuit omni gratia destituta, et gratia gratum faciente, et omni alia gratia data. Ideo ex peccato facta sunt inimicitiæ isto modo inter serpentem et mulierem. Unde dicitur : *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo illius.* Quod dictum est secundum litteram ; quia serpens ambulat super pectus, insidiatur calcaneo, seu parti sibi propinquæ, ad quam facilius potest attingere : *Et ipsa conteret caput suum.* Quia aliquid hærens terræ, de facili potest ipsum terere. Mulieri quoque dixit, *Multiplicabo ærumnas tuas etc.* Ecce ubi ponitur pœna mulieris. Et ponuntur hic pœnæ quatuor. Prima multitudo inopiæ et miseriæ : unde dicit, *Multiplicabo ærumnas tuas.* Secunda est pœnalitas gravidationum et imprægnationum. Nam per conceptus non intelligit conceptum prolis qui fit per coitum, in quo est inordinata delectatio vel libido ; sed intelligit imprægnationem subsequentem ipsum conceptum, quando proles crescit et augmentatur, in qua imprægnatione et gravidatione multa incommoda concomitantur. Unde Hieronymus dicit ubi nos habemus, ærumnas tuas et conceptus tuos, Septuaginta habent : tristitias tuas et gemitus tuos. Tertia pœna est dolor parturientium, quæ maxima est propter raritatem complexionis mulierum, et teneritudinem illarum partium, et arctitudinem earum, respectu suorum fœtuum. Item propter abundantiam retentorum menstruorum sanguinum, quæ si non bene purgantur, infinitæ infirmitates et torsiones generantur, et illi humores corrumpuntur. Propter quæ dicitur : *In dolore paries filios.* Quarta pœna est servilis subjectio ejus ad virum : unde dicitur : *Sub viri potestate eris.* Prius quidem erat sub ejus potestate ad regimen et utilitatem suæ directionis et gubernationis, absque omni pœna et displicentia et vilitate. Sed inquantum ponitur in pœnam, est in servili vilitate, et cum ejus displicentia ; et includit multa inconvenientia. Vix enim potest esse quod vir propter qualitatem corruptionis naturæ non exerceat potestatem suam in mulierem immoderate et superbe : præcipue propter magnum hominis zelum, quem habet ad uxorem, propter suæ libidinis calorem et fervorem. Et nota quod istæ pœnæ non tantum respiciunt personam Evæ, sed totam suam posteritatem. Justum enim est, quod sicut in ipsis peccavimus, ita in ipsis omnes puniamur. *Adæ vero dixit.* Hic notatur pœna inflicta viro. Et prima pœna est miserabilis in ipsa vita afflictio, secunda mortis corruptio, ibi, *Quia pulvis es.* Procedit autem primo sic :

quia primo ponit culpam perversi consensus, et postmodum inordinati effectus, ibi, *Et comedisti de ligno*. Isti enim sunt duo pedes peccati completi, consensus et actus. Peccaverat enim et uxori consentiendo, et lignum vetitum comedendo. Et ponit pœnam, *Maledicta terra etc*. Tamen formalis ratio est in consensu, quia actus non est peccatum nisi propter consensum. Si autem tu opponis eodem modo, non est consensus malus, nisi propter actum malum, quia si actus esset indifferens vel bonus, consensus in actum non esset peccatum. Ad hoc dic quod in consensu formaliter est peccatum. Nam oportet ad peccatum ponere consensum in actu : tamen ad peccatum non oportet ponere actum secundum effectum, sed tantum secundum quod est voluntatis objectum. Objectum autem potest esse non existens actu, dum tamen sit apprehensum ; secundum quod dicit Philosophus in *de Anima*, quod objectum voluntatis est bonum ratione apprehensum. *Quia audisti vocem uxoris tuæ*. Mulier enim debet audire vocem viri, nam ad solam ejus vocem debet parere, nisi videret quod vox ejus contineret aliquid voci superioris contrarium, juri scilicet naturali vel divino vel positivo, ad quod esset magis obligata quam viro. Sicut etiam subditus debet audire vocem prælati, nec debet discutere de suo præcepto, nisi appareret evidenter error aliquis. Vir autem non debet audire vocem uxoris, nec prælatus subditi, quia neuter istorum habet auctoritatem. Sed tamen debet audire vocem rationis per mulierem loquentis vir, vel per subditum prælatus : quia ratio præsidet, et præfertur et viro et prælato et veritas et æquitas. Mulieres etiam habent ex facto isto legem sibi præscriptam. Nam vir super mulierem a principio auctoritatem suscepit : tamen neglecta sua auctoritate prius mulieri obedivit, et ejus vocem audivit et sine ratione. Imo contra rationem ei obedivit magis quam mulier viro : unde ille propter vocem inferioris contempsit vocem Dei præcipientis, et rationis dictantis non audiri debere mulierem vel vocem ejus, nisi vox haberet ex ratione vigorem et auctoritatem. Propter quod dicitur hic, *Quia audisti vocem etc*. Et replicat secundum juris ordinem culpam ; et procedit non tantum secundum culpam, sed secundum culpam confessam vel cognitam. Nam culpa super quam fertur sententia, debet esse vel per alios fide dignos probata, vel a reo confessa. Potest autem quæri, quid terra demeruit, quia pro peccato Adæ maledicitur ? Ad quod respondeo, quod terra non est maledicta in se vel in sua substantia, vel respectu operationum divinarum. Nam terra semper sequitur divinam voluntatem et divinum imperium, propter quod non debet benedici aut maledici, cum suo pareat conditori. Sed dicitur maledicta respectu operationum humanarum. Nam terra est homini nociva et mala, et inobediens humanæ voluntati et suæ operationi. Dicitur *In opere tuo*. Homo enim terram laboriose excolit, ut inde fructus colligat unde vivat ; et tamen quamvis multum laboret, multa contra ejus intentionem reddit, quæ magis homini nocent quam juvant. Unde sequitur : *In labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ*. Quasi diceret : Tu pro comestione tua intendes et laborabis ad habendum herbas, et dabit tibi spinas et tribulos. Et nota quod pœna ponitur hic commutatio alimenti, quia herbæ, loco suavissimorum fructuum. Item labor acquirendi, quia fructus Paradisi sine labore hominis nascebantur, modo autem oportet quod terra laboriose excolatur. Si autem quæritur si prius terra spinas et tribulos germinaret ? Respondeo quod non video, quin hoc fieret, cum terra haberet ad ista secundaria principia, et cœli essent ita potentes : tamen ista germinatio non esset homini pœnalis, quia terra non excoleretur, ut aliud loco istorum expectaretur, cum viveret homo de fructibus lignorum gratis productorum. Modo autem est pœnalis, nam cum maximo labore sperat inde alimentum, propter quod dicitur : *Germinabit tibi*. Prius enim ista germinabat terra, non homini, sed animalibus istis utentibus forte, sicut asinis, qui inde delectabiliter comedunt : vel ad terræ ornatum, vel ad elevandum hominem ad laudem Dei, multiplicibus generibus entium, vel forte ad aliquam necessitatem animalium brutorum, sicut ad aliquam curam alicujus infirmitatis, propter aliquam virtutem quam haberent vel adhuc habent respectu aliquorum animalium a tota specie. Sicut non est aliquid quod non habeat operationem consequentem suam speciem. Et nota quod Hieronymus dicit in *Hebraicis quæstionibus*, quod *In opere tuo* non intelligitur opus ruris colendi. Sed

opus hominis accipitur hic pro peccato hominis : unde, in opere tuo, id est, pro peccato. Intelligitur de maledictione deterioris. Nam terra fuit deteriorata per peccatum saltem respectu hominis. Et huic expositioni concordant Aquila, qui posuit : maledicta humus propter te, et Theodotion, qui posuit : maledicta terra in transgressione tua. Et sequitur : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, ubi expositive dicit, et posuit sudorem vultus ad exaggerandum nimium laborem, vel in tanto labore positum, eo quod non solum in corpore, in quo citius est sudor propter coopertuτam vestimentorum et propinquitatem quam habet cum corde, in quo est vena originalis caloris ; sed etiam in facie erit sudor, quæ tamen facies est revelata et ventis exposita. *Pane tuo*, id est, a te elaborato. Et intelligit per panem quicquid est necessarium ad victum, secundum viam alimenti, et etiam indumenti. Ista enim sunt homini necessaria secundum Apostolum I ad Timotheum VI : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus*. Ista autem pœna sibi optime competit ; quia de ligno vetito gustavit voluptuose, ideo debet vivere laboriose : quia cum pœna sit medicina quædam contra culpam et remedium, et medicina, secundum Gregorium, fiat per contraria, sicut curantur calida frigidis ; si in culpa fuit libidinosa delectatio, in pœna debet esse laboriosa afflictio. Ista autem medicina, labor talis, scilicet non tantum est medicina curativa, vel purgativa infirmitatis præsentis, sed etiam præservativa, et cautela pro futuris. Nam labor et vexatio humiliavit hominem, ne nimis efferatur, et ne insolescat : sicut frenum continet equum ne impetuose currat. Per istam autem litteram habetur quod homo qui sine labore aliquo utili panem comedit, si potest commode laborare, quod divinam ordinationem quodammodo infringit, secundum illud II ad Timoth. III et IV, et ad Titum III : *Si quis non vult operari, non manducet*. Et quia posset aliquis dicere quod homo debet aliquo tempore laborare et sudare, et postmodum delitiis vacare, subdit terminum illius laboris, scilicet limitem mortis : *Donec* (inquit) *revertaris in terram, de qua sumptus es*. Ubi cum præfixo laboris nobis imposito termino, ponitur specialis pœna peccati primi parentis, et suorum posterorum ; scilicet corporis resolutio in terram et in sua principia, scilicet in elementa, ex quo reliquerat curam divini regiminis quo poterat esse immortalis et non mori in illo statu persistens. Expositus fuit autem necessitati mortis, quia Dei mandatum reliquit, et non ex sola naturali aptitudine suæ originis : nam sumptus erat de terra quantum ad corpus ; et ideo cum terrena omnia et elementaria sint in sua principia resolubilia et generabilia et corruptibilia, oportuit, ex quo justitia divina eum privaverat supernaturali gratia, quod resolveretur via communi sicut alia, et istam causam innuit, dicens, *De qua sumptus es*. Et expositive planius subjungit : *Quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Commemorat autem diligenter vilitatem suæ originis materialis, ut per hoc animositatem ejus refrenet et inducat ad supernecessariam virtutem humilitatis. Et hoc quidem ipse Dei Filius quod hic facit verbo in veteri Testamento, in novo Testamento (in quo non tantum docuit verbo, sed verbum confirmavit exemplo) docuit et humilitatem et statum humilitatis servavit, dicens Matthæi XI : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*.

Et subdit quomodo vocavit Adam nomen uxoris suæ, *Vocavitque Adam nomen uxoris suæ Evam eo quod mater sit omnium viventium*. Ubi agitur de hominis misericordi conservatione, sicut de eorum indutione. Hic autem videtur mirandum cur nominatio uxoris hic ponitur tantum. Potest esse ratio, quia Adam prius vocaverat mulierem a suo naturali principio, dicens : Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est. Hic autem ex alio eventu aliter nominat eam, scilicet ex speciali ipsius mulieris officio generationis pro omnibus posteris. Eva enim interpretatur secundum Hieronymum in libro *Hebraicarum quæstionum*, vita. Dicta est autem vita, quia ipsa est origo omnium viventium, secundum quod statim subjungit : *Eo quod mater esset omnium viventium*. Et scriptoris est causa vel ratio, et Adæ nomen illud imponentis. *Fecit quoque Dominus Deus Adam et uxori suæ tunicas pelliceas*. Eos quidem induit propter eorum necessitatem et honestatem. Necessarium enim est naturæ humanæ tegumentum et propter frigus et propter calorem. Nam propter complexionis humanæ raritatem, si exponeretur magnis algoribus vel solis ardoribus, nimium frigus penetrans ipsam propter suam raritatem, calorem naturalem ex-

tingueret, et nimius calor ejus humorem consumeret et nimis desiccaret. Alia autem animalia proteguntur vel duritia corii, vel pellis, vel locis specialibus : sicut pisces qui proteguntur in aquis, vermes in terra, per quæ vitant aeris intemperiem. Homo autem non habet corium durum, nec pilos, nec potest manere extra aerem, cum indigeat puro et magno aere propter respirationem et refrigerandum cordis calorem. Propter quod illi non sunt audiendi, qui dicunt quod vestimenta non sunt necessaria nisi propter consuetudinem. Nam tunc non erant ad vestimenta consueti. Induit etiam eos propter honestatem, ad cooperiendum suam verecundiam. Nam erubescunt homines naturaliter de membris genitalibus quæ rationi et voluntati post peccatum rebellant, sicut dicit Augustinus XIV *de Civitate Dei*, c. XX. Induit etiam eos ad ostendendum suam ad eos pietatem, ut sic daret aliquam spem de sua reparatione eo quod jam incipiebat de eis curare. Unde ab isto loco incœpit nostram necessitatem relevare [1], et tunc consummavit quando januam Paradisi per suam passionem aperuit. *Tunicas pelliceas.* » Pelliceæ dicuntur a pellibus, quia de pellibus sunt factæ. Pelles autem dicuntur, quia pellunt frigus et ab homine et ab animalibus. In istis autem pelliceis mirabiliter advocantur ad considerationem sui criminis ; quia illi qui in principio in omnibus sibi sufficiebant, jam animalium exuviis indigebant brutorum. Qualiter autem fecit, vel suo simplici imperio, vel Angelorum ministerio, non constat. Modus tamen Dei est communicare creaturæ quod potest suscipere ; taliter ut inter creaturas sit aliqua connexio actionum creaturarum superiorum respectu inferiorum. Lex enim divinitatis est infima per media ad suprema reducere secundum Dionysium. *Ecce Adam quasi unus ex nobis sciens bonum et malum.* Ubi ponitur ejectio ejus de Paradiso. Et nota historiam usque ad finem capituli. Verbum autem illud est verbum Dei insultantis et posteros deterrentis : quasi diceret : Non solum quod desideravit non obtinuit, sed et quod habuit, non conservavit. Voluit autem mulier scire bonum et malum cum credidit diabolo dicenti : *Eritis sicut dii scientes bonum et malum* : et illud Adam imponit, quia sibi in hoc favit et eam non corripuit. Unde primo præmittit confusibilem insultationem. Secundo contra hominis vitam longam possibilem apponit cautelam ; quia non fuit dignus Adam peccator ita diu vivere, nec in tanta sanitate sicut posset habere per lignum vitæ : unde dicit, *Nunc autem ne forte mittat manum suam et comedat de ligno vitæ et vivat in æternum.* Hyperbolica est locutio vel excessiva, id est longissimo tempore. In ligno enim vitæ non tantum erat vis divina ad modum sacramentalis ad conservationem hominis ; sed erat qualitas absoluta, qua erat proportionatum et contemperatum complexioni hominis. Locus erat etiam valde contemperatus, ita quod si ibi diu mansissent, potuissent ita diu vixisse. *Emisit eum de Paradiso voluptatis ut operaretur terram de qua sumptus est.* Propter suum demeritum reductus est ad suum naturale et originale hospitium et ministerium, sicut domini servos qui eos offenderunt, deponunt ab honore, ad priorem statum et domos suas viles remittunt, et ad officia pristina vel eis debita. Secundum Magistrum in historiis, Adam fuit positus in angulum vel agrum Damascenum juxta quem Adam et Eva sepulti sunt in spelunca duplici, et ibi fuerunt facti. Unde autem hoc habet, nescio : nisi quod Hebron quæ fuit in sorte tribus Judæ et fuit data Caleph, ante vocabatur Cariatharbe, id est civitas quatuor. Et subditur : in tempore Adam maximus ibi sinus erat, unde creditur quod vocata fuit civitas quatuor propter Patriarchas ibi sepultos cum uxoribus suis, Adam, Abraham, Isaac et Jacob. Est autem verisimile quod ibi sepultus fuit ubi vixit. Hieronymus tamen dicit quod fuit ejectus ante fores Paradisi, et quod habitare fecit eum contra Paradisum voluptatis, et quod Deus posuit ibi Cherubin ad custodiendam viam ligni vitæ. Tamen potuit esse quod licet ejectus fuit primo, sicut ad primorum locum extra Paradisum, quod ibi non remansit, sed ultra delatus fuit usque ad prædictum locum ad angulum vel agrum scilicet Damascenum. *Et collocavit Cherubim ante Paradisum voluptatis.* Non oportet quod ibi fuerint fixi vel alligati sicut unus homo janitor uni portæ ; sed vult dicere, quod ipsum locum commisit custodiæ Angelicæ, qui dicuntur Angeli Cherubin. Et dicuntur Angeli Cherubin ab interpre-

[1] Parm. : « Revelare. »

tatione, quia scientia plena. *Et flammeum gladium et versatilem.* Hæc ad litteram loquitur secundum corporalem similitudinem vel metaphoram. Sicut enim gladius versatilis et ad omnem partem vibrabilis, et præcipue si esset ferreus, et cum hoc flammeus, optime custodiret aliquem locum et homines summe terreret et ratione ferri incidentis et ratione ignis comburentis et ratione versatilitatis hinc inde attingentis; sic vult intelligi quod Angelica custodia ita terribiliter illi loco præsideret, quod nullus ire præsumeret vel auderet; quoniam optime custodiunt, et tamen in cælis Deo assistunt, non tantum mentaliter, sed etiam substantialiter. Unde sequitur: *Ad custodiendam viam ligni vitæ.* Hoc lignum specialiter nominat, quia propter illud non comedendum specialiter clausit Deus Paradisum, quia per illud sicut dictum est, magis posset prolongari vita hominum. Isidorus *Etymologiarum* lib. XIV, cap. III, dicit quod iste locus est muro igneo septus et interclusus; quod utrum sit verum nescio; sed tamen potest esse quod circa montes et valles propinquas monti in quo est Paradisus sit multa minera sulphurea circum circa, quæ continue reddit flammas, sicut mons Vulcanus in Sicilia. Et nota quod Augustinus, XIII *de Civitate Dei*, c. XXI, dicit, quod quidam senserunt totam hanc Paradisum non ad litteram esse vel fuisse corporalem, sed solum figuraliter fuisse descriptam ad signandum intelligibilem Paradisum gratiæ et gloriæ et vitium sibi contrarium per quod expellitur inde homo. Quod Augustinus improbat, licet concedat illa vere ibi signari, sicut per Agar et Saram ad Galat. IV cap. designantur duo testamenta; et nihilominus fuerunt duæ mulieres realiter et secundum veritatem. Sicut etiam per petram de qua exivit aqua, Moyse percutiente, figuratur Christus, secundum Apostolum, I ad Corinth. X, qui dicit: *Petra autem Christus.* Si autem opponitur tunc de partu absque dolore et corruptione quomodo sit? Dico secundum Augustinum XIV *de Civitate*, cap. XXIV, quod sicut nunc manus et digitos libere laxamus et libere stringimus et consimiliter labia nostra et palpebras; sic mulier laxaret et stringeret partem sui uteri ad conceptum et partum, sed nulla corruptione nervorum et arteriarum, nec emitteret partum per violentam separationem prolis a matrice, sed magis per quamdam digestivam maturitatem. Et Augustinus ponit multa ad hoc idem et in materialibus et in hominibus. Ex hoc autem sequitur quod sine libidine poterant concipere et generare eo quod membra ad nutum obedirent. Si opponitur de meatibus et fæcibus: Dico forte alimentum ita sumeretur quod totum assimilaretur. Et si esset impurum aliquid, per subtiles evaporationes emitteretur. Item si esset grossum, posset esse odoriferum sicut quorumdam animalium et germen quarumdam arborum, et emitterentur ad voluptatem hominum sicut saliva. Et dato quod non emitterentur, meatus non essent superflui, quia possent servire multis aliis motionibus et essent ad corporis ornatum, sicut sunt in patria ubi non emittuntur fæces.

CAPUT IV.

Adam vero cognovit uxorem suam. Postquam egit de lapsu primi parentis, agitur de successione generationis lapsorum. Et primo successio generationis reproborum ponitur, quæ facta est per Cain. *Cognovit quoque Adam uxorem suam.* Item primo ponitur origo, secundo conversatio, *Fuit Abel*: tertio successio, *Cognovit autem Cain uxorem suam. Adam vero etc.* Nota quod tam Scriptura quam sancti Patres honestissimè sunt circumlocuti opera aliquid pudendi includentia; et hoc ut quantum possent occasionem libidinosæ cogitationis pro audientibus vitarent: unde Rabbi Moyses dicit, quod patres non habuerunt hujusmodi nomina propria, sed transsumpta et accommodata; et hoc attestatur eorum honestati et castitati. Nam ita casti erant quod etiam hujusmodi nominare horrebant. Videtur autem ex ista littera quod illa die qua fuerunt creati, vel paulo post, peccaverunt primi parentes. Nam si ibi pluribus diebus stetissent, videtur quod convenissent, quod non legitur: unde inquiunt aliqui quod sexto die peccaverunt et circa nonam, sicut Christus sexto die passus fuit et hora nona expiravit, et illam culpam expiavit, ut tempus liberationis respondeat tempori transgressionis et prævaricationis. Et quod Adam prius non cognoverit Evam, videtur etiam ex eo. Nam si eam cognovisset, concepisset, quia nulla eorum commixtio fuisset fru-

strata fructu debito et intento, et semper intendendo. *Peperit Cain dicens: Possedi hominem per Deum*, unde a passione hac dictus est Cain, qui interpretatur possessio sive acquisitio. Ex hoc autem et multis aliis colligitur Adam et Evam reductos ad Dei timorem et cultum, quia primum suum partum a Deo recepisse firma fide profitentur : unde vexatio dedit eis intellectum. Sed et probatur ex sequentibus. Nam Cain et Abel obtulerunt Deo sacrificia ; et verisimile est quod non fecissent, nisi a parentibus ad talem cultum in quo recognoscunt Deum auctorem divinæ majestatis, informati fuissent. Si quæritur, quare Cain malus fuit prius generatus quam Abel bonus? Respondet Augustinus xv *de Civitate Dei*, quod sicut in uno homine non prius quod spiritale est, sed quod animale gignitur; sic ex Adam lapso primo malum processit, et postmodum per baptismum regeneratur vel per aliud loco baptismi, ut per circumcisionem in veteri lege, vel per fidem et aliquam observantiam in lege naturæ. Et in hoc ostenditur quod bonitas motuum non est ex natura vel ex primogenitura, sed ex mera Dei gratia. *Rursumque concepit et peperit Abel.* Abel interpretatur luctus. Nam Eva postquam Dominum Deum deseruit, planxit suam culpam et recognovit eam. Et iste est ordo pœnitendi. Moveri in Deum devote et peccatum lugere vel de peccato dolere. Unde secundum ordinem naturæ et istius litteræ, primo est motus liberi arbitrii in Deum quam in peccatum.

Abel fuit pastor ovium, Cain autem agricola. Ponitur post originem prolis conversatio. Et nota quod quamvis Cain præcessit in nativitate, tamen Abel præponitur in conversatione. Sed si quæritur, Quare Abel fuit pastor ovium cum tunc carnes non ederent? Dicitur quod potuit esse propter lanas et sacrificia quæ ex illis debebant fieri, et ad impinguandum agros quos colebat Cain, ut melius fructificarent. Si quæritur, Quare sancti Patres fuerunt pastores ab initio? De Abel potest dici, quod Adam ex necessitate deputavit Cain filium suum majorem et fortiorem agriculturæ, ut liberius posset Deo vacare et quiescere et regere familiam. Abel autem deputavit officio multum utili pro victu humano post agriculturam. De aliis autem patribus ratio fuit conditio terræ orientalis quæ abundat in pascuis propter maximum beneficium solis et temporatum, qui sol est pater omnium fructuum. Alia ratio potest esse, quia istud officium est aptum solitudini et simplicitati, orationi et meditationi, et humilitati ; et præcipue, ubi propter multitudinem pascuorum, vel latitudinem desertorum est magna sequestratio a plebibus et turbis. Et nota quod ab initio mundi omnes sancti status populi Dei incipiunt a summa simplicitate et humilitate et paupertate et puritate : quod nos in multis possumus intueri, tam ex vestitu quam ex ornatu et victu, quia non erant textores. Unde credo in vili tunica sine calceis, nudis pedibus incedebant, et modum a Deo sibi traditum de pelliceis observabant : sine salsamentis etiam, et sine vino de terræ fructibus vivebant. Item in defectu sociorum et ministrorum. Adam enim in persona propria colebat terram, et fodiebat, et boves et jumenta custodiebat, et ligna deferebat. Eva etiam fuit sola obstetrix, et nutrix partuum suorum, et ancilla in omnibus domesticis obsequiis domus suæ : et aquam ferebat, et ignem incendebat. Non erat etiam usus pecuniæ, nec contractus venditionum, nec litigia causarum. Item quia habebant simplicissimas domos et viles, rusticano opere formatas, nec dum erat usus musicorum vel inventio inanium cantilenarum. *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ.* Ex hoc patet quo falsa est opinio dicentium quod sacrificia essent in lege introducta solum ad tollendam idololatriam; cum constet hic ab initio mundi secundum naturam generis incœpisse. Unde sunt introducta ut essent in signum latriæ et singularis adorationis et cultus Deo solum debiti. Si autem invenitur aliquid in Scriptura quod videatur huic contrarium, exponendum est quod non a principio præceperit sicut per se bona, sicut sunt præcepta moralia ; sed sicut signa vel instrumenta actus perfecti vel perfectæ justitiæ, sicut latriæ. Et sic exponitur illud Jeremiæ vi : *Non præcepi eis de verbo holocautomatum, in die qua eduxi eos de terra Ægypti.* Data sunt autem igni sacrificia et consumebantur, quia publico facto debemus protestari quod omnia nostra sunt Deo offerenda et divinis usibus applicanda. Alia autem ratio potest esse necessitas congregationis fidelium in uno cultu et modo colendi Dominum sub quo vivant uniformiter. Propter hoc ergo *Cain obtulit de terræ frugibus, et Abel*

obtulit de primogenitis ovis, et adipibus eorum. Et nota quod oblatio Cain dicitur nomine communi. Non enim dicitur de optimis terræ frugibus; quod si fecisset ad alterum exemplum, Scriptura non tacuisset, sicut dixit de Abel quod obtulit de primogenitis et adipibus earum; unde ex hoc colligitur quod ex cupiditate et avaritia optimas fruges retinuit, et minus bonas Deo obtulit: sicut multi faciunt qui nunquam Deo offerunt nisi deterius, et quod est corruptum vel consumptum, et quæ non possunt uti. Unde Deus istius oblationem et talium condemnat, et faciem suam et oculos a tali oblatione avertit. Unde sequitur: *Respexit Dominus ad Abel et munera ejus, ad Cain autem et munera ejus non respexit.* Qualiter autem fecit istum respectum et istam approbationem oblationis Abel, et reprobationem Cain et suorum munerum? Credo quod Deus aliquo signo ostendit quod illud approbabat, ista repudiabat: unde forte illa inflammabat et convertebat in flammam, et fumum odorabilem ascendentem, quasi innueret quod eam superius ad se traheret, et eam acceptaret, alia autem dimitteret, sicut fuit in primo sacrificio Aaron post ejus consecrationem, Levitici IX, et in sacrificio Eliæ III Reg. XVIII. Unde secundum Hieronymum, Theodotionis translatio habet, Inflammavit Dominus super sacrificium ejus. Et nota quod dicitur prius respexisse super Abel, quam super suum sacrificium, quia Deus magis acceptat sacrificium cordis quam exterioris operis. Illud enim est sacrificium sibi gratissimum; de alio non ita curat, nisi quia istud concomitatur et aliud sequitur, ut quasi faciat sacrificium cordis sacrificio operis viam ad oculos Dei. Ideoque non ivit sacrificium Cain ante Dei approbantis aspectum, quia non habuit devoti affectus ducatum.

Iratus est Cain vehementer. Hic agitur de peccato ipsius Cain in proximum; et primo de peccato affectus; secundo de peccato effectus, ibi, *Dixitque Cain ad Abel.* Tangit autem duplex peccatum: iræ scilicet et invidiæ. Dicit ergo, *Iratus, etc.* Ira scilicet invidiæ, et indignationis in fratrem; et impatientiæ in Dominum, qui munera sua non acceptaverat. Et fuit invidia pessima et nequissima. Nam invidia respectu boni alicujus temporalis magis movetur secundum rationem, vel minus contra rationem: quia si invideo de aliquo pulchro equo, ex hoc forte moveor quia si alter habet, ego non habeo. Si unus alius est Episcopus, ego non possum esse, quia duobus non communicatur. Sed bonum divinum est ita commune, quod omnibus communicatur, nisi per hominem impediatur. *Et concidit vultus ejus,* et intra et extra. Intra quasi per quamdam desperationem; extra per faciei et oculorum depressionem, et pallorem et immutationem, et hoc propter nimiam tristitiam. Quia enim erat primogenitus, nec adhuc fecisse poterat crimina sensibilia sicut fornicationes et furta, *quia non erat cui posset furari, neque cum qua posset mœchari et fornicari,* quia vidit fratrem suum coram suis parentibus, et a Deo sibi præferri, intolerabilem incurrit invidiam et maximam tristitiam ipsum totaliter consternantem. Concidit autem ejus vultus exterior, quia ab interiori consternatione mentis vel cordis exterior aspectus faciei cadit. In vultu enim lucet communiter passio mentis. Sicut videtur in gallo; quamdiu enim habet constantiam, erigit pectus, et caput, et caudam. Unde ex hoc apparet mirabilis virtus apprehensionis et affectionis, quod ita subito et ita vehementer totam naturam immutat. Neque per aliquam qualitatem absolutam, vel activam, vel passivam: sicut quando aliquid vel calescit, vel frigescit: nec per imperium et motum voluntatis, sed per illam apprehensionem et affectionem ita concidit homo, et nescio per quem latentem influxum. *Dixit quoque Dominus Deus ad eum.* Ubi posita admonitione procedit ab affectu malo in actum malum: et accipit modum prædicatoris, et ponit quatuor quæ debent esse in prædicatione: scilicet argutio peccati, ibi, *Quare iratus es;* promissio etiam solatii et status boni, ibi, *Nonne si bene egeris.* Tertio, comminatio supplicii, ibi, *Sin autem male.* Quarto commonitio boni: *Sub te erit appetitus tuus. Quare iratus es?* Arguit de invidia et impatientia, innuens iram suam esse injustam et irrationabilem. Nam monstrat causam quare Deus sua munera non acceptaverat, fuisse culpam suam. Deus enim non acceptat dona malorum. Unde si vis eleemosynas et quævis opera bona non perdere, Deum tibi propitium et amicum prius habere satage: alias non valent ad meritum vel gloriam de condigno, licet valeant et prosint ad impetrandum gratiam de congruo. *Quare igitur, etc.;* quasi dicat: Tu non debes propterea turbari et nequam esse,

quia ego bonus sum, et ideo munus hominis indigni repello et injusti. *Nonne si bene egeris, recipies.* Ponitur promissio præmii respectu bonorum : et promittitur bonum divinæ reconciliationis : unde secundum Hieronymum in *hebraicis quæstionibus*, in Hebræo est : Nonne si bene egeris, dimittetur tibi etiam delictum ? Theodotion habet, acceptabile erit munus tuum mihi sicut munus fratris tui justi acceptabile fuit. *Si autem male, statim peccatum in foribus aderit,* id est, per aperta signa exterius patebit ac si esset in januis tuis, vel in aperta pœna : quasi dicat, Non potest mihi occultari qui etiam cor inspicio, nec dissimulare possum quod non puniam. Unde quamvis peccatum transeat, quia est transitorius actus : tamen est præsens in pœna quæ peccatum sequitur, et qua peccatum punitur et in qua repræsentatur. *Verumtamen sub te erit appetitus tuus :* » ubi hortatur ad bonum virtutis, id est, desiderium peccati sit sub te. Est enim mos Scripturæ accipere futurum indicativi pro præsenti imperativi, sicut in præceptis decalogi patet Exod. xx : *Non concupisces. Non furaberis, etc. Et tu dominaberis,* id est, habe ejus dominium cohibendo ipsum. Tamen potest legi indicative ut monstretur dominium quod habet homo ad vitandum peccatum : ideo inexcusabilis est si peccet. Si quæritur, quare Cain non placebat Domino nec ejus munus ? Augustinus xv *de Civ. Dei,* cap. vii, dicit quod in quo Cain Deo primum displicuit non est facile inveniri : nisi quod Joannes in prima sua canonica cap. iii, dicit, quod ideo fratrem suum occidit, quoniam opera ejus erant maligna, fratris autem justa. Septuaginta habent istam litteram, Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti ? Ex quo datur intelligi, Deum ideo non respexisse ad munera ejus, quia male dividebat : quia dabat Deo aliquid suum, sibi autem retinebat seipsum : quod omnes faciunt qui aliquid Deo dant ut eorum pravis voluptatibus opituletur. Mali enim volunt uti Deo ut fruantur mundo. Item ad Hebr. xi, dicitur quod fide plurimam hostiam obtulit Abel quam Cain, per quam consequutus est esse justus, testimonium perhibente ejusdem muneribus Deo. Ex quo patet quod Abel habuit fidem per dilectionem operantem : et ideo Cain non placuit Deo quia non habuit charitatem. *Dixit Cain ad Abel,* ubi post peccatum affectus, sequitur peccatum effectus, et hoc primo quantum ad actum manus per homicidium, ibi, *Cumque eo nunc.* Dicit igitur, *Dixit autem Cain Abel, egrediamur :* volebat enim et conceperat fratrem suum occidere ; ideo volebat quod lateret suos parentes, et etiam suas sorores, quos etiam metuebat : propter hoc eduxit eum ad locum solitarium ubi nullus posset eum videre nec factum impedire, nec scelere accusare, nec punire. Ideo quod concepit, opere complevit, et concepit dolorem et peperit iniquitatem : unde sequitur : *Qui cum esset in agro, consurrexit adversus fratrem suum Abel, et interfecit eum.* Maxima fuit malitia, quoniam fratrem suum occidit ex mera invidia : unde nec ipsum retraxit fœdus maximum et fortissimum naturæ vinculum quod debet esse inter fratres qui manant immediate ab una carne. Nec etiam timor comminatæ paulo ante pœnæ. Nec reverentia justitiæ quæ erat in fratre, id quod probaverat per Dominum qui ejus holocaustum acceptaverat. Nec simplicitas humilitatis et innocentiæ. Neque promptitudo obedientiæ, quia sibi obediverat eundo ad agrum. Ideo advocat divina justitia eum ad tribunal judicis : unde sequitur : *Et ait Dominus ad Cain, ubi est Abel frater tuus ?* More judicis interrogat, ut vel confessionem veritatis extorqueat, vel ejus negationem dolosam adaperiat. Et primo ponitur tantum interrogatio, secundo ipsius Cain obstinatio, ibi, *Qui respondit.* Dicit igitur, *ubi est Abel ?* Non est interrogatio ignorantis, sed ad pœnitentiam invitantis, *Qui respondit,* ubi primo ponitur obstinatio in malitia. Secundo desperatio de venia, ibi, *Major est iniquitas etc. Qui respondit, Numquid custos fratris mei sum ego ?* unde ponit abnegationem veritatis et charitatis : dicit enim : *Nescio.* Quod refertur ad pertinaciam intellectus, *Et numquid custos fratris, etc.* quod pertinet ad obstinatiam affectus. Et respondit etiam indignanter et pertinaciter, *Numquid, etc.* quasi dicat : Injuste petis a me de fratre meo, cujus me non fecisti custodem. Et tamen si bene considerasset, certum est quod mendacium dixit : *Nam unicuique mandavit Dominus de proximo suo,* Eccles. xvii. *Dixitque ad eum, Quid fecisti ?* ubi agitur de justitia condemnante : et primo convincitur de culpa, secundo infertur pœna, ibi, *Nunc maledictus eris. Quid fecisti ? vox sanguinis etc.* Quia enim factum non confitetur, nec excusat tantum sicut Adam, sed suo

pliciter et pertinaciter negat. Ideo convincit eum per evidentiam facti subdens, *vox sanguinis etc.* quasi dicat : Licet non confitearis, tamen factum evidens, et sanguis fratris tui tenet locum et vicem accusatoris. Unde interlinearis Glossa dicit, « Evidentia enim patrati sceleris non indiget clamore accusatoris. » Vel aliter, Sanguis fratris tui ita effusus, evidenter exigit a me fieri justitiam, sicut si alta voce clamaret. Unde Hebr. xi, inscribit hanc vocem merito fidei ipsius Abel : ubi dicitur quod per illam vocem adhuc defunctus loquitur. *Nunc igitur maledictus eris*, ubi ponitur pœna condemnationis et maledictæ personæ, et punitio in opere. *Maledictus eris super etc.* Ista littera exponitur tripliciter. Primo super terram, id est, plus quam terra ; sicut dicitur : super omnes deos, id est, magnus plusquam omnes dii. Vel ab his qui sunt super terram, quia omnes maledicent tibi, id est, interpretabuntur te malum pro fratricidio : vel super terram, quod os suum aperuit et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Loquitur autem de terra quasi de quadam crudeli bestia hiatu oris sui bibente sanguinem ab aliquo sibi effusum. Vel per hoc innuit Cain quæsivisse aliquam loci opportunitatem, sicut aliquam fossam quæ cito absorberet ipsum et ejus sanguinem ne posset deprehendi : unde forte fecit unam fossam in qua abscondit illum : *Cum operatus fueris eam etc.* Ponitur punitio in opere : et primo ipsius commorantis, secundo progredientis : ut sive stans, sive progrediens, puniretur, ibi, *Vagus et profugus.* Dicit igitur, *Cum operatus fueris etc.* Maxima pœna commorantis in aliquo loco est inutilitas laboris, et pœna procedentis de loco ad locum est instabilitas : quæ periculosa est ex duobus, ex defectu necessariorum, et ex timore hostium. Et primo est vagatio ex defectu necessariorum, ideo dicitur, *vagus*. Secundo ex fuga, scilicet ex timore hostium, ideo dicitur *profugus*. Vagus propter concupiscentiam boni ; profugus ob fugam necessariam propter timorem imminentis mali. Unde in Hebræo habetur, timidus. *Dixitque Cain ad Dominum.* Notatur desperatio de venia. Secundo Dei misericordia aliquid relaxantis de pœna, ibi, *Dixit ei Dominus.* Desperatio autem Cain ex triplici consideratione surrexit. Ex consideratione culpæ irremissibilis et gravis. Unde dixit : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* : quasi dicat : Omne meritum indulgentiæ vel omnem dulcedinem parentalis, vel condonantis misericordiam transcendit culpa mea. Quod quidem si credidit simpliciter, non solum fuit desperatio, sed etiam infidelitatis error. Si tamen passionatus dixit, tunc solum fuit desperatio, quæ est voluntatis passio. Secunda causa desperationis Cain est ex consideratione justitiæ inflexibilis. Unde sequitur : *Ecce ejicis me, etc.* Unde jam æstimabat se sententialiter damnatum et aspectu et respectu divino indignum. Ex quo sequitur desperatio ; quia nullus potest veniam consequi, nisi primum super eum ferantur oculi Dei condescendentis, et ad se peccatorem reducentis et suis dulcissimis oculis et sua gratia ad suam misericordiam advocantis. Ista omnia excludit Cain : *Ecce ejicis me a facie terræ et a facie tua abscondar.* Tertia ratio desperationis est pœna jam inflicta, et miseriæ præsentis et ignominiosæ, et incertæ mortis. Unde dicit, *Et ero vagus et profugus in terra. Omnis enim qui invenerit me, occidet me.* Quæritur, quare hoc timebat ? Dicendum, quod lex naturalis ei dicebat, quod *per quæ peccat quis etiam torquetur.* Sapientiæ undecimo. Et etiam hoc potuit dicere ex timore, sicut dictum est. Unde quidam aiunt, quod ipse Cain habuit et timorem corporis et agitationem mentis furiosæ. Et unum significatur nomine *vagus*, aliud nomine *profugus*. Quia igitur ex istis deprehendebatur patenter sua culpa : timebat quod omnis qui eum inveniret, sicut legens in eo sententiam mortis, et sicut executor divinæ justitiæ, mortem sibi inferret. Vel hoc dixit ex desiderio sicut desperatus : ita quod exponatur, *occidet me*, id est occidat me. Et hoc secundum *Glossam* interlinearem, ut compendio mortis præsentes cruciatus evaderet. *Dixitque ei Dominus : Nequaquam ita fiet.* Hic subjungitur misericordia aliquid relaxans de pœna. Et ponit tria per ordinem quæ debent relevare desperantem propter mortis timorem : scilicet promissionem longioris vitæ ; secundo punitionem interfectoris ; tertio signum datum ad evasionem interfectionis. Hæc dicit per ordinem. *Nequaquam ita fiet*, id est non ita cito morieris, sicut credis. Deus enim per suam misericordiam peccatores expectat ad veniam vel pœnitentiam : unde ipsum Cain non ita cito vo-

luit mori, ut hic tempus haberet pœnitendo. *Sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur*, id est non ita te rejicio a cura mea, quin gravissime puniam eum qui te occiderit auctoritate sua. Si quæritur, quare non dicitur, Qui occiderit te, sed Cain? Dicendum, quod Cain est nomen naturæ. Per hoc igitur ostendit quod non licet in naturam insurgere: licet in peccatum sit licitum ratione culpæ illis quorum interest. *Posuitque Dominus signum in Cain.* Ponitur punitus in signo evidenti, quod signum fuit tremor capitis, ut sciretur a Domino punitus et judicatus, et ita non occideretur ab aliquo: inhumanum enim est afflicto afflictionem addere. Et istam sententiam ponit Magister historiarum. *Egressusque Cain a facie Domini habitavit ad orientalem plagam Eden.* Ubi ponitur conversatio Cain post peccatum. Si quæritur, qualiter a facie Domini potuerit egredi? cum enim Deus sit infinitus et secundum essentiam et secundum potentiam et secundum scientiam: non videtur quod pateat aliquis sensus secundum quem possit aliquis egredi a facie Domini, nam ubique est quantum ad ista omnia, egressio autem dicit quamdam elongationem et remotionem: Dicendum est ad hoc quod Cain non fuit egressus a divina essentia, quia ubique est, nec ab ejus potentia, quia ubique potest, nec ab ejus scientia, quia omnia scit et intuetur: sed dicitur egressus a sua gratia et benevolentia, quia obstinatus fuit et cum pertinacia. Vel a loco in quo erant primi parentes, in quo Dei erat supernaturalis influentia et de quo erat ei specialis cura: vel a sua collocutione, per quam ipse Cain habebat sensum suæ præsentiæ. Per hoc patet quod Adam erat longe positus a Paradiso; quia innuit ista littera quod Cain longe fuit ad Orientem proficiscens. Et notantur in hoc ibi ista tria vitia quæ habuit ipse Cain: scilicet passio desperationis, quia egressus fuit a facie Domini, unde fuit sicut ægrotus desperatus, qui ab ipsius facie medici recedit: et reus desperatus qui se a misericordi judice elongat et veniam petere contemnit. Item ponitur timor malæ pusillanimitatis, cum dicitur, *profugus*: ex nimio enim timore instabilis erat. Item amor inordinatus voluptatis, quia habitavit ad orientalem plagam Eden. Eden enim interpretatur voluptas vel delitiæ: unde assumit sibi terram voluptuosam. Forte enim a parentibus audierat aliquid de delitiis quas in Oriente in Paradiso habuerant, ideo illuc fugit. *Cognovit autem Cain uxorem.* Determinata autem Cain origine, ait de ejus successione et suorum mala conversatione: quæ in duobus principaliter consistebat. In ædificatione civitatis, et bigamia vel pluralitate uxorum. Quorum unum procedit ex mundi cupiditate, aliud ex carnis voluptate. Et dicit, *Cognovit*, etc. Nota quod quamvis Scriptura non exprimat generationem filiarum a parentibus primis, tamen eam subinnuit. Nam alias non potuit Cain habere uxorem, nisi duceret suam sororem. Tamen hoc Scriptura tacuit, quasi fuerit istud in principio ex necessitate, quia hoc erat et est contra legem et instinctum naturæ: unde postmodum in lege prohibetur: ideo voluit hoc Scriptura tacere, ne esset incentivum ad agendum contra illud præceptum. *Quæ concepit et peperit Henoc.* Quamquam generatio Henoc primo narretur, tamen non sequitur, secundum quod dicit Augustinus *de Civitate Dei* xv, cap. VIII, quod fuit primogenitus; sed prius narratur ejus generatio, quia fuit patri prædilectus; vel propter sequentes eventus, quia ab ipso magis fuit populi denominatio et civitatis et terræ; sicut non sequitur quod Judas a quo dicuntur Judæi fuerit primogenitus Jacob. Unde sequitur, *Cain ædificavit civitatem et vocavit eam nomine filii sui Henoc.* Henoc interpretatur dedicatio, et propter hoc sic eum vocavit, quia omnes operas suas et bona sua illi filio, sicut præaccepto, dedicavit. Sed quæritur, Cum magnus populus requiratur ad unam civitatem, quomodo ita pauci potuerunt facere civitatem? Ad quod respondet Augustinus *de Civitate Dei* xv, cap. VIII et IX: « Quod « istud fuit post longum tempus con- « junctionis Cain cum uxore, ita quod ex « ejus prole jam magnus numerus ma- « naverat. » Nec est mirum; quia Cain diu vixit, et suo tempore potuerunt filii ejus multum multiplicari, sicut filii Israel per quadringentos annos sic fuerunt multiplicati, quod vix poterant numerari, sicut habetur in Exod. XII. Posito autem quod Henoc fuit suus primogenitus, tunc oportet dicere quod post Henoc generationem non ædificavit statim civitatem, quia tunc non erant nisi paucæ personæ: sed longe post ejus generationem et magnam suæ prolis multiplicationem. Ita si quæritur, Quare non vocavit civitatem

nomine suo, sed nomine filii sui? Potest esse ratio, quia ex maledictione Dei et infamia facti sui, scilicet homicidii, erat omnibus odiosus, ne ex infamia ejus videretur civitas odiosa et in posterum ejus filii ex memoria facti eorum opprimerentur. Item alia ratio potest esse, quia parentes sunt magis solliciti de filiis quam de seipsis, ideo civitatem a filio denominavit et eam sibi deputavit; non enim *filii parentibus debent thesaurizare, sed parentes filiis*, II Corinth. xii. Item si quæritur, Quare fecit civitatem? Respondet Josephus, lib. I *Antiquit. Jud.* cap. II, quod cupiditas et timor moverunt eum. Dicit enim : « Rapina et violentia opes congregans suas ad latrocinia incitabat, unde « timens illos quos lædebat in civitate suos « ad securitatem collegit. » *Genuit autem Henoch Irad.* Istæ personæ ibi ponuntur, non quod inde certa mysteria vel facta excerpantur, sed ut sequentium generatio texatur. Nisi enim radices plantemus, ramos non colligimus, secundum Glossam. Ab illis autem Lamech descendit, de quo Scriptura dicit, *Qui accepit duas uxores.* Hic agitur de hoc quod spectat ad concupiscentiam carnis : et dividitur in duas partes : quia primo agitur de Lamech conjugio, secundo de homicidio, ibi, *Dixitque Lamech uxoribus.* Ponitur ergo desponsatio duarum uxorum. *Qui accepit.* Et quia creditur quod hoc fecit ex sola carnis libidine, subjungit generationem filiorum. *Genuitque Ada Jabel. Ille fuit pater habitantium in tentoriis*; non sicut milites ad impugnandum vel obsidendum : sed sicut pastores ad custodiam gregum. Fuit enim singularis inventor eorum quæ spectant ad officium pastorale ; et forte inter cætera invenit usum tentoriorum quibus utuntur pastores, præcipue in Oriente, propter maximos calores et propter frigus nocturnum. Dicitur autem inventor istius artis propter ista, non quia primus pastor fuit, quia Abel fuit primus pastor, sicut supra dictum est. Unde Abel fuit pastor et pater primus quantum ad officium, sed quantum ad aptum modum et singularem Lamech dicitur primus. *Nomen fratris ejus Tubal : ipse fuit pater canentium cythara et organo*, id est magnus inventor artis musicæ et musicorum instrumentorum. Si autem legimus quod post diluvium longe ista facta et inventa sunt? Respondetur quod isti invenerunt, sed tradita ab istis et sola facta et etiam instrumenta in diluvio perierunt, ideo alii reinvenerunt. Multa enim inventa a primis per oblivionem vel aliam causam perierunt, quorum similia postmodum a posteris sunt inventa. Nec oportet quod isti fuerint etiam omnino primi, sed sufficit quod fuerint solemniores respectu illorum temporum, et quasi consummatores : sicut Aristoteles dicitur pater Logicalium et Priscianus Grammaticalium, cum tamen plures Logici et Grammatici fuerint ante eos. Nota tamen quod Josephus dicit, lib. I *Antiq. Jud.* cap. IV, quod ars illa musicorum ab isto Tubal descendit. Et si opponitur quod diluvium ista instrumenta musica destruxit : Respondet quod Tubal in duabus columnis musicam scripsit : in una lapidea quæ non dissolveretur, in altera ex lateribus, quæ non consumeretur incendio. Nam ista duo judicia Adam prophetice prædixerat ventura, ac ideo filii ejus propinqui se contra ea muniebant. Et nunc potest solvi quod leguntur alii inventores istius artis post diluvium, quia non intelligitur quod invenerunt primarium actum et necessaria ad simplicem modum : sed quod invenerunt aliquem singularem modum. Sed quæritur quomodo potuit iste consonantias musicas invenire? Ad hoc respondent aliqui historiographi, quod a fratre suo malleatore fabricante qui vocabatur Tubalcain, qui erat frater suus ex parte patris, sed de alia matre sicut infra eodem dicitur : delectatus namque iste Tubal in sono et consonantia casuali, et sine arte facta ex ponderibus malleorum, consonantias proximiores, quæ ex eis nascuntur, excogitavit. Quam etiam inventionem secundum Isidorum lib. III, Græci attribuunt Pythagoræ. Quod potest esse, quia Græci ignorabant istam artem ; ideo eam prius non fuisse putabant. Sicut aliquis vadens ad terram alienam multa de terra sua posset fingere et invenire apud illos qui talia non vidissent. Sicut etiam aliqui fingunt se componere libros accipientes libros antiquorum ignotorum et propalantes, et modica immutatione facta sibi ascribentes. Cytharæ forma in principio similis fuisse traditur pectori humano, quia ut vox a pectore, ita ex ipsa cantus eduntur, et propter hoc sic vocatur. Nam pectus in lingua Dorica, cythara dicitur. Hoc dicit Isidorus lib. *Etym.* III, cap. XXXII. Vel dicitur cythara quasi iteratione percussa. Organum generale nomen est omnium instrumentorum musicorum secundum Isidorum *Etymol.* lib.

III. cap. XXII. Et hoc dicit etiam Papias : et dicitur ab orge quod est colere, quia solebant his uti ad cultum Dei, *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator*. De hoc dicit Josephus *ibid.*, quod ferrariam artem primus invenit, res bellicas decenter exercuit, sculpturas etiam in metallis in libidinem oculorum fabricavit. Ex quo sumitur triplex hujus artis, scilicet malleatoriæ, necessitas : quantum ad usum ferri pro humano victu, sive ad colendum terras, sive ad jungendum domos ligneas. Item alius finis est defensio ab inimicis in rebus bellicis, quæ fit cum instrumentis ferreis. Tertius finis est voluptas ex sculpturis. Si quæritur quomodo istam artem invenire potuit? dicitur quod cum succendissent frutices in pascuis, venæ metallorum in mineris fluebant in rivulos, et fluebant laminæ de illis in aliquibus locis stantes et constrictæ post recessum ignis figuras locorum referebant. Et ex hoc cœpit excogitare quod metalla poterant diversas configurationes accipere et per liquefactionem et productionem ; unde sequitur : *Et faber in cuncta opera aeris et ferri. Soror vero Tubalcain Noema*. Hæc autem dicitur artem texturæ invenisse. Sed quomodo istam artem cogitavit, potest quæri : et dicitur quod ex operibus quorumdam animalium solertia hominum potuit instrui post peccatum propter subtilitatem naturæ. Et potuit ista Noema instrui ad texendum, quemadmodum ex mirabili operatione apum possunt architecti instrui ad domificandum. Sed quæritur an habere plures uxores fuerit peccatum? videtur quod non cum legamus sanctos Patres plures habuisse uxores, sicut legitur infra XXIX de Jacob et Moyse, David et cæteris. Igitur non peccavit Lamech. Contrarium tamen videtur per Glossam quæ dicit quod Lamech primus contra naturam et contra morem adulterium commisit. Dicitur quod Lamech peccavit duplici de causa. Tum quia fecit contra naturam, hoc est contra jus naturale, et etiam contra consuetudinem. Jus enim naturale dicit unam esse unius. Peccavit etiam contra bonos mores, quia contra temperantiam et moderantiam. Ex incontinentia enim immoderata plures uxores habuit. Quod autem opponitur de sanctis Patribus, dicitur quod cum ipsis fuit dispensatum, et hoc propter multiplicationem hominum ad divinum cultum, in quo informabant eos sancti Patres : unde sancti Patres non utebantur eis incontinenter, sed caste, prolis scilicet intentione ; ideo cum ipsis fuit dispensatum. Item non peccabant sancti Patres habendo plures uxores ex secunda ratione, quam assignavimus in peccato Lamech : nam istud fuit tunc in consuetudinem tractum. Si autem opponitur, quod non potest fieri contra jus naturale, nec in eo dispensari : Dicitur, quod aliquid potest esse contra jus naturale dupliciter : vel quia est malum secundum se, hoc est quod nullo modo et nulla causa potest bene fieri, ut fornicari, mentiri ; et illud nunquam non potest esse peccatum, nec Deus posset ibi dispensare, quia sic faceret contra suam bonitatem, cum includant in se essentialem malitiam. Aliud est contra jus naturale, vel contra dictamen rationis, non quia est malum secundum se, vel quod contineat essentialem malitiam agentis vel inordinationem, sicut dictum est de fornicatione et mendacio ; sed in se continet aliquod malum naturæ particularis, ad quod si movetur aliquis, peccat contra naturam particularem. Tamen quia frequenter malum naturæ particularis accipitur ut bonum respectu mali communis, ideo ut malum commune vitetur, istud malum exercetur : et tunc non habet rationem mali, sed boni : sicut occidere vel occisio hominis mala est respectu naturæ particularis, tamen ubi salvatur justitia communis, optima est. Et in talibus quæ sic se habent, Deus potest dispensare : et sic etiam ratio et epichia aliquando dispensat in nonnullis rebus cum judicibus ; et inter talia est habere plures uxores vel bigamia ; quia quamvis non sit ibi tanta conformitas mutuæ societatis, sicut quando est una unius, nec tanta occasio pacis in familia, nec ita perfecta educatio prolis respectu utriusque parentis : tamen quia ista recompensatur vel recompensabantur in bono majori, scilicet in promotione cultus divini, ideo potuit ibi dispensari. *Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ et Sellæ : Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livore meo*. Ubi Lamech conjugi describit suum homicidium, et excitat ad attendendum, dicens, *Audite*, etc. Sic enim loquuntur grandævi, quando volunt attendi et reverenter audiri. Sunt enim communiter in sensu præsumptuosi, et se reputant propter

experientiam longam temporis : et alios contemnunt propter inexperientiam. Item se reputant propter quamdam naturalem maturitatem, quia sunt in eis magis sedatæ passiones quæ sequuntur calorem naturalem, sicut incontinentia et ira. Et signanter provocat uxores ad audiendum, quia communiter mulieres sunt ad loquendum promptæ et ad audiendum sunt graves propter animi majorem levitatem, et propter instrumenti majorem mobilitatem ; quod accidit propter ejus raritatem et subtilitatem. *Quoniam occidi,* etc. Hic confitetur culpam suam. *In vulnus meum,* id est, in vulnus quod illi intuli. *Et adolescentulum in livore meo,* id est per plagas liventes, quas sibi intuli : vel *in livore meo,* id est in grandi ira mea, quæ vultum et labia pallescere facit. Et quamvis ad idem possit referri utrumque, cum dicit, *occidi virum* et tamen dicit *adolescentulum,* tamen ad diversa secundum communiter loquentes refertur. Et dicit Magister historiarum, quod per virum intelligit Cain, propter hoc quod sequitur : *Septuplum ultio dabitur de Cain.* Est una opinio, quæ ponitur in Glossa, quæ dicit, quod Lamech præ senectute caligaverant oculi et ibat ad venationem pro recreatione et usu pellium, et directus a juvene ductore misit sagittam quasi ad feram et occidit Cain inter vepres latentem. Tunc iratus verberavit juvenem ductorem, sciens, quod ille qui occideret Cain septuplo puniretur per sententiam a Deo latam supra eodem cap. Istam sententiam reputant aliqui fabulosam ; nec videtur mihi, quod possit haberi per litteram nec quod occiderit Cain, nec quod occiderit ductorem suum ; nam littera non dicit, nisi quod occiderit virum et adolescentulum ; et hoc verum fuit. Nam homo fuit carnalis et voluptuosus, ideo ad fovendum delicias suas et divitias per quas suam voluptatem servabat, aliquos potuit occidere, et hoc erat notorium. Et quia uxores suæ habebant eum odio, et poterant invenire colorem occidendi eum, sicut reum morte, ideo ut istum colorem tollat, allegat sic partim secundum rationem partim secundum fictam adinventionem procedens. Quod enim dicit plures debere puniri occisores Lamech, quam Cain, videtur rationabile ; nam ille commisit fratricidium, iste autem simplex homicidium ; ille occidit hominem Deo acceptum, iste hominem communem vel communes homines. Ille a Deo correptus et præmonitus non destitit ; iste autem non legitur aliquam divinam admonitionem recepisse specialiter : ideo videtur, quod plus debuit puniri. Et ideo concludit et arguit : Si Cain plus peccavit, quam ego occidendo virum et adolescentulum, igitur si ille punitur septuplo qui occidit Cain, plus ergo punietur qui occiderit Lamech : et satisfecit apparentem rationem. Quod autem addit, dicens, *Septuplo ultio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies,* ad timorem mulierum fuit ficta adinventio. Vel etiam accipitur determinatum pro indeterminato : et sic sensus est, *septuagies septies,* id est longe plus. Sicut in Evangelio dicitur Petro quærenti, quoties dimitteret fratri peccanti ? Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Item quantum ad modum, quem narrant, non videtur illud verisimile : nam isto modo Lamech fuisset excusabilis, ex quo invitus fecisset. Item non est dubium, quin Cain, qui erat pater primus omnium de terra illa, haberetur in magna reverentia. Nec apparet verisimile, quod lateret solus inter fruteta, sicut una fera. Neque obstat, quod dicitur, *Vagus erat et profugus super terram.* Nam hoc non fuit sibi dictum, quasi non esset in magnis honoribus, ut pote quia ædificavit civitatem ; sed hoc fuit dictum eo quod ex sententia Dei omisit domum paternam et terram nativam, et ivit ad aliam, quam longo tempore quæsivit et pro qua antequam staret multum discurrit.

Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, et peperit filium vocavitque nomen ejus Seth. Determinata generatione reproborum, describitur generatio electorum, sicut Seth et suorum filiorum. Et nominavit eum, et secundum morem communem, et secundum modum Sanctorum. Et ponit nominationis rationem et motivum ; et totum reducit ad generationem divinam. Seth enim interpretatur resurrectio vel positio, quia quasi Abel in isto justo filio resurrexit ; quia quamvis alios post mortem ejus genuisset, tamen similes in bonitate non erant. Iste autem fuit similis in bonitate ; ideo Abel reputaverunt in isto suscitatum. *Sed et Seth natus est filius, quem vocavit Enos.* Ponit autem generationem Seth, et ejus nominationem, quia vocavit eum Enos. Et ponitur istius nominis ratio. *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Enos enim inter-

pretatur invocatio. De hoc autem dubitatur quomodo cœperit invocare nomen Domini. Nam sic ostenditur Ecclesia incœpisse sub eo vel ab eo. Ad quod tamen opponitur de Adam, de Abel, qui omnes boni fuerunt. Dicitur, quod non incœperit divinum cultum, sed quod invenit aliquem modum singularem colendi vel orandi Deum. Unde Ecclesia incœpit ab Abel, non ab Adam, quia Ecclesia fuit semper continua, et semper in ea fuerunt aliqui justi. Si vero ab Adam incepisset, Ecclesia fuisset discontinuata, quia cum peccaverunt parentes primi, nullus justus fuit.

CAPUT V.

Hic est liber generationis Adam etc. Hic ponitur primo creationis hominis recapitulatio ; secundo describitur ejusdem bona generatio, ibi, *Vixit autem Adam centum triginta annis*. Ponit autem creationem, et quantum ad hominis animam et quantum ad corpus. *Hic est liber generationis Adæ*. Ponitur autem hic titulus, Liber generationis Adæ, quia iste liber est vetus Testamentum, vel primus liber veteris Testamenti. Nam Adam fuit vetus homo : sicut titulus primi libri novi Testamenti ponitur generatio novi hominis, scilicet Christi : unde sicut hic dicitur : *Hic est liber generationis Adam*, ita dicitur Matthæi I : *Liber generationis Jesu Christi. In die qua creavit Deus hominem*. Per hoc autem quod dicitur, in die, videtur falsum esse dicere, quod Adam et Eva non fuerunt una die formati : nam hic dicitur quod in una die fuerunt creati. Tamen potest responderi, quod istud dicitur secundum intentionem Scripturæ quæ productionem mulieris post septimum diem quietis recitat expositive. Et quod dies accipitur hic pro toto tempore creationis ipsorum, sicut supra, ubi dicitur : Istæ sunt generationes cœli et terræ, in die quo fecit Dominus cœlum et terram. Et nota quod Adam accipitur pro homine singulari, quando dicitur, Hic est liber generationis Adam : nam generationes mulierum Scripturæ non recitant. Tamen quando sequitur postea, *Et vocavit nomen eorum*, Accipitur Adam pro homine communiter : nam Adam idem est quod homo : ambo autem erant homines ab humo dicti, sed per quamdam excellentiam vir sibi retinet nomen et mulieri imposuit nomen speciale. *Ad imaginem et similitudinem suam fecit hominem*. Homo accipitur hic sicut cum dicitur, Homo est animal rationale mortale. Per hoc autem, quod dicit, ad imaginem, notat conformitatem in essentia, per similitudinem vero conformitatem in gratia. Et ex hoc concluditur, quod et Deus fecit hominem secundum animam, quia secundum illam habet similitudinem et imaginem Dei. Nec tantum secundum animam, sed et secundum corpus in quo est distinctio sexus : unde sequitur. *Masculum et feminam creavit eos*. Itaque illud plurale (eos) dividitur, ut singulæ partes subjecti singulis partibus prædicari referantur ; quia Adam fecit masculum, Evam feminam. Sicut si diceremus, Socrates et Plato habent duas animas, oportet quod ad veritatem propositionis prædicatum dividatur et singulæ partes subjecti singulis partibus prædicanti referantur, dividendo duas animas in unam et unam, et dicendo : Socrates habet unam animam et Plato habet unam animam. *Et benedixit illis*. Nam non tantum dedit vim existendi in se, sed se multiplicandi in speciem. *Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit filium etc.* Et dividitur in multas partes : nam ponit multorum generationes, et de quolibet tria facit : ponit tempus, quod fluxit in vita sua, antequam generaret, et tempus generationis et tempus mortis. Si quæritur, Quare tantum tempus interposuit Adam ad propagationem filiorum post mortem Abel ? Dicunt aliqui, quod non interrumpit actum generationis, sed generationes non recitantur, quæ non pertinebant ad Christum. Vel etiam potest dici, quod generationes istæ ponuntur ad æstimandum ætatem mundi et decursum. Per generationes autem aliorum a Seth nihil profecisset decursus, quia tota aliorum posteritas, et Cain et aliorum, fuit per diluvium abolita et solum stetit generatio Seth in Noe, et sua posteritate. Undet patet frivolum esse, quod dicitur a quibusdam, quod Eva propter desolationem de morte Abel continentiam vovit, et quod Deus in voto suo dispensavit propter multiplicationem generis humani : et hoc videtur dicere Methodius et Strabus. Istud autem reputo frivolum, quia habuerunt de multiplicanda prole præceptum, nec est verisimile, quod essent hujus transgressores mandati, nec de hoc a Scriptura notantur.

Et genuit filium ad imaginem et similitudinem suam. Non dicit ad imaginem Dei, sed suam. Nam imago Dei vivi erat in homine deturpata, ita quod non deberet dici divina, cum careret suo formali, scilicet elevatione actus contemplationis Dei; et proprius sic dicitur, scilicet respectu objecti divini. Similitudo autem ex toto erat deleta; quia similitudo attenditur quantum ad gratuita: et posteritas Adæ concipitur in carentia gratiæ et originalis justitiæ. Et ideo dicitur genitus ad imaginem et similitudinem primorum parentum, quia similis in natura ab eis etiam culpabiliter infectus processit. Notare autem debes, secundum Hieronymum in *Hebraicis quæstionibus*, quod usque ad diluvium in generationibus hominum antequam generent filios suos, Septuaginta interpretes plus ponunt centum annos, quam ponunt Hebræi. Sicut verbi gratia ubi habemus de Adam, quod vixit centum triginta annis, ipsi habent ducentos triginta annos, et sic de aliis. Postquam autem genuerunt, de ætate sua tantum auferunt, quod secundum utramque litteram in ætate eadem mortui sunt; quod unde processit nescio, nisi ex vitio scriptorum; et quod sit verius, Hieronymus non asserit. Sed hic solet quæri de hoc, quod hic dicitur, quod jam in ætate magna generabant, quomodo tantum expectabant. Et ut de Adam taceamus, de quo constat, quod antea fuit centum triginta annorum quam genuit Abel, de Enos quæramus qui dicitur fuisse nonaginta annorum, quando genuit Cainan. Non enim videtur verisimile, quod tantam ætatem ad contrahendum expectarent, cum videamus in nobis qui sumus natura debiliores, quod citius homines generant et non tantum expectant. Secundum Augustinum xv *de Civitate Dei*, cap. xii, respondit quidam qui vocabatur Plinius secundus, cum commemorasset scriptum esse, quemdam vixisse centum quinquaginta annis, alios trecentis, alios quadringentis, alios nongentis, et similiter tanto tempore expectasse ad generandum dixit hoc contigisse ex varietate annorum vel differenti computatione. Quidam enim æstatem et hyemem pro duobus annis ponebant. Alii quatuor anni tempora ponebant pro quatuor annis. Alii unum mensem lunarem pro uno anno. Alii autem dicunt, quod anni illi, de quibus hic loquitur, sunt tales anni quod illorum decem faciunt unum annum nostrum, ita quod centum anni illorum sunt decem anni nostri: ita ut ille qui vixit nongentis annis de illis annis, vixit nonaginta de nostris. Istud autem probat Augustinus ibidem impossibile. Nam hic dicitur, quod Enos nonaginta annorum genuit Cainan; nonaginta autem de illis sunt novem de nostris: igitur novem annorum genuisset, quod nullus diceret. Item Cainan genuisset septimo anno, quia septuaginta annos habebat, quando generavit. Istud autem a nullo diceretur. Et propter hoc credo, quod intelligit de communibus annis. Inconveniens enim esset, quod in causa necessaria, scilicet generationum descriptione, in qua ætas mundi probatur, et ex qua multæ prophetiæ, et multarum Scripturarum veritates et expositiones dependent, positum esset aliquid ita maligmum, nisi esset alicubi expositum. Et quod objicitur, quomodo ita starent diu, antequam accederent ad propagandum, sicut hic videtur innui? Respondet Augustinus xv *de Civitate Dei*, capite xv, quod tanto fuit serior et tardior proportione pubertas, quanto vitæ totius tunc erat major annositas. Aut quod magis video esse credibile, non hic primogeniti commemorati sunt, sed illi quos successionis ordo poscebat, ut veniretur ad Noe et Abraham, et ad certos alios articulos temporum. Quod probat per exemplum genealogiæ Christi a Matthæo descriptæ: ubi primo dicitur, Abraham genuit Isaac, et reliquit Ismael primogenitum. Deinde dicit, Isaac genuit Jacob, qui non fuit primogenitus, et sic quasi de omnibus, saltem de multis. Eos enim in ordine generationis posuit, per quos ad David et ad Christum perveniret. Potuit ergo esse, quod plures ante genuissent; sed de istis loquitur, quorum generatio ad Christum pertinet, et a quibus Christus descendit. Si autem quæritur, utrum vivebant ita diu naturaliter vel miraculose? Dicunt aliqui, quod humanum genus, quia tunc recens erat, plus habuit vigoris et durabilitatis, et quod per successum temporum ille vigor deficiebat. Sed contra hoc arguitur, quia tempore Moysi, et citra, vita hominum satis cucurrit uniformiter, et David dicit: *Dies nostri septuaginta anni.* Unde quibusdam videtur, quod Deus naturam antiquorum vigoraverit propter necessitatem humanæ propagationis, et primariæ fundationis et instructionis humani generis; ac ideo a multiplicatione suffi-

cienti facta, sicut a tempore Moysi satis cucurrit uniformiter. Dant autem signum hujus in Moyse et Caleph : quia enim vita Moysi erat populo regendo necessaria, propter hoc in fine Deuteronomii dicitur, quod Moyses centum annorum et viginti erat, quando mortuus est, nec caligavit oculus ejus, neque dentes ejus sunt moti. De Caleph vero, quia constantia ejus erat populo utilis, dicitur Josue XIV : Concessit mihi Dominus vitam, sicut pollicitus est, octoginta quinque annorum : sum sic valens, ut valebam tempore, quo ad explorandum terram missus sum. *Vixit Mathusalem centum octoginta septem annis etc.* Atque hic genuit Noe, qui vixit sexcentis annis, et tunc fuit diluvium, et post vixit trecentis quinquaginta annis, et ita fuit nongentorum quinquaginta annorum, quando fuit mortuus, sicut infra nono dicitur ; et sic Mathusalem fuit mortuus in anno, in quo fuit diluvium. Nam Mathusalem tempore suæ mortis fuit nongentorum sexaginta novem annorum. Centum enim et octoginta septem, quibus vixit Mathusalem, antequam genuit Lamech, et centum octoginta duo, quibus vixit Lamech, antequam genuit Noe, et sunt trecenti sexaginta novem ; quibus additi sexcenti anni ipsius Noe, quos habuit tempore diluvii, faciunt nongentos sexaginta novem, quæ fuit ætas Mathusalem tempore suæ mortis, secundum omnes translationes. Unde sic patet, quod in anno diluvii fuit mortuus, ut patet ex litera ista, quæ est eadem cum Hebræo, secundum quod dicit Hieronymus in *Hebraicis quæstionibus* : qui dicit, quod istam literam invenit etiam in Bibliis Samaritanorum, et ea solvit illam quæstionem et perplexitatem, quam movet Augustinus XV *de Civitate Dei*, capite undecimo, et Hieronymus super iisdem verbis movet eam in *Hebraicis quæstionibus* : et dicunt, quod est quæstio famosissima, et secundum literam Septuaginta interpretum, videtur haberi aliquid contra Scripturam, quæ dicit, quod omnes mortui sunt, exceptis octo animabus, quæ fuerunt in arca Noe, inter quas non dinumeratur Mathusalem. Quod autem sic sequatur, probant per literam Septuaginta. Dicit enim litera eorum, quia Mathusalem, priusquam genuit Lamech, fuit centum et sexaginta septem annorum ; Lamech autem, quando genuit Noe, fuit centum octoginta annorum, qui simul juncti cum annis Mathusalem, quos habebat quando genuit Lamech, faciunt annos trecentos quinquaginta quinque. His additi sexcenti anni, quos habuit Noe ante diluvium, faciunt nongentos quinquaginta quinque annos. Mathusalem autem vixit nongentos sexaginta novem annos : igitur post diluvium vixit quinque et novem annis, id est quatuordecim annis. Ex istis moti quidam, secundum quod refert Augustinus ibidem, aiunt, quod ad tempus fuit cum Enoch patre suo in Paradiso terrestri, ad quem diluvium non ascendit. Quem modum non approbat Augustinus ; imo dicit, quod certum est, Mathusalem non vixisse post diluvium ; unde secundum Hieronymum videtur, quod litera nostra sit melior, quæ tollit perplexitatem istam. Nec ex hoc sequitur quod Septuaginta dixerunt falsum vel mendacium ; sed forte fuit vitium scriptorum. Quæritur de Enoch, de quo hic dicitur, *Ambulavit cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quo tulerit eum, et utrum vivum vel mortuum, non apparet clare ex ista litera : tamen videtur quod tulit eum Deus mortuum. Nam hic dicitur, *Facti sunt omnes dies ejus trecenti sexaginta quinque anni.* Igitur videtur, quod post non vixit. Sed istud potest exponi, et exponitur vere de annis, quibus vixit ante suam translationem. Et quamvis non habeamus, quod fuit translatus, clare ex ista littera : tamen satis innuitur, et efficaciter probatur ex multis. Primo ex hoc, quod non dicit quod est mortuus, sicut dicitur de aliis : quod tamen faceret si ita fuisset. Apparet etiam ex alia Scriptura : Ecclesiast. XLIV, dicitur, *Enoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum.* Et ad Hebræos undecimo dicitur : *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem ;* et non inveniebatur, quia transtulit eum Dominus. Unde quamvis hoc loco Scriptura, quæ studet brevitati, non hoc exprimat ita clare, tamen ex istis aliis Scripturis patet clarissime, et isti habuerunt hoc a Spiritu sancto, et ab aliis qui ab illo tempore hoc reliquerunt in scriptis. Si autem quæritur, quare fuit translatus ? Potest dici, quod sicut judicia Dei occulta non sunt temere aut præsumptuose discutienda, sed potius veneranda et metuenda ; sic ejus arcana opera et consilia non sunt curiose aut præsumptuose perscrutanda, sed fideliter magnificanda, et sobrie speculanda. Ratio tamen aliqua potest poni de ipso et Elia consimilis. Se-

eumdem enim testimonium Christi et Malachiæ Prophetæ Elias fuit reservatus, ut in fine mundi filios Israel converteret Deum ad confirmandum fidem, et fortem et grandem æstimationem meritorum Eliæ temporis ultimi. Et propter hoc duo erant maximi sui temporis et suæ ætatis, ætatis dico mundi. Nam Enoch fuit maximus ante legem et Prophetia, secundum quod dicit Judas in Canonica sua, et de judicio prophetavit; propterea ad istud tempus reservatus fuit. Elias autem fuit maximus Prophetarum post legem, et maximus justitiæ zelator, ideo debet esse judicii (in quo fiet plena justitia) testis. Uterque enim fuit circa tempus grandis judicii, sicut Enoch circa tempus diluvii, Elias circa tempus magnæ persecutionis: nam tunc fuit magna interfectio Prophetarum ab ipsa Jezabel, III Regum xviii. Institit etiam captivitas decem tribuum. Item isti duo Prophetæ sicut Patres, et quædam capita Prophetarum, ideo convenienter reservantur in testes illius temporis, in quo de universo orbe in gentibus et Judæis necesse erit dare singulare testimonium de Christo, et imminentis judicii dare signa, et reducere dispersa in unum, ita quod ex Gentibus et Judæis fiat unum ovile. Si autem quæritur unde vivant? Dicitur, quod de lignis Paradisi, quæ sunt optime proportionata pro complexione humana, quantum ad suam qualitatem absolutam; et cum hoc habent vim divinam sibi tamquam sacramentaliter assistentem, materiam eorum conservantem, sicut in statu innocentiæ fuisset. *Vocavitque nomen ejus Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Noe enim interpretatur requies, et prophetice nomen istud suscepit: nam per ipsum facta est humani generis reparatio, quia ab isto totum genus humanum defluxit. Unde ipse est universalis pater omnium posteriorum, sicut Adam respectu omnium simpliciter. Vel alia ratione dicitur vel prophetatur, quod consolaretur nos, quia prædicabat diluvium imminere ad pœnam malorum, et ad solatium bonorum. Vel quia ipse bonus et sanctus erat inter malos suis parentibus. *In terra, cui maledixit Dominus.* Non quantum ad suam essentiam, sed quantum ad laboriosam hominis habitationem. Et sic terminatur generatio primæ ætatis, quæ continet novem generationes.

CAPUT VI

Noe vero, cum quingentorum esset annorum. Hic agitur de generatione secundæ ætatis, in qua stipes est Noe, sicut in prima stipes est Adam. Et primo agitur de stipite; secundo de generationis successione, ibi, *Hæ sunt generationes filiorum Noe.* De statu ante diluvium infra agitur septimo: *Dixit Dominus ad eum.* De statu post diluvium infra octavo circa finem: *Mense secundo, septima die mensis.* Item primo exprimitur hominum culpa, secundo taxatur pœna, ibi eodem: *Corrupta est terra coram Deo.* Tertio executioni mandatur sententia, ibi: *Fac tibi arcam.* Primo ponit hominum communem malitiam. Secundo ipsius Noe innocentiam vel justitiam, ibi, *Noe vero invenit gratiam coram Domino.* Item primo queruntur quædam præambula. Secundo infertur hominum malitia, ut a Deo abominabilis et odiosa. *Videns autem Deus, etc.* Dicit igitur, *Noe vero, etc.* Non est intelligendum præcise, quod genuerit ipsos directe post quingentesimum annum statim, quia nec omnes simul generavit, nec in tam brevi tempore, quia non legimus quod bigamus fuerit: ideo oportuit quod unius generatio expectaret alterius nativitatem propter uteri gravitatem. Infra etiam xi dicitur, quod Sem centum annorum erat biennio post diluvium. Cum igitur in diluvio erat sexcentorum annorum, videtur, quod non fuerit genitus quando Noe habuit quingentos annos præcise, sed duobus annis post. Infra etiam xi dicitur, quod Cham fuit minor quam Sem: ex hoc colligitur, quod fuerint geniti circa illud tempus, quo habuit Noe quingentos annos, scilicet aliquantulum post. Aliqui dicunt, quod ex ista littera colligitur, quod Noe fuit magnæ continentiæ: qui ita diu vixit generationi non vacans. Tamen ex hoc non sequitur aperte, quia forte plures habuit, quorum generatio tacetur, vel forte erant mortui, ideo non ponuntur, quia ipsi nihil egerunt ad reparationem generis humani, sed isti tres tantum. *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram.* Quæritur, quid intelligit per filios Dei? Dicendum, quod sicut tota generatio Saracenorum vel schismaticorum segregata est a generatione bonorum Christianorum, sic tota generatio

Cain erat tunc segregata a generatione Seth. Et hi vocantur hic filii Dei, alii vero vocantur filii hominum. Et probabiliter creditur, quod ab Adam et Seth, et ceteris Patribus sanctis fuerunt filii prohibiti conjugaliter commisceri cum filiis vel filiabus populi Cain, sicut sunt modo prohibiti per Ecclesiam nubere Saracenis : unde ex hoc præcipue apparet pœna sceleris sui, quia non fuit dignus, quod aliquis de filiis suis ad generationem Salvatoris aliqualiter pertineret, nec quod generatio ejus ultra diluvium procederet. Eo tempore autem, de quo loquimur modo, contra prohibitionem parentum concupiscentia victi, commixti sunt filii bonæ generationis filiabus malæ generationis, et e contra, non attendentes nisi solam speciem corporalis pulchritudinis, et suæ carnalis voluptatis. *Dixitque Deus, non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Ostenditur debitus ordo judicii. Debet enim fieri admonitio, et deinde graviora agentibus etiam damnatio. Et secundum hoc ponitur ibi, *Vagantes autem erant etc. Dixitque Deus.* Quæritur, per quem istud prædicari fecit, vel si per seipsum omnibus dixit ? Dicitur, quod non decuit, quod per se omnibus diceret, cum jam genus humanum esset multiplicatum : sed decuit, quod alicui insinuavit, quod omnibus istud revelaret ; et sic fecit, quia revelavit Noe, et per Noe aliis prædicavit, sicut patet II Pet. II, ubi sic dicit : *Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.* Et continet duo hæc prædicatio, *Non permanebit etc.*, affectum scilicet misericordiæ, et commutationem justitiæ. Primum ibi, *Non permanebit spiritus meus*, id est indignatio mea, quod irremediabiliter non indignabor, sicut feci angelo peccanti. Et reddidit rationem, *quia caro est*, id est quia fragilis est : unde videtur reddere rationem irremediabilitatis peccati angeli, et reparabilitatis peccati hominis ; quia homo peccavit ex infirmitate, angelus autem ex malitia. Tamen non loquitur hic de peccato primorum parentum, sed de peccato posteriorum. Nam Adam non peccavit ex infirmitate, quia ea prorsus caruit : Posteri autem peccant ex fragilitate et fomite carnis infectæ, propter quod magis excusantur. Posset tamen dici, quod peccatum primorum parentum fuit ex fragilitate respectu peccati angeli. Nam homo compositus est ex anima et corpore, et eo ipso quod est unitus spiritus suus corpori, magis potest passionari multis passionibus, et compati corpori : et ideo plures habent homines occasiones peccandi, quam angeli, cum possint moveri appetibilibus duorum generum, scilicet spirituali et corporali ; angelus autem non movetur corporali pulchritudine, neque dulcedine, sicut homo. Sicut patet, quando Eva peccavit, dicitur III Genes. quod vidit lignum pulchrum visu, et ad vescendum suave. Secundum Hieronymum in *Hebraicis quæstionibus,* littera est hæc : Non judicabit spiritus meus homines in sempiternum, quia caro sunt, id est quia fragilis est in homine conditio. Non eos ad æternos cruciatos servabo, sed hic illis restituam, quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitetur. Unde videtur litteram nostram intellexisse, Spiritus meus, id est dilectio mea, vel voluntas mea : vel sic, spiritus meus, id est anima rationalis, quæ est a me creata, non permanebit in hominem æternum, id est diu, vel ita longo tempore sicut solet. Et isti sensui concordat, quod consequenter subjungitur : *Eruntque dies illius centum viginti anni :* quasi dicat : usque modo diu satis vixerunt per meam providentiam et specialem gratiam, sed de cetero non vivent communiter ultra centum viginti annos. Quæ sententia fuit satis observata. Nam et a tempore Abrahæ sancti homines ad communem ætatem erant reducti : unde mirum fuit, quod Sara octoginta annorum peperit, et Abraham non pauciorum quam centum annorum generavit. Quamvis autem iste sensus multum videatur litteræ consonus, tamen Hieronymus et Augustinus istum sensum abjiciunt, Hieronymus in *Hebraicis quæstionibus* et Augustinus XV *de Civitate Dei*, cap. XXIV : unde dicunt sic : Non humana vita (ut errant multi) in centum viginti annos est contracta, quia post diluvium plures leguntur per ampliores annos vixisse : et intendunt quod velit dicere in illa littera, *Eruntque dies illius centum viginti anni*, quod expectaret eos usque ad centum viginti annos ad pœnitentiam, et tunc misericorditer eis inferret temporalem pœnam. Tamen contra istam expositionem est una ratio. Nam istud fuit dictum, postquam Noe habuit quingentos annos,

sicut in eodem capite supra dicitur. Infra autem diluvium a tempore illo non fluxerunt nisi centum anni, quia diluvium fuit factum Noe existente sexcentorum annorum. Ad hoc respondet Hieronymus in *Hebraicis quæst.*, quod propter eorum malitiam, ad quam omni die attendebant, fuit ille terminus abbreviatus. Secundum Augustinum, verbum istud fuit dictum Noe, antequam haberet quingentos annos, per viginti annos; et sic solvitur perplexitas. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis.* Postquam posuit culpam hominum simplicem, hic ponit culpæ istæ aggravationem ad hoc, quod probetur Deus inferre justam istius punitionem. Et illi de quibus loquitur, habebant peccatum incontinentiæ, et peccatum superbiæ, et exemplum malitiæ. Incontinentiam ostendit per ingressum filiorum Dei ad filias hominum. Superbiam ponit, cum dicit, *potentes a sæculo*. Scandalizantem malitiam, patentem et apertam, cum dicit *viri famosi*. Quæritur, quid intelligitur per istos Gigantes? Isidorus libro *Etymologiarum* xi capite iii, dicit, quod Gigantes dicuntur quasi terræ terrigenæ, id est geniti a terra, quasi terra eos sua maxima mole formaverit vel produxerit, non determinata hominis vis generativa. Nam videtur, quod ad hoc non extendat se vis a patre decisa, quod posset ita excessive et improportionaliter extendere materiam seminalem: ideo dicuntur a vulgo non ab hominibus propagari, sed a terra geniti. Alii dicunt, et sic Augustinus *de Civitate Dei*, lib. xv, c. xxiii, quod Gigantes sunt homines statura maximi, viribus fortissimi, et voluntate pessimi et crudelissimi, unde Baruch tertio: Ibi fuerunt Gigantes viri nominati illi qui fuerunt ab initio, statura magna, scientes bellum: unde et a Symmacho vocantur violenti. In Hebræo autem habetur cadentes. Refert autem Augustinus in loco prædicto, hos Gigantes primo fuisse Angelos, non bonos, sed malos, ex quorum commixtione cum feminis sunt postmodum alii gigantes homines nati, qui fuerunt potentes in viribus, famosi in malitia, et crudelitate et sævitia. Et si aliqui sint qui hoc non credant, quia dicit, quod fama est, multique audisse confirmant, Sylvanos et Faunos mulieribus sæpe improbos exstitisse, ac earum appetisse et peregisse concubitum: unde et hoc negare, ait, impudentiæ videtur. Modus autem, quo id faciunt, satis facile potest intelligi. Nam substantiæ spirituales hoc non faciunt, nec facere possunt, nisi in assumptis corporibus; nec etiam in talibus per se delectantur, nisi pro quanto per ista ad vilitates peccatorum homines pertrahuntur. Ipsi autem dæmones sciunt naturas seminum et qualiter possunt in calore debito servari: unde primo sub specie mulieris sunt succubi viris; et contra receptis seminibus, et in calore debito conservatis accipiunt speciem virorum, et sic possunt generare. Sicut video, quod semina arborum possunt taliter conservari, quod inde arbor potest produci: tamen si non conservetur in tali modo, debitus calor naturalis exhalat, neque potest inde aliquid produci. Sed contra hoc objicitur. Ex hoc adhuc non habemus, quod isti sic generati debeant excedere staturam communem. Nam conservantur in virtute seminis, quod fuit a personis receptum: et per consequens producti inde majores esse non possunt quam essent, si producerentur vel propagarentur a propriis parentibus, neque excedunt propriorum parentum staturam. Sicut si gallina cubat suo calore ova perdicis, pulli sunt ejusdem speciei cum perdice, et ejusdem staturæ, et non staturæ gallinæ. Ad hoc potest dici, quod dæmones possunt staturam majorem facere et minorem. Nam superexcrescentia in magnitudine, sicut est in gigantibus ultra medium statum, et diminutio in parvitate sicut in nanis potest esse ex parte materiæ, agente calore radicali improportionate. Nam multa materia et mollis est multum extensibilis in calore etiam mediocri. Ipse autem diabolus potest materiam augmentare. Sed objicis, quod et tunc saltem deberent esse molliores, et magis debiles, sicut contingit in maximis hominibus; cujus contrarium hic dicitur, quia dicitur quod fuerunt potentes. Dicitur, quod dæmones sciunt calorem naturalem augmentare et proportionare; et sic ex tali augmento caloris etiam accidentalis fit materia magis fortis, sicut etiam ex dispositione humidi nutrimentalis proportionaliter calidi, materia magis ex eodem humido radicali extenditur, et etiam fortior redditur, sicut apparet, quod idem bene nutritus fit major et fortior, quam nutritus misere et viliter; vel etiam si sint duo similis naturæ, dissimilis nutrimenti. Eodem autem modo posset esse in quantitate

diminuta. Et patet modus istorum gigantum, et quodammodo fuerunt vel potuerent esse per causam supernaturalem, et quasi artificialem, sicut etiam dæmones fecerunt serpentes sicut Moyses : unde vocat eos Augustinus in *de Trin.* agricolas, quia addunt principia, et conjungunt ea, et hos sua sagacitate producunt effectus. Nota tamen, quod Augustinus ponit et subdit in capitulo jam dicto, quod non oportet dari istum modum ex hoc, quod nati sunt tempore primitivo homines giganteæ staturæ ; quia etiam tales, ut dicit, a communibus patribus nati sunt. Nam ante paucos annos Romæ fuit femina gigantea, ante quam fiebat mirabilis usquequaque concursus, et tamen parentes erant non multum longi. Quod etiam patet ex hoc, quia sicut ex aliqua accidentali causa et dispositione defectiva homo potest ita notabiliter a statura humana mediocri cadere : ita similiter credo, quod ex aliqua accidentali causa meliorativa, vel a parte nutrimenti, vel a dispositione cœli, poterit aliquis staturam humanam excedere mediocrem. Quæ autem multum excederet nostram communem hominum staturam esset gigantea statura.

Videns autem Deus, quod multa malitia hominum etc. Posuit hominum culpam pœna dignam. Hic ponit justam Dei indignationem, et puniendi dispositionem. Dicitur igitur, *videns*, etc., videns siquidem non tantum exteriora mala opera, sed interiores cogitationes et internos motus animorum. Unde sequitur, *et quod cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum.* Videt autem ista visione intelligentiæ simplicis, non approbationis. Unde ex hoc incutit nobis timorem, qui non possumus effugere Dei cognitionem. *Pœnituit eum, quod hominem fecisset.* More humano loquitur. Et est quædam figura, quæ anthropospathos dicitur, quando passiones hominum Deo attribuuntur. Mos autem hominum est, quod quando unum opus destruunt, faciunt ex cordis displicentia. Cum etiam aliquid fecerint, et quando putant, quod aliquod malum potest contingere, prævenendo occurrunt et destruunt, et impediunt, et prætimentes in futurum timore peccata vitant. *Tactus dolore cordis intrinsecus.* In nobis enim actum detestationis sequitur passio doloris. Et isto modo hic loquitur more humano. Unde vult dicere, quod habuit displicentiam. Et accipit vel significat causam per effectum. *Delebo hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia.* Sed quare delevit animantia ? Dic, quod in signum detestationis eorum, pro quibus erant facta, et ut ostenderetur, quod non sunt, nec conservantur, nisi propter hominem. *Noe vero invenit gratiam coram Domino.* Posita est supra hominum communis malitia, hic subditur ipsius Noe justitia. Alii enim ex injustitia displicebant, sed iste ex justitia placuit. Unde tacitæ quæstioni respondet. Posset enim aliquis connexere : ex quo debebat mundum delere, quomodo a regula, quam generaliter proposuit, istum Noe excepit ? et etiam quia videretur esse personarum acceptor, si alios deleret, et istum conservaret, ideo excusat se, et respondet quod cætera non sunt paria. Nam alii communiter erant injusti, et iste justus. Ostenditur etiam devotus ad Deum, ibi, *Cum Deo ambulavit.* Non potuit errare, bonum directorem habuit. Ostenditur etiam ordinatus ad semetipsum, ibi, *Justus atque perfectus.* Benevolus atque sollicitus ad ædificandum et conservandum populum suæ correptioni subjectum, ibi, *In generationibus suis. Et genuit Sem, Cham, et Japhet,* qui fuerunt paternæ justitiæ imitatores. *Corrupta est autem terra.* Hic ponitur taxatio sententiæ, et dispositio de pœna : et ostenditur humani generis culpa, non tantum ut culpa, sed ut statim punienda. Culpa enim in Scriptura non dicitur a Deo videri, et venire ad faciem et conspectum Dei, nisi quando disponit eam punire. Prius se habet sicut dormiens, vel sicut ignorans : sed cum disponit punire, tunc se habet sicut advertens, sciens et cognoscens, secundum quod habetur infra *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum venit coram me.* Unde de uno facto, quando volumus quod a Deo puniatur, dicimus, videat Deus et judicet. Non quod ignoremus, quod Dominus videt, vel optemus quod cognoscat : sed quia volumus, quod videat ad puniendum. Ita dicitur hic, *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, dixit : Finis universæ carnis venit coram me :* quod vidit ad puniendum. Unde ista visio est visio impatientis justitiæ, non visio dissimulantis misericordiæ. *Universæ*, id est omnium hominum, exceptis paucis, scilicet octo, qui respectu tantæ multitudinis non faciunt numerum. Et dicit : *Disperdam eos cum terra.* Quæm-

tur, quomodo terram disperdidit? Dicitur, quod non intelligitur quantum ad substantiam, sed quantum ad apparentiam, quia fuit aquis undique cooperta: vel intelligitur non quantum ad actum essendi vel fructificandi vel etiam quantum ad aliquem vigorem et fecunditatem. Unde dicit *Glossa*: Tradunt doctores, terræ vigorem et fecunditatem longe esse inferiorem post diluvium: et ideo hominibus esum carnium esse concessum, cum antea tantum terræ nascentibus vescerentur, vel victitarent. Et dicitur terra repleta iniquitate, ut sumatur continens pro contento, id est homines habitantes in terra. Sicut etiam templum dicitur sanctum quia est ad sanctos usus dedicatum et deputatum.

Fac tibi arcam. Egit de damnatione reproborum, agit nunc de liberatione justorum. Et describitur ista arca quantum ad omnes causas: quantum ad efficientem, *Fac*; materialem, *de lignis levigatis*; formalem, ibi, *Et sic facies eam*; finalem, ibi, *Ecce ego adducam aquas diluvii, etc.* *Fac tibi arcam.* Quærit Augustinus, quomodo Noe potuit tam magnam arcam facere cum suis filiis? Et respondet, quod potuit alios evocare, et adhibere mercedem, qui tamen non curaverunt intrare, quia nec verum credebant quod ille prædicabat, sed panem suum lucrabantur. *De lignis levigatis.* Ista est materia: et dicuntur levigata et complanata et polita. Fuerunt autem ligna sic polita, ne arcæ aliquod noxium inhæreret. Septuaginta secundum Hieronymum habent: de lignis quadratis. Et potuit esse, quod essent polita et quadrata. Quadrata ut multo melius possent conjungi. *Mansiunculas in ea facies*, id est differentes mansiones compones. *Et bitumine linies*, ut scilicet ligna indissolubiliter compingantur. Bitumen enim est genus terræ, quod gluten dicitur. Unde dicit *Glossa*, quod est gluten ferventissimum, quo ligna linita nulla possunt dissolvi violentia. *Intrinsecus.* Ne dissolveretur ex igne, vel hominum jussa dissolutione, vel animalium impetuositate. *Et extrinsecus.* Ne dissolveretur aquarum impetu, et fluctuum concussione, et continua agitatione. Istud autem, ut dicitur ab aliquibus, colligitur in lacubus, in quibus supernatat, in Syria, et est limus de terra æstuans. *Et sic facies eam.* Ponitur forma et intrinseca et extrinseca. Et describitur quantum ad dimensionum distinctionem. *Cœnacula et tristega.* Et quantum ad dimensionem trecentorum cubitorum longitudo, quinquaginta cubitorum latitudo, triginta cubitorum altitudo. Unde erat quadratum altera parte longius. Erat etiam superius stricta, et inferius lata, ut multum de aqua contingens minus submergeretur, et a majori aqua melius portaretur. Stricta autem superius, ne aquis pluvialibus obrueretur. Quærit Augustinus xv *de Civitate Dei*, cap. xxvii, Quomodo tam parva arca potuerit continere omnium animalium genera? et respondet quod illi cubiti erant geometrici. Et imponit istam opinionem Origeni, et dicit, quod istud non ineleganter astruxit. Cubitus autem geometricus quantum sex nostri continet. Unde secundum hæc longitudo habuit mille octingentos cubitos et de latitudine et de longitudine similiter numera. Sed videtur, quod non potuit esse ita longa et ita lata, ex quo non habebat nisi triginta cubitos in altitudine. Cum enim in cubito deberet consummari, sicut hic dicitur, quatuor extrema longitudinis et latitudinis debebant convenire et concurrere in cubito. Quod non videtur posse fieri in formosa figura, nisi plus absconderet, et quasi imperceptibiliter partes ab arcæ extremis, in quibus inchoabant, ad medium arcæ accederent. Propter quod dicit Augustinus *de Civitate Dei*, lib. xv, cap. xxvii, quod quælibet trium domorum arcæ tantum habuit altitudinis, ita quod tota fuit nonaginta cubitorum in altitudine. Isidorus autem dicit, quod intelligit usque ad tabulatum. Et forte idem intelligunt Augustinus et Isidorus; quia prima domus terminabatur ad primum tabulatum. In cubito autem fuit consummata, quia supremum ejus erigebatur in sursum, et finis vel angulum istius pyramidis erat cubitalis. *Fenestram facies in ea.* In parte scilicet superiori in camera luminis. Et dicunt Judæi secundum Magistrum in historiis, quod ista quæ dicitur fenestra fuit vitrea, et ad hoc, scilicet quod posset commode lumen reddere et aquæ resistere. *Cœnacula et tristega facies in ea.* Hic determinatur, sicut dictum est, forma intrinseca arcæ. *Cœnacula, etc.*, facies in ea solaria, ita quod sint in ea tria tecta, et tres mansiones, quia duo solaria faciunt tres mansiones. Et forte in qualibet domorum erant mul-

tæ cameræ et multæ mansiones ad multas necessitates, quia alia mansio erat pro animalibus, alia pro avibus etc., alia ad comedendum et quiescendum, alia ad purgandum ventrem. Et hoc videtur dicere littera Septuaginta, quam sequitur Augustinus xv *de Civitate Dei* cap. xxvi : ubi enim habemus cœnacula et tristega, ipse habet bicamerata et tricamerata, ita quod sit ibi secunda et tertia camera ; et quælibet potest esse in plures divisa. Vel potest esse sensus, quod præter inferiorem domum secunda habuit duas cameras, et tertia tres cameras ; ita quod præter sentinam fuerunt quinque cameræ, duæ in media vel secunda, tres in tertia. Et hoc forte intelligit, quando dicit bicamerata et tricamerata. Et ex hoc loco, ut puto, accepit Magister in *historiis*, Augustinum dixisse, quod arca habuit v cameras præter sentinam. *Ecce ego adducam aquas diluvii.* Hic ponitur causa finalis arcæ. Ad hoc enim facta est arca, ut salvarentur ab aquis Noe et filii sui. *Ut interficiam omnem carnem.* Videtur enim istud esse falsum. Nam pisces habent carnes et etiam carnes, in quibus est spiritus vitæ : nam vivunt et vita vegetativa et vita sensitiva : et tamen pisces non fuerunt mortui in diluvio, imo potius consolati. Ad hoc dicitur, quod pisces, quamvis vivant vita vegetativa, non tamen spirant. Unde non habent spiritum vitæ. Non enim habent pulmonem, qui aerem attrahit et expellit. Unde infra proximo explanatur istud, cum dicitur, *Universa in quibus est spiraculum vitæ mortua sunt.* Sed quæritur, unde fuit diluvium : vel ex causa naturali vel ex causa supernaturali ? Quamvis aliqui fuerint, qui dixerunt diluvium esse per naturam, dicendo, quod cum fuit diluvium aquarum, omnes planetæ et stellæ quæ possunt valere ad humiditatem concurrerunt, et in diluvio futuro ignis omnes planetæ calidi et stellæ, quæ ad calorem faciunt, concurrent : Tamen si istud fuisset naturaliter, philosophi vel astrologi istud deprehendissent : et cum non inveniamus quod aliquis philosophus de hoc aliquam fecerit mentionem, dicendum est, quod istud fuit per viam supernaturalem. Ideo bene signanter dicitur : *Ecce ego adducam aquas diluvii, ponamque fœdus meum,* id est ex fœdere specialis amoris, quo te elegi, et quod tecum pepigi, te fideliter servabo ; neque solum te, sed et tuum genus. Unde sequitur, *Ingredieris arcam tu et filii tui.* Hic determinatur modus liberationis, quæ fuit facta. Secunda pars, ibi, *Tolles igitur tecum etc.* Dicit igitur, *Et ex cunctis animantibus universæ terræ bina.* Quæritur de muscis et stellionibus animalibus ? Dico secundum Augustinum, xi *de Civitate Dei*, cap. xxvii, quod illa quæ generantur ex corruptione, vel ex humore terræ, vel cadaveribus, non fuit necesse ibi ponere. Unde non fuerunt animalia ibi, nisi quæ generantur necessario per propagationem. Per hoc etiam solvitur illud de phœnice, num ibi fuerit ? Ad quod dic, quod fuerit ibi, sed non sub binario numero, sed unica. Nam non potest phœnix generari nisi ab ipsa phœnice. Ideo non fuit ibi sub masculino sexu et feminino, sed sub uno individuo. Item de illis quæ ex commixtione specierum diversarum generantur, sicut mulus ? Dic, quod non fuerunt ibi, quia sunt in potentia in illis speciebus principalibus. Item quærit Augustinus libro xv *de Civitate Dei*, cap. xvii, de animalibus quæ non vivunt in aqua nec in terra diu, sicut sunt vituli marini ? Et respondet, quod extra arcam habebant loculos, ex quibus possent ascendere et postmodum in aquas descendere. Item quærit Augustinus ibidem, si propter animalia quæ vivunt carnibus, posita sunt in arca plura ad eorum usum ? Dic, quod sunt aliqua, quibus omnia animalia vegetantur, ut dicitur, sicut ficus et castaneæ, et alia : propter quod dicitur, *Tolles igitur etc. Fecitque Noe, sicut præceperat illi Deus.*

CAPUT VII.

Dixitque Dominus ad eum, Ingredere etc. Prius egit de statu Noe ante diluvium. Hic agit de isto pro statu diluvii : et primo quomodo fuit arcam ingressus; secundo qualiter inundationibus mundus fuit submersus, ibi, *Cumque transissent septem dies.* Et primo ponitur præceptum Domini. Secundo executio præcepti, *Fecit ergo Noe omnia.* Dicit igitur, *Ingredere etc.* Sed quæritur quando præcepit ingredi. An per septem dies antequam esset diluvium ? Nam sequitur, *Adhuc enim post dies septem ego pluam.* Potest dici, quod fuit sibi dictum, quod pararet se ad ingressum, vel quod intraret ad parandum et disponendum arcam et alia. Vel debet intelligi ingressus pro illo tem

pore, pro quo erat necessarium. Redditur autem ratio quare ipsum reservavit magis quam alium, quia hoc meruit sua justitia, quod sicut culpam alterum communem evaserat singulariter : ita a pœna absolveretur specialiter : et propter hoc sequitur, *Te enim vidi justum coram me in generatione ista. Ex animantibus mundis tolle septena et septena.* Quæritur, quomodo illo tempore animalia fuerunt munda et immunda ? quia animalia munda et immunda fuerunt ex lege determinata, maxime cum Apostolus dicat, nihil esse immundum, atque commune. Igitur nullum immundum erat animal per naturam nec per legem, et per consequens non poterat esse talis animalium distinctio. Ad hoc potest dici, quod illa erant munda vel immunda per legem determinanda ; et ista Noe potuit scire divina inspiratione, sicut sciebat diluvium futurum. Vel potest dici, quod quædam dicta sunt per naturam immunda, non quod non sint a Deo, quia sic loquitur Apostolus ad Rom. XIV ; sed quia quantum ad usum hominum sunt horribilia, sicut sunt immundæ res abominabiles : et illa dicit immunda, non quia sint prohibenda in lege. Unde diversimode sumitur immundum hic et ibi. Propter quod credo, quod fuerunt ibi septem porci, qui tamen porcus est in lege immundus et prohibitus, sed non est homini horribilis ad esum vel ad usum. Sed quæritur, quare plura præcepit sumi de mundis quam de immundis ? Dici potest quod munda debeant esse post diluvium ad esum hominis et usum quia fuit homini post diluvium concessus esus carnium et sunt etiam apta ad divinum cultum et sacrificium ; et ideo necesse fuit, quod plus multiplicarentur et citius, et per consequens, quod plura talium ibi ponerentur. Sed quæritur ex hoc quod dicit littera de mundis septena et septena, de immundis bina et bina, utrum fuerunt de qualibet specie munda duo septenaria et de qualibet immunda duo binaria ? Ad hoc potest dici secundum Rabanum et in *Glossa*, quod non fuerunt duo septenaria, sed unum. Sed littera sequens videtur contradicere, quæ postmodum dicit : *De omnibus quæ moventur super terram, ingressa sunt in arcam duo et duo masculus et femina.* Unde videtur, quod quilibet masculus haberet unam feminam et e contra. Illud autem non potest stare in numero impari ; ergo si esset ibi septenarium unum in qualibet specie munda, sequeretur, quod unum esset ibi, cui non responderet compar suus. Sed ad hoc potest dici, quod de mundis fuerunt septem. Propter enim usum ad sacrificium vel ad aliquem alium usum fuit ibi unum, non cum alio ad generationem combinatum, quia non fuit propter istum finem, vel ut postea posset septimum comedi et alia generationi et multiplicationi vacarent. Quod autem dicitur de sequenti littera, quæ videtur contraria, potest dici, quod quando ante dicitur de omnibus duo et duo, intelligitur communiter, quasi diceret : communiter uni respondebit compar suus in sexu distinctus. Unde si unicum erat ibi non habens comparem, non impedit modum loquendi communem. Sicut cum imus processionaliter et est unus impar, ultimus videlicet, dicitur quod nos omnes imus bini et bini, quamvis sit unus cui non respondet aliquis socius. *Ut salvet semen suum super superficiem terræ.* Ex hoc colligitur quod non fuerunt ibi nisi illa quæ generantur ex semine et per propagationem, non illa quæ generantur per putrefactionem. *Adhuc enim post septem dies etc.*, id est pluere faciam. Unde in hoc ostenditur, quod pluvia illa non fuit ex necessaria resolutione vaporum elevatorum in aere et ingrossatorum : sed fuit tantum per divinum imperium. Nam cum asinus generat asinum, quamvis ad hoc concurrat Dei voluntas et potentia, quia omni naturæ cooperatur, tamen generare asinum non dicitur : et hoc quia fit cum generali Dei influentia et etiam a naturali potentia. Sed si specialiter sine actu asini asinum faceret, diceretur ipsum proprie facere, sed tamen non generare, quia genero dicit productionem similis ex simili naturali virtute et mediante semine, quod hic non esset. Igitur si dicitur hic pluere, manifestum est, quod ista pluvia est facta specialiter virtute divina, et non ex vaporum necessitate naturaliter evaporatorum. *Delebo omnem substantiam quam feci.* In hoc videtur Deus respondere uni quæstioni tacitæ. Posset enim dubitari, utrum Deus potuit istud facere, quod omnia animantia ubique terrarum perirent : et quasi arguit sic. Facilius est destruere. Igitur si ista feci, et ista possum delere. Ex hoc etiam concluditur, quod Deus agit mera libertate, et non naturali necessitate. Nam causa, quæ agit naturali necessitate, non agit con-

traria, sed conformia, secundum Philosophum, dicentem : Idem semper manens idem natum est semper facere idem : unde sol nunquam destruit lumen, sed semper generat. Per hoc etiam excluditur error dicentium mundum ab æterno et naturali necessitate productum. *Sexcentorum annorum erat Noe, quando aquæ diluvii inundaverunt super terram.* Ex hoc colligitur, quod arca per centum annos fuit fabricata. Nam supra dicitur, quod Noe erat quingentorum annorum, cum recepit præceptum de arca fabricanda, et quando intravit sexcentorum annorum : et certum est, quod habito præcepto statim fecit arcam. Nam dicitur hic et supra, quod fecerit omnia quæ præceperat ei Dominus. Igitur centum annos vixit arcam fabricando. Et non sine ratione tantum tempus effluxit, ut ligna essent consolidata et desiccata, et compaginationes essent confirmatæ. Et si argueres, quod Deus potest ista subito facere. Potest dici, quod verissimum est, sed noluit; et modo communi et naturali totum opus reliquit. Alia ratio forte fuit, ut homines ex aspectu longo illius arcæ ad talem usum deputatæ magis timerent, et a suis peccatis per adspectum arcæ et ad prædicationem ipsius Noe resilirent. *Et ingressus est Noe et filii ejus, uxor illius, et uxores filiorum ejus.* Nota secundum *Glossam*, quod viri, quando intraverunt arcam, intraverunt divisi a suis uxoribus. Cum autem infra dicitur quod egressi sunt, dicitur ibi, quod egressus est quilibet cum sua uxore; ad notandum, quod in arca debuerunt a generatione vacare, sed non postea. Non enim voluit Deus simul exterminare genus humanum. *De animantibus quoque mundis et immundis ingressa sunt in arcam.* Sed quæritur quomodo potuit Noe ista animalia omnia habere, præcipue cum regio quælibet habeat animalia aliqua et aliquibus careat, sicut in Apulia non sunt cuniculi, in Francia autem non sunt ursi vel leones, et sic de multis. Potest dici, quod ipse multo et longo tempore istud factum præscivit, antequam arcam intraret; ideo potuit sibi providere, et hinc inde animalia mendicare. Sed iste modus non videtur probabilis; quia illa tempora non erant talia, quod homo posset ita discurrere ad extraneas terras et insulas. Ideo puto, quod ipse Deus sua virtute omnia ad Noe adduxit ante arcam. Nisi enim Deus fecisset, Noe potuisset aliquam speciem omisisse. Providentia etiam Dei factum est, quod animalia ferocitatem suam deponebant et arcam mansuete intrabant. Qua etiam fiebat quod Noe et filii sui non horrebant ex animalium tam variorum diversis ac variis effigiebus et horribilibus.

Cumque transiissent septem dies. Hic agitur de diluvio quantum ad fieri et esse suum, et secundo quantum ad defectum, infra capite sequenti. *Recordatus est autem Deus.* Et describit primo, quantum ad tempus certum, et quantum ad annum, et quantum ad mensem et quantum ad diem. Sed quare non quantum ad septimanam? Potest dici, quod ex quo habetur dies et mensis, de facili potest haberi septimana, cum statim occurat, quot sunt septimanæ in mense. Unde ponere septimanam esset quasi nugatorium. *Mense secundo*, id est secundum Hieronymum, in Maio : Judæi enim et Moyses annum legalem ab Aprili incipiunt. *Septimo decimo die mensis.* Septuaginta habent, vigesimo septimo. *Rupti sunt omnes fontes abyssi.* Abyssi dicuntur aquæ quæ sunt in profundis terræ visceribus, quæ initium habent Oceanum; et hos dicit ruptos, ut non sensim de more fluerent, sed repentina inundatione terram operirent. *Et cataractæ cœli apertæ sunt.* Cataractæ proprie sunt viæ aquæ subterraneæ; et sunt appropriatæ ostiis Nili, qui dividitur in septem partes, et hinc transfunduntur ad aerem vel ad aquam pluvialem ab aere cum copia maxima et impetu descendentem, sicut in ostiis fluviorum cum aperiuntur est maximus aquarum impetus, sicut patet in molendinis, quæ quandoque clauduntur et quandoque aperiuntur. Unde dicit, *Cataractas cœli* nubes apertas, ut inde insolitæ majores pluviæ funderentur. Vel si vis ruptio fontium, est illius legis ruptio de qua dictum est Proverbiorum VIII, *Legem ponebat aquis ne transirent fines suos.* Apertio autem cataractarum est maxima resolutio vaporum ex quibus pluviæ generantur. Unde sequitur : *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. In articulo diei illius* etc. Articulus notat primam horam diei adhuc obscuram, ita quod parum diei transiverit; artus enim dicitur membrum, et articulus dicitur parvum membrum, quod cadit a natura membri, propter suam parvitatem : ita mane dicitur quasi non sit pars diei propter suam obscuri-

tatem et brevitatem. Et repetit ingressum in arcam ut declaret quemdam animalium ordinem secundum quem etiam intraverunt. Unde ordo non est omittendus hic observandus, quem Deus etiam inter animalia observavit : ut prius intrarent rationalia, scilicet homines, et prius masculi quam feminæ ; postmodum irrationalia, et prius jumenta, deinde reptilia, deinde aerea animalia. Et post ingressum et ordinem ingredientium, subjungit speciale Dei adjutorium et beneficium. *Et inclusit eum Dominus de foris.* *Glossa* dicit quod exterius bituminavit ne aquæ intrarent, quod homo facere non posset. Potuit enim fieri ostium talis dispositionis quod Noe intus existens posset ipsum claudere et bituminare, sed exterius non ; ideo posset aqua per aliquas rimas et juncturas intrare.

Factum est diluvium super terram. Post fieri diluvii et factum esse ponit effectum diluvii ipsius. Diluvium enim, secundum Hugonem, dicitur a diluendo, quod est destruere. Et ostenditur ipsius arcæ officium. Nam arca ad hoc fuit facta ut illa quæ ibi erant ab impetu aquarum eriperet, quod et fecit, nam super aquas elevata fuit, unde fuit arca ad modum navis mobilis et agitabilis, sicut forte sunt modo naves magnæ. Si enim talis non esset, sed esset immobilis et fixa sicut aliqua domus magna, nihil valuisset quantumcumque elevata, nam omnia aqua operuerat, etiam montes altissimos : propter quod dicit quod aquæ omnia repleverant, ita ut montes excelsos operuerint sub universo cœlo : sed adjungit quod aquæ elevaverunt arcam in sublimi. Et nota quod intelligit de montibus terræ spectantibus ad nostram habitationem miseram, et non intelligit de Paradiso terrestri : quia usque ad ipsum diluvium non pervenit, secundum Magistrum in *Historiis*, et Isidorum in libro *Etymologiarum*. *Consumptaque est omnis caro.* Ubi agitur de effectu diluvii, et occisione scilicet animalium rationalium et irrationalium, et omnium in quibus erat spiraculum vitæ. Per quod excluduntur pisces, qui non respirant. Excludi etiam debent homines qui in terra miseriæ istius non morabantur, ut Enoch in Paradiso terrestri existens. Remansit autem solus Noe etc. *Obtinueruntque aquæ diluvii terram centum quinquaginta diebus.* Quidam computant istos dies ab ingressu Noe in arcam ; alii a cessatione pluviæ, scilicet post quadraginta dies quibus duravit pluvia. Primus tamen modus videtur necessarius ; nam ab ingressu Noe fluxerat mensis primus totus, et major pars secundi, quia ingressus fuit decima septima die mensis, et ita ad minus sex menses effluxissent. Nam centum et quinquaginta dies faciunt quinque menses. Si igitur ultra hoc ponerentur quadraginta dies pluviæ, jam arca requievisset mense octavo, cum tamen dicatur quod requievit mense septimo.

CAPUT VIII

Recordatus est autem Deus Noe. Supra egit Moyses de diluvio, hic agit de cessatione diluvii : et dividitur in duas partes, quia primo ponit cessationis diluvii causam ; secundo ipsam cessationem. Secunda pars ibi, *Requievit arca die, etc.* Primo igitur ponit causas multas defectus, contrarias scilicet causas ipsius effectus. Diluvium enim fuit multis ex causis : scilicet ex offensa divina, qua Deus peccatum hominis non potuit tolerare, ideo ipsum exterminavit ; et ista fuit causa principalis et prima. Aliæ causæ fuerunt instrumentales et immediatæ, et sunt multæ. Una ruptio aquarum de visceribus terræ manantium, alia apertio cataractarum cœli, id est nubium resolutarum more insolito pluvialiter descendentium. Alia ruptio illius legis qua dictum est, *legem ponebat aquis ne transirent fines suos*, Proverb. VIII. Contra ista omnia narrantur alia istis contraria. Contra enim offensam divinam ponit divinam condescensionem, contra fontium et legis aquarum ruptionem ponit earum clausionem. Et ex hoc concludit necessario aquarum diluvii diminutionem, et diluvii cessationem. Ideo dicit, pro istis omnibus, *Recordatus est autem Deus etc.* Notandum autem, quod sicut semper vel communiter accipitur visio peccatorum in malum, scilicet, pro deliberatione ad puniendum, sicut Genes. decimoctavo dicitur : *Vadam et videbo, si opere compleverint :* ita recordatio peccatorum in Scripturis accipitur in bonum, vel in clementiam, sicut illud Scripturæ : *Recordare, Domine, quid acciderit nobis.* Et huc alludit ratio vocabuli : Nam recordatus idem est quod quasi iterum cordi datus. Fuit autem Deus recordatus Noe principaliter, sed animantium per accidens, et minus principaliter, per quamdam scili-

cet attributionem ad ipsum hominem et naturam rationalem. *Et adduxit spiritum super terram.* Per spiritum intelligunt aliqui ventum, qui aquas agitabat, ex qua agitatione exhalabant, et vaporabantur, vel in vaporem transibant, et sic decrescebant : vel intelligitur Spiritus sanctus, qui dicitur adductus ad illum effectum, sicut ad effectum bonitatis specialis et clementiæ. Nam appropriatur Spiritui sancto clementia, sicut potentia Patri, et sapientia Filio, sicut primo Genes., dicitur, Quod Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut aquis in unum congregatis terra appareret, ut aquis ad suam originem reductis, ipsam terram ad usum hominum et animalium discooperiret : unde sequitur : *Imminutæ sunt aquæ, et clausi sunt fontes abyssi, et cataractæ cœli.* Non totaliter, quia et hodie fontes sunt aquæ de venis terræ, et nubes pluvialiter descendunt sensim et guttatim : sed intelligitur, quod fuerunt clausi, ita quod in tanta redundantia non profluxerunt. *Et cataractæ cœli.* Loquitur secundum sententiam hominum vulgarium. Non enim nubes vel pluviæ de cœlo descendunt secundum veritatem, sed secundum apparentiam hominum grossorum, qui non deprehendunt aliquid inter nos et cœlum, de quo possint cogitare, quod descendant pluviæ : ideo credit vulgus, quod de cœlo descendant. Vel intelligit cœlum aereum. *Reversæque sunt aquæ euntes et redeuntes.* Aliqui exponunt sic, Euntes ad suas origines, et redeuntes a terra. Sed melius secundum sensum litteralem dicitur, Euntes et redeuntes, quia per ventos agitabantur et agitatæ et propulsatæ iterum redibant : sicut in fluminibus, quando ex agitatione ventorum impelluntur, et impingentia in aliquod solidum, iterum revertuntur. *Recordatus est Dominus.* In effectu, vel ad modum recordantis se habuit. *Et adduxit spiritum ;* id est ventum, scilicet ad dessiccandum et reducendum aquas. *Et prohibitæ sunt pluviæ.* Sed nunquid non ante cessaverunt, scilicet post quadraginta dies ? Potest dici, quod licet cessassent, nihilominus semper erat tempus pluviosum, seu dispositum ad pluviam. Nec ante fuit tempus firmatum ad serenitatem. *Vel prohibitæ sunt pluviæ ;* id est, defluxus aquarum, quæ ex priori pluvia promanarant. *Euntes,* id est recedentes a terra, *et redeuntes,* scilicet ad loca, unde venerant : Quædam enim redibant sursum, rarefactæ in vaporem aereum : quædam vero ad sinus maris, vel ad intima terræ. *Emisit corvum,* scilicet ab probandum, si terra esset desiccata. Quod forte ex hoc per corvum poterat conjici, si non madidus rediret : aut si aliquid desiccatum reportaret. *Qui egrediebatur, et non revertebatur.* Secundum Hieronymum et Septuaginta dicitur : Et egressus non rediit ad eum, donec siccarentur aquæ de terra. In Hebræo vero dicitur : Et egressus est exiens et revertens, donec siccarentur aquæ de terra. Quod aliqui concordant, dicentes, quod corvus pro tanto non rediit, quia circa arcam volitando redibat usque ad eam, et recedebat ab ea. Et hoc est, quod in Hebræo dicitur, Exiens et revertens. *Quæ cum non inveniret, ubi requiesceret pes ejus.* Quod forte potest intelligi de terra non montuosa. Vel licet arca tunc insedisset super montes, adhuc tamen aliquantula aqua erat in tota superficie illorum montium. *Et aperiens Noe tectum arcæ.* Ex hoc patet, quod fenestra, de qua præmissum est, non fuit in tecto arcæ, saltem in suprema ejus parte.

Circa istam autem partem potest primo quæri, quare Deus per universale diluvium voluit tunc orbem judicare ? Ad quod potest dici, quod hæc et similia Deus scit et potest multiformiter ordinare et narrare : unde tam hic quam alibi sufficit nobis attendere congruitates rationabiles hujusmodi operum. Primo ergo potest dari ratio congruitatis per respectum ad peccata illius temporis, quæ in se habebant tria quasi in summa : scilicet sensibilem fœditatem, et universalitatem, et obstinationis induratam firmitatem. Et ideo ad purgandum tantum et universalem fœditatem, convenienter emissum est universale diluvium aquarum. Contra vero Gigantes superbos et obstinatos congrue irruit impetus fluctuum subjugantium eos. Præterea sicut Adam a sua divina origine recedentem congruum fuit in suum infimum redigi, scilicet in terram : sic resolutos in aquas immundi humoris congruum fuit submergi in aquis. Et hæc congruitas trahitur in parte ex verbis B. Petri in fine secundæ Epistolæ suæ, ubi hoc judicium aquæ comparat ad extremum judicium, quod erit in igne. Dicit enim, quod sicut cœli et terra erant prius facti de aqua, et per aquam consistebant : sic mundus ille periit per inundationem aquæ. Terram autem dicit esse factam

de aqua et per aquam, quia per humorem aqueum sint conglutinata. Cœlos enim vocat partem aeris aqueam usque ad regionem nubium attingentem: quod patet, quia eosdem cœlos per ignem dicit esse dissolvendos. Secunda ratio sumitur per respectum ad ultimum judicium, quod ut postremissimum, residuum est, ut in igne fiat. Ad imprimendum autem nobis timorem et fidem, congruum fuit aliquod grande judicium præmittendum in hac vita, præveniente tamen hoc gravitate culparum. Post ignem autem nullum elementum fuit ad hoc convenientius quam aqua, quæ se habet ad ignem, sicut frigidum ad calidum, et sicut materiale ad formale, et sicut debile ad forte, tam in puniendo, quam in purgando. Aqua vero purgat superficialiter, ignis vero fortius et medullitus. Fuit autem conveniens, quod a minoribus proceditur ad summa. Deinde prius præcessit Joannes baptizans in sæculo aqua, quam veniret Christus baptizans in igne Spiritus sancti. Et prius implentur hydriæ aqua litteræ, quam convertantur in vinum spiritualis intelligentiæ. Tertia ratio est, per respectum ad statum ejus, qui per baptismum totum veterem hominem cum suis vitiis spiritualiter occidit et sepelit, secundum Apostolum ad Romanos vi. Interiorem enim hominem regenerat, et renovat, et salvat, quasi Noe in crucis arca. Quod quidem mysterium tangit B. Petrus I Epist. cap. iii. Fuit enim valde decens, tantum Christi sacramentum, et tantam renovationem orbis per aliquod solemne mundi lavacrum seu diluvium quasi sensibiliter præostendi. Quarta ratio est per respectum ad omnia mysteria hic decenter præfigurata, sive sumatur diluvium in bono, tanquam scilicet lavativum et salvativum; sive in malo tanquam vitæ extinctivum. Nam hic præsignantur omnia generalia diluvia peccatorum, utpote idololatriæ, ad excæcationem Judæorum et carnalium cupiditatum in fine Ecclesiæ et consimilium. Præsignantur etiam hic diluvia omnium generalium captivitatum, seu generalium judiciorum usque ad ultimum. In bono autem hic præsignantur omnia generalia diluvia gratiarum factarum et faciendarum universo orbi. Meminit vero illius in Psalmo: *Dominus diluvium inhabitare facit, et sedebit Dominus rex in æternum.* Secundum enim Richardum de S. Victore, tunc Deus in corde inhabitare facit diluvium, quando per ebrietatem spiritualium gustuum tota vis funditus absorbetur; et tunc in eo Deus non stat mobiliter, sed potius sedet in æternum tanquam rex. Nota autem, quod referendo simul ad bonum et ad malum, in sexto centenario Noe, id est in sexta ætate humani generis inundavit diluvium Judæorum et Paganorum contra Christum et martyres ejus. Et contra fuit tunc in Christo et Ecclesia diluvium gratiarum. In apertione vero sexti signaculi similia expectamus, sicut patet ex Apocalypsi. A tempore enim, quo filii Dei, clerici scilicet et religiosi, videntes filias hominum, id est villas, et civitates, et temporales divitias earum, videntes quod essent pulchræ, et quod de facili generant multam et magnam prolem, acceperunt sibi pro libito unde quæque; ex tunc orti sunt in Ecclesia Gigantes in magnis et mirabilibus supra se ambulantibus, qui potius videntur Reges vel Marchiones, quam Episcopi vel Abbates; et hi sunt fortes vel potentes a sæculo viri famosi; et ideo non mirum, si per eos erigatur imago bestiæ et statua Babylonis et terrena civitas dilatetur. Et præcipue hoc timendum est, si filii evangelicæ paupertatis prædictas filias hominum amplectantur et ambiant, timendum est, ne ex eis generent pseudochristos et prodigia magna. Moritur vero homo post interfectionem quinque sensuum, dum in sexto, id est in depravatione rationis fit diluvium culpæ mortalis, juxta illud Christi ad Samaritanam: Quinque viros habuisti, et hic quem habes non est tuus vir. E contra post plenam justificationem quinque sensuum quæ fit per vitam, intrat diluvium sapientiæ et mentalis munditiæ, quasi in sexto spiritualium contemplationum et gustuum experimentali sensu. Rursus sicut circa finem quinti centenarii Noe inundavit malitia et tandem pœna ipsius, sic in fine quinti temporis ecclesiastici inundavit cupiditas et impietas. Et ideo in sexta die synagoga et idololatria perierunt exeunte de aquis Sylvestro quasi altero Noe. Et in sexta apparitione Ecclesiastici temporis est Babylon, id est carnalis Ecclesia, submergenda in mare inundantium nationum, ut cœtus pauperum Christi de naufragio nudus evadat. Secundo potest quæri quare potius Deus voluit salvare Noe per hujusmodi arcam, quam solo mi-

raculo solius potentiæ suæ ? Ad quod potest quintuplex responsio dari. Prima est, ut in hoc daretur aliquis locus providentiæ, et meriti et cooperationis ipsius Noe, quia fabricando tantam arcam et tanto tempore, et pro tali causa, probata est fides et potentia ejus, et per hoc cooperatus est restitutioni salvationis totius generis humani. Secunda est, ut manifesta operatione fabricationis tantæ arcæ toti orbi apertæ prædicaret futurum diluvium, et sic quantum est ex se valde efficaciter compensaretur ad reducendum totum orbem in Deum. Quot enim putas derisiones incredulorum et giganteorum hominum pro hac re in centum annis sustinuit? Quot etiam ad Deum traxit aspicientes tanti viri laborem, sibique cooperantes, et ipsius de diluvio futuro prædicationem? Et hinc est, quod Petrus in Epistola sua dicit : *Tunc Christum in spiritu prædicasse incredulis et in carcere carnis et carnalis plebis conclusis*. Tertia ratio est, ut modus salvandi conformetur modo puniendi, et etiam modo communi, quo per navigia salvantur in mari. Quarta est ostensio multiformitatis divinæ potentiæ et sapientiæ in diversis modis salvandi : quos secundum diversitatem temporum diversimode cogitavit et fecit. Jam enim potentia creandi erat satis ostensa in Adam : Et in Enoch potentia transferendi seu rapiendi hominem subito per varia mundi loca. Nunc vero pulchre ostensa est potentia adductiva tot animalium ad manum Noe, et ordinativa eorum in arca, tam quoad pabulum quam quoad quietum et domesticum statum et consortium. Ostensa est etiam potentia miræ gubernationis arcæ in tanto diluvio, ut nec per contactum montium, arborum atque jumentorum motum frangeretur : neque turbulenter concuteretur, aut pars arcæ suprema ad infima regyraretur seu reversaretur. Ostensa est hic etiam potentia conservativa Noe et animalium in arca, cum nec minimum respiraculum exterius prodiret ab arca, aut de foris intraret in eam : et tamen potuit sufficere tantæ multitudini animalium paucus aer inclusus, cum aer exterior usque ad regionem nubium versus esset in aquas : quia omnia hæc divino fiebant miraculo. Quinta est multiformitas mysteriorum hic optime præsignatorum. Nam per arcam designatur moraliter mens sancta, quæ ex lignis quadratis et politis et a sua tortuositate complanatis, id est ex stabili quadratura virtutum rectissimarum et politarum consistit. Et in hac tria sunt tecta : quorum primum attingit supremum sensualitatis : secundum vero attingit apicem rationis inferioris : tertium vero est in supremo vertice rationis superioris. Primum est perfecta continentia seu moderantia : secundum perfecta prudentia : tertium est tacita sapientia. In primo et secundo proprie stant viri et uxores : in tertio vero animalia, quamvis per quamdam mutuam communicationem sint infra et supra. Sunt hic etiam non solum munda sed et immunda ; tum per humilem memoriam peccatorum, tum per discretam conservationem naturæ et potentiarum nostrarum immundarum. Allegorice vero est ad præsens arca, primo scilicet Ecclesia, in qua triplex est mansio sive tectum, scilicet conjugatorum, continentium et virginum ; vel incipientium, et proficientium et perfectorum : vel secundum legem generalem omnis hierarchiæ, est ibi ordo inferiorum et mediorum et superiorum, utpote activorum, contemplativorum et rectorum ex utroque commixtorum. Et ideo in arca sunt viri et feminæ, et gressibilia, et volatilia, et reptilia, in infirmis active humiliter repentia. Interiora autem et exteriora hujus arcæ sunt fervido et indissolubili charitatis glutino bituminata, ut a nullo fluctu inundantium tentationum possit irrumpi aut penetrari. Secundo hæc arca est religio sacra, et præcipue religio Evangelica habens tria principalia vota. Tertio est Scriptura sacra, cujus prima mansio est lex nova, et spiritualis intelligentia manans ab utraque. Quarta est doctorum prædicatio et doctrina salutifera. Vel etiam est Virgo Beata, in qua Christus corporaliter mansit : Christus, inquam, totus mysticus (caput scilicet cum membris sub tecto suæ multiformis qualitatis, charitatis et gratiæ) spiritualiter conquiescit. Est etiam Christi crux vel Christi humanitas beata et gloriosa : quorum pertractatio juxta modos præmissos de facili patet. Notandum tamen, quod secundum Augustinum lib. xv *de Civitate Dei* cap. xxvi, talis proportio mensuræ datur arcæ, qualis est in corpore humano. Nam longitudo hominis quæ est a vertice capitis usque ad pedes, sexies tantum habet, quam latitudo quæ est ab uno latere usque ad aliud latus : et decies tantum quam quæ est a superficie

dorsi usque ad superficiem ventris. Sicut autem latitudo arcæ significat charitatis dilatationem quæ pertingit usque ad jubilæum remissionis et gratiæ et lætitiæ Spiritus sancti : sic altitudo est significativa actionis in Deum, quæ Decalogum implet divinæ Legis, et replicat per ternarium fidei, spei et charitatis. Longitudo et perseverantia longanimis et finalis quæ centenarium, id est perfectum seculum, tendit per ternarium, id est a principio bono per medium bonum in finem optimum, quasi a Patre per Filium in Spiritum sanctum. Nota etiam quod tectum arcæ arctando semper adscendit et in cubito consummatur, quia secundum Dionysium, lib. *de Mystica theologia*, in principio ascensionum in Deum est theologia lata quia contemplatur Deum per omnium rerum negationem ; et tanto plus ascendit, quanto plus ad hujusmodi negationes arctatur, usque dum veniat ad silentium, et superexcessum omnimodæ negationis, per caliginem nubis in Moyse designatæ : quia et in illo superexcessu attingitur summa Dei unitas et uniformitas : ideo hic a multo et infimo proceditur et terminatur ad unum et summum. Per ostium vero ejus, quod in latere est, secundum Augustinum, laterale vulnus Christi significatur per quod intramus in ipsum : quia inde sacramenta manarunt quibus credentes initiantur, id est sanctificantur. Generaliter autem significat pietatem condescensivam et humilem et ideo dicitur esse deorsum, id est in inferiori parte lateris arcæ. Per hanc enim pietatem Ecclesia et quæcumque mens sancta exit ad proximum et intra se recipit ipsum. Fenestra vero, id est contemplatio et cultus, est in supremo et circa tectum, sicut sunt oculi in capite nostro. Post hoc nota, quomodo mystice dies et menses diluvii hic narrantur. Nam pluvia fuit quadraginta diebus. In quo secundum unum modum designatur totum laboriosum tempus Ecclesiæ vel hujus vitæ. Hic est enim numerus annorum et mansionum populi in deserto et jejunii Christi. In tota autem hac vita non cessat pluvia tentationum, neque pluvia gratiarum : ideo designat hic numerus tempus finalium tentationum. Septimo autem mense requievit arca non in loco infimo, sed in montium vertice, ad quem fuit per aquarum diluvium sublevata : quia Christus et ejus mater per tribulationum diluvium ad cœlestis regni solium adscenderunt habentes sabbatum seu requiem post perfectionem suorum operum et laborum senario præsentium dierum et mensium præsignatam. Ecclesia autem tam primitiva quam finalis per pressuram diluvii adscendit ad contemplationis et Evangelicæ perfectionis apicem et tandem ad cœlestem sedem. Rursum hoc diluvium duravit per annum, secundum Magistrum, et si menses essent lunares, tunc eadem die anno revoluto egressus est Noe de arca, quo intravit in eam. Intravit enim decima septima die secundi mensis licet alia translatio habet vigesimaseptima. Exivit autem vigesima octava die ejusdem mensis, quia quota est luna hodie, si undecim dies addas anno lunari, complent annum solarem. In quo designatur, quod post plenam resolutionem vitæ solaris, id est perfectæ, fit circularis reditus ad primum principium. Ulterius prima die decimi mensis apparuerunt cacumina montium, et post quadraginta dies aperta arcæ fenestra emittitur primo corvus, qui ad arcam plane non revertitur ; et tunc emittitur columba trina emissione. In prima redit, quia non invenit requiem pes suus. In secunda adfert ramum olivæ. In tertia evolat in æternum : tuncque subditur, quod decimo anno Noe prima die mensis primi imminutæ sunt aquæ, et aperto tecto arcæ, vidit Noe terram esse exsiccatam : licet mense secundo hoc plenius factum esse legatur, scilicet quadragesimo septimo die ab initio primi mensis præfati. In initio enim legis per mensem decimum propter præceptorum Decalogum designatæ apparuerunt prima elementa divini cultus et prima seminaria fidei. Et post ejus laboriosum decursum, seu post quadraginta generationes a Jacob usque ad Christum, reperta est fenestra sacræ Scripturæ, quando in die resurrectionis Christus discipulis suis aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas. Tunc enim quasi per fenestram in alto positam emissi sunt duo status Ecclesiæ, designati in Petro et Joanne. Primus est activus et clericalis et austeræ vitæ, interpretatus est quasi corvus, qui quantum ad electos est per mortificationem niger et per martyrium in aquis diluvii passionum et tentationum. Quantum vero ad ejusdem status imperfectos et reprobos corvus non rediit a negotiis corporalibus et sæcularibus quasi ab aquis et cadaveribus. Habent tamen vocem præsumptione inflatam et vitam per sæcula-

ria et carnalia denigratam : et ideo oportet post hunc emitti columbam, id est statum gratiosum et simplicem contemplativorum in amore et partu spiritalis amoris instar columbæ multum fœcundatum. Si autem vis multiformiter speculari mysteria columbæ et corvi, scito quod Judaicus populus se habuit ad Christi Ecclesiam, sicut corvus ad columbam : unde ille sicut corvus in carnis cæremoniis et sacrificiis versabatur. Rursus clerus Græcorum a carnali conjugio non recedens fuit corvus, Latinus vero pro quanto recessit fuit columba. Rursus in fine temporum ordo Ecclesiasticus ad carnem seu pellem temporalem inhians ipse est corvus. Qui vero illa omnia fugit, puro et columbino pastu contentus, ramum olivæ portat in rostro : pacem Christi et gratiam annuntians toti orbi, columbæ assimilatur.

Loquutus est autem Dominus ad Noe, dicens: Egredere etc. Habito de exterminio primæ generationis facto per diluvium, hic subditur de reparatione ejusdem. Narrantur autem hic septem per ordinem. Primo scilicet egressus de arca cum Dei imperio ad propagandum. Secundo sacrificii cultus Deo acceptus cum Dei promisso ad simile judicium de cetero non ilendum, ibi, *Ædificavit autem Noe.* Tertio hominis ad propagandum et universis dominandum benedictiva a Deo reconfirmatio, cum speciali concessione carnium et piscium, ibi, *Benedixitque Deus Noe.* Quarto Dei cum homine de cetero per diluvium non delendo specialis pactio et confœderatio, ibi, *Hoc quoque dixit Dominus ad Noe.* Quinto pro prædicto fœdere signi mystici donatio, ibi, *Dixitque Deus, hic est signum fœderis.* Sexto breviter et in summa de diffusione totius humani generis facta a tribus filiis Noe ; et specialiter quomodo Chanaan est natus de altero eorum, scilicet de Cham : et narratur simplicitas vitæ Noe, ut derisa a Cham, sed honorata a Sem et Japhet, ibi, *Igitur filii Noe erant.* Septimo narratur prophetica benedictio duorum honorantium, et maledictio dehonorantis patrem, ibi, *Evigilans autem Noe.* Et post breviter subditur summa omnium annorum Noe. Dicit igitur : *Sed omnia animantia egressa sunt de arca Noe.* Augustinus, XVI *de Civitate Dei*, cap. VII, quærit quomodo animalia quæ ex sola commixtione nascuntur, ad insulas vel ultra maria magna transierunt. Et respondet, quod possunt credi ad insulas proximas natando transisse : ad longinquiores vero portata fuisse per homines. Vel Dei jussu vel ministerio Angelorum hoc factum fuit. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis.* Absit cogitatio, quod Deus fuerit sensualiter delectatus in sensibili odore holocaustorum illorum : sed Scriptura sic loquitur ad fortius exprimendum, quod Deus spiritalem virtutem sacrificii Christi in illis, sicut in signis samentaliter contentam vehementer acceptabat. *Et ait ad eum. Nequaquam ultra maledicam terræ*, scilicet per immissionem universalis diluvii. Non enim intendit alia judicia postmodum subsecuta vel subsecutura per hoc excludere. Nota autem quod in eo, quod hoc subdit immediate post illud, Odoratus, aperte innuit se istud promittere, non propter meritum Noe : sed propter meritum Christi in fide et sacrificio Noe, sacramentaliter contentum : *Sensus enim et etc.* quasi diceret : Tanta est infirmitas corruptionis humanæ quod multa sunt sibi toleranda. Et nota quod duas causas veniæ seu venialitatis et remissibilitatis peccatorum nostrorum hic docet. Prima quidem est ex Dei et Christi hominis et sanctorum suorum bonitate. Secunda est ex humana infirmitate, *Cunctis diebus terræ sementis et messis etc., non requiescent*, id est non cessabunt. Quasi diceret, Omni tempore durabit debita alternatio dierum et noctium, et æstatis et hyemis, seu quatuor temporum anni, ac frigoris et æstus sive caloris, id est quatuor qualitatum elementalium in quibus illæ duæ prædominantur, et messium seminum sive seminationum. Quasi diceret : Cursus mundi hominum conservationi expediens a me de cetero continuabitur. Dicit autem, *Cunctis diebus terræ.* Et infra dicit, *Signum fœderis dari in generationes sempiternas.* Non quod cursus hujus vitæ sit æternaliter duraturus ; sed est hic intelligendum juxta quadruplicem modum tangendum infra tertiodecimo super illo verbo : Omnem terram quam conspicis tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum. Et nota quod ab ultimo binario, scilicet semente et messe, procedit ad duo media quæ ad immutationem aeris magis spectant et terminantur in primum et supremum, scilicet in noctem et diem cujus immediata causalitas est in sole. Sed forte quæretur, quare repromittit hoc potius respectu diluvii quam

rajueris judicii particularis? Ad hoc dicendum, quod existendo est Dei unum et idem universale judicium non venire. Et hoc triplici ex causa, quantum occurrit ad præsens. Prima est propter varietatem peccatorum. Sicut enim minori culpæ minor pœna debetur et majori major; sic diversis generibus criminum diversa genera suppliciorum congrue correspondent. Alia enim debentur peccatis carnalibus, alia spiritualibus; et alia his qui in lege naturæ peccaverunt et alia contemptoribus gratiæ legis et contemptoribus Christi. Secunda est ad ostendendam efficaciam meriti sanctorum Patrum et tandem Christi meriti: decens enim est, ut sanctis, qui patienter portaverunt et triumphaliter transierunt aliqua summa et universalia tentamenta et judicia, detur hoc privilegium, scilicet quod a modo super eorum genus et posteros tale judicium non contingat. Et in his figuratur privilegium meriti Christi, per quod sic sumus in æternum salvandi, quod in salvatis ab eo nullum sit judicium postea successurum. Tertia est, quia multiformitas judiciorum et operum sub decenti ordine introducta, multum nobilitat ordinem universi, et multum magnificat multiformitatem sapientiæ et potentiæ Dei.

CAPUT IX.

Benedixit Deus Noe. Et terror vester et tremor sit super cuncta animalia. Istud videtur dicere assecurative, ne scilicet formidarent quod Deus non operetur eis ad dominandum animalibus et cæteris prout expedit statui hujus vitæ. Videtur etiam solum de animalibus edendis. *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, et omne quod movetur*, id est omne animal, *erit vobis in cibum.* Ex hoc patet quod prius non erant eis in cibum, nec pisces prius erant traditi et concessi homini ad esum; alias frustra hoc hic apposuisset. Creditur autem hoc esse factum primo et principaliter propter deteriorationem terræ nascentium factam per diluvium; secundo ex condescensione; Deus enim per lapsum et decursum temporum condescendens hominibus concessit plura quæ in primis temporibus inhibuit. Unde statum paupertatis Apostolicæ in communi non compulit servari in Ecclesiis et monasteriis, quinimo opulentiam temporalium et propter infirmitatem status indulsit. Et certe majoris perfectionis erat a carnibus et piscibus abstinere: tum quia per hoc minuebatur carnale incitamentum et delectamentum, quod ex esu istorum provenit; tum quia illud erat argumentum quoddam humanioris cujusdam impietatis et pietatis. Nam animalia propter esum suum occidere, quamdam videtur sapere crudelitatem. Ex hac tamen concessione subsecutum est multiplex mysterium. Primum scilicet quod animalis vita occisa et tandem homini incorporata ascendit per hoc ad dignitatem rationalem. Secundo quod animalis homo animalia edit et sapit et animaliter vivit. Tertio quod animalitas nostra erat post baptismale diluvium et multo magis post finale judicium Christo et Apostolis incorporanda. Unde Gentiles, qui prius erant velut bestiæ, sunt per crucem Christi spiritaliter occisi, sunt et Christi Ecclesiæ incorporati, juxta illud quod, Actuum x, dictum est Petro: *Surge, Petre, occide et manduca, etc... Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, scilicet animalia; liceat vobis ea comedere, sicut licet comedere olera. Sed quomodo dicit omnia? Numquid licuit eis comedere animalia venenosa et mortifera? aut quædam abominabilia, ut sunt vermes, aut muscæ aut ranæ? Dicendum, quod subintelligendum est, Omnia nostro esui utilia et congruentia; quia nec etiam olera aut quæcumque alia sunt nobis nisi sub hoc modo concessa. *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis*, id est non comedetis animal suffocatum, in quo dum moritur et post mortem sanguis ejus remanet. Et pro hujus ratione subdit: *Sanguinem enim*, scilicet esum, *animarum vestrarum*, id est in quo fungantur animæ vestræ seu vitæ vestræ, *requiram*, scilicet per vindictam. *De manu cunctarum bestiarum*, id est bestialium hominum, qui nulla ratione ducti, sed sola bestiali ferocitate homines occidunt. *Et de manu hominis*, qui scilicet in occidendo aliqua ratione quasi homo rationalis moveri videtur. Deinde quasi expositive subdit: *De manu viri*, id est fortis sive potentis, et quasi in hoc strenui sive virilis, et de manu fratris cujuscumque secundum carnem propinqui. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, id est morte punietur, scilicet vel in hac vita, vel in altera, nisi suppleat per mortem pœnitentiæ satisfecerit. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.*

Quasi diceret : Non debet homo tractari sicut animalia bruta, sed potius pie et reverenter tanquam factus ad imaginem, ac per consequens ad æternam societatem Dei. Et nota quod in hac ratione aperte ostendit, quod contra naturalem dignitatem imaginis Dei est quod moriatur; et ita est quod mors humana est contra rectitudinem primi ordinis naturalis. Sed quare prohibuit esum animalis suffocati seu mortui cum sanguine suo? Aut quid facit ad hoc ratio quæ subditur, scilicet de sanguine hominis non effundendo? præcipue cum huic potius conformetur occisio animalium per effusionem sui sanguinis facta, quam quando fit absque effusione, sicut est in suffocatis ? Quomodo etiam creditur quod de manu bestiarum requiret Deus sanguinem hominis effusum ab eis, cum a bestiis, secundum litteram proprie sumptis, non debeat requiri ? Ad primum triplex ratio potest dari. Prima est ut doceat cibos et modos edendi abominabiles evitare. Carnes enim quibus sanguis coagulatus et mortuus est commixtus, sunt communiter abominabiles : et forte minus sanæ, quia non est facta ex eis grossarum fumositatum evaporatio debita. Secunda est ad magis elongandum homines ab omni crudeli effusione sanguinis et voracitate, quæ generat et includit quemdam bestialem appetitum sanguinis et quamdam brutalem rabiem in vorando : et hanc rationem videtur Deus hic ponere. Effundere autem sanguinem animalis hac sola causa ut carnibus primum a sanguine emundatis, postmodum cum maturitate debita illæ comedantur, non sonat crudelitatem, sed humanam medicinam et sobrietatem. Tertia est mystica : Hoc enim præceptum aliquo modo fuit cæremoniale, unde in Levitico inter cæremonialia reputatur. Si enim sanguis designet corruptum amorem, constat nihil cum eo edendum : Si vero designet sanctum amorem in quo est sedes spiritualis vitæ, tunc non est edendus ut commixtus cum carne, id est cum carnali opere vel affectu sanguinis morticinorum. Et potius designat corruptum amorem quam sanctum. Dicunt autem aliqui quod ubi nos habemus, de manu cunctarum bestiarum, in Hebræis est : De manu omnis viventis. Et ne de omnibus hoc simpliciter intelligatur, subdit expositive, id est de manu hominis. Vel potest secundo dici quod ad quamdam exaggerationem homicidii et pœnæ ejus dixit hoc de bestiis a quibus pro tanto humanum sanguinem requirit, pro quanto propter hoc bestias homini nocivas vult et facit interfici; propter hoc enim licitum et etiam debitum est occidere eas. Bestia etiam quæ jam hominem de facto occidit, etiam in horrorem talis facti interficienda est et ut homines ab homicidio fortius deterreantur. Tertio potest dici secundum modum supra jam expositum, quod scilicet bestia sumatur hic pro homine furore bestiali moto ad occidendum. *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum.* Nota quod a Noe et ultra legitur Deus pactum cum homine fecisse, in signum quod post primi hominis lapsum et post carnalis concupiscentiæ lubricum, et post mortis sibi debitæ diluvium non habemus spem aut societatem cum Deo, nisi per specialis reconciliationis pactum. Significatur etiam per hoc, quod Deus specialibus modis fœderatur cum suis electis post quælibet generalia judicia : quia tunc fundat et initiat novos status; et ideo oportet tunc fieri nova et specialia pacta pro toto tempore illius status. *Et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum.* Nota quod Deus non facit pacta ad animalia in seipsis, aut propter seipsa, sed solum in hominibus et propter homines. Unde cum Noe facit pactum de conservatione animalium pro quanto hoc erat utile homini. Dicitur tamen sic ut magis congruat mysteriis : quia in Noe et filiis ejus designantur magis intelligentes : in animalibus vero simpliciores qui a doctioribus erudiuntur. *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram.* Quidam dicunt quod ad litteram arcum solaris refulgentiæ in nubibus generatum dedit Deus pro signo diluvii non venturi. Et dicunt quod ante diluvium non fuerant nubes nec pluviæ, ac per consequens neque talis arcus. Quandocumque autem arcus apparet, signum est parvæ et temperatæ rorationis; quia arcus iste non generatur in nube, nisi solum quando ex ea manat subtile et parvum stillicidium, et quando e contra sol refulget : quod non potest fieri quando totus aer est nubibus densis et pluviis magnis opertus. Hinc etiam (ut dicunt) arcus hic est signum non cito venturi judicii ultimi per universalem conflagrationem ignium fiendi ; quia dispositio ad illam est aeris vehemens siccitas et adustio, cujus oppositum arcus

iste designat, quia non fit in nube sicca nec tempore sicco, sed in nube aquosa et tempore adjacentatum pluvioso. Sed contra hoc est primo, quia non est certum nec scripturale quod ante diluvium non fuerunt nubes nec pluviæ, nec talis arcus. Numquid enim terra promissionis et multæ aliæ terræ non egebant pluviis irrigari et fecundari et contra æstum caloris plerumque refrigerari? Numquid etiam per calorem solis non elevabantur tunc vapores ex terra et aqua, sicut et nunc? Quod si sic fiebat, utique nubes erant. Secundo, quia licet arcus iste exigat pluviam temperatam, non propter hoc est sufficiens signum seu argumentum quod Deus non debeat mundum per diluvium aquæ vel ignis, cum Dei potentia vel actio non dependeat ab actione aeris vel nubium; quin potius talia indicia fecit et facturus est, quo minus hoc ab omnibus communiter æstimetur. Tertio, quia iste signum est naturale potius quam specialis gratiæ sive pacti. Hic autem Deus ponit illud pro signo specialis fœderis sui ad Noe et ad stirpem ejus. Quarto quia iste arcus non dicit aliquam rationem amoris vel meriti, propter quam debeat Deus recordari fœderis sui. Hic autem dicitur a Deo quod cum viderit arcum suum, recordabitur fœderis sempiterni quod pepigit cum omni carne et cum omni vivente. Dicendum igitur quod Deus sicut et in ceteris mysteriis, sumpta figurali similitudine ex arcu nubium naturaliter temperiem exigente et designante voluit occulte significare formale et principale exemplar et signum inviolabilis firmitatis fœderis sui ad genus humanum, saltem quoad electos. Hoc autem est radicaliter immensa Dei bonitas ad genus humanum; expressive autem infallibilis veritas suarum promissionum tam scriptarum quam inspiratarum aut voce sensibili promulgatarum; promeritorie vero est charitas et passio Christi hominis, ac deinde charitas sanctorum Patrum. In quolibet enim horum instar arcus cœlestis inveniuntur scilicet septem. Temperamentum refrigerii, Irroratio suavis stillicidii, Dilatatio amplexus, Refulgentia solaris radii, Gratiositas aspectus, Venustas emissio jaculi amorosi, Serena profunditas perspicui nubilosi. Licet autem Deus a nullo objecto causaliter moveatur, nihilominus in horum visione quam habet non de novo, sed ab æterno, recordatur Deus fœderis, quod ex mera gratia pepigit cum electis. Et nota quod, licet Dei charitas et solaris veritas sunt sicut arcus pro quanto ad infima nostra arcualiter se aperiunt et expandunt; et serena profunditas Dei ac nubes sit et chorda in qua manet arcus iste; nihilominus ut solis ad nubem et arcum distinctio fiat, arcus iste est æternæ charitatis et veritatis a patre genitæ radiosa expressio posita primo in nubibus, id est in profundis eloquiis divinorum Testamentorum, seu divinarum promissionum vel Scripturarum; et simul cum hoc in cœlicis et profundis cordibus Patriarcharum et Prophetarum, ac tertio in humanitate Christi, tam per personalem unionem, quam per singularem illius animæ irradiationem et inebriationem: et simul cum hoc positus est iste in utero Virginis, et postea ibi tam cor quam brachia ad nos instar arcus expandit. Sexto in mentibus Apostolicis per fidem semper fervidam et prædicationem. Septimo in mente et carne apparuit in pactum et testimonium futurorum.

Erant igitur filii Noe. Hic de filiis ejus mentionem facit de Chanaam filio Cham, et benedictione Sem et Japhet, de qua et mox agere intendit. *Tres isti sunt filii Noe, et ab his disseminatum est totum genus humanum.* Ex hoc loco, et etiam ex præcedentibus, aperte patet quod hi soli tres viri cum Noe remanserunt post diluvium, et quod postea Noe non habuit aliam prolem. Ex quibus duo satis miranda occurrunt. Primum est quomodo in sexcentis annis Noe ante diluvium et trecentis annis filiorum suorum nullus ex eis natus sit præter hos tres; aut si plures ex eis nati sunt, quomodo salvati non sunt in arca. Secundum est quomodo in trecentis quinquaginta annis Noe post diluvium nullus ex eo natus est. Ad hoc ergo potest dici, quod sive ante diluvium plures ex eis nati fuerint, sive non, Deus tamen noluit in arca plures salvari quam Noe cum tribus filiis ejus, humanum genus repropagaturus. Et hoc primo propter mysterium Trinitatis in unitate firmatæ. Secundo propter majorem nexum unitatis generationum sequentium. Tertio in commendationem divinæ potentiæ et ordinis suæ sapientiæ, in eo quod ex paucis seminibus et radicibus multas messes facit mirabili ordine pullulare. Credendum est tamen quod si Noe ante diluvium aliam prolem habuit, quod vel suæ sanctitati non adhæserint, vel

ante diluvium obierint, aut quod submersio eorum per diluvium fuerit eis ad purgationem delictorum suorum, sicut et aliis tunc pœnitentibus et ad cor redeuntibus creditur in purgationem fuisse. *Cœpitque vir agricola etc., et plantavit vineam.* Secundum Magistrum in *Historiis* naturales labruscas transplantando et excolendo ad usum vineæ reduxit. Nihil tamen est inconveniens si dicatur quod bonas vites invenit, et collegit, et vineam inde fecit. *Bibensque vinum inebriatus est.* Ignorans, scilicet, vim ejus propter debilitatem sui capitis respectu fortitudinis vini, quod utique facilius nocet homini insueto et inexperto. An autem tunc cœpit usus vini, ita quod ante diluvium non biberent homines nisi aquam, non potest plane argui ex hoc loco. Isidorus tamen *Etymologiarum* libro XVII dicit : « Vitis plantationem primus Noe instituit rudi adhuc sæculo. » Et secundum hoc videtur quod ante diluvium non biberint homines saltem ex vinea culta. Nota quod Scriptura multis factis et accidentibus Noe, hoc unum quod in se fuit modicum nulliusque virtutis significanter enarrat, tum propter memorabile factum filiorum ex hoc subsecutum, tum etiam propter magnum mysterium quod hic spiritus Moysi vidit, tum etiam ut doceat quod etiam sanctis viris plerumque ita humana et infirma contingunt : tum etiam ut in hoc ipso innuat quod talia plerumque contingunt et contingere possunt absque peccato, tamquam non subjecta providentiæ nostræ, et potius acta in nobis quam facta a nobis. Mysterium autem hujus sancti sumptum in bono fuit, primo in figuram summi Patriarchæ Christi, quia nimia charitate suæ vineæ, id est Ecclesiæ suæ quam plantavit inebriatus, non erubuit pro nobis in cruce, et hoc in tabernaculo suo, id est in medio populi sui, pati. Secundo figurat excessivos fervores Sanctorum, qui pro Christo et Ecclesia nuditates et confusiones multimodas portaverunt, et portati sunt, instar David, qui coram ancillis suis nudatus est et quasi unus de scurris : unde et a Michol uxore sua derisus est sicut Christus a synagoga. Tertio significat apertionem Scripturarum quæ fit per excessum caritatis et per ebrietatem spiritus, ex qua Christi nuda veritas absque tegumento figuralium illucescit, quam tamen invidi et hæretici sicut canes dilacerant et derident. Sumptum vero in malo designat quod plantatio seu aggregatio delectabilium et carnalium fomentorum generant insaniam abominandorum excessuum, seu comessationum et ebrietatum, ad quam sequitur nudatio femorum, id est turpitudo luxuriæ ; et licet hoc de se sit derisibile, non est tamen filiorum derisorie revelare turpitudinem patris sui. *Cum didicisset quod fecit ei filius suus*, scilicet a duobus aliis filiis sibi hoc referentibus. Sed numquid hæc relatio fuit detractoria et Noe ad iram provocatoria, et per consequens perversa? Dicendum quod malum subditi potest licite referri Prælato, ut tamquam pater increpet et corrigat illud ; et præcipue si est talis de quo omnino sit præsumendum quod non provocetur impie contra peccantem, sicut de Noe sanctissimo et naturali patre ipsius Cham erat utique præsumendum. Dato etiam quod quodam zelo detestationis tanti sceleris dixerint hoc patri, et viro sancto, bene potuit hoc fieri absque peccato. *Ait : Maledictus etc.* Sed numquid maledicere non est peccatum ex peccato iræ causatum, cum Apostolus I Corinthiorum VI dicat, quod *maledici regnum Dei non possidebunt?* Dicendum quod sancti in Scripturis dicuntur maledicere, non quasi malum optantes, sed quasi prophetice futura mala prædicentes. Unde hic non debet suppleri, maledictus sit, sed maledictus est vel erit : unde nec subdit, servus sit, sed servus erit. Si tamen dicatur quod hæc sit quasi ex voto optantis, hoc fit solum ex zelo divinæ justitiæ, quam tunc promeritus fuerat. Nec ex hoc est facile ab infirmis trahendum exemplum : quia quod zelo justitiæ se facere putarent, facerent sæpius ex livore vindictæ et iræ. *Filius suus minor*, scilicet Cham. Qui minor dicitur vel solum respectu Sem et Japhet, scilicet si fuerit tertio genitus : vel dicitur minor valore et dignitate. Et nota quod iste merito maledictus est a patre. Prætermisso enim quod proprium patrem derisit, stupendum est quod patrem tantæ ætatis, tantæque sanctitatis, quem ita familiarem Deo probaverit, et in quo solo Deus omnia servaverat et restauraverat, sic potuit deridere : et præcipue cum ille homo esset jam sexcentenarius, et qui cum solis septem de diluvio salvatus erat, et maxime circa activum principium partis generativæ, de qua immediate se noverat propagatum. Unde patet quod

hoc non posset nisi prius a consolatione virtutis et a præsentia divinarum subventionum decidisset; propter quod merito hic scribitur tanquam valde stupendum. Et fortasse ex magna mentis præsumptione patris simplicitatem et casum ejus superbe contempsit; et in cumulum sui contemptus hoc fit pejus, quod rem occultam, cæteris detractorie et derisorie propalavit. *Maledictus Chanaan.* Qui jam post diluvium ex Cham erat natus. Sed quare Noe hunc primum maledixit, et non potius patri ejus qui eum deriserat? Dicendum quod hoc fecit, quia in spiritu vidit gentem Chananæorum ex hoc Chanaan generandam, esse singulariter a Deo maledicendam et exterminandam et subjugandam per Judæos, qui fuerunt de genere Sem; et etiam ante per Assyrios qui de Sem sunt orti, et tandem per Romanos qui de Japhet fuerunt. Moyses autem videtur hic, quantum ad litteram, præcipue dicere, quia subjugandi erant a Judæis; in cujus signum est quod ceteri filii Cham, de quibus infra dicitur, non maledicuntur, sed solus Chanaan. Potest etiam secundo dici quod plus fuit hoc quam maledicere patrem solum; quia perinde est ac si diceret: Tu et tua generatio eris maledicti a Deo. Fuit enim decens quod sicut malum filium se fecerat, sic filios malos et maledictos haberet. *Servus servorum erit fratribus suis.* Inter omnes servos erit vilissimus et summæ servituti subjectus, quasi serviens servis fratrum suorum. Dicitur enim servus servorum, sicut flos florum, et Deus Deorum. Nota quod servitus legis hujusmodi in pœnam propter peccatum est primitus introducta. Licet enim in omni hierarchia sit dare superiores et inferiores secundum Dionysium, non tamen servos. Servitus enim proprie sumpta est quid pœnale; sicut libertas ei opposita, est quid naturaliter desideratum. Habet autem tria in se notabiliter pœnalia. Primum respectu animæ et spiritualium quia servus non habet liberam facultatem transferendi se ad utiliora animæ suæ sine licentia domini sui. Secundum est respectu corporis et temporalium; quia nec in corpore nec in rebus habet liberum dominium, etiam respectu utilium sibi aut necessariorum. Tertium est quia potest a dominis compelli ad multas angustias et labores, et etiam potest vendi quasi jumentum. Dictus est autem servus a servando, quia victis hostibus capti ex eis servabantur ad vitam: sic tamen quod mortis præmortui essent subjecti servatoribus suis. Et hac ratione secundum jura gentium servitus processit, quia juste bello capti et juste occidendi gratisque ad vitam servati, juste potuerunt servitutis pœna ligari. *Benedictus Dominus Deus Sem.* Hoc dicit quia unius Dei cultus in sola stirpe Sem tempore Abrahæ remansit. *Sit Chanaan servus ejus.* Non dicit hoc pro persona Chanaan, sed pro populo Chananæorum, qui nascitur ex ipso. *Dilatet Deus Japhet.* Alludit nomini, quia Japhet latitudo interpretatur, quia in nationibus dilatatus est. Nam secundum Hieronymum populus gentium ex ipso est ortus. *Et habitet in tabernaculis Sem.* Id est populus ejus civiliter commoretur sub regno seu imperio filiorum Sem, quod proprie impletum est in regno Assyriorum et Chaldæorum; sed tandem verius in regno Christi qui fuit de Sem, sub quo et in quo omnes gentes per fidem manserunt. *Sitque Chanaan servus ejus.* Hoc impletum est in parte imperii Græcorum et imperii Romanorum. Sed forte quæret aliquis: Quid ponderis hæc maledictio? Nam quo ad culpam non fuit minus malum, imo pejus, quod filii Sem in regno idololatriæ super filios Cham regnaverunt, quam quod filii Cham eis in hoc subjecti fuerunt. Rursum cum omnia moriantur, quæ prosperitas fuit Judæis plus quam filiis Cham, in hoc quod illis de terra promissionis expulsis in ea temporaliter regnaverunt: cum per mortem inde exierint, sicut et illi, et etiam per consimilia bella sunt etiam inde expulsi? ulterius quæ benedictio fuit filiis Japhet, quod imperio filiorum Sem idololatrantium cohabitaverint? Dicendum quod hic et ubique in toto Testamento est regulariter observandum quod in temporalibus benedictionibus et promissionibus ac maledictionibus et comminationibus subintelligantur æterna bona et æterna mala. Itaque in talibus intelliguntur temporalia bona vel mala illis in factis contenta, vel eisdem aliquid melius vel pejus. Et ideo pro certo est tenendum quod Noe plus intendit hic prophetare de æternis et spiritualibus bonis et malis quam de transitoriis et terrenis. Et hinc est quod in hujusmodi semper prophetatur de complendis sub Christo. In Cham enim intelliguntur omnes reprobi, quorum generatio, velit nolit, servit electis, sive exercendo eorum patientiam cete-

rasque virtutes, sive quia eorum malitiæ virtus sanctorum prædominatur, et post hanc vitam illam potentissime et æternaliter conculcabit. Nota pro mysteriis, quod Cham designat Judæos et hæreticos, et universaliter omnes derisores Christi et sanctorum et sapientiæ Dei. Per Sem vero et Japhet designantur fides et charitas et omnes habentes eas. Vel conversi Judæi, per Sem, et conversi de gentibus, per Japhet, quia pallium, id est immensitatem majestatis et charitatis, et maturitatis et honestatis Christi imposuerunt humeris suis, se totos scilicet ei subjicientes, et per obedientiam eam portantes, et incedentes retrorsum, id est non redeuntes in eam partem quæ est ante faciem, sed in eam quæ est post tergum, qui motus retrocessivus vocatur, non viderunt, sed operuerunt verenda patris sui, id est carnali aut curioso et contemplativo aspectu non aspexerunt Christi humilia et infirma : sed potius sicut omnino superexcedentia intellectum eorum operiunt illa pallio divinæ majestatis, id est, reverendo ea tamquam divinissima, et tamquam divina majestate assumpta. Per cujus contrarium Judæi et hæretici in se et sua prole sunt maledicti, et æternæ servituti Apostolorum et fidelium addicti. Augustinus vero, XVI *de Civitate Dei*, cap. II, ponit hic mysteria quoad quædam, dicens quod quodammodo in passione Christi id factum est. Nam pro nobis eam factam honoramus, et Judæorum facinus aversamur. Vestimentum signat sacramentum, dorsa, memoriam præteritorum, quia passionem Christi vestimento sacramentorum honorabiliter tegimus, quam post tergum portamus, quia ipsius tamquam jam præteritæ memoriam celebramus. Dicit etiam quod reprobi solo sono vocis eam foris annunciant, et non intelligunt, intelligentia scilicet affectuali. Probi autem intus in corde honorant infirmum et stultum Dei, quia fortius et sapientius est hominibus. Et hujus figura est quod Cham exiens hoc annuntiavit foris. Sem vero et Japhet ut hoc velarent, hoc est, honorarent, ingressi sunt, id est interius id egerunt. Nota etiam quod idem subdit ibi : a duobus filiis Noe benedictis usque ad Abraham de nullo justorum quod pie Dominum colerent, nulla fit mentio, quamvis non sit credendum eos defuisse ; sed in omnes commemorarentur, nimis longum fieret, et hoc esset magis historica diligentia, quam prophetica providentia. Spiritus itaque Dei per Moysen illa subsequitur, quibus non solum narrarentur præterita, verum etiam prænuntientur futura, quæ tamen pertineant ad civitatem Dei ; eo quod quidquid hic dicitur de hominibus qui non sunt cives ejus, ad hoc dicit ut ex illa comparatione contraria vel proficiat vel emineat.

CAPUT X.

Hæ sunt generationes filiorum Noe. Habito de termino diluvii et separatione facta sub Noe, sequitur tertia pars de divisione stirpis Noe in varias gentes et linguas. Et primo dinumerat generationes trium filiorum Noe, tangendo aliqua de appellatione terrarum et distinctione facta per filios eorum. Secundo narrat causam divisionis linguarum, ibi, *Erat autem terra labii unius.* Tertio repetit generationem Sem, ut eam continuet, et per eam numerum temporum tradat, ibi, *Hæ generationes Sem.* In prima primum præmittit titulum generationis. Secundo enarrat ipsas. Et primo generationes minimi, scilicet Japhet. Secundo medii, ibi, *Filii autem Cham.* Tertio generationes primi, ibi, *De Sem quoque nati sunt.* Nota quod secundum Augustinum, XVI *de Civitate Dei*, capite tertio, hic narrantur septuaginta tres generationes ; scilicet quindecim de Japhet, triginta una de Cham, viginti septem de Sem ; et quælibet istarum fecit per se unam linguam, præter Phaleg, in quo lingua Hebraica patris sui remansit ; et ideo hebræi et Phaleg non fecerunt nisi unam linguam et sic secundum eum fuerunt solum septuaginta duæ linguæ. Verum est quod Augustinus sequens translationem Septuaginta in generatione Sem, ponit unum qui non est in hebræo, scilicet, Cainan genuit Sale. Quam litteram beatus Lucas sequitur. Sed sequamur veritatem hebraicam quæ non ponit Cainan, quia forte Cainan non fuit naturalis filius Arphaxad, ut sic amoto Cainan sint septuaginta duæ. Quod si objicias quod secundum hoc Judæi potius habuissent linguam Phaleg tamquam linguam Abrahæ quam Hebræi : Dicitur quod forte ideo Septuaginta apposuerunt Cainan, quia fecit per se unam linguam. Phaleg autem bis numeratus est, quia in ipso lingua patris remansit, et quia in diebus ejus divisæ sunt lin-

gua. Nota etiam quod quamvis post divisionem linguarum, non solum fuerunt septuaginta duo homines sic numerati, sed potius septuaginta duae gentes. Unde in fine hujus capituli dicitur, *Isti sunt filii Sem secundum cognationes et linguas, et generationes in gentibus suis.* Et post de omnibus universaliter dicitur: *Hae familiae Noe juxta populos et nationes suas.* Et supra dictum: *Hi filii Cham in cognationibus et linguis et gentibus suis.* Et similiter supra dictum de filiis *Japhet*; et ubi agit de filiis Cham, expresse ponit nomina gentium, unde dicit in isto cap. *Mesraim genuit Ludim et Anamim* etc. E quibus egressi sunt Philistiim et Caphtorim. Et secundum Augustinum, ideo multorum filii non sunt commemorati, quia ipsi gentes seu linguas per se non fecerunt, sed aliis gentibus adjuncti sunt. Quomodo enim aliter, cum filii Japhet octo commemorentur, ex solis duobus filii nati commemorantur? Et similiter cum filii Cham quatuor nominentur, ex solis tribus qui sunt nati adjiciuntur. Et similiter cum filii Sem nominentur sex, ex solis duobus nati describuntur. Numquid caeteri sine filiis remanserunt? Absque dubio non videtur. Nota etiam quod secundum Hieronymum, et secundum Josephum filii Japhet tenuerunt aquilonarem plagam a Tauro et Amano montibus Ciliciae et Syriae, usque ad fluvium Tanaim. In Europa vero usque ad Gadira, omnia scilicet maritima loca a praedictis montibus usque ad Oceanum Britannii. Tamen etiam nota, secundum Isidorum lib. IX *Etymologiarum* sequentem Hieronymum libro *Hebraicarum quaestionum* et Josephum, quod filii Japhet sunt septem: scilicet Gomer ex quo Galatae, id est, Galli; Magog a quo arbitrantur Scythas et Gothos traxisse originem; Madai, a quo Medi; Javan a quo Iones, qui et Graeci, unde et vocatur *mare Ionium*; Thubal, a quo Iberi, qui et Hispani, licet quidam ex eo et Italos natos suspicentur; Mosoch, a quo et Cappadoces, unde et urbs usque hodie apud eos Mazaca dicitur. Thiras ex quo Thraces. *Filii Gomer Aschenez etc.*, a quo Sarmatae quos Graeci Rheginos vocant; Riphath, a quo Paphlagones; Thogorma, a quo sunt Phryges. Filii Javan sunt Elisa, Elisa a quo graeci Elisaei, qui vocantur Aeolides. Unde et lingua quinta graeca Aeolis appellatur. Tharsis, a quo Cilices, ut Josephus arbitratur; unde et metropolis eorum Tharsus appellatur de qua fuit Apostolus Paulus. Cethim, a quo Citii, id est Cyprii nominantur. Dodanim, a quo Rhodii, qui Rhodum insulam occupant. Hae sunt generationes de stirpe Japhet, quia a Tauro monte ad aquilonem mediam partem Asiae, et omnem Europam usque ad Oceanum Britannicum possident, quarum gentium vocabula partim sunt immutata, partim manent.

Filii Cham. Nota secundum Hieronymum libro praefato quod septuaginta interpretes non valentes heth litteram, quae duplicem aspirationem sonat, in sermonem graecum vertere, frequenter chi, graecam litteram addiderunt, ut nos docerent hujusmodi vocabula aspirari debere. Unde hic transtulerunt Cham pro eo quod est Ham, a quo et Aegyptus usque hodie Aegyptiorum lingua Ham dicitur. Et sic dicitur quia descenderunt a Cham usque in Aegyptum. Unde in Psalmo legitur: *Jacob accola fuit in terra Cham. Filii autem Cham: Chus*, a quo Æthiopes progeniti (Chus usque hodie ab hebraeis Æthiopia nuncupatur). *Mesraim*, a quo Ægyptii perhibentur exorti. *Phut*, a quo Lybes. Unde et Mauritaniae fluvius usque hodie Phut dicitur, omnisque circa eum regio Phutensis, licet in una tantum climatis parte Lybiae nomen resederit, et reliqua terra Africa nominata sit. *Chanaan*, a quo Afri et Phoenices et Chananaeorum decem gentes. *Filii Chus Saba*, a quo scilicet Sabaei, de quibus Virgilius: solisque est thurea virga Sabaeis. Hevila a quo Getuli in parte remotioris Africae et eremo cohaerentes. *Sabbata*, a quo Sabbateni, qui nunc Astabari nuncupantur. Rema vero et Sabbata paulatim antiqua vocabula perdiderunt, et quae nunc pro veteribus habeant ignorantur. *Filii Rema Sabaa et Dadan.* Hic scribitur Saba per Sin litteram, supra vero per Samech, a quo diximus appellatos Sabaeos. Interpretatur vero nunc Saba Arabia. Nam in septuagesimo primo Psalmo ubi nos habemus *reges Arabum et Saba munera offerent*, scriptum est in hebraeo, reges Saba, primum per Sin, secundum per Samech. Sunt ergo duae Arabiae citerior et ulterior. *Dadan*, a quo gens est Æthiopiae in occidentali plaga. *Porro Chus genuit Nemrod.* De isto Nemroth agit diversum a praemissis filiis Chus, tum propter ejus singularem primatum in robore et regno et malitia, tum quia hic aliquid breviter de eo tradere intendebat. Voluit enim breviter notare a quo post diluvium coe-

pit tyrannis, et orientale imperium : videlicet a filiis Cham, a Noe maledicti : et inter filios Cham, ab isto Nemroth, qui secundum Hieronymum, arripuit prius in populo tyrannidem insuetam et regnavit in Babylone. Et in *Arath*, id est in urbe Edessa : et in *Achad*, quæ nunc dicitur Nisibis, et in *Chalamne* quæ postea a Seleuco rege dicta est Seleucia. Et secundum Augustinum hic Nemroth fuit gigas. Et secundum Isidorum vii lib. *Etymolog.* Nemroth interpretatur tyrannus ; et ipse aggressus est contra Deum, impietatis ædificare turrim. Si vero quæratur quomodo regnaverit in Babylone, et in terris circumadjacentibus, cum Babylon et terra Chaldæorum spectaverint ad filios Sem (nam secundum Hieronymum de Arphaxat filio Sem fuerunt Chaldæi). Potest dici quod per tyrannidem obtinuit varias terras eorum. Videtur autem Moyses velle hic innuere quod Nemroth esset tunc rex in Babylone quando turrim ejus ædificabant, et quando ibi divisæ sunt linguæ. Dicit ergo : *Ipse cœpit esse potens in terra,* potentia scilicet tyrannica et regali. *Et erat robustus venator coram Domino.* Secundum Augustinum, præpositio græca est æquivoca ad coram et ad contra. Unde et hic melius esset contra Dominum, quam coram Domino. Vult ergo dicere quod iste per præceptum et voluntatem venabatur homines ac si feras, id est quod per varias oppressiones eorum sibi eos subjecit. *Ab hoc,* id est de hoc *exivit proverbium,* scilicet inter gentes. *Quasi Nemroth robustus venator coram Domino.* Sensus est, quod quando aliquis erat crudelis, et aliorum fortis oppressor dicebatur, parabolice inter gentes : iste quasi alter Nemroth fortis venator contra Dominum. Fuit autem principium regni ejus Babylon, principalis scilicet sedes et metropolis regni ejus, et *Arath,* et *Chalamne,* scilicet fuerunt de regno ejus, et forte post Babylonem erant principales urbes regni sui. Vel Babylon cum aliis tribus urbibus fuerunt principium, id est principalis pars regni ejus. In quo innuitur ulterius quia longe lateque regnum ejus fuit diffusum. *In terra Sennaar.* Est planicies provinciæ Babylonis, id est de terra Sennaar. *Egressus Assur.* Secundum Hieronymum per Assur significatur Assyriorum imperium. Secundum Augustinum, proprie significat filium Sem : unde et hic tamquam de quodam singulari homine subditur. *Et ædificavit Niniven et plateas ejus, et duas alias urbes, scilicet Chale et Resen.* Licet posset hic dici quod Assur, id est Assyriorum gens ædificaverit hanc, scilicet Niniven, sed longe post. Nota quod idcirco de Assur facit hic mentionem, cum tamen non sit de filiis Cham, ut innuat quod prophetia Noe de subjugatione filiorum Cham sub filiis Sem in isto cœpit impleri : quia regnum Nemroth ad regnum Assyriorum fuit tandem translatum. Fecit etiam hoc ut simul conjunctim duo primaria initia et duas principales sedes primi et orientalis imperii demonstraret. *At vero Mesraim genuit Ludim, et Ananim, et Laabim, etc.* Exceptis Laabim a quo Lybies qui quondam Phutæi vocabantur, et Casluim, a quo Philistini dicti sunt, ceteræ gentes ignotæ nobis sunt, ait Hieronymus et Isidorus, quia bello Æthiopico subversæ usque ad oblivionem nominum pervenere. Posséderunt autem terram a Gaza urbe Philistinorum usque ad extremos fines Ægypti. *Chanaan autem genuit Sidonem,* a quo urbs in Phœnice Sidon vocatur. Secundus fuit *Hetheus* a quo Hethei. Tertius *Jebusæus,* a quo Jebusæi, et ita de aliis intermediis quos genuit. Sextus fuit Hevæus, a quo Hevæi : ipsi sunt Gabaonitæ qui supplices venerunt ad Josue. Septimus fuit Archæus qui Archas condidit oppidum contra Tripolim in radicibus Libani situm. Nonus Aradius, a quo Aradii qui Aradum insulam possederunt, angusto freto a Phœnicis littore separatam. Samaræi vero sunt quibus Edessa dicta nobilis civitas Syriæ, quæ vocatur Cœles, civitas Amath, usque ad nostrum tempus tam a Syris, quam ab Hebræis, ita ut apud veteres dicta fuerat, appellatur : quæ post Alexandrum dicta est Epiphania. Nonnulli vero putant Antiochiam primo vocatam esse Emath. *Factique sunt termini Chanaan,* id est Chananæorum, venientibus a Sydone Geraram usque ad Gazam et usque ad Lasan. Lasa autem secundum Hieronymum est quæ nunc Caliache dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes, in mare mortuum defluunt. *Hi sunt filii Cham,* qui scilicet a Sidone usque ad Gaditanum fretum omnem meridianam partem tenent. *De Sem quoque fratre Japhet majore nati sunt, patre omnium filiorum Heber.* Nota quod secundum Augustinum, quod hunc titulum ante enumerationem generationum Sem signanter præmittit, et ostendit quod Heber inter filios et nepotes Sem

omnibus est positus. Unde et ex Heber Hebræi sunt appellati, cujus linguam solus populus Israel potuit obtinere; in quo Dei cultus quasi tota remansit in tempore illo. Nominat autem Sem fratrem Japhet et non fratrem Cham, in signum reprobationis Cham. *Filii Sem*: *Elam*, a quo Elamitæ principes Persidis, quæ metropolis vocatur Elam. *Assur*, qui Niniven condidit, ut supra dictum est. *Arphaxad*, a quo Chaldæi. *Lud*, a quo Lydii. *Aram*, a quo Syri, quorum metropolis est Damascus. *Filii Aram*: *Hus*, qui conditor Trachonitidis et Damasci inter Palestinam et Cœlen Syriam tenuit principatum. Unde in libro Job, ubi in hebræo scribitur terra Hus, Septuaginta dixerunt Ausitidem, quasi Hussitidem transtulerunt. Et Hul a quo Armenii. Gether, a quo Acarnanii seu Cari. *Mes*, a quo hi qui nunc vocantur Mæones. *Phaleg eo quod in diebus ejus divisa sit terra*. Phaleg enim divisio interpretatur. Nota quod non sine causa Moyses ita signanter enumerat has septuaginta duas linguas, nec sine causa Deus hunc numerum ordinavit. Nam et sub consimili numero septuaginta duobus senioribus de spiritu Moysi dedit, ut spiritualiter eum juvarent, sicut habetur Num. xi, et Christus septuaginta duos discipulos sub duodecim Apostolis ad prædicandum elegit et misit, sicut patet Luc. x. Sunt enim in hoc numero, duodecim senarii, vel sex duodenæ ex quibus septuaginta consurgunt; sunt, et sunt numeri universitatis, ita competenter in ipsis universitas gentium et linguarum comprehensa fuit.

CAPUT XI

Erat autem terra labii unius. Hic redit ad narrandum causam divisionis linguarum, quæ fuit culpa superbiæ ædificantium urbem et turrim Babylonis. Et primo ponitur culpa, secundo justitia Dei culpæ illius punitiva et superbæ intentionis eorum dissipativa, ibi: *Descendit autem Dominus*. Dicit igitur: *Labii unius*. Labium et lingua sumuntur hic pro linguæ effectu, id est, pro locutione, eo modo quo per causam effectus significatur. *Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt*. An omnes tunc simul recesserunt et in Sennaar insimul venerunt, an solum principaliores ex eis cum aliquibus aliis [illegible] ibi. Licet enim infra dicatur,* scilicet quod inde de Babylone dispersit eos Dominus in universas terras, hoc potest dici, aut quia causa dispersionis omnium fuit ex illo loco, aut quia principaliores ibi erant et inde dispersi sunt, et in eorum divisione et dispersione diversæ sunt gentes, quarum ipsi erant duces; quia nec alia potest dari ratio quomodo tunc omnes discesserunt de Babylone. Non est enim dubium quin plures ibi tunc temporis remanserunt. Refert autem Magister quod Philo in libro *Quæstionum super Genesim* narrat, quod ex tribus filiis Noe, adhuc ipso vivente, fuerunt viginti quatuor millia virorum præter parvulos et mulieres. Sed videtur quod longe plures fuerunt. Noe enim, secundum litteram nostram et hebraicam, vixit usque ad exitum Abrahæ de domo patris sui. Nam a diluvio usque ad ejus exitum computantur trecenti septuaginta duo anni. Noe autem vixit ultra hunc numerum per tres annos. Tempore autem illo facta erat grandis populatio Chananæorum et diversarum gentium et regnorum. Præterea populus Israel in minus quam ducentis annis multiplicatus est in Ægypto usque ad sexcenta millia virorum præter parvulos et mulieres. Quid ergo mirum si in trecentis quinquaginta annis Noe sit facta multiplicatio longe ultra viginti quatuor] millia virorum? *Invenerunt campum*, id est planiciem, *in terra Sennaar*. Possibile est quod duabus ex causis de oriente recesserant. Primo scilicet ut magis accederent ad medium terræ habitabilis, ut exinde possent melius circumquaque diffundi, et regi a principalioribus, quasi in medio populorum regendorum manentibus. Secundo ut redirent ad terram in qua manserant Adam et primi patres eorum. Quacumque autem ex causa fuerit, est notandum quam mirabili ordine variavit Deus principales sedes patrum et divini cultus, et regnorum mundi. Nam primo fuit in Paradiso. Secundo creditur fuisse in Hierusalem sive circa Hebron, ubi et Adam legitur esse sepultus. Tertio faciente Domino quod arca post diluvium versus orientem subsideret, fuit in oriente. Quarto rediit circa Hierusalem, licet tunc aliquamdiu fuerit in Ægypto. Deinde sub Christo cultus Dei diffusus in omnes, quantum tamen ad principalem sedem per Græcos venit ad Latinos, exinde rediturus ad omnes, et præcipue ad Judæos. *Dixitque alter ad proximum*

suum, venite etc. Non est credendum quod Sem et ceteri sancti patres illius temporis in hoc consenserunt, et quamquam aliquis ex eis ad opus extrinsecus compelli potuit, præcipue cum videatur quod Noe adhuc viveret : quia secundum litteram nostram, a diluvio usque ad ortum Phaleg in cujus diebus divisa est terra, non sunt nisi anni centum triginta et unus : et usque ad mortem ejus sunt trecenti quadraginta : Noe autem post diluvium vixit trecentis quinquaginta annis, decem scilicet post mortem Phaleg. Ex modo autem isto loquendi innuitur quod aliqui fuerunt principales incitatores aliorum ad hoc ædificium : et etiam quod ex magno affectu, et cum multa et communi concordia hoc fecerunt. *Faciamus nobis civitatem et turrim*, id est turres, singulari pro plurali. Vel turrim vocat capitulum civitatis factum ad modum turris. Triplici autem ex causa videntur ad hoc opus moti. Primo scilicet ex cupiditate regnandi, et tyrannicam potentiam super universam terram exercendi in urbe illa, quam scilicet et inexpugnabiliter et insuperabiliter fundare intendebant. Secundo ex ambitione nominis et famæ ex hoc apud omnes obtinendæ. Unde et hic dicitur : *Et celebremus nomen nostrum*. Tertio secundum quosdam, ut consimile diluvium si accideret, evaderent : et ideo usque ultra nubes turrim voluerunt elevare, ut illuc diluvium non posset attingere. *Pertingat usque ad cœlum*. Id est usque ad supremam regionem aeris : quod cœlum vocatur, vel quod secundum sensum cœlo videtur esse conjunctum. Vel hoc dicunt secundum præsumptionem superbiæ suæ. *Descendit autem*. Nota quomodo hic et alibi Scriptura de Deo loquatur, quasi de uno temporali domino, qui de sublimi loco suo descendit ad videndum opera subditorum suorum, ut corrigat et reformet quidquid est corrigendum et reformandum in eis. Nota etiam quod in hoc modo loquendi docet rectum et ordinatum processum judicii. Nam culpa prius debet esse certa judici : et ideo oportet ut ipse vel ad se convocet judicandos : aut, si hoc modo bono fieri non potest, quod ipse per se vel per subdelegatos judices ad loca eorum accedat. Deus autem dicitur descendere ad videndum, pro quanto aspectus suæ sapientiæ et justitiæ fertur ad videndum et puniendum crimina subditorum suorum. Dicit autem *plu-*

Adam, ut innuat quod isti erant similes Adæ superbienti et ad scientiam sive sublimitatem attingere cupienti. *Et dixit : Ecce unus est populus etc.* Hoc intellectualiter dixit Deus intra se et etiam ad angelos suos. Notatur autem in his verbis causa rationabilis et condigna perturbandi conatus et intentiones istorum. Erant enim sic affectuosi et irrevocabiliter intenti ad perficiendum opus incœptum, et ad obtinendum id quod ex ipso opere finaliter intendebant, quod per fortes manus obstaculum a prædictis revocari non possent. Et quia ex unitate linguæ et ex concordia voluntatum ad malum, robur vehemens assumebant, idcirco dixit Deus : *Ecce unus est populus etc.* Et ex his subinfert pœnam confusionis linguarum esse optimam ad turbandum eorum intentum et conatum. Et ad angelos loquens subdit, *Venite igitur*. Confusio enim linguarum potuit saltem quo ad aliquid fieri ministerio angelico. Vult autem Scriptura per hos vel consimiles modos loquendi ostendere quod Deus facit per angelos ea quæ per ipsos fieri possunt. Dicitur autem Deus hic descendere per efficaciam aut effectum potentiæ suæ in illa in quæ agit. Loquitur autem sic ut sensibilius et terribilius hominibus ingerat Dei præsentiam et justitiam punitivam. *Ut non audiat unusquisque*, id est ut non intelligat, nec audiendo discernat. *Vocem proximi sui*, quicquid intendit significare per eam. *Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est etc.* Babel enim interpretatur confusio. Divisio autem linguarum confusio linguarum dicitur, quia ex hoc lingua unius fiebat alteri confusa et intelligibilis. Nota circa hoc, quod judicium est unum de universalibus judiciis Dei super genus humanum : et est tertium illorum universalium quæ in Scriptura sacra leguntur. Nam primum est inflictio mortalitatis. Secundum est diluvii exterminium. Nota, inquam, primo rectam correspondentiam ejus ad culpam pro qua est datum. Erat enim in illis perverse pax et unitas Deo valde contumeliosa, ipsisque damnosa, et electis onerosa et periculosa. Sicut enim nihil melius quam omnes insimul fortissime uniri in Deo et in omni bono : sic nihil pejus quam omnes fortissima conspiratione uniri ad malum. Sicut etiam Deo nihil magis honorificum quam quod omnia sibi soli ut summo capiti colæ-

[illegible] et sufficientiae(?), utrinque simul defendere aut magnificare appetunt, quod fuit temerarium ac praesumptuosum(?). Et e contra nihil praesumptuosius [illegible] ac intolerabilius, quam quod, contempto Deo et ejus regno neglecto, aliquod caput et regnum sibi statuere [illegible]. [illegible] ergo tolerandum quod homines paulo post tantum diluvium de novo [illegible], unum etiam tyrannum, scilicet Nemroth, quasi unum caput communiter statuerent, et intra unam urbem, pro toto hujus mundani regni capite [illegible] quasi in aeternum fundare? Quod autem superius ad omnem [illegible] semper intendit magnitudo potestatis alicui valde nociva; sic quam plurimum expedit eis quod talis potestas aut omnino tollatur eisdem, aut saltem confringatur, et dividatur et impediatur. Scimus autem quod humanae dominationis potestas ex unica et concordi hominum multitudine consurgit et corroboratur; et ideo quando superbe et pertinaciter conspirant ad malum, multum eis expedit quod dividantur. Sicut etiam [illegible] plurimum prodest habere multos inductores et quasi compulsores ad bonum, sic eis est periculosissimum et [illegible] contrarium, cum verbo et facto doctrinae et exemplis [illegible] quibus instigantur et compelluntur ad malum. Et sicut [illegible] humilitatem et consolationem(?); sic valde est onerosum quando contrarium videtur; et praecipue si in aeternum aut in tempore nimis longo semper [illegible] aut perduraret. Quid autem aptius et pulchrius ad praedictorum [illegible] unitatem et potestatem disrumpendam et confringendam, quam linguarum divisio et confusio? Per hanc enim [illegible] homo libentius(?) cum suo [illegible] quam cum homine [illegible], quorum linguae sunt sibi mutuo barbarae et ignotae. Per hanc etiam factum est ut hi qui Deo non obediebant, et [illegible] non obedirent, [illegible] vel praecepta intelligere possent. Praedicta autem non solum pro illo tempore fuerunt et [illegible], sed etiam pro toto tempore quo superbia mundi regnat. Secundo nota [illegible] quoad malos, quam quoad bonos. Bonis enim est valde poenale quod non possunt communicare cum omnibus vel doctrinam universi orbis nationibus per linguas et per scripta, nec [illegible] ac malos possunt, nec ad invicem consolari, nisi communicent in una aliqua lingua. Unde et ultra hoc est eis valde poenale, quod doctrinam salutarem illis non possunt in omnes nationes ore disseminare, nec jam disseminatam, prout expedit, irrigare. Communiter autem quantum ad malos et bonos est valde poenosa res; quia ex diversitate linguarum oritur facilitas discordiarum atque bellorum, et difficultas stabilis nexus diversarum nationum in unum. Si autem quaeritur, quomodo a principio unus intellexit alium sine notitia linguae? Unde enim scivit quod per eamdem vocem intenderet significare illud quod ipse? Potest dici quod hoc, sicut et alia, factum est miraculose; et forte etiam per quamdam rationalem comparationem, per quam ex conformitate locutionis aliorum ejusque linguae ad suam, advertebat quod idipsum significare volebant. Si autem ultra quaeratur: An per hoc miraculum sit solum facta variatio in vi motiva linguae, aut etiam ultra hoc in imaginatione et intellectu? Dicendum quod in omnibus simul; quia ex habitibus illarum trium partium integratur una perfecta habituatio ad loquendum hanc vel illam linguam. Oportet enim quod sciat significata propria vocum illius linguae formandae et seriose connectendae. Tertio nota pro mysteriis, quod divisio linguarum moraliter designat divisionem et contrarietatem vitiorum et vitiosorum, qui quatumcumque videantur uniti, impossibile est quin concordaliter discordent, quia pravus alios non diligit nisi solum propter seipsum. Allegorice autem signat divisionem schismatum et haeresum, et culturam diversorum idolorum: in quibus unitas fidei in varias linguas errorum fuit multipliciter scissa. Sicut autem urbs et turris Babylonica significat omnes sedes superbiae, sic Nemroth omnia capita ejus: et secundum hoc potest multiplicare mysteria tam moralia quam allegorica juxta numerum et processum principalium sedium et capitum superborum.

Hae generationes Sem. Hic redit ad narrandam generationem Sem, ut sic veniat ad Abraham. *Sem centum annorum erat quando genuit Arphaxat biennio post diluvium.* Quidam volunt quod Scriptura more suo dimittat hic duos annos Sem, quia dicunt quod centum annorum fuit mox post diluvium: sed hoc non videtur, quia hic signanter apponit bien-

nium. Præterea hic narrantur numeri generationum, ad sciendum numerum temporum. Potius ergo videtur quod Sem immediate non fuerit natus post sexcentos annos Noe, sed sexcentos duos annos, sicut supra fuit tactum. Nota quod in tota hac genealogia usque ad Abraham jam natum, nunquam subditur, et mortuus est. Et licet posset dici quod ex præcedentibus et subsequentibus hoc consimiliter vult hic intelligi, et etiam ex hoc quod dixit, Vixit tot annis, hoc satis aperte innuat, nihilominus videtur scriptura hic aliquod mysterium intendisse: scilicet quod regeneratio gratiæ terminatur in vitam æternam Abrahæ repromissam, et hoc per observantiam decalogi. Unde et Abraham hic est decimus a Sem. Nota etiam quod ex numeris annorum hic positis habeatur quod Noe et Sem vixerunt longe post divisionem linguarum, et etiam usque ad tempus idololatriæ in mundo diffusæ, aut exitum Thare et Abrahæ de terra sua, posset aliquis mirari quomodo tanta idololatria ipsis viventibus potuit introduci. Et an ipsi perdiderint suam linguam primam: et sic Arphaxat et Thare perdiderint, et aliam acceperint? Sed ad secundum potest dici quod in aliquibus singularibus prius potuit remanere prima lingua, et quod ultra hoc fieret quod scirent linguam gentis cum qua manebant. Unde si Noe et Sem non manserunt tunc cum gente quæ retinuit linguam Heber, id est linguam Hebræam, quæ creditur esse eadem cum prima lingua Adae: verisimile est quod scirent utramque linguam; scilicet primam, et alteram illius scilicet gentis cum qua remanserunt. Ad primum vero potest dici quod sancti Patres illi in tanta simplicitate vixerunt, quod cum proles eorum multiplicata parum curarit de eorum doctrina et vita, potius oportuit eos dissimulare malitias populi ab eis exorti, quam populum ex eis natum aliquo mundano timore oportuerit patrum viam revereri aut sequi: et de hoc in omnibus filiis sanctorum Patrum habes exempla. Nota etiam tertio, quod lingua prima recte remansit in solo populo fideli unitatem Trinitatis tunc veraciter credente et colente. *Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abraham et Nachor et Aram.* Non intelligit quod eodem anno sunt geniti: sed Abraham fuit genitus septuagesimo primo anno Thare, sicut ex subsequentibus patet: sequentibus vero annis nati sunt Nachor et Aram. *Hæ sunt autem generationes Thare.* Nota quomodo ad ostendendum quod Abraham fuit quoddam insigne principium populi Dei et novi temporis sive status, repetit generationes Thare, præmittendo insignem titulum, scilicet, *Hæ sunt autem generationes Thare.* Hieronymus super hoc loco dicit quod Hebræi tradunt fabulam, scilicet quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem quem Chaldæi colunt, adorare noluit, et Dei auxilio liberatus est. Unde et pro eo quod hic dicitur quod mortuus est Aram ante conspectum patris sui Thare in regione Chaldæorum, in Hebræo legitur in Ur, id est in igne Chaldæorum. Ur enim in Hebræo idem est quod ignis. Unde et infra loquitur Deus ad Abraham: *Ego sum qui eduxi te de igne Chaldæorum.* Et secundum hoc littera nostra quæ habet, *Mortuusque est Aram ante Thare*, debet exponi, id est mortuus est coram Thare patre suo: quamvis potest esse sensus quod Aram mortuus est antequam Thare pater suus, et quod Ur esset nomen alicujus loci terræ Chaldæorum. Potest autem esse quod Ur esset locus in quo ignis a Chaldæis præcipue colebatur. *Patris Melchæ et Jeschæ.* Secundum Hieronymum, Sarai uxor Abraham cognominata est Jescha: fuit enim binomia. Nec mireris quod Abraham et Nachor in uxores duxerunt duas filias Aram fratris sui, quia nondum erat lege prohibitum. *Tulit itaque Thare.* Tulit, dixit, pro deduxit, quia eos duxit secum sicut pater filios suos. *Et eduxit eos de Ur Chaldæorum.* Et satis videtur, quod Ur Chaldæorum hic pro aliquo certo loco, vel pro tota terra Chaldæorum ponitur. *Ut irent in terram Chanaan.* Ex hoc patet quod jam ipsi Thare dixerat quod irent in terram Chanaan. Nec mirum; quia secundum Augustinum XVI *de Civitate Dei*, capite XIII, in libro Judith ex verbis Achior habetur domum Thare persecutionem fuisse passam, quia noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui fuerunt in terra Chaldæorum, et ex hoc fuerunt in Mesopotamia. Quærit autem Augustinus ibidem, quare non fit hic mentio de Nachor fratre Abraham, cum infra vigesimo quarto capitulo dicatur quod servus Abrahæ perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor. Et respondet ibi Augustinus, quod forte tunc a Deo patris sui discesserat et superstitioni Chaldæorum adhæ-

serat, et postea in fine pœnitendo sive persecutionem patiendo, eo quod suspectus habebatur, et ipse emigravit. Veneruntque usque Aran, *quæ est urbs in Mesopotamia*. Pro qua Septuaginta ponunt Charan. *Et habitaverunt ibi*. Sed quare Thare iter suum in terram Chanaan non perfecit? Creditur a quibusdam quod forte hoc tenuit judicans sibi sufficere quod a Chaldæorum infestatione elongatus et quietatus esset; vel forte expectabat ad hoc tempus opportunius; vel volebat in hoc condescendere Nachor filio postquam jam ad eum venerat, quia Nachor videtur fuisse involuntarius ad eundum. Quacumque autem ex causa hoc contigerit, esse in mysterium multorum constat, qui per viam religionis aut pœnitentiæ de terra sua exeunt, sed ad terminum viæ non perveniunt; immo in via remanent quasi in termino finali essent; et ideo oportet quod etiam educantur a talibus patribus electi filii gratiæ similes Abrahæ; et exeant et recedant ultra, usque ad viæ terminum finalem procedendo. Unde Christus cum suis Apostolis recessit a Judæis ipsis in suis cæremoniis per quas de idololatria Ægypti exierant volentibus finaliter immanere; sic et illis regularibus qui paupertatem cum terrena cupiditate negotiationum commiscent erit et est amplius suo tempore recedendum, si in solis cœlestibus volumus immanere.

CAPUT XII

Dixit autem Dominus ad Abraham. Hæc est quarta pars principalis hujus libri in qua de tribus patribus populi Dei plenius prosequitur. Nam de duodecim filiis Israel plenius prosequitur infra, complendo historiam Jacob patris eorum. Primo igitur agit de Abraham. Secundo de Isaac, infra xxv: *Et post obitum illius benedixit Dominus Isaac.* Tertio de Jacob cap. xxviii. Dicit autem: *Egressus Jacob de Bersabee.* Historiam Abrahæ prosequitur, narrando septem apparitiones Dei successive ad ipsum factas. In quarum prima exitus de domo patris sui sibi præcipitur, et grandis magnificentia, usque ad universas gentes dilatanda sibi promittitur. In secunda semini suo terra Chanaan promittitur, et duplex altare in cultum Dei ibi construitur. Primum quidem circa Sichem, secundum circa Bethel. Et ipso propter famem in Ægyptum descendente, uxor ejus a Pharaone subripitur et tandem divino miraculo liberatur; ipsoque inde redeunte Loth ab eo dividitur: et hoc incipit infra xii capit. *Apparuit autem Dominus Abraham.* In tertia eadem terra sibi et semini suo iterato promittitur et innumerabilis multiplicatio seminis sui; et circumspecta et perambulata terra illa, tertium altare in Hebron ab ipso constituitur; et quatuor magnis regibus orientis ab ipso mirabiliter triumphatis, Loth per ipsum liberatur. Et quinque regibus terræ Sodomorum multa spolia per ipsum redduntur, et Melchisedech sacerdoti Dei ad Abraham decimæ dantur, et ab ipso Melchisedech tanquam a Dei sacerdote ipse benedicitur. De hoc infra xiii: *Dixitque Dominus postquam divisus est ab eo Loth.* In quarta semen ejus futurum a semine adoptivi distinguitur, ita quod jam expresse de ejus corpore semen innumerabile sibi promittitur, et fides Abrahæ super hoc singulariter commendatur. Et signa benedictionis promissæ ab ejus semine hæreditandæ sibi dantur: et tempus et generatio sub qua hoc fiet, exprimitur, et pacto Dei expresso repromissio ista firmatur, et tandem de Agar ancilla filius sibi datur, et hoc capitulo xv: *His itaque transactis.* In quinta circumcisio instituitur, et prædicta promissio plenius confirmatur: in cujus signum nomen ejus per unam litteram ampliatur, filiusque ex Sara libera promittitur, et in illo promissiones factæ implendæ docentur, et hoc xvi capite: *Postquam vero nonaginta annorum esse cœperat.* In sexta beatissimæ Trinitatis mysterium sibi aperitur, et filius de Sara libera sibi iterato promittitur anno revoluto habendus: et Sodomorum excidium sibi revelatur, et ex tunc Loth ejus precibus liberatur, ac deinde a rege Abimelech, Sara uxor ejus subripitur et divino oraculo liberatur, et tandem Isaac de ipsa nascitur. Et hic quædam locutio ad Abraham subinducitur, ut sic sexta apparitio sit quasi dupla. Et tandem cum Abimelech rege confœderatur, et hoc capitulo xviii: *Apparuit autem ei Dominus.* In septima Isaac offerri præcipitur, et offertur, et repromissio cum juramento immobili confirmatur; et tandem Sara moritur et in sepulchro primi parentis sepelitur, et tandem Isaac uxor datur Rebecca et ab Abraham alia uxor ducitur ex qua multiplicantur pro-

les : sed ab Isaac matre inferior longe secernitur. Et nota admirabilem processum et ordinem apparitionum et promissionem istarum. Nam usque ad quartam Abraham non certificatur an semen sibi promissum debeat esse adoptivum, aut de suo corpore procreandum : usque ad quartam etiam non certificatur de tempore quo hæc secundum litteram incipiant adimpleri. In prima etiam non fuit expressa mentio de semine, nec de donatione terræ ad quam mittitur. In secunda etiam non erat clare expressum, an soli semini suo et non semini Loth prædicta promitterentur. Sed in tertia per divisionem Loth jam factam hoc aperitur. Rursus in prima non ponitur quod fuerit adeo ditatus aut adhuc magnificatus ; sed in secunda legitur esse ditatus et in tertia. Rursus in quinta certificatur quasi quod in filio liberæ prædicta implebuntur. In sexta hoc plenius certificatur omni dubio expleto, et deitatis secreta plenius reserantur, filiusque liberæ futurus dicitur. In septima vero tam partus Isaac, quam per ea quæ in ejus immolatione sunt facta requies pacis datur : ut sic etiam locutio facta Abrahæ de ejectione ancillæ et filii ejus possit stare pro septima. Nota igitur hic quomodo Deus gradatim et successive suas revelationes clarificat et revelationes adauget. Unde et in sexta mundi ætate Christus et christianus populus quasi alter Isaac de libera nascitur, et civitatis mysterium publice promulgatur, et in ætate septima pax Christo mediante speratur. Exponatur igitur aliquid de littera primæ apparitionis. *Dixit autem Deus ad Abraham: Egredere de terra* : et post, *Septuaginta quinque annorum erat Abraham cum egrederetur de Aran.* Contra hoc arguitur : quia supra dicitur, quod Thare postquam genuit Abraham, vixit centum triginta quinque annis ; et postmodum subditur, quod cum de Chaldæa venissent usque ad Aran, facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Aran : ergo videtur quod Abraham quando exivit de Aran, erat centum triginta quinque annorum. Ad quod, secundum Hieronymum dicunt Hebræi, quod tempus Abrahæ non computatur hic a sua nativitate, sed a tempore quod de igne Chaldæorum fuit Dei auxilio liberatus. Sed quia nullam habet certitudinem a Scriptura, et quia infra dicitur quod centum annorum erat quando habuit Isaac, Sara vero nonaginta, et tandem infra omnes anni vitæ eorum expresse narrantur, qui cum præfata opinione Hebræorum non concordant : idcirco sequendo Augustinum XVI *de Civitate Dei*, cap. XV, potius est dicendum, quod Deus dixit hoc Abrahæ longe ante mortem patris sui, licet Scriptura more suo hoc post mortem patris narret, tamquam rediens ad id quod omiserat. Et huic sententiæ concordat beatus Stephanus Actuum VII dicens : *Deus gloriæ apparuit Abraham cum esset in Mesopotamia priusquam moreretur in Charan*, id est in Aran *et dixit ad illum : Exi de terra etc.* Quod vero Stephanus ibi subdit, *Tunc exivit de terra Chaldæorum et habitavit in Charan*, non refertur ad tempus in quo Deus dixit illa Abrahæ, cum jam esset in Mesopotamia, nondum tamen in Aran quæ est urbs quædam Mesopotamiæ : sed refertur ad totum tempus exitus et processus Abrahæ a terra Chaldæorum usque in Aran. Quod autem ei jam in Mesopotamia constituto, hoc est, jam de terra Chaldæorum egresso, dixit Deus, *Exi de terra tua etc.*, non dicitur ut corpore inde exiret, quod jam fecerat, sed ut animum inde evelleret. Adhuc enim secundum Augustinum, sæpe redeundi desiderio tenebatur, quæ spes et desiderium Deo jubente et juvante erat amputandum. Nec est intelligendum id quod a beato Stephano subditur : Et inde, scilicet de Aran, postquam mortuus est pater ejus, transtulit eum in terram istam in qua nunc vos habitatis : Quia secundum Augustinum per collocationem in terra Chanaan, non intelligit recessum ejus de Aran, sed quamdam firmiorem stabilitatem ejus in terra promissa. Biennio enim post mortem patris sui emit agrum in quo est spelunca duplex, scilicet cum jam centum triginta septem annorum esset, sicut infra ex capitulo XXIII trahi potest : ubi et subditur, quod tunc confirmatus est ager Abrahæ in possessionem a filiis Beth. Nec contra hoc est quod beatus Stephanus subdit : scilicet quod non dedit illi Deus tunc hæreditatem in ea, nec passum pedis ; quia ibi loquitur beatus Stephanus de illo modo donationis solemnis quæ sibi et semini suo promittebatur. Sed quare voluit Deus ipsum exire de terra sua et de domo patris sui? Numquid non æque bonum erat Deum colere in terra sua et a Deo ipsum magnificari in illa, sicut in aliena? Dicendum

quod Deus hoc ineffabiliter voluit. Primo, quia hujusmodi exitus et recessus est multipliciter utilis ad sui mundique contemptum, et ad peregrinationis hujus vitæ sensibile experimentum, et ad multarum penalitatum sufficientiam confractionem simul cum carnalitatis et cupiditatum. Secundo, quia a propinquis et domesticis divino cultui et amori contrariis facilius homo impeditur et retrahitur a bono, trahiturque ad malum, quam ab extraneis et ignotis. Tertio quia dignum erat a gente et terra illa Dei cultum prius in ea plantatum tolli, ac decens et utile erat ipsum in medio terræ habitabilis transplantari, ubi et Adam fuerat, ac Christus nasciturus ac moriturus erat. Quarto, quia ab impiis Chananæis terra erat juste tollenda et in usum ac dominium justæ prolis Sem redigenda. Quinto, quia mirabilius fuit ex uno patre in terra aliena grandem populum multiplicari et alienam terram per manum robustam sibi dari et ipsum patrem cum sua prole inter extraneos mirabiliter protegi et exaltari, quam si hæc in terra propria et inter suos facta fuissent. Sexto, factum est in mysterium, quod omnino recedendum est a propria voluntate et ab affectione suæ carnis et suorum sensuum ei qui vult perfici in divinis. Septimo, factum est in allegoricum mysterium omnium peregrinationum populi Dei; et etiam Christi, qui pro nobis hæreditandis in cœlo exivit a Patre et venit in exilium hujus mundi, ut in terra reproborum propagaret electos, dominaturos et in illa. Unde et exitus de sæculo per regularem abdicationem temporalium et parentum, ut perfectius abeatur ad patriam eis promissam, hic figuratur. *Faciamque te in gentem magnam*, scilicet per multiplicationem seminis tui, et per spiritalem principatum in omnes futurorum fidelium nationes. *Benedicam*, scilicet benedictione gratiæ et gloriæ. *Benedicentibus tibi*, scilicet ex fide Christi ex te nascituri, id est his qui in te fideliter benedixerint Deum et ejus fidem et gratiam tibi datam. *Atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*; id est ex tuæ fidei exemplo, et ex merito Christi de te nascituri, justificabuntur omnes gentes, id est aliqui de omnibus, vel omnes gentes in Christum crediture. Quidam tamen legunt hoc, ut sit sensus, quod quando gentes ab aliquo benedicentur, dicetur : Sic benedicat tibi Deus, sicut benedixit Abrahæ. Sed si hoc solum hic et in sequentibus intelligatur, modicum et quasi nihil aliis promittitur. Primo, quia plurimis idololatris et paganis imperatoribus incomparabiliter plus in temporalibus benedixit Deus quam Abrahæ, aut quam aliqui de semine ejus, aut etiam Salomoni. Secundo, quia omnia temporalia merito spirituali homini sunt vel esse debent sicut stercora ; et etiam, quia si ab aliquo carnaliter quærantur, plus vult quis modicum in terra suæ nativitatis, quam aliis multum : et sic hic plus voluisset Abraham modicum in Chaldæa, quam multum in terra Chanaan. Tertio quia illum primum sensum Apostolus dicit in Abraham et in semine Christo impletum, et nos de facto credimus et videmus omnes gentes fidelium in semine Abrahæ justificatos. *Et animas quas fecerat in Aran*, id est animalia, et servorum mancipia ex suis servis ibi genita. *Et egressi sunt in terram Chanaan*. Nota secundum Augustinum, quod eodem anno facta sunt omnia : scilicet ejus egressio, et habitatio in Chanaan, et Dei promissio. Quod probatur primo ex hoc quod infra, XVI capite, dicitur quod post annos decem habitationis eorum in Chanaam dedit Sara viro suo Agar in uxorem. Et postea subditur quod septuaginta sex annorum erat quando peperit ei Agar Ismaelem. Ex quo oportet quod in septuagesimo quinto anno suo quo egressus est de Aran, intravit terram Chanaan. Secundo, quia secundum Apostolum ad Galatas III, a promissione hic facta Abrahæ usque ad legislationem fuerunt anni quadringenti triginta : et Exod. XII, dicitur quod habitatio filiorum Israel in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum. Quod non potest esse verum, nisi pro quanto ab exitu Abraham de domo patris sui reputantur, quasi ex tunc peregrinus in Ægypto erit.

Nunc de littera secundæ apparitionis. *Et ultra progrediens ad meridiem*, id est ad australem plagam terræ promissæ, quæ est confinis Ægypto. *Descendit Abraham*. Nota quod triplici ex causa Deus hoc ordinavit. Prima, quia varia terrarum peregrinatio erat spiritualiter utilis et meritoria ipsi Abrahæ. In illa enim plures difficultates, et plures mores gentium, et plures principaliores modos divinæ providentiæ, et circa se et circa alios plenius experiebatur. Secundo, quia mos est Dei in primis patribus et ducibus po-

puli Dei exemplariter depingere ventura populo illi. Descensum ergo populi Israel in Ægyptum, et ejus afflictionem in illa, ejusque liberationem et reditum voluit etiam exemplificare in Abraham. Tertio quia facta patrum prophetice regebantur a Deo, in futurorum mysteria et multiplices prophetias. *Dicturi sunt, uxor ipsius est, et interficient me.* Sed quare æstimabat quod propter hoc interficerent eum? Numquid non sufficiebat eis quod auferrent sibi eam? Ad hoc triplex datur causa. Prima est ad operationem nequitiæ suæ. Ipso enim occiso et postmodum ducendo Saram in uxorem, non viderentur adulterari. Secunda est ut illam securius possiderent. Possent enim præsumere quod Sara semper vellet redire ad virum, et quod ipso vivo non plene afficeretur illis. Tertia est, ut a quibusdam dicitur, quia adulterium fortiter tunc temporis puniebant, et saltem in aliis odiebant. *Dic ergo, obsecro, quod soror mea sis.* Nota quod in hoc nihil falsum, imo verum fecit eam dicere : erat enim vere soror ejus, eo modo quo et Loth infra dicitur esse frater ejus. Nam propinquos carne fratres et sorores vocabant. Et quod istud hac mente dictum sit, ostenditur aperte infra capite xx. Ubi jam comperto Abimelech rege quod esset ejus uxor, dixit ei Abraham : alias enim et vere soror mea est : erat enim filia fratris sui. Nec cogebatur tunc Abraham hoc dicere ex timore, quia tunc aperte confessus est quod erat uxor sua. Sed numquid malefecit Abraham suæ uxoris pudicitiam tanto periculo exponendo ad vitandum solum periculum proprii corporis? Cur non potius de Deo suo speravit, ut fateri non timeret uxorem? Ad hoc respondet Augustinus, xxii libro *contra Faustum*, dicens : « Si interrogatus eam indicasset suam esse uxorem, duas res tuendas commisisset Deo ; scilicet suam vitam, et conjugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctrinam quando habet quod faciat homo non tentare Dominum Deum suum. Unde Paulus submissus est per murum, et Christus docuit discipulos suos fugere, et ipse etiam fugit in exemplum nostræ infirmitatis. Item xvi *de Civitate Dei*, capite xix, dicit : « Sed uxorem tacuit, non negavit, committens Deo tuendam conjugis pudicitiam, et humanas insidias cavens ut homo ; quoniam si periculum, quantum cavere poterat, non caveret, magis tentaret Deum quam speraret in Domino. » Hæc Augustinus. Nota ergo quod nihil falsi dixit, sed aliquam veritatem velandam tacuit, et sub largo modo sumendo sororem, veritatem celandam cautius occultavit, quia periculosius fuisset uxori si eam raperent, viro occiso, quam viro in sua libertate vivente. Pluribus autem ex causis Deus voluit Abraham super his tunc temporis tentare. Primo, ut ejus provida discretio probaretur. Ex quo enim discretio est homini nobilis virtus, decet quod ejus opera habeant locum suum. Secundo, ut ejus fides et patientia plenius probaretur et exerceretur. Stare enim fixe et tranquille in dubiis et incertis, majoris est fidei et constantiæ, quam solum esse firmum et tranquillum in eventibus certis. Tertio, ut in hoc et similibus monstraretur ordo distributionis gratiarum Dei. Non enim debet totum dari repente et simul ; sed ab aliquali initio gratiæ per meritum debet iri ad terminum completum : et ex gratia prima data, debent primo aliqua præire merita, antequam gratiæ consummentur. Decuit ergo quod Abraham committendo se Deo in dubiis et periculis, mereretur donum liberationis et protectionis sui et suorum. Quarto, quia fuit hoc utilius. Nam quando post præcedentem indigentiam et post afflictionem amaram liberatio ipsa subsequitur, et in hoc ipso clarius apparet potentia liberantis. Quinto, ut tam ipsi quam sancti consimiles in hujusmodi, essent posteris in solatium et exemplum : non enim omnes erant certificandi de omnibus dubiis et periculis antequam acciderent eis. *Abraham vero bene usi sunt propter illam*, id est secundum Hieronymum. Pharao bene fecit Abraham propter eam, dando scilicet ei dona. Et ad hoc designandum videtur subdi, *Fueruntque ei oves etc. Flagellavit ergo Dominus Pharaonem plagis maximis et domum ejus*, scilicet familiam ejus. Quæ fuerint hæc flagella hic non dicitur. Quæcumque tamen fuerint, patet ex sequentibus quod Pharao certificatus est se esse a Deo flagellatum, quia tulerat uxorem Abrahæ. Et ex ipso effectu flagellationis divinæ, patet quod Deus non permisit Saram maculari a Pharaone. Unde dato quod ante hæc flagella Sara diu manserit in domo Pharaonis, sufficit Deo dare flagellum tempore opportuno ad impediendum copulam Pharaonis cum Sara. *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam ut tollerem eam in uxorem?* Id est in occasione tui ser-

mentis, sequeretur quod ego eam duxerim in uxorem. Quasi dicat: Si scivissem quod esset tua uxor, non tulissem eam. Ex hoc videtur quod illo tempore sorores proprias non ducerent in uxores; aut si ducebantur, saltem ex tunc non vocabant eas communiter sorores, sed uxores. Sed primum magis credo, et puto a patribus hoc manasse tam naturalis rationis instinctu, quam divina inspiratione vel illustratione hoc suadente. Si autem quæras quare fuit hoc inductum adhuc durante sola lege naturæ, cum ducere sorores non fuerit ab initio contra naturam, imo necessarium ad generationem humanam? Ad hoc triplex redditur causa. Prima est vitatio nimii amoris carnalis: quia si amor uxoris concurreret cum amore fraterno, nimium excresceret amor carnis, actusque carnalis. Secunda est naturalis reverentia cognationis, ex qua naturaliter homo plus erubesceret revelare aut denudare turpitudinem sororis quam extraneorum. Nam societas fratris et sororis se habet per modum comparium, quia ab eodem manarunt stipite. Copula vero viri ad uxorem est sicut superioris ad inferiorem, et sicut mentis ad suam carnem, aut agentis ad patiens. Et quia fœda concupiscentia est sibi annexa, ideo sapit quamdam confusibilem irreverentiam, id est libidinis; quam natura horret circa sororem et multo amplius erga matrem. Tertia est dilatatio caritatis et societatis ad proles secundum varios combinandi modos; quia vinculum cognationis satis ex se sufficit ad nexum amoris, et ideo per nexum conjugalem decuit aliquos alios necti. Ad illud autem quod objicitur de lege naturæ, et quod non fuit sic ab initio, dici potest quod necessitas fuit tunc in causa, qua cessante cessavit effectus. Licet etiam lex naturæ absolute et in omnem eventum non excluderet sorores a copula conjugali, inclinat tamen ad hoc secundum rationes prædictas. Nota pro mysteriis hujus facti, quod sancti Doctores et Patres duplicem habent sponsam: scilicet ipsam veritatem, et sanctam plebem quam informant: utriusque autem pulchritudines, carnales et erronei libenter corrumpere amant, aut saltem primatum vendicant, ut scilicet, ascribatur eisdem quasi magistris. Propter quod sancti Patres ut talium æmulationem tandem evitent, nolunt dici viri sive magistri veritatis quam habent, nec plebis quam regunt; sed potius fratres et simplices consodales. Ex hac autem plures potes elicere allegorias, applicando hæc ad varia tempora et ad varios status. In plagatione autem Pharaonis et domus suæ propter detentionem Saræ figurata fuit plagatio Ægypti facta in manu Moysi propter detentionem filiorum Israel, et per consequens cæteræ plagationes designatæ per plagationem Ægypti.

CAPUT XIII

Ascendit ergo Abraham de Ægypto. Ascendisse dicitur eo quod terra promissionis est in situ altior Ægypto, et multo magis est hoc in rebus figuratis per eas. *Ad australem plagam.* Non quidem australem respectu Ægypti, sed respectu Jerusalem. *Erat autem dives valde.* Secundum Hieronymum in hebræo est: Erat autem gravis vehementer, id est Ægypti pondere gravabatur. Divitiæ enim Ægyptiæ viro sancto graves sunt. Vel est modus loquendi, quo per pondus divitiarum ipsarum copiam significamus. Et fuit hoc figura spoliorum et divitiarum Ægypti, quas filii Israel secum tulerunt in exitu de Ægypto. Utrumque autem horum fuit figura thesaurorum sapientiæ quos sapientes Christianorum a Judæis et a mundi philosophis tamquam ab injustis possessoribus abstulerunt. Et universaliter in omni solemni recessu virorum spiritualium a carnalibus aliquid simile contingit. Figuratur etiam hic copia spiritualium divitiarum, quam habent ascendentes de hac miseria ad æternam patriam, vel de statu imperfecto ad statum perfectum. *Et non quibant habitare communiter etc.* Nota quomodo copia rerum temporalium aufert seu impedit convictum communem et pacificum: et ideo Abraham dixit: *Discede a me, obsecro.* Possidentibus enim propria expedit rerum certa divisio et divisa cohabitatio ad tollendum multas contentiones ac suspiciones, ac æmulationes et rixas. Dixit etiam, *Ne quidem sit jurgium inter me et te; fratres enim sumus.* Pejus enim et indecentius est inter fratres seu propinquos esse discordiam, quam inter extraneos. *Si ad sinistram ieris, ego ad dextram pergam etc.* Nota secundum Augustinum, XVI *de Civitate Dei*, XX, quod hinc fortasse exiit consuetudo ut quando terrenorum aliquid partiendum est, major dividat, minor eligat. *Eo autem tempore Chananæus et*

Pherezæus habitabant in terra illa. Hoc ideo videtur interponi ad innuendum quod dissensio inter Abraham et Loth fuisset tunc periculosior eis propter Gentes eas inter quas habitabant. Dicitur etiam hoc ad ostendendum, quod quamquam erant divites, erant tamen in illis terris ut peregrini. *Loth vidit omnem circa regionem Jordanis*, id est totam terram Sodomorum quæ erat circa Jordanem, quæ universa irrigabatur sicut Paradisus Domini, et sicut Ægyptus. Jordanis enim per varias sui deductiones eam irrigat, sicut Nilus irrigat terras Ægypti, et sicut fluvius Paradisi terrestris irrigat Paradisum. Quod dicitur ad monstrandum quod terra Sodomorum ante subversionem erat valde fertilis et amœna. *Venientibus in Segor*, id est quæ terra occurrit his qui veniunt in Segor, quæ fuit una quinque urbium terræ Sodomorum ; et per hanc designat totam terram illam, quia ista sola remansit, sicut habetur infra capite XIX. *Et recessit ab oriente*, id est ab orientali parte, id est a terra circa Bethel, quæ respectu terræ Sodomorum erat ad orientem. Dicitur etiam hoc signanter ad innuendum quod recessus Loth ad Abraham, declinatioque ejus ad Sodomam, erat quasi recessus ab oriente in occidens. *Divisique sunt alterutrum a fratre suo*, id est divisi sunt ab invicem. Fratres autem dicuntur, id est cognati, Loth enim erat nepos Abrahæ. *Peccatores coram Domino nimis.* Secundum Hieronymum, superflue hic in Septuaginta interpretibus additum est in conspectu Dei, sive coram Domino. Non enim oportet quod aliquis dicatur peccator esse in conspectu Dei, nisi qui potest apud homines justus videri. Potest tamen dici quod per hanc additionem designatur excessus peccati eorum ; quasi dicat : Tanta erant peccata eorum, quod ascendebant usque ad Dominum et erant intolerabilia oculis Dei. Nota quod in Abraham designantur altiores religiosi, vel puriores observatores regulæ, quales sunt patres ipsarum religionum. In Loth vero designantur hi qui sunt inferiores vel imperfectiores respectu ejusdem regulæ. Expedit autem perfectioribus plerumque segregari ab inferioribus et imperfectioribus ; quia aliquando ex disparitate morum surgit occasio rixarum et æmulationum et spiritualium impedimentorum. Et hæc est una ratio distinctionis diversarum religionum.

Dixitque Dominus ad Abraham postquam divisus est Loth ab eo. Hic agitur de tertia apparitione. *Et vide a loco in quo nunc es.* Erat autem inter Bethel et Hai, sicut ex superioribus convincitur. *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.* Septuaginta habent, usque in sæculum, quod secundum Augustinum aliquando significat idem quod in æternum, aliquando vero tempus unius generationis. Nota autem, quod plurimis locis veteris Testamenti, in quibus temporalia promissa vel pacta, vel præcepta in æternum non duratura, dicuntur in æternum mansura, quod talis locutio quadrupliciter verificatur. Primo, ut sumatur in æternum pro aliquo longo tempore, juxta quod de homine nimis diu vivente dicimus : Iste semper vivet, et nunquam morietur. Secundo, ut illud dicatur in æternum, quod respectu humanæ potestatis et respectu inferiorum est quasi in æternum, licet hoc non sit respectu Dei : et secundum hoc tota lex cæremonalium Moysi æterna dicitur, quia non potuit ab homine humana auctoritate mutari, sed a solo Deo : et hoc modo dicitur in æternum esse illud, cujus terminus non est præfixus apud illum, respectu cujus dicitur : et hoc modo servus æternus dicitur ille, qui in æternum semper, quamdiu vivet, servire tenetur, nisi aliter a domino suo absolvatur. Tertio dicitur æternum illud, cujus significatum est æternum. Sumitur enim sæpe signum pro suo significato : et ideo sæpe attribuitur signo illud, quod est proprium signati : et hoc modo terra promissionis debebat esse seminis Abrahæ in æternum, quia status gratiæ et gloriæ erat spiritalis seminis ejus in æternum. Et sic etiam omnes figuræ veteris legis possunt dici in æternum mansuræ. Quarto dicitur aliquid in æternum causaliter seu dispositive, quia scilicet habet fructum æternorum causaliter, et disponit ac ducit ad æterna. Et hoc modo lex Mosaica erat æterna, quia dispositive ducebat ad gratiam et gloriam Christi æternam. Hoc etiam modo temporale meritum æternæ gloriæ dicitur æternum, quia scilicet meruit rem æternam. Sed quomodo dicit, *Tibi dabo et semini tuo*, cum sibi non sit data in sua persona, sed solum in semine suo ? Dicendum, quod duplici ex causa hoc dicit : Primo, ut ostendat, quod merito Abrahæ est data semini ejus, ita quod quantum ad intentionem dantis potius

fuit Abrahæ quam populo ex ipso descendenti, et novo veteris Testamenti figuraliter sanxiverat, quod potius intendit loqui de æterna hæreditate, quam de temporali. Æterna autem erat danda personæ Abrahæ, sicut et personis sanctorum filiorum suorum. *Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ.* Hoc hyperbolice dicitur. Non enim ad litteram tot erant ex Abraham nascituri, quot sunt pulveres terræ et puncta ejus. *Surge et perambula terram.* Hoc Sacer jubetur, ut conservatur et etiam ut firmior modus divinæ promissionis per hoc ipsi Abrahæ et posteris ejus fortius afferatur et imprimatur ; et etiam ut Abraham per hoc quasi in corporali possessione poni videatur ; tum etiam ut a filiis ejus, quibus erat danda, in majori devotione haberetur tanquam bona perambulata et inhabitata a tam sanctissimo patre, et hoc non humanitus, sed jussu divino ; tum etiam in mysterium, quod possessio spiritualis per virtutem et moralem perambulationem obtinetur. *Et habitavit juxta convallem Mambre.* Est nomen viri et vallis, et vallis hic denominatur. *Ædificavitque ibi altare.* Hoc fuit tertium altare ab ipso constitutum. Signanter vero tria altaria scribitur construxisse in mysterium Dei trini, et etiam in signum quod cultus Dei habet solidum principium, et nobile medium, et perfectum finem sive terminum. Secundum hæc etiam fuerunt tria loca insignia. Unus scilicet circa Sichem, de quo, Joannis IV, dicit Christo mulier Samaritana, *Patres nostri in monte hoc adoraverunt.* Secundus fuit prope Bethel, quæ interpretatur domus Dei. Tertius fuit in Hebron, ubi sepulti sunt quatuor Patriarchæ, et ubi primo regnavit David. Et possunt per hoc significari tres status divini cultus : scilicet legis naturæ, scripturæ et gratiæ ; vel divinæ sedis primo plantatæ in Jerusalem, deinde in Antiochia, deinde Romæ.

CAPUT XIV

Factum est autem in illo tempore. Hic intexitur historia cujusdam magni prælii inter diversos reges habiti, ut enarretur victoria, quam habuit de eis Abraham cum sola familia sua. *Rex Sennaar*, id est provinciæ Babylonicæ. *Rex Elamitarum*, id est Persarum, quia Elam erat metropolis Persidis. *Et Thadal rex gentium.* Non quidem omnium, sed quarumdam, quæ nomen commune Gentium quasi sibi proprium vendicabant. *Omnes hi convenerunt in vallem sylvestrem*, id est, nemorosam. Erant enim ibi multæ arbores, *quæ nunc est mare salis*, id est mare salsissimum, et salis generativum. Et nota, quod non convenerunt illa, nisi postquam percusserunt Gentes illas, de quibus subditur : *Duodecim annis servierant Chodorlahomor.* Et hoc dicitur ad mirandum magnificentiam hujus regis, ac per consequens victoriæ, quando devictus est ab Abraham. Ex hoc autem quidam putant quod iste rex esset tunc temporis, quasi monarcha orientis, quia non est verisimile, quod de urbe Elam dominaretur regioni Sodomorum et regionis ejus, nisi terris intermediis imperaret. Et potuit esse quod sedes imperii Babylonici esset tunc in urbe Elam. Unde et cæteri tres reges viderentur secum venisse, quasi cum monarcha suo. Contra hoc tamen Augustinus, XVI *de Civitate Dei*, capite XVII, dicit quod Ninus filius Beli, quando natus est Abraham, erat rex Assyriorum, cujus regni caput erat Babylon, et, exceptis Indis, erat monarcha totius Asiæ, quæ, secundum eum dadem, est media pars orbis. Et XVIII *de Civitate Dei*, dicit, quod tempore exitus Abraham de Chaldæa, quartus Assyriorum rex regnabat. Et secundum hoc videtur, quod Chodorlaomor subesset tunc regi. Quodcunque autem horum fuerit, sufficit quoad præsens quod magnum posse habebat. Unde ad potentiam sui exercitus plenius demirandum, subditur, *Et percusserunt Raphaim*, id est Gigantes, secundum Hieronymum. Et infra decimoquinto connumerantur inter undecim populos terræ semini Abrahæ promissæ. *In Astaroth et Carnaim*, id est in terris sic nominatis. *Et Zuzim cum eis et Emim in Save*, civitate scilicet, quæ secundum Hieronymum usque hodie sic nominatur. Et secundum eum *Zuzim et Emim*, terribiles et horrendi interpretantur. Pro quo Septuaginta : Gentes fortissimas posuerunt : et sunt in Arabia secundum eum. *Reversique sunt*, scilicet de solitudine Pharam versus Cades, quæ per anticipationem notatur. *Hic fons Misphat*, id est judicii, quia Deus ibi populum Israel judicavit, sicut habetur Numerorum XX. Et est iste fons in petra seu rupe, quam bis percussit Moyses. *Et percusserunt omnem regionem Amalechitarum.* Non quod tunc essent

Amalechitæ, qui nati sunt de Amalech filio Eliphat, filio Esau: sed quia erat pater eorum. *Et Amorrhæorum, qui habitabant in Hasason Thamar.* Secundum Hieronymum, hoc oppidum est, quod nunc vocatur Engaddi, balsami et palmarum fertile, et sonat idem quod urbs palmarum. Thamar enim palma dicitur: et est prope mare; unde dicti reges pervenerant ad confinia provinciæ Sodomorum. *Et egressi direxerunt aciem contra eos etc. Vallis autem sylvestris habebat puteos multos bituminis*, de quibus videlicet bitumen extrahebatur. Hoc autem dicit, quia multi Sodomitarum in illis puteis corruerunt. *Itaque rex etc. Ceciderruntque ibi.* Non quidem rex Sodomorum, sed multi de suis. *Nuntiavit Abraham Hebræo*, id est de genere Hebræorum. Ex quo patet, quod Hebræi dicti sunt ab Heber potius, quam ab Abraham. Ex hoc etiam patet, quod lingua Hebræa remansit in Heber in divisione linguarum. *Mambre Amorrhæi fratris Eschol et fratris Aner.* De his tribus fratribus mentionem hic facit, quia cum Abraham profecti sunt in prælium. *Vernaculos.* Vernaculi sunt servi in domo domini sui nutriti. *Expeditos*, id est leves et agiles ad pugnam, vel bene paratos et armatos, quantum expediebat. *Et persecutus est eos usque Dan.* Dan, secundum Hieronymum, est unus fons Jordanis: nam alter vocatur Ior, et est juxta oppidum Phœnices, quod nunc Penas dicitur, et est terminus Judææ a parte Aquilonari. *Et divisis sociis, irruit in eos.* Interficiens scilicet plures eorum. *Et persecutus est eos*, quo ad illos scilicet, qui interfecti non erant, usque *Heba et Phœnicem*, quæ scilicet Obba, vel terra Phœnicis est ad lævam Damasci in valle Save, quæ est vallis regia, secundum Magistrum, et est secundum eumdem juxta urbem Salem. Sed quomodo hic primo legitur bellum a viro sancto factum? Quæritur, an licuerit Abrahæ bellum gerere? et videtur quod non. Christus enim Matth. xxvi, dicit: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Super quo Augustinus, lib. xxii *contra Faustum Manichæum* ait: « Ille gladium accipit, qui nulla superiori ac legitima potestate vel volente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur ». Sed Abraham non habuit ex se hanc auctoritatem, cum non esset rex terræ: nec a rege eam habuit, quin potius contra principem pugnavit. Sciendum, quod ad bellum justum sex exiguntur: Primum est rationabilis causa, secundum affectio et intentio recta, tertium est status idoneitas, quia in nova lege sacerdotes et viri evangelici nullo modo propria manu aliquem occidere debent. Quartum est debita in modo mensurabilitas, ut scilicet nihil fiat ultra mensuram rectam. Quintum est legitima potestas sive auctoritas. Sextum est discretionis provida maturitas, ne scilicet temere se et alios periculo mortis exponat. Hæc autem omnia supponendum est hic fuisse. Nam nisi fide et spe divina esset armatus, non video, quin temere se et suos periculo exposuisset. Item si rex Elamitarum justum bellum contra Sodomam habuisset, tunc Abraham injuste bellasset. Unde præsumitur, quod rex ille tyrannice et injuste prius sibi subjugaverat Sodomam, aut saltem quod illi juste recesserant a dominio ejus. Et forte Abraham præter inspirationem a Deo habitam iniit bellum de licentia regum terræ præsumpta vel expressa. Unde et dominos terræ Hebron, in qua tunc habitabant, secum duxit ad bellum. *At vero Melchisedech etc.* Hic subito agitur de rege Melchisedech, tum in laudem Abrahæ et victoriæ suæ, quia tantus Rex sibi tunc singulariter benedixit, et pro seipso sacrificavit, tum ad breviter innuendum, quod præter Abraham erant tunc inter Gentes magni cultores summi Dei: tum etiam secundum Apostolum ad Hebræos, ad mystice designandum præcellentiam sacerdotii Christi super sacerdotium Aaron, et super sacerdotium populi Abrahæ, de quo in Psal. cx dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem etc.* Nam mirabile est, quod Abraham, qui secundum ritum illius temporis erat sacerdos Dei, et inter sanctos illius temporis a Deo singulariter electus, post tantam victoriam dedit decimas ipsi Melchisedech, quasi summo Pontifici suo et benedictus est ab eo: ita quod Melchisedech obtulit pro eo sacrificium panis et vini. Ad quid enim Abraham hoc fecisset, nisi quia in spiritu Dei præsensit in hoc facto significari, quod ipse et totum sacerdotium Levitarum ab ipso propagandum et subjectum et subjiciendum Christo regi et pontifici, et per Christum decorandum et sanctificandum tanquam ex se imperfectum, nec sanctum nec sanctificatum? Et ad hoc facit nomen Melchisedech, quia Melchos est rex, et sedech

justitiæ, quia Christus est rex justitiæ et pacis. Quod autem quidam exponunt: *Proferens panem et vinum*, quasi Melchisedech more humano protulerit Abrahæ et servis ejus cibaria, tanquam ex præcedentibus stare non potest, quia in hujus probationis causam, subditur: *Erat enim sacerdos Dei altissimi*. Ex quo patet, quod panem et vinum obtulit tanquam Dei sacerdos in sacrificium. Et deinde tanquam in divinum cibum, juxta ritum, quo offerentes, et hi pro quibus offerebantur, vescebantur oblatis in sanctuario Dei, tanquam Dei commensales. Non enim, sicut falso exponitur, benedixit Abrahæ benedictione vulgari, sed potius benedictione sacerdotali tanquam sacerdos Dei, sicut hic aperte dicitur: *Dixit autem: Benedictus Abraham Deo*, id est a Deo, vel Deo, id est ad honorem Dei: vel benedictione contingente ipsum Deum, tanquam cultori suo. Et dedit ei decimas, scilicet Abraham ipsi Melchisedech, tanquam scilicet Sacerdoti Dei. Erat enim conveniens, quod qui hic signanter dicitur rex et Dei sacerdos, haberet decimas ab Abraham. Refert autem Hieronymus, quod Hebræi aiunt, hunc esse Sem primogenitum Noe, omnesque primogenitos a Noe usque ad Aaron fuisse Pontifices: et supputantes annos ipsius Sem, ostendunt eum usque ad Isaac vixisse. Nam sicut supra undecimo habetur, vixit quingentis duobus annis post diluvium. A diluvio vero usque ad Abraham ortum sunt ducenti nonaginta duo anni, et usque ad ejus mortem trecenti nonaginta duo anni. Et sic restant adhuc vitæ Sem centum decem anni. Qua de re tractat Hieronymus in *Epistola ad Evagrium*. Verisimilius est ergo, quod Abraham dederit decimas Melchisedech prophetico et divino spiritu et divino jussu sive instinctu: et quod Melchisedech eodem prophetico spiritu tanquam Pontifex se habuit ad Abraham. Volebat enim Deus in ejus sacerdotio præfigurari præcellentiam Sacerdotum Leviticorum. Dicitur autem, quod *dedit ei ex omnibus*: non quidem de his quæ in prælio ceperat, quia illa dicit esse regis Sodomorum. Unde et tanquam sua sibi omnia reddidit: sed de omnibus propriis, quæ habebat dedit ei decimam partem. Nota autem, quod secundum Bedam super illud Joannis tertio: Erat Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, quod Salim est oppidum juxta Jordanem situm, ubi olim Melchisedech regnabat. Et secundum Hieronymum in *Epistola ad Evagrium Presbyterum*: « Non refert utrum Salem sive Salim nominetur, quia perrare Hebræi vocalibus in mediis litteris utuntur, et pro voluntate lectorum, ac regionum varietate, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferuntur. » Dicit etiam ibi, quod Salem non ponitur ibi pro Jerusalem, prout Josephus arbitratur; sed est oppidum juxta Scytopolim, quod usque hodie vocatur Salem; et ostenditur ibi palatium Melchisedech ex magnitudine materiarum veteris operis ostendens magnificentiam. De quo infra, capite scilicet xxxiii, dicitur: *Venit Jacob in Sochot et transivit in Salem civitatem regionis Sichem*. Nota quod hic primo legitur decimas fuisse datas, supra vero leguntur datæ primitiæ. Pro quanto dicitur, quod Abel obtulit de primogenitis gregis sui. Et quia fuerunt facta in lege naturæ, putant quidam, quod primitiæ, decimæ, ac sacrificia sint de jure naturali: quod tamen non est simpliciter verum. Imo secundum aliquid sunt ceremonialia et figuralia. Si enim essent simpliciter moralia, omni tempore homines tenerentur ad illa. Constat autem, quod homo ante lapsum non tenebatur ad ista, nec ad sacrificia animalium nunc tenemur. Præterea, quum Pontifices ad moralia teneantur, tenerentur et ipsi dare decimas. Sed primitiæ et decimæ habent pro tanto aliquid morale, pro quanto populus Dei tenetur dare necessaria suis Prælatis qui eis ministrant et ministrare tenentur spiritualia. Fuerunt tamen tunc divina inspiratione ad illa incitati in figuram triplicem. Prima est, quia debuit homo solemniter profiteri, quod Deus erat omnium principium et finis, sive creator et remunerator. Per hoc vero, quod Deo dabant primitias, profitebantur, quod soli Deo est attribuenda dignitas primi principii; sicut et per denarium numerum, in quo est primus limes et primus terminus numerorum, adscribebatur ei omnium rerum finalis perfectio. Secunda, quia de Christo Redemptore debuit homo lapsus sub figuris profiteri non solum quod ipse esset sacrificium pro expiatione peccatorum nostrorum immolandum, sed etiam quod ipse erat assumpturus primitias nostræ massæ, id est purissimam et præcipuam naturam ex nobis. Et quod erat futurus primogenitus mortuorum et primogenitus filiorum Dei; et quod tota perfectio

gratiæ, justitiæ, gloriæ humani generis, quasi decimæ erat illi adscribenda : et quod dando decimas Sacerdoti, nostram perfectionem adscribimus Sacerdoti Christo. Tertia est in signum, quod duo singuraliter exigit a nobis Deus : scilicet subjectionem et ordinem : ut scilicet omnia faciamus tamquam ab ejus primatu et imperio moti, et ut omnia in ejus gloriam ordinemus. Vult ergo Deus omne imperium operum nostrorum, principium et finem sibi soli adscribi. Et per hæc duo obtinet medium operum nostrorum, imo et totum. *Dixit autem rex Sodomorum ad Abraham : Da mihi animas*, id est personas captivorum terræ meæ. *Cetera*, id est totam substantiam aliam quam cepisti. *Tolle tibi*. Quasi diceret, De omnibus a te captis, quæ quatuor reges prius abstulerunt, non volo nisi personas. *Qui respondit ei. Levo manum meam*, id est, Juro tibi per Deum. Loquitur autem sic, quia jurantes solent levare manus ad cœlum quasi ad Deum. Dicit autem, *ad Deum possessorem cœli et terræ*, ut sic ostendat, quod soli Deo principaliter competit, eo quod ipse sibi poterit satis dare, et quod non vult nisi ab ipso solo ditari. *A filo subtegminis*. Quod est filum transversale, quod in navicula textoris ex transverso per telam discurrit ; et dicitur a subtegendo et subtexendo, quia sub stamine in telam tegitur et texitur : quasi diceret, Nec minima aut vilissima accipiam. *Non accipiam ab omnibus, quæ tua sunt*. Quærit Ambrosius libro *de Patriarchis* : Quomodo dicit, non accipiam abs te, quum præda fuerit in potestate victoris ? Et respondet, quod per hoc virilitatem ostendit et disciplinam, ut scilicet regi serventur omnia ; sociis tamen partem emolumenti tribuendam asserit, tamquam mercedem hujus laboris. Et quoniam sibi mercedem ab homine non quæsivit, a Deo accepit. Unde post hoc dixit Deus ad eum : Noli timere : ero protector tuus et merces tua magna nimis. *Ne dicas, ego ditavi Abraham*. Sed quare nolebat hoc dici ? Ratio triplex est ad præsens : Prima est, quia rex Sodomorum et sui ex hoc de facili inviderent divitiis Abrahæ, ac per consequens ad ipsarum ablationem, et etiam ad ejus occisionem suo tempore citius incitarentur. Secunda, quia tam Abraham quam sui ex hoc essent subjugati illi regi et suis, et per consequens ad multa inexpedientia corpori et animæ eorum, possent ex hoc in posterum magis trahi. Tertia est, quia tam præsentibus quam futuris volebat esse notum, quod de tota terra illa nihil unquam habuerat nisi per Dei providentiam et industriam suam. Præter hoc est quarta ratio, quare noluit ista retinere : in exemplum, scilicet abjiciendæ cupiditatis, et etiam in signum plenioris charitatis ad eos quos liberaverat. Ex hoc enim patuit, quod non fuit motus ad insectandum hostes cupiditatis, sed solius charitatis causa. Nota autem quod ex hoc quod non fit mentio de regibus aliarum quatuor urbium, sed solum de rege Sodomorum, videtur quod iste rex dominaretur quatuor aliis regibus terræ suæ. Nota etiam, quod ex hoc, et ex multis aliis Scripturæ perpenditur quod fere quælibet urbs tunc temporis suum habebat regem. Dicitur autem *Sodomorum*, id est Sodomæ, quia in singulari et in plurali captum hoc nomen semper est nomen ejusdem urbis ; sed Sodoma in singulari stat pro sola urbe, in plurali autem pro ipsa et pro suburbanis ejus. Nota pro mysteriis hujus partis moraliter, quod per quinque reges Sodomorum designatur regnum carnale quinque sensuum, in quibus præest concupiscentia gulæ sive gustus. Quæ duæ designantur per duas principales urbes Sodomæ. Per quatuor vero reges designantur quatuor principales venti dæmoniacarum tentationum dominantium regno carnis et quinque sensuum ejus, ut sunt ventus superbiæ, avaritiæ et invidiæ etc. Superbia quæ omnibus præsens est designatur per regem Elamitarum. In adventu autem Spiritus sancti, qui erat in Abraham et Loth, incipit regnum carnis recedere a servitute superbiæ : quia etsi tunc omnino delicta carnalia non tolluntur, saltem recognoscunt carnales se esse abjectos respectu spiritualium virorum. Quia vero Diabolus rex superbiæ acrius impetit recedentes a se, ideo si rex superbiæ eos impetat, et non solum illos, sed etiam quosdam spiritualium perfectos et minus perfectos designatos per Loth, capiat et asportet, tunc zelus Abrahæ, id est spiritualissimorum patrum, cum vernaculis, id est cum virtutibus in ipso connutritis et suæ summæ charitati et humilitati famulantibus de illis triumphant, Lothque reddunt : sed nihil carnalium sibi reservat, præter sola ea quæ in usus necessarios sociorum, id est virtutum inferiorum zelo charitatis servientium fuerunt ex-

pena. Informatibus tantum sibi adjunctis, per tres fratres Abrahæ confœderatos designatis, partes vult donari, quia inferiores et sæculares fideles nolunt compelli ad statum summum perfectionis. Allegorice autem figuratur hic primo captivitas populi Israelitici sub quinque libris Moysi et sub quinque sensibus, quasi sub quinque actibus et regibus carnalis sectantis, inchoata per Assyrios et consummata per Chaldæos. Et quia inter illos fuerunt capti aliqui spirituales designati per Loth, utpote Ezechiel et Daniel et alii; idcirco meritis Abrahæ et per promissionem sibi factam, de captivitate illa reducti fuerunt et restitutus est sacerdotalis cultus Dei. Secundo figuratur hic captivitas ejusdem populi tempore Christi facta occulte per dæmones et visibiliter per Romanos. Ex quibus tunc Apostoli et primi discipuli sunt reducti, et in fine temporum omnes sunt plenius reducendi. In utroque autem horum tempore magnificandum est Sacerdotium Christi in specie panis et vini proferentis corpus et sanguinem suum. Tertio figuratur hic captivitas Ecclesiæ facta per Arianos et alios hæreticos ac deinde illa quæ fienda est per Antichristum et illa quæ in Apocalypsi fienda dicitur. Et universaliter omnes consimiles captivitates per hoc figurantur, in quibus carnalis Ecclesia, sub aliis sensibus per regna Sodomorum figuratur, cujus carnalis exercitus cadit in puteum bituminis, id est in voragine concupiscentiæ fervidæ et tenacis, nimiumque viscosæ et glutinosæ. Qui putei sunt in valle sylvestri, id est in profundo vitæ non regularis sed sæcularis. Sed tamen qui ex iis evadunt, fugiunt ad montem spiritualis perfectionis. Et nota quod signanter tredecim recesserant a dominio regis Elamitarum et tredecim ab ipso capti sunt et ab Abraham liberati; quia duodecim sunt horæ diei status mundanorum et cujuslibet consimilis status. In cujus figuram filia Archisynagogi per Christum suscitata, erat duodecim annorum et sanguinis fluxum totidem annis passa erat. Item in decima tertia generatione a Christo Arianorum hæresis consurrexit. Et in decima quarta per trecentos octodecim patres sub Papa Romano, quasi sub altero Abraham condemnatur, sicut Beda in libro *de Temporibus* scribit. Nota etiam quod sicut Christi sacerdotium triplicem habet actum, scilicet redemptionis, justificationis et glorificationis; sic in triplici termino temporum est singulariter magnificandum. In primo enim Christus veniens in carne mortali, per Petrum fide ferventem, tanquam per Abraham alterum, cum ceteris tamen discipulis, de Romano imperio triumphavit et ostensus est legalis Sacerdotii finis, Apostolis se ipsi subdentibus, tanquam Pontifici summo. In secundo veniens in spiritu destruet superbiam Antichristi; et suæ Evangelicæ paupertatis Sacerdotium in seipso et Apostolis primitus exemplatum, exaltabit super Sacerdotium temporali et carnali fulcimento quasi legalibus cæremoniis circumcinctum; ita quod Christus ut Pontifex altissimæ paupertatis ostendetur esse decorator, non autem Sacerdotii temporalis. In tertio veniens beatificus, ut omnes electos offerat in gloria Dei Patris de omnibus hostibus triumphando, æternaliter monstrando, quod Sacerdotium beatificum decimat et perficit omne Sacerdotium hujus vitæ.

CAPUT XV.

His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abraham. Hæc est quarta apparitio, id est in qua promissio sibi facta astruitur esse implenda in semine non adoptivo, sed naturali. Et primo Deus ingerit se Abrahæ et tanquam protectorem et plenum remuneratorem. Secundo, ad plene sciendum modum remunerationis et mercedis, ostendit Abraham Deo se non habere naturalem hæredem, sed solum adoptivum, ibi, *Dixitque Abraham. Domine, Deus, quid dabis mihi.* Tertio, promittitur sibi filius de suo corpore procreandus et innumerabiliter multiplicandus, ibi, *Statimque sermo Domini.* Quarto, amorose commendatur fides Abrahæ hæc credentis, ibi, *Credidit Abraham Deo.* Quinto, iterata a Deo promissione terræ promissionis petit et accipit super hoc signum a Domino, ibi, *Dixitque Dominus ad eum: Ego Dominus.* Sexto, quia cum ex Sara filium procreare non posset, accipit ancillam et gignit filium ex ea, ibi, *Igitur Sarai.* Dicit ergo: *Factus est itaque sermo Domini ad Abraham.* Et hoc per corporalem apparitionem, vel imaginativam, vel intellectualem. *Noli timere,* scilicet a quibuscumque hostibus. Jam experimento probas, quod *ego protector tuus sum; noli timere,* etiam per diffidentiam necessariorum et præmiorum. *Quia ego*

sum merces tua magna nimis valde. Dicitur autem Deus merces causaliter et etiam substantialiter, quia ipse est dator præmii. Et loquendo de præmio finali, ipse est substantia ejus. *Ego vado,* scilicet ad mortem, *sine liberis :* quasi dicat : Neque in mea persona, neque in filio ex me genito videtur temporaliter complenda promissio tua. In Dei enim promissione duplex promissio includebatur : una scilicet temporalis de terra Chanaan, alia vero æterna de gloria cœlesti. Et de hac quidem pro se non conqueritur Abraham, quamvis quærat hoc pro quanto promittebatur hoc sibi in multiplici prole. *Et filius procuratoris domus meæ,* est supple, *Iste Damascus Eliezer.* Quasi diceret, filius dispensationis domus meæ, qui vocatur Damascus Eliezer. Ex quo videtur quod disposuerat illum facere hæredem suum. Ab hoc autem, secundum Hieronymum, aiunt Damascum dictum et nuncupatum. Augustinus autem libro XXII *contra Faustum* dicit : « Abraham, cum videret sibi non nasci filios et factam tamen promissionem semini ejus, primo de adoptivo cogitabat. Et hoc indicat, quod cum Deo loquens ait de vernaculo, *Hæres hic meus erit.* Semen enim in Scriptura aliquando quis appellatur, quamvis de carne ejus non nascatur. » Hæc Augustinus. *Eduxitque eum foras.* Hoc potuit fieri in visione imaginaria absque motu corporali. *Suspice,* id est sursum erectis oculis aspice cœlum et *stellas numera, si potes :* quasi diceret, Sicut hoc non posses, sic nec numerare semen tuum futurum. Non quod simpliciter fuit innumerabile aut infinitum, sed nobis. Et secundum Augustinum libro XV *de Civitate Dei,* cap. XXIII, hic promittitur multitudo seminis spiritualis. Et illud quod supra XIII dictum est de semine ejus carnali, hic vero de iis qui per gratiam debebant esse, sicut stella cœli. Quamvis utrumque possit referri ad idem. Dicit etiam Augustinus ibidem : « Quicumque universum stellarum numerum apprehendisse jactatur, sicut Aratus vel Eudoxius, vel si qui alii sunt, eos libri hujus condemnat auctoritas. *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam.* Et ex hac fide reputavit eum justum, et etiam fideles qui noverunt eum in hoc reputaverunt eum justum. » Nota quod hoc signanter ponitur in hoc loco, non quin in præcedentibus promissionibus ipse Deo credidisset, aut quin illa fides sibi ad justitiam reputaretur : sed hoc ponitur triplici ex causa. Prima est, quia expresse credidit, quod de proprio corpore tantum ac talem haberet : hoc autem fuit majus quam credere indistincte de quocumque semine. Secunda est, quia in sequenti apparitione ipse circumcisus est. Voluit autem ostendere Scriptura, quod ipse justificatus est per fidem, ac non per corporalem circumcisionem ; et per consequens, quod semen ejus erit potius justificandum per fidem : ita quod circumcisio nihil proderat, nisi pro quanto fides in ipsa includebatur sacramentaliter. Et hoc est, quod Apostolus ostendit ad Romanos IV, quare omnis fides Abrahæ quamdam antonomasiam justitiæ habeat. Et ideo de prærogativa hujus antonomasiæ in exemplum futurorum debuit alicui singulariter dari : quod convenienter factum est circa mediam apparitionem. In hoc enim docetur, quod gradatim augebatur et proficiebat in bono : et quod profectus ejus non fuit solum in fine ; ita ut hic debeat hoc verbum legi per antonomasiam, ut sit sensus : *Credidit Abraham,* scilicet in singulari excessu. *Et reputatum est ei ad justitiam,* singularem et antonomastice. Sed adhuc restat quæstio, quomodo per fidem, qua credidit se habiturum filios, et eos terram Chanaan hæreditaturos, fuit justificatus, cum constet, quod hoc potuit credere absque charitate ? Et cum sola fides Christi et hæreditatis æternæ justificet, sine qua utique potuit credere prædicta? Ad hoc potest dupliciter dici. Primo, quod in fide seminis ex eo propagandi principaliter includebatur fides seminis Christi ex eo nascituri, et fides hæreditatis æternæ. Et hoc vult Scriptura hic more veteris Testamenti sub cortice figuralium et terrenorum innuere per hoc, quod Deus seipsum ei proposuerat, dicens : Ego sum merces tua, non qualiscumque, sed magna nimis, id est excessive magna. Et per hoc etiam, quod ex fide dicit eum justificatum, patet quod loquitur de fide per charitatem vivificata. Secundo potest dici, quod licet fides temporalis terræ vel seminis, inquantum est objectorum talium directe, non justificet ; inquantum tamen est Dei, cui credidit in hoc, et innititur bono, justificat, si tamen includat, sicut et hic includit, fidem sufficientem in Deum respectu eorum, quæ necessaria sunt ad salutem æternam. *Dixitque ad eum : Ego Dominus.* Nota quomodo Deus

in hujusmodi apparitionibus altitudinem suæ majestatis et potentiæ ingerit sanctis, quibus apparet. Hoc enim principaliter expedit eorum illuminationi et confortationi, et sublevationi in Deum. Rememorat etiam sic beneficium liberationis, addendo : *Qui eduxi te de Ur Chaldæorum*, id est de incendio Chaldæorum, secundum Hieronymum. *Ut darem tibi terram istam* etc. Vel eum sum, qui Deus fui tu eras de terra Chaldæorum ut darem terram istam, et possideres eam. *Domine Deus unde scire possum* etc. Secundum Augustinum sequentem litteram septuaginta interpretum quæ habet : *Secundum quid sciam*. Non ait, unde sciam, quasi non crederet adhuc ; sed ait, Secundum quid sciam, similitudinem aliquam quærens qua ejus modus cognosceretur, sicut Virgo quando ait, Quomodo fiet illud etc. Certa erat illud futurum, sed modum quo illud fieret, inquirebat. Unde et hic similitudo data est de animalibus. Sed et littera nostra quæ habet, *Unde sciam*, potest et ad hoc ipsum referri, ut sit sensus, Ex quo signo, vel ex qua similitudine hoc intelligam. Sed adhuc restat dubium, quomodo ad rem in verbis claris et propriis sibi promissam petit similitudinem umbratilem? Numquid melius hoc sciebat per verba propria, quam per verba figuralia? Præterea similitudo quæ subditur quid facit ad hoc sciendum? Ad hoc potest dici, ut sequamur litteram nostram simul et Septuaginta, quod Abraham non petit, unde credam? Sed, unde, id est, ex qua ratione hoc quod credo, *sciam*, id est intelligibiliter sive rationabiliter conspiciam et speculabor? Petit etiam secundum quid, id est sub quo modo et ordine sciet illud esse fiendum. Specificatio enim modi et ordinis et temporis impletionis rei promissæ, multum facit ad clariorem ejus notitiam. Ad utrumque autem prædictorum valet similitudo subjecta. Ad primum quidem, quia in ea innuitur ratio, ex qua per modum justæ convenientiæ poterat juste inferri quod hæreditas promissa erat juste et rationabiliter a semine Abrahæ consequenda. Nam in similitudine data significatur quod in semine Abrahæ debebant esse perfecte activi ac contemplativi, ac pœnitentes et innocentes, peregrinos erat patria illa sibi repromissa, sicut peregrini et advenæ, quia a dæmonibus simul et hominibus multa tentamenta essent passuri, ut fornace tribulationum et igne divinarum immissionum perfecte expurgarentur. Quod autem in semine suo essent futuri perfecte activi, quorum aliqui pœnitentes essent, aliqui innocentes, designatur et innuitur per vaccam, capram et arietem, quorum quodlibet ponitur esse trimum, id est trium annorum ; tunc enim perfectæ ætatis, perfectique roboris non sunt. Partium vero divisio facta per medium significat divisionem activorum in duo officia. Oportet enim quod regant temporalia, et nihilominus quod se et illa dirigant ad æterna, et quasdam actiones distribuant proximo. Per hoc vero, quod partes divisas *altrinsecus*, id est alteram contra alteram posuit, designat mutuam coordinationem prædictorum actuum et officiorum. Sic enim debent dividi ad propria, quod nihilominus sibi mutuo coordinentur. Per capram autem hirsutam et horridam amara et austera compunctio pœnitentium designatur. Per vaccam vero jugum ferentem, obedientia legis et fortitudo. Per arietem vero simplicem, et principem ovium et agnorum, perfectio innocentiæ designatur. Per aves vero, turturem et columbam, contemplativorum ad patriam cum gemitu suspirantium volatus et perfectio notatur. Specialiter autem per turturem, contemptus inferiorum, reddens hominem castum ac solitarium. Per columbam autem amorosam et gregalem et fœcundam, amor æternorum in spiritualibus socialis et fœcundus. Hæc enim duo complent statum contemplativum. Quæ aves non dividuntur, quia contemplativi, inquantum talis, est unum solum quærere, uni soli vacare. De quo Christus Mariam Marthæ præfert, dicens : *Porro unum necessarium*. De divisione vero status activorum, secundæ Corinthiorum septimo dicitur : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi quomodo placeat uxori, et divisus est*. Tentatio vero a dæmonibus, quæ magis est super activos, designatur per volucres super cadavera procedentes quasi ad pastum. Dæmones enim propter volatum superbiæ, et agilitatem naturalis potentiæ, volucres appellantur, qui de nostris carnalitatibus quodammodo quærunt pasci. Quod autem eas abigebat Abraham, significat, quod merito patrum, et per bonum regimen justorum tentationes hujusmodi a subditis abigunt. Finalem vero tentationem ejusque terribilitatem et obscuritatem et difficultatem, quam erant passuri, designat per amorem et

tenebrosum horrorem, qui in occasu solis, quasi in fine diei super Abraham irruit, sicut et vox Dei facta ad Abraham declarat. *Scito, quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et affligent etc. Apparuit clibanus fumans et lampas ignis.* Per lampadem ignis, id est per flammam ignis ad modum lampadis fulgentem transeuntis inter partes animalium divisas, significatur numerus finalis tentationis, quæ purgativa erit et illuminativa, et decoctiva carnalium, seu activorum, qui purgatione indigent, plusquam contemplativi: et ideo expressior mentio fit de eis. Justitiam vero Dei, remunerativam afflictorum, et punitivam affligentium expresse docet, dicens: *Verumtamen etc.* In occasu autem solis præit tenebra, deterrens etiam patres majores: post occasum vero solis sequitur major tenebra, et fornax ignea, quæ et circa initium finalium tentationum primo immittitur, et terror ex imminenti tribulatione consurgit. Secundo sequitur pressura fortior ipsius tribulationis, sola carnalia consumens, spiritualia vero servans et complens. Dicit autem, *sume mihi*, id est ad meum munus potius quam ad tuum, quia populum illum erat ipse propagaturus per se, et successores Deo oblaturus, tentamenta sequentia non erat ipse immissurus. Et ideo non dicitur, quod assumat illa iis. Ex iis autem ostenditur, sub quo modo et ordine populus Dei esset perventurus ad hæreditatem promissam. Et nota, quod sicut sub temporali promissione terrenæ hæreditatis continetur promissio spiritualis et æterna, sic in hac similitudine ostenditur ratio, modus et ordo perventionis ad æternam gloriam: et similiter modus et ordo, quod de servitute legis ad libertatem Ecclesiæ per Christi passionem intratum est, expurgata per forte judicium fæce carnalium cæremoniarum, et fæce idololatriæ. Et consimiliter monstratur hic modus et ordo, quo ad activa in excessum contemplationis et perfectionis Evangelicæ, intrabit Ecclesia, et specialiter Evangelicus status, præeunte forti judicio sub antichristo tam mystico quam aperto. Et ex his potest quis advertere multas allegorias alias et moralitates. Quod autem dicit, *quadringentis annis*, secundum quosdam, non refertur ad immediate præcedens, scilicet *Subjicient et affligent*; sed solum ad peregrinandum. Nam a quinto anno Isaac, in quo cœpit semen Abrahæ, usque ad exitum filiorum Israel ex Ægypto, sunt anni quadringenti. Ab exitu vero Abrahæ de terra sua, quando primo sibi facta est promissio de hac hæreditate, sunt, secundum Apostolum ad Galatas III, anni quadringenti triginta. Secundum alios autem est mos Scripturæ numerum totalem illi loco vel operi tribuere, in quo ipse numerus consummatur, licet non inceperit ibi; ut sit sensus: Affligent eos quadringentis annis, id est circa finem quadringentorum annorum affligentur, et hæc afflictio tunc finietur. Vel est sensus, quod infra illos quadringentos annos in Ægypto servient et affligentur. Et consimili modo habet exponi illud Exod. XII: *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserant in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Ille numerus incipit computari ab exitu Abrahæ de terra sua, quo cœpit esse peregrinus. Ex hoc autem et consimilibus adverte diligenter, et nota, quod in visionibus propheticis significationes numerorum mirabiliter sunt occultæ, ita quod raro ad plenum claret, a quo tempore sint illi numeri inchoandi. Unde Isaiæ VII cap. ubi dicitur: *Adhuc sexaginta et quinque anni et desinet Ephraim esse populus*, id est post sexaginta quinque annos deficient decem tribus. Non fuit hoc verificatum inchoando a tempore, quo hoc prædictum est ibidem ab Isaia; sed oportet computare a tempore anteriori, sive a tempore motus facti ab Ozia, sive a tempore missionis primorum Prophetarum prophetantium sub Ozia. Et simile est de numero septuaginta septimanarum apud Danielem, qui numerus, secundum Bedam, non est computandus a tempore, quo hoc dicitur a Daniele cap. VIII, nec a tempore primæ libertatis populi illius. Deus enim numeros temporum sic vult prædici, quod ad plenum intelligi nequeant, usque quo sunt impleti. *Et post hæc egredietur cum magna substantia.* Hoc impletum fuit, quando exeuntes de Ægypto petierunt multa sibi dari ab Ægyptiis accommodata, et sic de Ægypti spoliis sunt ditati, ut habetur Exod. XII. *Generatione autem quarta revertentur huc.* Contra hoc esse videtur, quod secundum litteram Septuaginta habetur, Exod. XIII. Ubi enim nos habemus, *armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti* illi habent, « Quinta autem generatione ascendunt etc. » Ad quod dicitur, quod computando generationem sacerdotalem, scilicet Levi, ascen-

deremt generationes quarta, id est post quinque successive genitos: ut tot sint generationes, quotiens ibi dicitur, genuit. Caath qui Amram, qui genuit Aaron, qui Eleazar, qui cum Aaron egressus est. Computando vero secundum regiam tribum, scilicet Judæ, ascenderunt quinta generatione. Judas enim qui cum Jacob intravit in Ægyptum, genuit Phares, qui Esrom, qui Aram, qui Aminadab, qui genuit Naasson, qui cum patre egressus est. Et secundum hoc etiam nota, quomodo etiam hoc obscure prædictum est. Non enim prædictum est, an a primo filio cujuscumque filiorum Jacob intrantium in Ægyptum, vel a primo filio Levi, hæ quatuor generationes essent computandæ. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Per Amorrhæos vel Chananæos aliquando designantur omnes gentes, quæ tunc erant in terra Chanaan, sicut nunc hic. Aliquando vero solam aliquam partem illorum designant, sicut paulo post fiet. Sed quid ad propositum *dicere*, quod iniquitates istorum nondum sint completæ? Cujusmodi etiam completionem exigat Deus in peccatis hominum, cum potius exigat quod non peccent, et peccata non consumment? Ad hoc dicendum, quod per hoc verbum Deus vult ostendere, quod mirabili mensura et moderamine judicat universos. Est autem inter cetera duplex in hoc vita judicium Dei. Unum scilicet justæ permissionis, quo hominum peccata usque ad condignum malitiæ et demeritorum cumulum aggravari permittit, prævia enim peccata merentur præcipitium sequentium peccatorum, et illa iterum ampliorum usque ad tertium cumulum a Dei justitia et sapientia commensuratum. Aliud est judicium Dei exterminii temporalis. Et licet Deus omnem mortaliter peccantem possit exterminare, decet tamen bonitatem suam, quod aliquam mensuram misericordiæ expectationis apponat, saltem respectu multitudinis populorum, et respectu suorum universalium judiciorum; et præcipue quando in multitudine sunt aliqua bona temporaliter a Deo remuneranda. Pro utroque autem judiciorum dicitur: *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Hoc autem ideo hic dicitur, ut ostendat causam etiam, propter quam differebat Deus dare semini Abrahæ terram Chanaan in hæreditatem. Nota, secundum quosdam, totum hoc, quod dicitur de animalibus, factum fuisse in visione. Magister vero historiarum dicit, quod ad litteram ea accepit et divisit, et tunc in occasu solis contingit ei horror, et illa visio clibani, de qua hic agitur. Sed quodcumque horum fuerit, quo ad significationem nihil refert. Nota etiam, quod secundum Augustinum, in animalibus divisis figuratur, quod in populo Israel essent carnales, qui inter se dividuntur. Per aves vero figuratur, quod essent ibi spirituales, qui nullo modo inter se dividuntur, sive ab hominum conversatione se removeant, sicut turtur, sive inter illos degant, sicut columba. In hoc vero, quod animalia sunt trina, designatur tertia ætas, tendens ab Abraham usque ad David, sub quo populus Israel terram promissam plenius possedit. Per vaccam autem designatur plebs sub jugo legis. Per capram vero eadem, ut peccatrix futura. Per arietem eadem, ut regnatura. Nota etiam, quod in quadringentis annis peregrinationis potest idem signari, quod in quadraginta annis deserti et quod in quadraginta diebus Eliæ, et jejunii Christi. Quadragenarius enim numerus mystice est numerus laboris. Sicut autem in quadragenario sunt quadraginta virtutes, sic in quadringentis sunt quadraginta denarii; et ideo in idem mysterium quo ad hoc concurrunt. Quod vero in quarta generatione ab Ægypto redeunt, signant tres præcedentes in afflictione mansisse, ut sic post triduum de servitute exirent. Et habes de hoc in Scripturis multa mysteria tridui, et trium annorum. Nota tamen, quod ab immediato semine Abrahæ, scilicet Isaac, septima generatione redierunt. In quo apertum sabbatismi mysterium cerni potest. *In die illo pepigit Dominus cum Abraham fœdus, dicens, Tibi dabo etc.* Nota, quod per hujusmodi pacta Dei cum hominibus significatur, quod Deus gratia et electione homini per peccatum a Dei societate alienato confœderabatur. Per successionem autem multiplicationis peccatorum significatur majoritas firmitatis individui fœderis seu amoris ad illos, cum quibus paciscebatur. Non quod in Dei amore secundum se cadere possit magis et minus; sed solum respectu nostri, absque tamen ulla variatione sui. Nota etiam, quod hujusmodi pacta faciebat Deus cum patribus, non solum pro eis, sed etiam pro statu divini cultus per eos formando. Sicut videmus, quod fundatur stabiliter fundamentum,

non solum pro se, sed pro tota domo firmius in ipso fundanda. *A fluvio Egypti.* Non quidem a magno ejus fluvio, qui dicitur Nilus; sed a quodam parvo, qui Palæstinam dividit ab Ægypto, ubi est civitas Rhivoarura. Numerat autem secundum Augustinum undecim Gentes terræ promissæ, licet alibi pauciores nominantur, quia aliquando una subintelligitur per alias, et e contra.

CAPUT XVI.

Igitur Sarai etc. Ingredere ad ancillam meam. Augustinus XXII *contra Faustum*, dicit, quod Abraham obedivit in hoc Saræ, credens, ex nutu Dei id voluisse, qui jam ex seipso hæredem illi promiserat, sed ex qua femina non prædixerat. Et paulo ante dicit, quod Sara sciens se esse sterilem, ancillaris uteri fœcunditatem in usum viri sui potestate licita vendicavit, non cedens [1] viro concupiscenti, sed jubens obedienti. Et XVI *de Civitate Dei*, dicit, quod hac concubina ad generandum prolem, non ad explendam libidinem usus est: et non insultans, sed potius obediens conjugi. Et in hoc est jure illo usa Sara, de quo dicit Apostolus, quod non habet potestatem sui corporis vir, sed mulier. In quibus Augustini verbis duo sunt cavenda, et sane intelligenda. Primum est, quod Sara ex communi et absoluto jure conjugii non habuit potestatem in corpore viri sui, ut posset sibi jubere, quod concumberet cum ancilla sua; nec de communi jure posset excusari ex isto præcepto. Secundum est, quod opinio vel credulitas, qua vir credidit hoc ex Dei nutu jussum, ad viri excusationem non sufficeret, nisi in tantum certus esset, quod præponderaret vel æquipolleret certitudini, quam habebat de præcepto juris naturalis, quod est de non concumbendo cum aliqua nisi cum legitima uxore. Et ideo pro certo tenendum, quod tam Sara quam Abraham certi fuerunt, quod Deus hoc volebat. Præter autem hæc duo, Augustinus tria addit in facti hujus excusationem. Primum est rectitudo intentionis quia scilicet propter prolem ad cultum Dei propagandum fiebat. Secundum est sinceritas affectionis, quia non ex amore carnalis concupiscentiæ, sed ex voluntate casta hoc factum fuit: quod probatur tum ex hoc, quod Abraham hoc fecit ab uxore jussus; tum quia de ancilla jam habita, jam prægnante, dicit Saræ: *Utere ea ut libet.* Ex quo patet, quod nulla intemperantia irretitus erat ancillæ. Tertium est, quod secundum Augustinum, tunc plures habere uxores nulla adhuc lege prohibebatur. In quibus Augustini verbis advertenda sunt iterum duo. Primum, quia licet nulla lege scripta prohibebatur, lege tamen divinitus indita et naturali prius prohibitum erat. Secundo, quia mos vel communis consuetudo non potest aliquid facere licitum, quod divino et naturali præcepto est illicitum, nisi certum esset Deum super hoc dispensasse. Et ideo in prædictis oportet intelligi, Abraham certum fuisse, quod Deus cum ipso dispensabat. Sed adhuc quatuor restant quærenda. Primo, scilicet an habere simul plures uxores sit contra jus naturale. Secundo, an Deus potuerit dispensare super pluralitate uxorum, cum hoc sit contra jus naturale. Tertio, an concubinatus potuerit aliquo modo fieri licitus, et concubinam aliquam habere ad tempus solum liceat, sicut Abraham habuisse legitur Agar. Nam postmodum fuit ejecta. Nec videtur, quod ad eam accesserit ut ad uxorem, sed sicut ad ancillam uxoris, ita etiam quod domina ejus uteretur jure suo in illa. Quarto, quare Deus non potius a principio fœcundavit Saram? Numquid tantum delectatur in commixtionibus carnalibus extraordinariis? Ex hoc enim et consimilibus Faustus Manichæus arguit Deum veteris Testamenti fuisse malum, et patres ejusdem fuisse de gente tenebrarum. Quinto etiam posset quæri, quare Deus voluit, quod hoc fieret jussu Saræ, ex quo dispensatum est cum viro super pluralitate uxorum, ut hoc faciat jussu vel licentia primæ uxoris? Ad primum dicendum, quod est utique contra jus naturæ: quod patet primo ex Dei opere, quia primo non creavit nisi unam. Secundo, ex primorum patrum communi observatione. Nam nullus sanctorum patrum usque ad Abraham legitur habuisse plures uxores, sicut patet in Noe et filiis ejus. Tertio, ex Christi lege, qui in hoc reduxit orbem ad primam rectitudinem legis naturalis

[1] At. « credens. »

Quarto, hoc ostendit natura prolis, quæ est finis operis conjugalis. Proles enim, quantum in se est, docet aliam a matre patri æquali, et ad filios alterius de facili [illegible] fertur, ut novercæ ad filiastros suos vix unquam amore paterno, pio et liberali. Quinto, ostendit hoc natura conjugalis societatis, quæ est tantæ unitatis, quod conjuges sunt quasi caro una, unum corpus, unus animus, et quasi una persona. Et ideo sicut est contra naturalem appetitum viri, quod ejus uxor sit simul alterius viri uxor; sic etiam plures ejusdem difficillime in unum concordant, et vix pacifice cohabitant; licet pluralitas virorum, propter quædam annexa, sit magis contra naturæ rectitudinem, quam pluralitas uxorum. Unde et in primo nunquam legitur fuisse dispensatum: tum quia mulier non potest sic eodem modo fecundari a pluribus viris, sicut plures feminæ ex eodem viro possunt simul esse prægnantes. Tum quia non est contra rationem domini et principatus plures habere subjectos: est autem contra ipsum, quod eorumdem subditorum plures sint domini principales: constat autem, quod vir plus habet de principatu in uxorem, quam e contra. Tum quia si eadem femina esset simul plurium virorum uxor, vir incertus esset, an proles sua esset, an alterius; et ex hoc minus curaret de prole nutrienda et docenda; nec proles etiam obediret alicui eorum tanquam patri certo et indubitabili. Sexto ostendit hoc donatio mutua corporum respectu operis conjugalis, et juris tantæ potestatis ex prædicta donatione. Cum enim vir det corpus suum uxori, et uxor viro, uxor habet potestatem in corpore viri respectu operis conjugalis. Constat autem contra naturam esse, ut id quod est jam datum uxori detur alteri feminæ contra naturam primæ donationis, nisi ex speciali causa Deo dispensante fractio prædicti juris recompensetur et excusetur. Ad secundum dicendum, quod potuit dispensare super hoc, et rationabiliter pro tempore dispensavit. Quod autem potuerit, ostenditur ex duobus: Primo, quia omnia quæ sortiuntur bonitatem et rectitudinem ex aliquo ultimo fine, et ab aliqua regula et forma superiori, non contrahunt obliquitatem, si aliquando varientur eorum ordines ad ultimum finem, et ad regulam superiorem, integro remanente fine ultimo. Finis autem ultimus status et operis conjugalis est gloria Dei, et propagatio et dilatatio divini cultus, et communis utilitas generis humani, et totius universi; ejusque suprema regula est charitas. Quia autem non solum absque læsura charitatis et finis prædicti, sed etiam sub modo conferenti ad illa potuerunt in conjugium plures simul duci, ideo est, et fuit a Deo dispensabile. Secundo, quia si Dei honor est omnium ultimus finis, et Dei voluntas et imperium est causa et regula omnis juris et rectitudinis, nihil est rectius, quam quod omnia sint subjectissima suæ voluntati, suoque honori. Et ideo illa, quæ repugnantiam ad ipsam Dei voluntatem et gloriam in sua essentia essentialiter non includunt, rectissimum est, quod possint variari a Deo, prout libertas suæ majestatis hoc exigit, et magnificentia sui honoris. Quod autem tempore Abrahæ et veteris legis sit rationabiliter super hoc dispensatum, ostendit multiplex utilitas ex hoc tracta. Prima est utilitas præsignantiæ. Sicut enim per indivisibilem copulam unius cum una, significatur copula unius Christi cum sola una Ecclesia universaliter; sic per plures uxores et concubinas significatur, quod præter unam principalem Ecclesiam sunt aliæ secundum quid Deo conjunctæ, ut synagoga, in quantum cæremonialis, et plures congregationes errantium vel peccantium, in quantum habent aliquid veri et boni. Sicut enim ex libera liberi: sic ex ancilla sunt servi, qui ex solo timore Deo serviunt, non ex libertate amoris. Fuit enim signanda differentia inter filios carnis et filios gratiæ ex eodem stipite prodeuntes, et conformitas filiorum gratiæ, sive ex ancillari utero genitorum, quæ in duodecim Jacob filiis est monstrata: suntque plures aliæ in his figuræ et significantiæ, de quibus infra suis locis tangetur. Secunda est utilitas comparativæ differentiæ. Quia enim Christus erat venturus ut conderet nova et destrueret vetera, decuit quædam dispensatione aliqua induci, ex quorum evacuatione Christi lex commendabilior et perfectior appareret. Quia autem lex Moysis speciali populo instar specialis religionis sive regulæ erat danda: decuit ex primis patribus legis varios filios et populos propagari, ex quorum comparatione legalis populus merito præferretur. Tertia est dilatatio divini cultus, quæ per pluralitatem uxorum in lege facilius poterat majorem populum

propagare : fuitque hoc expediens tempore Abrahæ, quo universalis verus Dei cultus non erat in orbe, quum adhuc non esset tempus dilatandi ubique cultum Dei per solam Dei gratiam specialem, scilicet per Evangelicæ prædicationis verbum. Hoc enim privilegium Christo et ejus statui servabatur ; et ideo oportebat tunc per carnis propagationem hoc fieri. Et quamvis ceteri filii Jacob non ita pure unum Deum coluerunt : nihilominus non ita ab initio ab unius Dei cultu elongati fuerunt, sicut ceteri, qui de semine Abrahæ non fuerunt. Præterea famosa magnificatio fidei et meriti Abrahæ per varios filios et populos per ipsum propagatos, multum profuit omnibus cultoribus veri Dei, qui eum sequuti sunt. Quarta ratio est utilitas condescensionis ad infirmos et carnales sub lege, quibus tam ratione infirmitatis quam exempli Gentilium, qui tunc communiter plures habebant uxores, fuit expediens, quod possent etiam plures habere. Ad tertium dicendum, quod sicut Deus potuit statuere jus conjugale ad totam vitam, sic potuit ad unum annum vel unum diem, sub debitis tamen rationibus et circumstantiis recompensantibus bonum indivisibilitatis copulæ conjugalis. Et sic volunt aliqui factum fuisse in Osea Propheta, qui jussus est facere fornicationum filios ; quamvis illud pluribus aliis modis exponatur. Dicta est autem concubina non ratione separabilitatis, sed potius ratione disparitatis, quia tenebatur non ut domina domus et familiæ, sed ut ancilla. Illo vero tempore etiam inter Gentiles quædam uxores habebantur ut dominæ, quædam ut ancillæ. Quod autem nutu vel jussu Saræ ducta est, indicat, quod Sara sibi potius intendit ex illa suscipere prolem, quam ipsi ancillæ. Et hujus rei triplex assignatur causa. Prima ad demonstrandum sinceram intentionem et affectionem patrum : per hoc enim patet, quod non ex propria voluntate, nec ex carnali concupiscentia duxerunt plures uxores. Secunda causa est ad monstrandum, quod purificatio hæc vim trahebat a primo jure unius uxoris, ac si esset quædam subderivatio juris illius. Et, ut pateat, quod est subinducta ad implendum defectum carnalis propagationis illius unius. Tertia causa est ad mystice designandum, quod caro debet servire spiritui, et activa vita contemplativæ, et synagoga Ecclesiæ, et congregatio schismatica vel illegitima seu carnalis veræ columbæ : et quod quidquid in his boni est, subderivatur ab uxore principali. Et per hoc patet responsio ad quintum. Ad quartum dicendum : absit hoc Dominum jussisse, quasi delectatum in fœdis concupiscentiis carnis, sed potius propter causas prædictas. Et etiam ut monstraret quod per varios gradus servitium accipit. Unde prius præeunt filii carnis et animales ante filios gratiæ et spirituales ; et quod ante partum activæ contemplativa sterilis manet. Et quod prius parit etiam in hac vita, quam in vita æterna. Et sic de aliis mysteriis hic comprehensis. Rursus tanta tardatio fœcunditatis Saræ valuit ad plenius declarandum et magnificandum miraculum Dei fœcundantis eam non solum sterilem, sed etiam senem. Et iterum valuit ad illud mysterium, quo Isaac dicitur filius promissionis et gratiæ potius, quam naturæ ; quia quanto tardius et quanto magis supra legem naturæ datus est, tanto supernaturalius est opus et gratiosior ejus conceptus : tantoque ejus parentes fuerunt Deo gratiores ; et tanto fuerunt et apparuerunt majoris fidei in credendo, quod senex de sene et sterili prolem tandem haberet. *Dixit Sarai ad Abraham : Inique agis contra me etc.* Suspicata autem fuit, quod ille dissimularet arrogantiam Agar corrigere ; quia verisimile videbatur, quod Abraham advertisset illius arrogantiam in Saram. *Utere ea ut libet*, id est prout tibi placet. Supponit enim Saram esse talem, quod non uteretur ancilla nisi moderate. Super quo Augustinus XVI *de Civitate Dei*, cap. XXV dicit : *O virum viriliter utentem feminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter. Invenit eam juxta fontem aquæ*, id est juxta puteum, ut ex sequentibus patet. Omnis enim puteus fons, et non e contra. *In solitudine quæ est in via Assur. Nomen ejus Ismael, eo quod audierit*, id est exaudierit, seu benigne attenderit, *afflictionem tuam*. Secundum enim Hieronymum Ismael interpretatur exauditio Dei. *Hic erit servus homo*. Secundum Hieronymum, in Hebræo habetur Phere, quod interpretatur Onager qui est Asinus sylvester. Significat autem semen ejus habitaturum in eremo, id est Saracenos vagos incertisque sedibus, qui universas gentes, quibus desertum ex latere jungitur, impugnant, et ab omnibus impugnantur. Et hoc est quod dicit : *Manus ejus contra omnes etc. Et e regione fratris*

suos *figet tabernacula*, id est ex opposito et quasi contra omnes fiet in deserto tanquam mansionem suarum. *Vocavit autem, dicens: Tu Deus, qui vidisti me*, scilicet oculis misericordi, et per affectum misericordiæ. Unde per contrarium dicimus: Talis non videt me, id est non habet curam de me. Unde pro causa hujus nominis a se interpositi subdit: *profecto*, id est pro certo. *Hic vidi posteriora videntis me*, id est Dei curam habentis de me et pie meam miseriam attendentis. Dicit autem *posteriora*, quia forte ob mysterium et ob reverentiam divinæ majestatis noluit monstrare faciem formæ in qua apparebat, sed quasi dorsum. Et Magister historiarum dicit, quod cum loqueretur Dominus ad Agar, pertransiit in turbine et ipsa tunc vidit posteriora Dei. *Propterea appellavit puteum viventis et videntis*, id est vivi mihi et partui meo vitam dantis et me misericorditer adspicientis. Est autem hoc in sequentibus valde notandum, quod persona sibi apparens ante dicta est Angelus Domini; hic vero dicitur esse Deus: et consimiliter infra decimo nono duo Angeli dicuntur venisse Sodomam, ad quos tandem loquitur Loth, tanquam ad unum summum Deum. Et infra xxxi dicitur: *Dixit Angelus Domini ad Jacob in somnis: Leva oculos tuos etc. Vidi omnia quæ tibi fecit Laban. Ego Dominus Deus Bethel, ubi unxisti lapidem*. Et Judicum ii et vi duo similia exempla habentur. In datione etiam legis ille qui loquitur Moysi, nunc vocatur Deus, nunc Domini Angelus. Et Exodi xxiii, dicit Deus: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te et custodiat et introducat in locum quem paravi. Observa eum et audi vocem ejus, quia est nomen meum in illo.* Oseæ etiam xii dicitur, quod *Jacob invaluit ad Angelum, et corroboratus flevit et rogavit eum in Bethel etc.* Et tamen in Genesi xxvi, qui sibi apparuit in Bethel vocatur Deus summus: et xx cum quo Jacob prævaluit luctando dicit se nomen habere mirabile; et de ejus visione dicit Jacob: *Vidi Dominum a facie ad faciem*. Unde et locum illum appellavit Phanuel, id est apparitio Dei. Quamvis autem plures rationes possint dari, una tamen signanter videtur a Deo intenta, ut scilicet per hoc inveniretur, quod in Deo plures sint personæ et earum una est ab altera. Quod quidem declaratur per hoc quod Deus dicitur esse nuntius Dei, id est missus a Deo. Et cum hoc sacramentaliter monstratur missio Filii Dei in carnem, in qua ipse fuit summus Deus et nuntius Dei. Pro quanto tamen in Angelis Dei divina majestas adhæret et hominibus, poterat qui apparebat, dici Deus et Angelus Dei, quamvis non ita proprie sicut Christus. Et cum Scriptura fuerit edita fervente ubique idololatria, et sub lege summe inhibente cultum plurium Deorum, non est verisimile quod aliquem deinde Angelum diceret summum Deum et adoratum ut Deum, nisi Trinitatis et incarnationis Christi mysterium sub hoc modo innuere vellet. Nota pro mysteriis, quod per Agar ancillam Saræ designatur caro vel sensualitas quæ est ancilla mentis, et scientia quæ est ancilla sapientiæ cœlestis: et lex vetus quæ est ancilla legis novæ, et littera occidens quæ est ancilla vivificantis gratiæ; et Ecclesia activa quæ est ancilla Ecclesiæ contemplativæ, et temporalia bona quæ ancillantur spiritualibus bonis: et Ecclesia militans quæ est ancilla triumphantis. Sæpe autem contingit quod ex scientia et littera, et ex sensualibus fructibus activæ, et ex cæremoniis legis scriptæ etc. ancilla inflatur contra dominam suam. Concepit enim ex viro Saræ, id est a Deo et a virili animo aliquem fructum virilem, et hoc post decem annos mansionis Abrahæ et Saræ in terra promissa, id est post aliquam impletionem seu notitiam Decalogi divinæ legis: plerumque autem per zelum charitatis afflicta fuit, quia sæpe spiritus videns se ex hujusmodi donis et studiis inflari et meliora dona contemnere, cogitat omnino fugere studia et opera inferiora: sed Angelus Domini eam reducit, docens eam humiliari dominæ suæ, et cum hoc promittens innumerabilitatem fructuum. Divina enim illuminatio, per quam spiritus advertit, quod si inferiora studia et dona perfecte subjiciantur charitati pariunt multiplices fructus, et ideo facit hujusmodi dona resumi: ad fontem aquæ, id est sanctæ Scripturæ, vel sanctarum meditationum, facit occurrere qui foris propter sui profunditatem vivificam et scientificam, puteus videntis et viventis vocatur. Vel puteus iste potest intelligi qualitas nostræ culpæ et miseriæ: vel vilitas universæ creaturæ. Vel profunda humilitas vitæ Christi et Sanctorum. Vel humilitas contritionis et pœnitentiæ: Vel simplicitas Scripturæ sacræ: Vel prima principia fidei vel scientiæ. Ad

unumquodque enim istorum plerumque fugiendo ad dominam, id est sublimem vitam, aliquando pervenimus, quia descensus ad culpæ infima frequenter nos disponit ad videndum et sciendum prædicta profunda. Nota etiam, quod hic est primus locus, ubi Angelus sub nomine Angeli simul et Dei legitur apparuisse : in signum, quod ratio angelici ad nos descensus est ad nos fugitivos reducendos ad Deum. Si enim lapsi per primum hominem non fuissemus, reduxissent quidem nos, sed non a fuga dominæ, id est sapientiæ et legis æternæ. Si enim fuga non fuisset in nobis, non venisset ad nos Deus homo. Et nota quod ancilla non videt nisi posteriora Dei dirigentis illam, quia solius superioris partis et virtutis est contemplari faciem Dei. Hæc etiam ancilla bene intelligitur Ægyptia et per desertum fugiens in Ægyptum. In cujus signum populus Israel multum numerum famulorum et servorum ex Ægypto eduxit, in qua et populus et ipse in palea et luto servierunt : quia de tenebra hujus mundi oritur hæc ancilla. Et ideo quantum recedit a domina sua, fugit ad tenebras istas, tamquam ad locum originis suæ et tamquam ad propria immediata. Objecta enim ancillarum, id est virtutum vel industriarum inferiorum, sunt creata et sensibilia. Unde, quia sunt nobis viciniora, idcirco ex donis et fructibus ancillantium virtutum facilius inflamur. Et hæc est una causa rebellionis ancillæ contra dominam suam superius tacta. Secunda vero est, quia facilius experimur delectabilitatem inferiorum, quam superiorum et æternorum ; et ideo ad allia et pepones et ollas Ægypti redire voluit populus qui exierat de Ægypto, spreto dulcore invisibilis Mannæ. Tertia vero est fiducia potentiæ et divitiarum et inferiorum virtutum et objectorum, in quibus mens profuga fortius fidit, quam in Deo et in potentia ipsius : unde propterea per Prophetam arguitur populus Israel, qui jam exierat de Ægypto ; quia in sua defensione quærebant a regibus Ægypti auxilium, confidentes in umbra Ægypti, quæ est sicut arundo etc. Hujus etiam filius futurus dicitur ferus et sylvestris homo, cujus manus contra omnes et omnium manus contra eum : quia si servit dominæ : contra omnia carnis vitia militat : si vero superbit, universa simplicium bona devastat. Unde Synagogæ filius, pro quanto fuit bonus, multa propter Deum bella gessit temporalia et omnes hostes populi Domini a quibus impeditur perfectio Evangelicæ legis superavit. Vides ergo quod filiis ancillæ proprium est pugnare : propter quod merito dicitur, *Manus ejus contra omnes*, scilicet suos hostes agrestis et ferus.

CAPUT XVII.

Postquam vero nonaginta et novem annorum esse cœperat etc. Hæc est quinta apparitio ; in qua primo Abraham novo fœdere ad perfectionem erigitur et nomen ejus immutatur atque innovatur. Et prius promissio de semine plenius confirmatur. Secundo circumcisio pro pacto specialis cum Deo fœderis instituitur, ibi, *Hoc est pactum meum, quod observabitis.* Tertio, dura sententia pactum non observantium exprimitur, ibi, *Masculus cujus præputii caro.* Quarto, ex Sara filius promittitur, ibi, *Dixitque Deus ad Abraham.* Quinto subditur, quomodo confestim Abraham præceptum circumcisionis impleverit, ibi : *Tulit autem Abraham etc.* *Ambula coram me.* Non hoc dicitur quia prius hoc non fecerat, sed ut altius hoc faciat. Unde subditur : *Et esto perfectus.* Ad hoc enim exhibet Deus sanctis præsentiam suam, ut eos ad se semper magis sublevet ut sursum agat. *Cecidit Abraham pronus in terram*, id est genuflectendo vel se totum prostrando et caput ad terram demittendo supplicavit Deo in signum summæ adorationis et humiliationis. Et nota, quod quanto altiora sibi proponuntur et promittuntur, tanto plus se humiliat Deo. *Dixitque Deus, Ego sum.* Ego solus habeo verum et summum et immutabile esse. Hujusmodi autem sibi proponit, tum ut in promissis suis stabilius confidere faciat, tum ut ipsum ad contemplationem ejus altius erigat. Et nota, quod sicut ens est primum quod occurrit intellectui, ita quod omnis conceptus intellectus dependet a conceptu entis ; sic radix omnium illuminationum Dei a conceptu et gustu summi et purissimi sui esse. Et ideo merito Abrahæ et legislatori se ingerit Deus sub hac ratione. *Erisque pater multarum gentium*, tam per viam naturæ, quam per viam fidei. Et hoc unum sonat nomen Gentium, quia per hoc omnes nationes Gentilium communiter designantur. *Appellaberis Abraham quia patrem etc.* Prius enim dice-

habuit Abram, quod interpretatur Pater excelsus. Ab enim pater et Ram excelsus interpretatur. Postea vero vocatus est Abraham, quod transfertur Pater multarum. Nam quod sequitur Gentium, non habetur in nomine, sed subauditur. « Mirandum non est (dicit Hieronymus) quare cum apud Græcos et nos A littera videatur addita, nos He litteram additam dixerimus: quia idioma linguæ Hebrææ est per He quidem scribere, sed per A legere, sicut e contrario A litteram sæpe per He pronuntiant. De nomine vero Saræ sciendum, quia non scribitur nisi per unum S, et prius scribebatur per Sin, Res, Jod. Ergo Jod sublato I addita est He littera quæ per A legitur, et vocata est Sara. Causa autem mutati nominis est, quia antea dicebatur Princeps mea, quasi unius tantum domus familias mater; postea vero absolute dicitur Princeps, quia ex ejus filio debebant esse Gentes et reges. Signanter autem hoc dicitur, quia non legimus in Græco: Dixit Deus ad Abraham, Sara uxor tua non vocabitur Sarai; sed ut in Hebræo habetur, Non vocabis nomen ejus Sarai, id est non dices ei, Princeps mea est. Omnium enim gentium futura jam Princeps est. » Hæc Hieronymus. *Et statuam pactum.* Secundum Hieronymum, ubicumque in Græco Testamentum legitur, in Hebræo est Fœdus sive pactum, id est Berith. *Omnem terram Chanaan in possessionem etc.* Expone, quomodo æternam, juxta quatuor supradictos modos. *Circumcidetur ex vobis.* Quare hoc instituit? Primo, ut hic subditur, in signum specialis fœderis Domini cum semine Abrahæ: et ad hoc ipsum reducitur, quod secundum Apost. ad Rom. IV habetur, quod fuit in signum fidei Abrahæ, per quam factus est pater omnium gentium sequentium fidem ejus. Secundo in signum distinctivum seminis Abrahæ ab aliis gentibus, ut ex hoc ab idololatria et a ceteris vitiis aliarum gentium magis sibi caverent: Et ut populus, ex quo Christus secundum carnem erat nasciturus, insigni generativæ potentiæ discerneretur. Tertio in sacramentale remedium originalis peccati, quod utique per generationem traditur; et etiam respectu adultorum in pœnitentiale moderamentum et mortificationem carnalis concupiscentiæ, quæ potissimum viget in loco illo. Et ad hoc reducitur, quod dicitur fuisse in exercitium et experimentum obedientiæ Abrahæ et suorum successorum, qui est opus valde pœnale. Quarto in signum spiritualis circumcisionis vitiorum a corde, quæ fit per gratiam Christi. Et ideo quia hæc debet esse totalis, et non partialis; ideo bene designatur per circumcisionem corporalem, quæ erat abscisio anterioris pellis membri virilis. Quinto in signum evacuationis figurarum, id est cæremoniarum carnalium, quasi pellium occultantium doctrinam generativam filiorum Dei per Christum revelandam. Sexto in signum abdicationis temporalium per spiritum evangelicæ paupertatis. Septimo in signum depositionis veteris hominis, et mortalitatis in resurrectione finali explendæ. Unde secundum Augustinum libro XVI *de Civitate Dei*, capite XXVI: « Quid aliud circumcisio significat, quam naturam exuta vetustate renovatam? » Propter quod parentum mutantur et nomina, ut omnia resonent novitatem. Et paulo ante dicit, quod quia hoc non per generationem, sed per regenerationem futurum erat, ideo nunc imperata est circumcisio, in filio promissionis, quo significatur gratia, non natura, id est quando de Sara promissus est. *Et vobis omne masculinum.* Sed quare in solis masculis hoc signum instituit? Dicendum, quod hujus prima ratio fuit, quia tam carnalis generatio, quam populorum distinctio principaliter pendet a masculis. Secunda, quia in generativa mulieris hoc non potuit convenienter fieri. Tertia est mystica, in signum scilicet, quod carnale et femineum manet incircumcisum a corruptione corporali. *Infans octo dierum.* Sed quare octavo die potius quam alio? Ad hoc datur primo litteralis ratio, ut hoc non fieret nimis cito, propter periculum mortis infantium. Oportuit etiam, quod non fieret nimis tarde, ne forte jam grandiores effecti nollent circumcidi; et quia decens et necessarium erat, quod statim cum bono modo profiterentur cultum Dei, et statum suæ religionis ac fidei; et quod mox cum possent, susciperent sacramentale remedium peccati originalis: ideo taxatum est tempus, quod scilicet transiret prius hebdomada una, et non plus. Secunda datur ratio mystica propter mysterium resurrectionis factæ die octavo, et resurrectionis finalis futuræ post septem mundi ætates. *Omne masculinum etc., tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur.* Sed quare servi in domo nati, vel postmodum emptitii, erant cir-

cumcidendi, ex quo non erant de semine Abrahæ? Ad hoc est primo ratio litteralis : quia si servi eorum non essent sui ritus et cultus, hoc tam ipsis quam eorum servis obesset. Possent enim facilius trahi ad idololatriam servorum, si essent alterius ritus. Præterea mutua conformitas ritus multorum facit ad unanimitatem. Decet autem, et expedit, quod tota familia ejusdem domus unanimis sit. Secundo est ad hoc ratio mystica : quia et gentes infideles erant trahendæ et convertendæ ad Christi legem et fidem, et ex eis et Judæis debebat fieri unus populus et unum ovile. Unde secundum Augustinum, ex hoc ostenditur, ad omnes istam gratiam pertinere. *Masculus, cujus præputii caro non fuerit circumcisa, delebitur anima illius*, de populo, scilicet. Quæritur hic, quomodo hæc sententia fuit justa, respectu infantium, quorum culpa non erat non circumcidi? Quomodo etiam in eis erat verum, quod habet pars hujus sententiæ, quæ subditur, quia pactum meum irritum fecit? Dicendum, quod in pacto circumcisionis includebatur primum pactum Dei cum toto genere humano irritum factum in Adamo, eo modo, quo generale includitur in speciali, et antecedens in consequenti, et prius in posteriori, et morale in cæremoniali, sive figurali et sacramentali. Primum autem pactum Dei quævis anima irritum fecit in Adam, eo modo, quo omnes in eo peccavimus, seu peccatum contraximus. Et hoc Scriptura vult hic occulte more veteris Testamenti subinnuere. Unde Augustinus XVI *de Civitate Dei*, capite XXVII, dicit, quod « omnes in Adam testamentum Dei dissipaverunt, et in illo peccaverunt. Testamentum autem primum factum ad Adam, est illud : *Qua die comederis, morte morieris*. Unde scriptum est Ecclesiastici capite IX : *Omnis caro sicut fenum veterascet*. Testamentum enim a sæculo est morte mori eos, qui transgrediuntur præcepta Dei. Sed cum dicat Apostolus : *Ubi non est lex, nec prævaricatio*; quo pacto in Psalmo dicitur, *Prævaricatores æstimari omnes peccatores terræ?* nisi quia omnes legis alicujus prævaricatores sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quia ergo circumcisio signum regenerationis fuit, sic intelligenda sunt verba prædicta, tamquam sic dicta : Qui non fuerit regeneratus, interibit anima ista de populo suo, quia testamentum Dei dissipavit quando in Adam peccavit. Si autem quis hoc de isto pacto circumcisionis esse dictum contendit, potest dici ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verumtamen advertendum est quod propter hoc non posset anima parvuli incircumcisi exterminari de populo, nisi originali peccato esset obligata. » Hæc Augustinus.

Non vocabis Sarai, sed Saram. Cujus ratio, secundum Hieronymum, tradita est : secundum Augustinum vero hujusmodi est ratio. Quia Sarai interpretatur princeps mea, Sara autem virtus. Unde scriptum est ad Hebræos undecimo : Fide et ipsa Sara accepit virtutem ad emissionem seminis. Erat enim illa jam senex et etiam sterilis, et menstruo cruore destituta, propter quod jam parere non posset, etiamsi sterilis non fuisset, quia eis quæ ita provectioris ætatis non sunt, ut solita mulierum eis adhuc fluant, de juvene parere possunt, sed de seniore non ita : quamvis posset ille senior, sed de adulescentula gignere. *Et risit uxor*. Secundum Augustinum, risus exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. Verba quoque ejus (in animo suo, scilicet) *Sed centenario mihi nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet*, non sunt dubitantis, sed admirantis. Hoc autem potest probari primo ex commendatione fidei ejus de promissione futuri seminis, quæ habetur supra decimo quinto. Secundo ex hoc quod infra Sara de risu suo increpatur a Deo : quod multo magis de Abraham fiendum esset, si ex consimili dubitatione risisset. Tertio quia hic promittitur quod cecidit Abraham in faciem suam tamquam Deo humillima adoratione gratias agens de tanto ac tali promisso. Quarto, quia tam perfecte Deo credens, statim ipso die circumcidit se, et omnes mares domus suæ. Quod autem subdit : *Utinam Ismael vivat coram te*, id est ad tuum obsequium et honorem, non dicit ex dubitatione alterius filii sibi de Sara promissi; sed tamquam significans, quod pro magno habebat, si solum eum haberet. Et in hoc significatur se pro maximo et summo habere, si præter illum alium, ex Sara scilicet, habeat. *Vocabisque nomen ejus Isaac*, id est risum. Secundum Hieronymum ex solo risu Abrahæ vocatus est risus, non autem ex risu Saræ, quia risus Saræ, post prædictionem hujus nominis contigit. Augustinus XVI *de Civitate Dei*, capite XXXI, dicit, quod Abra-

Sara vocavit nomen ejus Isaac, quia, ut habetur infra capitulo primo capite ipse pater riserat, quando sibi promissum est admirans in gaudio; riserat et mater dubitans in gaudio, a quo dubio per exprobrationem Angeli purgata est, et per Angelum in fide postmodum confirmata. Et addidit: Ex hoc ergo puer nomen accepit. Unde et Sara merito dixit: *Risum mihi fecit Dominus. Nonaginta novem annorum erat Abraham, quando circumcidit se.* Nota, quod signanter hic commemoratur antiquitas ejus in signum et in exemplum nostrum, quod nulla vetusta consuetudine, nullaque aevuli attritione, ac novitate et penalitate ritus circumcisionis est redditus difficilis vel tardius. Sed numquid servi ejus debuerunt et mox credere, ita ut statim se circumciderent? Dicendum, quod non, nisi prius per apparentia signa constaret quod ipse habuerat hoc a Deo. *Pactum vero meum statuam ad Isaac.* Ex hoc innuit, quod id quod infra XXI clarius dicitur, scilicet quod erit filius ancillæ, quia in Isaac vocabitur tibi semen. *Quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.* Ex hoc patet, quod sequens apparitio, in qua vidit Dominum in specie trium virorum, fuit facta eodem anno, et fere eodem quo et illud dictum: *Revertar ad te, et habebit Sara filium.* Patet etiam ex hoc quod subditur, quod nonaginta novem annorum erat Abraham quando se circumcidit; centum autem annorum fuit quando natus est Isaac, prout dicitur infra XXI capite. *Et circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die.* Hoc signanter dicitur ad commendandam celerem obedientiam Abrahæ, et miram reverentiam et subjectionem omnium servorum ad ipsum tanquam ad optimum patrem et dominum: quia eos sedulo nequaquam circumcidisset. *Et Ismael filius suus tredecim annos impleverat tempore circumcisionis.* Hoc signanter videtur exponi ad innuendum mysterium numeri tertiidecimi, qui designatus est in tribus miraculis in diversis annis factis decimotertio die a die natalis Christi, de quo plura recenseri queunt, et aliquid tactum est supra capite XIV, ubi agitur de decimotertio anno recessus Sodomitarum a tributo regis Elamitarum. Nota secundum Hieronymum, quod in veteri Testamento quatuor absque velamine, antequam nati sunt vocati, scilicet Ismael, Isaac, Salomon, Josias. Sed et præter hos etiam in novo Testamento sunt duo: Joannes, et dominus Jesus; ut huic sexto septimum non desit. Isaiæ VII prædicitur vocandus Emmanuel, et velociter spolia detrahens. Licet hoc ultimum sit oratio potius, quam nomen. Quia enim soli fili gratiæ in libro vitæ sunt nominati, et hi per septem ætates sæculi currunt, idcirco congrue septem per ordinem sunt conscripti, in quorum nominibus gratia commendatur: cujus prima ad veros miseros condescensio congruo exauditio et consolatio risus merito vocatur: ac deinde mentis in Deum oblatio ac sacrificium optime vocatur. Nostri vero per eam in Deum oblatio et intentio et sacrificio optime vocatur Josias, id est in quo est incensum: et post hoc singulariter illuminatio præcurrens Christum inducitur. In hora enim incensus dictum est Zachariæ, quod uxor ejus pareret sibi filium, quem vocaret Joannem, id est in quo est gratia. Sexto autem mense nominatur nomen Jesu et conceptio ejus, quia post prædicta ipse fons gratiæ salvificans expressus prægustatur, et tunc cum hoc sentitur nomen Emmanuel, id est quod Deus est nobiscum, et hic est virtus et victoria deprædationis hostium nostrorum.

CAPUT XVIII.

Apparuit autem ei Dominus. Hæc est sexta apparitio, in qua singulariter apparuit Deus trinus et unus. Commendatur autem hæc apparitio singulariter ex septem. Primo ex evidentia expressionis. Secundo ex familiaritate comestionis. Tertio ex efficacia promissionis, ibi: *Cumque comedissent, etc.* Quarto ex reseratione familiarissimæ revelationis divini consilii et judicii, ibi: *Cum ergo surrexissent.* Quinto ex singulari exauditione precum Abrahæ, ibi: *Abraham vero adhuc stabat.* Sexto ex severitate justi judicii Sodomæ, ibi: *Veneruntque duo Angeli.* Septimo ex liberatione Loth propter preces Abrahæ, quæ partim interseruntur, partim subjungitur sextæ parti. Post hæc autem subjungitur etiam, quomodo duæ filiæ Loth conceperunt ex eo, ibi: *Dixitque major ad minorem.* Et postea subditur recessus Abrahæ de Hebron in Geraram, et liberatio Saræ de manu Abimelech regis, infra, *Profectus inde Abraham*: et prædicitur etiam conceptus et partus Isaac, ibi: *Visitavit autem Deus*

Saram. Circa hanc autem apparitionem est primo quærendum. An tres viri Abrahæ apparentes tenuerunt personam Dei, an solum alter eorum. Secundo, an Abraham a principio cognoverit Deum sibi apparere in specie trium virorum, vel solummodo tres crediderit esse homines. Tertio, an hi tres secundum rem fuerunt Angeli. Quarto, quare et quomodo Deus vel Angeli in specie virorum comederint. Quinto, erit videndum de circumstantiis hujus visionis hic signanter descriptis, scilicet de loco et standi modo, quia sedebat in ostio, et in convalle Mambre, quia in fervore diei, et sic de aliis. Ad primum dicendum, quod licet quidam falso dixerunt, quod unus solus tenebat personam Dei et Domini, duo vero reliqui tenebant personam Angelorum et Sanctorum Dei : unde et infra, dicto, quod Dominus discessit ab Abraham, subditur, quod venerunt duo Angeli : certum est tamen ex verbis hujus Scripturæ, quod tres viri prædicti tenuerint pariter personam unius Dei : sic tamen, quod unus proprie tenuit personam Patris : duo vero, qui dicti sunt Angeli, gesserunt personam Filii et Spiritus sancti. Quod probatur primum ex eo, quod Loth infra ad duos, qui dicti sunt Angeli, loquens, dicit in singulari, *Quæso, Domine mi*. Et ascribit auctoritatem et potestatem uni competentem ; subditque in singulari, quod Dominus dixit ad eum: ecce etiam in hoc suscepi preces tuas. Et secundo, quia in principio hujus totalis visionis dicit Moyses, quod apparuit Dominus Abrahæ ; et postmodum non dicit qualiter, nisi solum pro quanto subdit, tres viros ei apparuisse. Nullumque horum in speciali exprimit altero dissimilem aut majorem. Tertio, quia plerumque præmisso in plurali quod Abraham loquitur ad eos, subditur in singulari : Domine mi. Et ipsi consimiliter primo præmissi ut plures subdunt in singulari : Ego veniam, et consimilia. Præterea recta ratio dictat, quod ex quo Dei filius ei pro semine in quo benedicendæ erant omnes gentes, promittebatur, licet more veteris Testamenti hic sub velamine exprimatur : quod sibi Trinitatis mysterium revelaretur. Decebat etiam quod hæc veritas radices mitteret in Patribus et Prophetis veteris Testamenti, instar stipitis et ramorum propalanda in novo. Ad secundum, quod secundum Augustinum, XVI *de Civitate Dei*, cap XXIX, Abraham in principio æstimavit esse homines, alias non tamquam mortalibus et humana refectione indigentibus ministrasset. Verumtamen verissime cognoscebat Dominum esse in eis, sicut esse assolet in Prophetis. Sed contra hoc ultimum quidam arguunt. Primo, quia ex tali æstimatione Dei in Prophetis non est consuetum loqui ad eos tamquam ad unum existentem Deum in eis, nec in adoratione eorum adorare unum Deum. Secundo, quia nec ipsi Prophetæ soliti sunt loqui in persona Dei, nisi præmittendo : Hæc dicit Dominus Deus, aut aliquid æquivalens. Potest igitur dici, quod sicut Christi discipulis euntibus in Emaüs, Christus eis apparens, primo creditus est esse peregrinus ; ex quo tamen cœpit loqui ad eos, æstimatus est ab eis multum reverendus : et ut postmodum confitentur, multum ardoris in corde eorum per sua eloquia immissum est, et tanquam reverendum peregrinum ipsum invitant, et ad suam cœnam compellunt, et tandem in fractione panis ipsum Christum agnoscunt : sic, ut videtur, Abraham in principio hos tres æstimavit esse homines : postquam autem comederunt, et auctoritate majestativa tamquam unus Deus loquuntur ad eum, *Revertens veniam ad te etc.*, tunc se habuisse videtur ad eos tamquam ad unum Deum, id est tamquam ad tres personas unius Dei. Et consimiliter videtur fuisse in Loth, ubi scribitur *Dixitque Loth ad eos, Quæso, Domine mi etc.*, cœpit Loth cognoscere illos duos Angelos sive viros, id est unum Deum, et tamquam duas personas unius Dei. Sed huic modo dicendi obviare videtur, quia in primo occursu Abrahæ ad eos, dicitur eos adorasse, et in singulari dixisse : Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum. Sed ad hoc potest dici quod etiam in principio facta est in Abraham quædam occulta et interna inspiratio et motio compellens eum sic loqui, quamvis nondum in seipso plene adverteret, quid in mente sua, quo ad hæc, gerebatur. Certum est enim sæpe fieri immissiones et internos sensus et motus in aliquibus, et hoc in quibusdam nostri temporis me arbitror comprobasse. Unde et sæpe contingit quod tales postmodum advertunt se aliqua sensisse in visionibus suis, aut etiam in Scripturis, quæ prius non adverterant se sensisse, dum divina legerent, et viderent, vel audirent. Et præcipue hoc contingit quando homo sic sibi quasi

suæ libertati aut libero arbitrio relinquitur; quod in quibusdam divinitus agitur, aliis tamen non plene relictis. Nonne enim mirabile est quod Paulus in raptu ad tertium cœlum nescivit an ejus anima esset tunc in corpore sive extra corpus? Et sic puto in Abraham contigisse. Ad tertium Augustinus, ubi supra, dicit quod ipsos fuisse Angelos Scriptura testatur, non solum in hoc libro ubi hæc narrantur, sed etiam in Epist. ad Heb. cap. scilicet ult., ubi cum hospitalitas laudaretur: *Per hanc*, inquit, *quidam nescientes hospitio receperunt Angelos*; vel, ut nostra littera habet: *Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis*. Videtur ergo dicendum quod forma corporalis horum trium Abrahæ visibiliter apparens habuit triplicem respectum. Primo videlicet, ad suam visibilitatem sive figuram visibilem; et secundum hoc prætendebat humanam speciem virorum, et pro tanto vocantur hic viri. Secundo ad suum efficiens, et movens proximum et immediatum; et hi fuerunt Angeli juxta regulas Dionysii de legibus Hierarchiæ, quod Deus per ministros intermedios regit inferiora. Tertio ad suum principale significatum, per quod principaliter repræsentandæ erant species virorum formatæ; et hoc modo apparebant et repræsentabantur in eis principaliter tres personæ unius Dei. Unde tam in figura quam in aspectu et gestu et locutione et efficacia, refulgebat quidam modus majestativus et dominativus et deificus, soli summo Deo singulariter competens. Potest autem esse quod sicut dæmon in viris arreptitiis plerumque ita loquitur, quod audientes aliquando principaliter feruntur ad dæmonem in illis loquentem, aliquando vero ad ipsos arreptitios, quod sic Deus per Angelos suos quos immediate inhabitat, moveret illas species visibiles trium virorum, sic quod aliquando mentem et sensum Abrahæ principaliter ducebant in Deum inde apparentem et loquentem; aliquando vero quasi in homines, et forte aliquando quasi in Angelos Dei. Ad quartum dicendum, quod non fuit magnum in corporibus assumptis cibos trajicere, et occulte consumere et resolvere. Causa autem propter quam Deus voluit assumere formam comedentis et lotionis pedum, et consimilium, inter cæteras fuit triplex. Prima est ut in principio ad litteram crederentur esse homines; et sic per consequens pietas et hospitalitas Abrahæ et Loth probaretur et exerceretur; quæ quidem tanti est ponderis apud Deum, ut Apostolus ex ejus virtute dicat eos meruisse angelos hospitio habere. In hospitalitate enim generaliter ad omnes, et specialiter ad sanctos, non solum liberalitas, sed etiam multa humilitas et pietas, et societas et fraterna charitas, et sanctorum spiritalis collocutio, et domestica et commensalis communicabilitas connutritur et comparticipatur. Sed tamen quomodo Abraham potuit credere ipsos esse viros sanctos, cum sciret illo tempore omnes gentes ad idololatriam et ad multa alia vitia declinasse? Ad hoc dicendum, quod non est credendum omnes illius temporis in tantum errasse, quin adhuc essent hic inde aliqui singularis sanctitatis, sicut utique erat Melchisedech et Sem filius Noe adhuc vivens, et aliqui alii Patres antiqui. Et quantum ex hoc capite et sequenti apparet, illo tempore sanctorum Patres in multa simplicitate incedebant, et in suis mutuis receptionibus, soliti erant sibi invicem pedes lavare. Unde Abraham et Loth invitaverunt istos ad lotionem. Secunda causa est, ut per hoc familiarius se jungeret Deus Abrahæ, et etiam omnibus fidelibus hoc factum audientibus et credentibus; et ut per hoc ipsum Abraham ad majorem spem et timorem, et fiducialiorem amorem erigeret sursum. Tertia est, ut veram humanationem Christi futuram, in qua cum hominibus vere comedit, prophetice præfiguraret: et ut epulas æternæ patriæ nos cum Deo finaliter participaturos in quadam visibili imagine præmonstraret; et etiam epulas gratiæ quos tota Trinitas facit in mentibus amicorum suorum, juxta illud Joan. XIV: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*. Et nota, quod congrue Deus dicitur hic apparuisse, ut viator et pauper verecunde subsidia vitæ petens, ut præfiguraretur vita Christi, de qua Jerem. XIV dicitur: *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? quare futurus es veluti vir vagus etc.* Et ut præfiguraretur quod tota Trinitas in nobis viatoribus et peregrinis viam quasi ductor, et sub specie ænigmatica et peregrina ut viator demonstrat. Patet autem quod dictum est, tum quia vidit eos stantes, tum quia ad pedum lotionem invitat, quia id non solet fieri

equitantibus, tum quia dicit eis, postea transibitis, ut pauperes scilicet : et etiam quia dicit eos ideirco de via communi declinasse et venisse ad tabernaculum ejus, ut reficerentur ab eo. Et supra non dicitur quod viderit eos euntes, sed stantes ; et hoc est proprie signum petentium. Unde hodie sicut fratres mendicantes, dum declinant ad domum alicujus sibi ignoti, stant sic ad portam, ibi gradum figentes quasi petentes hospitium. Et sic videtur quod fecerit Deus in specie trium virorum. Quia secundum Ambrosium libro *de Officiis*, « Verecundia petendi ingenuos prodit natales. » Ideirco hanc formam decet nos discere a Deo in specie pauperis apparente : non autem decet nos esse importunos et inverecundos quæstores. Unde Abraham et se et sua liberaliter offerenti, non dicunt, da mihi hoc et illud ; sed solum, fac quod locutus es : quasi dicant : Specialia non petimus, sed quod dare volueris, recipiemus. Ad quintum dicendum quod circumstantiæ hujus apparitionis tamquam sextæ, vel præcipuæ, debuerunt congruere, spirituali excessui hujus visionis designando. Fit igitur in meridiano fervore diei, ut simul designaret charitatem et fervorem amoris Abrahæ ad Deum, et Dei ad Abraham. Fit et in sexta hora diei tamquam apparitio sexta, ut designet apparitionem sextæ ætatis factam in Christo et sexti temporis Ecclesiastici. De quo satis habetur in Apocalypsi. Fit etiam sedenti, ad designandum tranquillitatem mentis Abrahæ, et ad innuendum quod excessus contemplationis non est nisi in mente quieta. Fit sedenti in ostio tabernaculi, sicut et Eliæ stanti in ostio speluncæ, quia non fit nisi in mentibus suum corpus habentibus pro transitorio tabernaculo et pro carcerali spelunca, nec immersis in illis, sed quasi de illo ad æterna egressis. Fit etiam in convalle Mambre, quæ interpretatur divisio, vel claritudo, vel alienatio. Fit enim in profundo humilitatis in se habentis divisionem et contemptum omnium mundialium et claritatem cœlestium radiorum, et alienationem sensuum ab operationibus sensualibus. Fit etiam, secundum litteram Septuaginta circa quercum, quæ secundum Isydorum XVII *Etymologiarum*, fertur usque ad Constantini regis imperium perdurasse. Est enim arbor ex suo genere multum annosa, cujus fructus glandula vocatur, quæ in medicaminibus adhibetur. Sub hac autem quieverunt et comederunt, quia crux Christi et tota textura operum naturæ, gratiæ, et gloriæ, et omnis divinæ Scripturæ atque doctrinæ, est veluti quercus, solida arbor et ramosa. Sub qua, et in qua excessus divinæ contemplationis menti sanctæ apparet. In quolibet enim prædictorum instar arboris invenies radices fundamentalium principiorum, procedentium per media usque ad fructus finalium operum seu circumcisionum. Nota autem actus Abrahæ. Primo enim videt. Secundo, in occursum currit. Tertio, adorat. Quarto, invitat. Quinto, pedes lavat. Sexto, festine mandat Saræ ut panes de simila purissima paret. Septimo, ipse optimum vitulum celeriter assumit, et per famulum occidit et coquit, coctumque cum butyro et lacte coram apponit, ipsisque assistit. Post primam enim Dei speculationem insilit et occurrit, affectus ad Deum, totumque Deo usque ad infima subjicit et prosternit, ac proinde Dominum ad se invitat et trahit. Et ut Deum reficiat potius quam seipsum, quod est charitatis altioris et transcendentioris : ac deinde profunda divinorum processuum mentali puritati detegit, superapparentium et superpositarum contrarietatum obstacula, quasi sordes divinorum pedum spiritali lavacro abstergendo. Vel per pedes designantur, non profunda, sed infirma ipsius Christi. Potest etiam per lotionem pedum significari humilis pietas et reverentia, quæ menti occultam ipsam utilitatem membrorum Christi dictam purissimam fidem et intelligentiam beatissimæ Trinitatis subtili perscrutatione et collatione commixtam, et igne charitatis sub cineribus humillimæ abnegationis omnis proprii sensus et rationis, sibi per Saram apponit. Quæ quidem per tria sata similæ designantur. Simila enim est purissimus flos farinæ triticeæ, provinciæ Palestinæ, capiens unum et dimidium modium secundum Isidorum. Dei enim essentia in tribus personis capit unum summum bonum, et omne ens creatum vel creabile quod est quasi dimidium et semiplenum bonum, ut cum offert sibi totam puritatem trinæ potentiæ, scilicet intelligentiæ, voluntatis et memoriæ. Sed ipse per se tamquam per summum apicem mentis suæ offert vitulum per famulum de armento ablatum, occisum et coctum, Christum videlicet, non per sanctos Patres, sed per impios Judæos ab homini-

lum segregatum et crucifixum; et per incendium devotionis coctum, et sacrificatum. Quæ apponuntur cum butyro, id est, cum sapore sincero, suavi et pingui; et cum lacte, id est cum pura et innocenti seu infantili simplicitate, sicque fiunt divinæ mensæ, divinæque refectioni accedit. Et nota quod omnia prædicta facta sunt etiam miræ festinatione et celeritate; quia spiritus extaticus et superfervidus nescit agere lente et tarde, imo instar aquilæ vivaciter et agiliter volat. Dicit autem, *Et ponam buccellam panis*. Ubi sumit panem pro omni comestibili. Buccellam vero dicit aut ex humilitate, aut in signum accelerati et succincti prandii, festinantibus ministrandi. Dicit etiam vitulum tenerrimum, id est multum juvenculum, et non duras, et tenerrimas carnes habentem. Vitulus enim et hædus quia sunt de matre sicca, eo sunt meliores quo sunt juniores; agnus vero quia est de matre multum humida, est in principio minus bonus ad esum. De arbore autem sub qua hæc refectio fuit, sunt quædam alia mysteria tacta supra. *Cumque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua?* Non hoc quærunt quasi ignorantes, sed ut ex responsione Abrahæ detur occasio sequentia subtexendi. Ille respondit: *Ecce in tabernaculo est*. Nota religiositatem sanctæ Saræ. Sic enim eis devote servivit, quod tamen seipsam extraneis non monstravit, sed in interioribus mansit; hoc enim decet feminas et dominas sanctas; et in hoc servatur ordo Hierarchiarum, quia superioris est absque velo et immediate Deo assistere, sicut hic Abraham faciebat; inferioris vero per intermedium velum et mediante superiori. *Cui dixit, Revertens veniam etc.* Quæritur quomodo a trina corporali specie trium virorum potuit una vox emanare, ut de omnibus tribus in singulari dici potuerit hoc quod dixit, Revertens veniam ad te. Ad quod duplex responsio potest dari. Prima est quod quamvis vox fuerit corporaliter trina, significatione tamen causaliter ac intellectualiter fuit una, tamquam scilicet ab uno Deo in tribus loquente. Sicut dato quod unus et idem dæmon tres viros agitans per eorum linguas eamdem rem consimili voce loquatur, apud eum qui nosset dæmonem in tribus et per tres loquentem, esset quodammodo una vox; sicut et si aliquis nobis per Scripturas trium schedularum loquatur, non dicimus in plurali, Hi dixerunt hæc nobis, sed, iste dixit. Secunda responsio est quod Deus miraculose per trium personarum corpus assumptum unam solam vocem protulit, aut secundum rem, aut saltem secundum sensualem apprehensionem Abrahæ. Ita quod ipsi Abrahæ fuit sensibiliter visum quod eadem vox fuit trium. Et quidquid sit de primo, hoc ultimum fuit valde facile Deo. Alias posset dici quod unus loqueretur in persona omnium trium, sicut Petrus in persona omnium Apostolorum aliquando respondebat. Primi tamen modi videntur magis honorifici Deo et amplius congruere mysterio sanctæ Trinitatis; quamvis modus tertius respectu nostri bene competat Deo; tum quia per Filium incarnatum tota Trinitas locuta est nobis; tum quia more Scripturarum appropriative loquendo tota Trinitas aliquando loquatur nobis per Spiritum sanctum, aliquando per verbum inspiratum, vel per visibilem apparitionem sicut nunc, vel per invisibilem et novum gratiæ effectum. Nota quod annum integrum ab apparitione usque ad partum Isaac ponit, tum propter alias causas, tum etiam ne statim quasi in Dei adventu carnalis conceptio videatur facta fuisse, sed potius fere post tres menses. *Vita comite*. Secundum Hieronymum. Septuaginta habent, in tempore hoc, et in hac hora. Sed pro hora est in Hebræo vita, ut sit ordo vel sensus. Revertar ad te in tempore vitæ; quasi dicat: Si vixero vel si vita fuerit comitata. Dicit hoc autem more humano. Hæc Hieronymus. Et tunc potest id dici, non quasi sit incertus de sua vita in tempore illo, cum ejus vita sit immutabilis et æterna; sed ut suo exemplo doceat nos sic debere loqui cum loquimur de futuris per nos fiendis, juxta quod docetur Jacobi IV. Quamvis eo quod in Hebræo est (in tempore vitæ) possit nominari occulte tempus gratiæ vivificæ. Vel si ibi est in tempore hoc et in vita hac sive in tempore hujus vitæ, significetur quod Deus venturus sit ad eum in tali tempore secundum effectum vel formam pertinentem ad statum hujus vitæ. Secundum litteram vero Septuaginta quæ habet, in hora hac videtur Deus vim suæ præscientiæ et providentiæ velle monstrare, ita ut non prædicat tempus nativitatis Isaac in generali, sed etiam horam. *Et desierant Saræ fieri muliebria*, id est menstrua, quibus deficientibus deficit vis

concipiendi et pariendi. *Quæ risit occulte dicens*, scilicet in corde vel quasi inter dentes, aut valde silenter. Hæc enim narrantur ad ostendendum quomodo Deus præscivit secretum risum et verbum. *Dixit autem Dominus ad Abraham, Quare risit Sara?* Nota quod Deus volens corripere Saram, non convertit sermonem suum ad illam, sed ad virum ejus. Primo ut doceat quod ordine hierarchico debet a Deo per intermedium superiorem inferior gubernari et corripi. Secundo, quia Sara non erat tunc corporaliter ibi præsens, erat autem ibi vir ejus. Tertio ut parceret rubori et confusioni Saræ; et ideo loquens ad virum, eam quasi dissimulatorie corrigit. Sed quare Deus increpat Saram? Numquid debuit ipsa hoc statim credere? Dicendum quod si ratio sui dubii provenisset ex ambiguitate senilis ætatis, et incertitudine divinæ revelationis, tunc discrete et meritorie dubitasset, quia tunc præsumptuosum et temerarium esset firmiter asserere, quod Deus non clare et evidenter revelat. Quia vero hoc contingit ex præponderatione communis cursus naturæ super potentiam Dei ex diffidentia ex hoc sumpta, ideo peccavit. *Numquid Deo est quicquam difficile?* Nota quod Deus volens ostendere se posse prædictum miraculum fœcundationis Saræ facere, dixit, Numquid Deo est quicquam difficile? Et illud idem fecit Jeremiæ XXXII cap., ubi dicit se traditurum filios Juda in manus Chaldæorum et tandem reducturum: ubi tamen præmittit, Ecce ego Dominus Deus universæ carnis. Numquid mihi difficile erit omne verbum? Et paulo ante dicit Jeremias, Ecce tu fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna et non erit tibi difficile omne verbum. Et hoc ipsum dicit Angelus Virgini annuncians conceptum Filii Dei, prout habetur Luc. I. Per omne autem verbum vel per quidquam, id est per quodcumque, intelligitur omne quod habet rationem entis et factibilis, et absque contradictione cogitabilis et dicibilis. Unde quando Judæi negant miracula et magnalia fidei Christianæ tamquam impossibilia Deo, ut sunt Christi incarnatio et ejus æterna generatio et consimilia, inter multa quibus confutari possunt, et hoc unum est. *Quæ risit occulte dicens: Postquam consenui etc.* Ex hoc patet quod ipsa risit tamquam dubitans et diffidens de conceptu prolis propter senectutem tam sui quam viri. Videtur etiam quod ultra hoc Sara in verbis istis velit notare quod a modo inconveniens erat ipsam viro suo corporaliter commisceri et carnali delectationi vacare. Quod utique verum esset, nisi ex speciali Dei præcepto vel consilio et citra spem prolis hoc fieret. Sed quæritur, quomodo decenter Deus vivificaverit vim generativam Saræ et Abrahæ quæ secundum Apostolum ad Romanos IV jam erat quasi mortua, cum in hoc ipso sit vivificatio vitiosæ concupiscentiæ illius partis. Dicendum quod Deus per se non vivificavit nisi naturale bonum vis generativæ, et quod hoc decenter fecit et facere potuit, quamvis ad hoc per accidens sequeretur revivificatio vitiosæ concupiscentiæ illi parti ingenitæ: non enim habet Deus relinquere suos bonos et fructuosos effectus. Quamvis possit dici quod in vivificatione generativæ eorum non fuerit vitiosa concupiscentia plus accensa quam prius esset; hoc enim modo bene potuit fieri a Deo *Juxta condictum*, id est juxta quod sibi promisi et dixi: *Negavit Sara, dicens: Non risi, timore perterrita.* Hoc ultimum subdit Moyses, ut ostendat quod Sara non negavit hoc quod Deus asseruerat, tamquam scienter et irreverenter vellet Deo contradicere, aut quasi assueta mentiri, aut tamquam voluntarie sive elective mentiens: sed potius tamquam ex passione timoris seu verecundiæ ad hoc quasi repente et sine deliberatione impulsa. Sed quomodo Sara potuit credere posse se a Deo abscondi? Dicendum, sicut supra dictum fuit de Adam se inter arbores a facie Domini abscondente. *Dominus autem: Non est* (inquit) *ita, sed risisti.* Duplici ex causa Deus ita fortiter obviat negationi Saræ. Primo scilicet ut ostendat infallibilitatem præscientiæ suæ, quod nihil potest eum latere, et ut eo ipso eos amplius certificet de verificatione sui promissi. Secundo, ut per eam fortem obviationem et increpationem Saræ diffidentia plenius expurgetur, et ut etiam a repentino mendacio in posterum reddatur cautior. *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ ego gesturus sum?* quasi diceret, non potero. Non quin de potestate absoluta hoc posset; sed vult dicere quod ex tam familiari amicitia diligit ipsum, quod non posset velle illa sibi celare. Super quo nota, quod in hoc ipso Deus innuit quod in paucissimis et rarissime et difficillime secreta suorum judiciorum revelat antequam fiant: alias

frustra præmitterentur verba ista. Hujus autem prima ratio est, ut in hoc ipso Deus doceat quod secretum consilium regalis personæ non est passim revelandum, quia eo ipso fieret minus reverendum, et ipsa detectio caperet levitatem. Secunda ratio est, quia summa et profundissima solum summis et solum ad hoc idoneis sunt a Deo immediate revelanda, ut tandem per illos ceteris suo tamen tempore et sub debita proportione revelentur. Et hic igitur præmittitur idoneitas Abrahæ, tam respectu suæ futuræ magnificentiæ, ad quam erat a Deo electus, quam respectu suæ magistralis et paternæ sollicitudinis ad tradendum posteris salutaria præcepta divini cultus. Tertia ratio est, quia Deus est valde difficilis ad publicandum occulta crimina nostra ; unde vix secrete soli Joanni voluit subinnuere Judam proditorem ; quamvis nobis hoc expedire videretur ad sciendum quod Christus est voluntarie passus tamquam præscius proditionis contra se fiendæ. Plures sunt et aliæ rationes, quas *super Matthæum* scripsi [1]. Sed quæritur, Ad quid Deus Abrahæ revelat judicium destructionis istius ? Dicendum quod fecit hoc primo ut ex hoc plenius conciperet Deum ut sibi familiarissimum et apertissimum, ut sic ex hoc plus incalesceret in Dei amorem et fiducialius speraret in illum : et hinc est quod Deus eidem in principio dixit se ad revelandum moveri ex multo amore communicandi se sibi. Secundo, ut per hoc et consimilia ostendatur, quod Deus notabilia judicia hujus mundi revelat aliquibus multum specialibus priusquam faciat illa. Tertio, ut Abrahæ detur occasio deprecandi pro Loth, et sic per consequens pateat, quod ejus meritis est liberatus. Quarto, ut ostendatur quod Deus vult nos scire et timere judicia sua, et quod eorum notitia et meditatio multum expedit nobis, et quia per sanctos Patres tamquam per Dei ministros sumus de eis plenius edocendi ; idcirco oportet quod illa clarius et immediatius revelentur a Deo. Unde et hic dicitur, quod Deus revelavit hoc Abrahæ, quia erat futurus pater gentis magnæ et præcepturus eis ut Deum ejusque judicia semper timerent. Quinto, ut ostendatur quod in hac vita consolationibus tristia sunt miscenda. Et ideo post visionem consolatoriam et promissoriam subditur revelatio terribilis judicii Dei. Sexto, ut ostendatur quod de perfectione contemplationis est, non solum Dei præmia, sed etiam judicia et supplicia contemplari ; et ut cum hoc mystice figuretur, quod in clara revelatione beatissimæ Trinitatis mundialia evanescunt, videturque in ea seu per eam destructio carnalium et reproborum. Unde quando fuit Virgini revelatio per Angelum facta, tunc casum Judæorum paulo post factum prævidit et prædixit, dicens : *Deposuit potentes de sede etc.* Et etiam cum per Christum et Apostolos fuit Evangelica veritas prædicata, tunc potestas dæmonum et idololatria corruerunt ; quando vero per Doctores fuit subtiliter exposita et defensata, tunc hæreses ceciderunt ; cumque apertione septimi signaculi liber beatissimæ Trinitatis plenius revelabitur, tunc corruet character bestiæ Antichristi. Septimo, ut ex subsequente eventu prænuntiati judicii Sodomorum Abraham et Sara sensibilius confirmarentur, tam visione beatissimæ Trinitatis, quam de promissione filii nascituri ex eis. *Cum futurus sit in gentem magnam etc.* Duplici ex causa hoc pro ratione quod non deberet sibi illud judicium celari, subditur. Prima est præexcellentia meriti et gratiæ diffundendæ in omnes gentes, et singularitas charitatis ejus ad ampliandum divinum cultum. Secunda est præsidentia sui regiminis, propter quam decebat sibi sicut aliorum rectori et doctori plura Dei arcana revelari. *Et faciant judicium et justitiam.* Hæc duo in Scripturis aliquando pro eodem sumuntur. Vel per justitiam significatur actus singularis justitiæ, per judicium vero actus ejus universalis, qui in communi judicio ejus exercetur. *Ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* Nota quod sicut in potestate et scientia invenitur hierarchicus ordo ad superiorum et inferiorum ordinem, sic et in merito. Unde meritum Abrahæ habuit quamdam instrumentalem causalitatem respectu fidelium futurorum, quamvis hoc ipsum non habuit nisi ab ordine divinæ electionis et prædestinationis : et hoc in his et consimilibus modis loquendi Scriptura innuere intendit.

Clamor ergo Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est. Clamor in hujusmodi locis et consimilibus vocatur publica et excessiva diffamatio peccati,

[1] Nota : « Quas super Matthæum scripsi »

quasi pro se clamans ad judicem, ut de ea fiat judicium et vindicta. Licet autem plura peccata in eis fuerint, unum tamen singulariter turpe, de quo infra, cum ad Loth perventum fuerit, agetur, ad Deum clamare intelligitur. Per Sodomam autem et Gomorrham etiam cæteras urbes eorum intelligit tamquam per principaliores. *Descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.* More humano de seipso loquitur, ut juxta rectam et naturalem formam divini judicii, doceat ordinem et maturitatem judicii humani. Et etiam ut in hoc ipso Prælatos doceat quomodo debeant suos subditos judicare. Innocentius III in quadam decretali sua dicit, quod ex hoc loco probatur, quod cum subditus vel Prælatus excedit, si per clamorem vel per famam ad aures superioris pervenit, non quidem a malevolis et maledictis, sed a providis et honestis; nec semel tantum, sed sæpe : quod clamor et diffamatio innuunt quod debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari : et si rei poposcit qualitas, canonica ultio de culpa fiat delinquentis. Non quasi idem superior sit actor et judex; sed quasi denunciante fama vel deferente clamore, ut officii debitum exequatur. Fama enim et clamor tenent hic locum accusatoris. Est ergo sensus, *Descendam et videbo etc.*, id est veritatem omnium judicandorum, et veritatem famæ vulgaris volo plene videre antequam judicium proferam. Per descendere igitur ad locum, et per examinare seu inquirere de veritate clamoris seu famæ an ita sit sicut dicitur, an non, significat præsentiam et efficaciam ac diligentiam divinæ justitiæ et scientiæ super veritate judicandorum : quam tamen habet Deus sine reali motu et descensu, et sine prævia inquisitione. Ultra hoc etiam intendit dicere quod etiam in assumpto corpore vult quasi visibilis homo probare, vel potius per factum in seipso probari, an in ipsomet nefaria perpetrari contemnant, quasi dicat : Tunc etiam coram hominibus habebo rationem aptam et necessariam puniendi, si etiam in persona mea vel nunciorum meorum nefaria inferre non verentur. Si quæratur quare Deus sic singulariter voluerit delere Sodomam, cum non legantur idololatræ fuisse? Potest dici quod populo Dei legem suscepturo, et etiam omnibus posteris erat valde expediens, per aliquod terribile judicium aperte monstrari, quam detestanda sunt flagitia contra naturam. Et quia hujusmodi exempla et documenta solent præcipue dari circa initialem fundationem statuum populi Dei; idcirco congruum fuit hoc tempore quo agebatur de spiritali conceptu Isaac. Secunda ratio est ne Deus videretur injuste disperdere Chananæos Sodomitis intimos, quorum promittebat terram Abrahæ. Idcirco enim terribile judicium circa vicinos eorum exercuit, ut per hoc quasi compellerentur redire ad Dominum; quod si nollent, justius suo tempore delerentur et ipsi. Est autem hoc consuetum Dei in consimilibus casibus et temporibus. *Abraham vero adhuc stabat coram Domino.* Si viri illi jam abibant, quomodo Abraham stabat? Vult dicere, id est ambulabat cum eis immotus. Tunc illi abierunt, id est ad alienandum se converterunt et disposuerunt : vel per anticipationem hoc dictum est quod abierunt. Nota quomodo secundum successiva incrementa divinarum visionum et condescensionum crevit familiaris ausus Abrahæ ad Dominum. Nam in quarto cœpit primo dicere, Domine Deus, quid dabis mihi, et unde scire possum quod possessurus sum eam? Hic vero audet sibi appropinquare, et etiam pro Sodomis deprecari. *Numquid perdes justum cum impio?* quasi dicat : Non, vel quasi diceret, utinam hoc non faceres. *Absit a te ut hanc rem facias.* Secundum quosdam vult dicere : Deus, precor te ut non sit ita. Vel potest legi adversative, seu negative. Perdere enim justum cum impio potest intelligi dupliciter. Aut eo modo quo cedit in utilitatem justorum; et tunc hoc potius est ipsum salvare quam perdere. Aut sic quod perditio illa sic cedat in detrimentum justorum, sicut et impiorum. Et hoc secundo modo non est Deo possibile : et hunc sensum magis videtur hic Abraham intendere : unde absolute subdit : *Non est hoc tuum qui judicas omnem terram. Nequaquam facies judicium hoc.* Sed verba Dei quæ subduntur, scilicet quod non delebo propter quinquaginta, vel propter decem justos ibi inventos, sunt vera simpliciter et absolute; quia facilius posset Deus nunquam impios perdere, quam unum justum injuste damnare cum eis. Et Abraham non solum intendit suis allegationibus extorquere quod justus Loth cum Sodomitis æternaliter non damnetur : sed etiam ultra hoc intendit Deum suis precibus inflectere quod justus ab eorum temporali subversione servetur. Idcirco verba ista sic sunt legenda quod

continerent aliquam rationem justitiæ, et aliquid gratiæ et misericordiæ. Quamvis enim Deus possit justos homines temporaliter punire propter originalem culpam, per pœnam tamen non decet divinam clementiam et piam justitiam tam horribiliter occidere justos cum impiis, quod sub eadem impietate videantur cecidisse; saltem ubi grandes preces amicorum Dei pro hoc intervenerint. Et secundum hoc est legendum, *Non est hoc tuum*, id est tuæ pietatis. *Qui judicas omnem terram*, scilicet pie et cum pia justitia. *Facies judicium*, scilicet pium. Et tunc verba Dei, quibus dicit, Non faciam propter quinquaginta, vel non propter triginta vel non propter viginti vel decem, non sunt universaliter intelligenda, sed tamen dici potuit quod Deus sciebat nec decem justos ibi esse : et concessit hoc Deus Abrahæ ad exaggerationem culpæ Sodomorum, in tantum quod innotuerit familiæ Loth, quod non fuerint tunc in ea decem justi; unde nullus inde liberatus est, præter ipsum. In quo notandum occurrit quam nociva est spiritualibus carnalium societas et impiorum. Posset tamen dici quod Deus hoc ex speciali gratia concessit Abrahæ deprecanti, quasi diceret: Tuarum precum interventu propter solos decem justos ibi inventos, omnibus parcam. Et secundum hoc significatur hic admirabilis efficacia precis et meriti præcipuorum Sanctorum. *Loquar ad Dominum meum cum sim*, id est quamvis sim pulvis et cinis, scilicet primaria origine et finali resolutione, et terrea compositione. *Ne quæso, inquit, indigneris Domine si loquar.* Hieronymus dicit quia videbatur interrogans Dominum ad responsum eum arctare, ideo temperat præfatione quod quærit. Sed quare cum tanta gradatione precum a quinquaginta pervenit usque decem? Numquid melius et facilius fuisset hic rogare pro decem? Dicendum quod propter reverentiam quam habebat ad Dominum, et propter magnitudinem rei postulandæ, non fuit a principio ausus petere hoc pro decem, sed Deo concedente in quinquaginta accepit animum seu fiduciam petendi hoc pro quadraginta quinque, et sic successive magis et magis usque ad decem. Præterea, Deus occulte sic movit et temperavit animum ejus, quod forma suarum precum spiritualibus mysteriis deserviret : cœpit enim a quinquaginta, et petitionem terminavit in decem : id est a summo culmine gratiæ, qui est plenus jubilæus Spiritus sancti, per quinquagesimum quasi per annum jubilæum mystice designatus. Minor autem justitia ad salutem sufficiens esse non potest, quia saltem impleat decalogum præceptorum. Sunt etiam ipsæ petitiones notandæ. Nam in secunda et in tertia fit minutio solum de quinque ad quinque; in tribus vero ultimis semper de decem. Sex enim tempora sunt hujus vitæ. In septimo autem est quies in qua erimus ab omni necessitate et miseria liberati. In graduali autem diminutione perfectionis justorum, primo fit descensus a plenitudine contemplativæ sapientiæ, in quinque prudentibus virginibus, quasi in quinque spiritualibus sensibus designatæ. Secundo a culmine perfectionis activæ, quæ sanctam mortificationem et moderationem quinque sensuum comprehendit. Deinde fit trinus descensus per decalogum, infra tamen decalogum remanendo. Tum quia in statum imperfectorum est gradus primorum, mediorum et infimorum. Tum quia in observantia mandatorum citra mortalem casum est trinus defectus. Perfectus enim modus est implere illa ex puro et solo amore ; ita quod dulcor bonitatis præceptorum est primus solus motor voluntatis ad illa implenda. Et ab hoc est primus defectus. Quidam vero nituntur illa implere non quasi perfecti, sed tamen ferventer inhiantes ad perfectionem illorum adipiscendam ; et ab hoc fervore est secundus defectus. Quidam autem conantur illa implere etsi non ex fervore, saltem ex ratione qua conferunt secum vilitatem et insipiditatem ac damnum vitiorum et transgressionum ad pretiositatem et fructum ac condecentiam virtutum et observantiæ præceptorum : et ab eo est tertius defectus ; et tunc non restat salutifera observantia, nisi ex timore damnationis movente amorem, et quasi charitatis scintillam ad præcepta saltem formidolose servanda. *Abiitque Dominus versus Sodomam*, juxta quod se descensurum ad eos prædixerat ; vel *abiit*, id est disparuit.

CAPUT XIX

Veneruntque duo Angeli vespere sedente Loth etc. Poterant expendisse tempus a sexta usque ad vesperam in comedendo et stando cum Abraham. Nota autem cha

ritatem et hospitalitatem Loth. Primo in expectando peregrinorum adventum. Secundo in occurrendo venientibus. Tertio in invitando cum humillimis precibus. Quarto in compellendo. Quinto in splendore ministrando. Sexto in defensando hospites. Septimo in credendo eorum sano consilio. *Sedente Loth in foribus*, id est ante portam civitatis, quasi expectans hospitum seu peregrinorum adventum. *Qui ivit obviam eis*. Ex hoc patet quam fervidus et promptus, et quam assuetus erat ad hospitalitatem ; et præcipue quando hospites apparebant esse sancti, et hujusmodi obsequiis indigentes. *Adoravitque pronus in terra*. Adorare in Scripturis sæpe sumitur pro reverentia prostrationis seu genuflexionis, quæ fit homini alicui insigni, utpote regi. Unde infra XXXIII cap. dicitur Jacob et filii et uxores ac famuli ejus adorasse Esau. Et I Reg. XXV, dicitur Abigail adorasse David. Quum autem hujusmodi reverentiæ excessus non soleat fieri nisi personæ supra modum reverendæ, patet Angelos istos apparuisse in specie valde admirabili et reverenda, *Declinate in domum pueri vestri*. Puer enim in Scripturis sæpe sumitur pro servo. *Qui dixerunt, minime*, supple, nisi nos amplius compellas. Non enim erat dignus eos accipere et habere, nisi tanta esset ejus charitas quod compelleret eos. Et hanc ejus charitatem voluerunt per operis evidentiam comprobari. *Sed in platea manebimus*. Ex hoc patet quod ibant in forma pauperum, non habentes unde hospitium conducere possent. *Compulit illos etc., viri civitatis vallaverunt*, id est circuierunt, et quasi obsederunt domum ejus a puero usque ad senem, *omnis turba*, id est omnes pueri et senes. Potest tamen legi, a puero exclusive. Secundum aliquos, puer sumitur hic pro adolescente : nisi forte etiam pueri septennes vel decennes illo pessimo crimine jam essent infecti. *Educ illos ut cognoscamus eos*, id est abutamur eis. Hinc patet singulare flagitium Sodomorum. Ex hoc etiam convincitur quod Angeli in pulcherrima et gratiosissima specie virorum apparebant, unde et tam vehementer fuerunt incitati ad abutendum eis. *Egressus ad eos Loth post tergum occludens*, id est ne scilicet ipso egresso, possent forinseci intrare in domum illius. *Adducam eos ad vos, abutimini eis etc.* Hoc, secundum Augustinum in libro *contra Mendacium*, ex perturbatione credendus est dixisse, non ex deliberato consilio, quia illud non potuit fieri sine culpa. Nullum autem quantumcumque minimum peccatum debet facere quis ut vitet aliorum peccata quantumcumque majora. Sed nihilominus in ipso apparet quantum ipse illud scelus detestabatur, et quam maximo affectu ad suos hospites defensandos ferebatur, et præcipue ad tales. *Qui ingressi sunt sub umbra culminis mei*, id est lecti mei. Hoc dicit, tamquam innuens impium esse si ipse proderet vel non defensaret eos, quos sub tutela sua receperat : et ad quem sicut ad patrem ipsi fiducialiter intraverant. Sed quæritur an Loth recte fecerit volendo committere minus peccatum, in tradendo scilicet suas filias illorum abusui, ut eorumdem majorem abusum vitaret ? Et videtur quod sic : quia stultus est qui permittit majus damnum quam minus. Sed proximi peccatum est damnosius, non solum ipsi proximo, imo etiam ipsi et toti Ecclesiæ, quam sit suum veniale. Item quod est Deo contumeliosius, tardius debet permitti, quam illud quod minus (plus enim debemus evitare Dei contumeliam quam damnum nostrum) : nam alias malefaceret qui ponit se ad confessiones audiendas, vel ad aliud aliquod obsequium proximi in quo quasi certus esset se habiturum aliquos veniales motus concupiscentiæ, vel avaritiæ, vel vanæ gloriæ. Dicendum, secundum Augustinum lib. *contra Mendacium*, quod « nullus debet etiam minimum peccatum facere, ut vitet alterius peccatum majus ». Prima ratio est, quia nullus peccat in eo quod facit recte et debite ; alias esset ibi contradictio, scilicet quod rectum facere inquantum esset rectum facere, esset pravum agere seu peccare. Si enim minimum peccatum recte et debite fit, pro vitando majori peccato alterius, ergo faciendo illud peccatum non peccat quis, ut peccando non peccat ; quod est impossibile. Secunda ratio ejus est, quia si hanc peccatis aperimus viam ut committamus minora ne alii majora committant, lato limite crimina tanta intrabunt ; quia secundum hoc stupris nostris cavebuntur furta et incesta aliena. Et si qua impietas visa fuerit pejor incestis, erunt a nobis incesta flenda, ut illa impietas non committatur ab aliis ; et sic de aliis quibuscumque. Pauciora etiam peccata ejusdem ponderis erunt a nobis fienda, ne plura illis consimilia ab aliis fiant. Tertio po-

test hoc probari ex relatione ad Deum, qui secundum Anselmum in omni peccato offenditur. Unde I lib. *Cur Deus homo* cap. xxi, dicit, quod nec minimus aspectus illicitus seu intuitus est a nobis contra Dei voluntatem faciendus pro infinitis mundis servandis. Quarto probatur hoc respectu ad Dei voluntatem, ex qua utique constat, quod nullo modo potest velle aliquod nostrum peccatum quantumcumque minimum, nec ad illud nos movere; immo odit et exhibet omne peccatum. Sed Deus nos movet, et vult, et operatur omne id quod recte facimus; et peccando modicum ne alius amplius peccet, Deus vellet et operaretur illud modicum peccatum nostrum. Quinto ex ordine cujuscumque mali ad finem bonum et e contra. Omnis enim finis est pravus, qui ex sua ratione exigit aliqua mala fieri: ex quo patet quod nullus bonus finis exigit aliquod peccatum fieri. Omnis enim malitia in quantum talis, est privatio debiti ordinis ad finem rectum vel ipsius finis recti. Sexto, quia secundum hoc Deus et Angeli licite et recte possent mentiri et venialiter peccare ad vitandum aliorum peccata majora, seu propter alium aliquem bonum finem; quod dicere est impossibile et blasphemum. Septimo quia omne peccatum nostrum plus nocet nobis quantum est ex se et per se quam quodcumque peccatum aliorum; nam nec parum, nec multum pecco, nec parum nec multum inficior per illa vel depravor; quorum contrarium est in quocumque minimo peccato nostro. Et sic constat quod nullum peccatum debeo committere pro vitando alterius majori peccato. Modus hic sequitur sententiam Apostoli ad Rom. iii, ubi ostendit quod nec nostra iniquitas, nec nostrum mendacium valet per se ad Dei gloriam vel justitiam; quia si ad hoc per se valeret, tunc talia peccata non posset Deus juste punire: et ideo subdit, quod illi qui dicebant Apostolum dicere quod facienda sunt mala ut eveniant bona, erant blasphemi et juste damnandi. Ad primum igitur in contrarium patet quod nullum peccatum alterius est mihi ita damnosum, sicut minimum meum, nisi forte per accidens et indirecte. Ad secundum dicendum, quod licet minus peccatum aliorum sit simpliciter et absolute contumeliosius Deo quam meum minus, non esset tamen in me et respectu mei. Plus enim offenditur Deus a me in me per meum minimum, quam offenditur a me et in me per omnia peccata aliorum in quantum aliorum. Quod dico, quia si peccata aliorum essent mea, sicut sunt peccata subditorum, pro quanto manant a prælatorum negligentia, vel a malo præcepto vel exemplo; tunc illa in quantum essent mea, sortirentur rationem et comparationem meorum. Ad tertium dicendum, quod multum differt facere malum, et facere bonum aliquod, ad quod per accidens subsequitur aliquod malum. Primum enim directe est contra intentionem boni. Secundum autem non fit ex primaria intentione boni quod facimus, imo est contra illam: unde illa potius patimur et toleramus, quam quod illa elective et ex intentione faciamus. Præterea non omnes motus vitiosi habent semper in nobis rationem venialis culpæ sive reatus; alias sancti Patres in omni opere conjugali necessario peccassent venialiter, aut sanctimoniales in fœdis violentationibus corporis sui, quibus eorum consensus totis viribus renitebatur. *Numquid ut judices*, id est ut nos corrigas qui sumus hujus patriæ cives. *Te ergo ipsum magis affligemus quam hos*, scilicet nisi adducas eos ad nos. *Vimque faciebant Loth vehementissime*. Ex hoc patet quod Loth quantum bono modo poterat obsistebat eis ne introire possent. *Percusserunt cæcitate*. Non quod nihil penitus viderent, sed quod ostium videre et invenire non possent, sicut mox subditur. Et hoc modo, secundum quosdam, percussi sunt qui quærebant Elisæum cum esset coram eis, de quo habetur IV Reg. vi, quamvis potius videatur quod aut illi nihil viderunt, aut saltem non sic quod possent discernere terram quam Elias fecit eos usque in Samariam ire, sicut ibi patet. Et tali genere cæcitatis creduntur tenti oculi duorum discipulorum Christi ne eum agnoscerent usque ad fractionem panis. Sed forte videbitur alicui quod impossibile sit me videre locum videndo omnia, et non videndo ostium vel personam existentem in loco quem video, cum in loco nihil sit a me visibile, nisi illud ostium videretur vel illa persona. Quod si dicas quod talis non videt locum occupatum, sed solum loca circumadjacentia, tunc sequitur quod saltem advertat locum suum in confiniis illius loci terminari, et eo ipso de facili poterit advertere, quod ibi est locus vel persona quam quærit. Dicendum quod hic modus

excæcandi, variis modis potest fieri, secundum varia ad actum visus et judicii visualis concurrentia. Nam concurrit ibi medium et objectum, et organum visus, scilicet oculus et debitus aspectus et judicium sensus communis; et ideo ex unoquoque eorum vel ex omnibus simul sumptis potest dari multiplex visus impedimentum. Nam ex parte objecti poterit in loco ostii offerri species similis parieti, ita quod in nullo discerneretur a cæteris locis. Aut poterit judicium sensus communis subverti, ita quod semper hoc vel consimile videatur sibi. Potest etiam aspectus visualis ita duci vel diverberari, quod in loco ostii aliam rem videat, aut videatur sibi videre : sicut aliquando sibi videtur quod lucernam vel fenestram domus videat in duobus locis, ita quod unum sibi videatur duo. Sic etiam videtur sibi quod rem in tantum in profundo speculo videat quantum res distat a speculo ; quod tamen est impossibile, cum dimensio tantæ profunditatis non sit, nec esse possit infra illud speculum. *Dixerunt autem ad Loth, Habes hic quempiam tuorum generum?* Nota quod ob meritum ejus, suos, qui vellent ei credere, salvare volebat. *Egressus itaque Loth*, eadem scilicet nocte. Ex quo patet, quod mox in tantum credidit, quod exivit hoc dicere generis suis. Unde videtur quod vel ab hora excæcationis Sodomitarum cognovit esse eos Angelos, vel Deum in specie virorum, vel saltem ex quo dixerunt, *Delebimus enim locum istum*. Nota etiam quod licet Deus communiter non revelet horam secretorum judiciorum suorum, quantum tamen expedit saluti et imminenti necessitati electorum, hic pro loco et tempore revelat, sicut et hic fecit. *Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos*. Secundum Hieronymum in Hebræo est : Locutus est ad sponsos qui accepturi erant filias ejus, nondum enim acceperant eas : quamvis Septuaginta habeant quod acceperant eas. Posset tamen legi, acceperant, id est desponsaverant. *Et visus est eis quasi ludens loqui*, id est quasi homo qui non loquitur assertorie nec seriose; quasi diceret : Illud quod dicebat, fuit eis ludicrum et incredibile, et derisorium, et quasi fabula. *Cogebant eum Angeli*, id est importune instabant ut recederet, *Surge et tolle uxorem tuam*. Ne et tu pariter pereas in scelere civitatis hujus. Nota quod si non vellet juxta præceptum Angelorum inde exire, non solum dicitur periturus, sed periturus in scelere civitatis; quia sicut communicare excommunicatis cum suis participantibus inducit crimen participationis et pœnam excommunicationis : sic et in proposito ; ita quod præter peccatum incredulitatis et contemptus tanti beneficii sibi a Deo oblati videtur quodammodo favere et consentire illorum sceleri damnato. *Dissimulante autem illo*, id est negligente, et non plene curante recedere. Non enim perfectæ fidei, nec perfectæ obedientiæ erat. Sed mirum est quod cum prius ita credidisset eis, quod modo ita tardabat et negligebat exire. Ad hoc triplex ratio potest dari. Prima est quia difficilius est aliquid contra apparentiam sensus credere ut mox futurum, quam sit ut tarde futurum. Secunda est quia actualis recessus a consuetis, addit novam et grandem difficultatem ; et ideo inchoando hujusmodi recessum de facili homo tentatur et angustiatur. Tertia est quia forte ex derisione generorum suorum aliquantulum obscurata et turbata fuerat fides ejus. Sed nihilominus per manum trahitur, in signum quod Deus sublevat infirmitates et negligentias electorum suorum, alias omnes perirent. *Noli respicere post tergum tuum*. Hoc præceptum non datur sibi soli, sed etiam cæteris qui cum eo erant. Unde uxor ex hujus transgressione legitur paulo post punita. Sed quare hoc sibi præceperunt, cum hoc de se esset indifferens? Dicendum primo quod in probationem obedientiæ, ut sic per hoc plenius suam liberationem mererentur. Secundo in detestationem sceleratæ gentis et terræ, et ut docerent talia flagitia in tantum esse detestanda et fugienda, quod etiam usque ad primum conspectum visus vel memoriæ non venirent. Tertio in reverentiam divini judicii ; ut sic docerent quod Dei judicia non sunt curiose perscrutanda, sed potius metuenda et fugienda. Quarto in signum necessariæ festinationis in fuga, eo modo quo Christus discipulis ad prædicandum per orbem iturus dixit : *Neminem per viam salutaveritis* : quasi dicat : Ita sitis attenti et festini ad iter, et ad salutem animarum, quod de exteriori salutatione et aspectu viatorum quasi non curetis ; et sic est in proposito. Quinto in exemplum et in mysterium futurorum, ut primo scilicet advertentes pœnam uxoris inobedientis, timeremus etiam in præceptis minimis

non attollere. Sensus est: exeuntes a vitiis vel a sæculari statu, timerent retrocedere ad ea quæ primo reliquerant: et ut sciremus quod non solum per opera exteriora retrocedentes, sed etiam per solam intentionem contra Dei præceptum vel votum retro aspicientes æterno supplicio sunt damnandi. *Nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum et moriar.* Ex hoc iterum patet quod Loth omnino perfectus et constans non erat in credendo et obtemperando verbis Dei per Angelos sibi dictis, quamvis ad hoc obediens esset quod sine Dei licentia humiliter obtenta nollet aliud facere. Sed quid malum sibi timebat in monte potius quam in villa cujus refugium petit? Dicunt quidam quod forte quasi jam senex montium frigora et laborem ascensus et itineris perhorrebat. Quicquid tamen fuerit, sufficit nobis quod aliquod malum æstimavit et timuit sibi eventurum in monte potius quam in villa illa. *Numquid non modica est*, quasi dicat: Non est magnum quod eam mihi concedas, quia modica est et meæ vitæ utilis. *Festina etc., quia non potero facere quicquam*, scilicet subversionis terræ, *donec ingrediaris illuc.* Non posse hic idem est quod nolle. Quamvis Deus id quod jam supponitur firmiter promisisse et velle, eo ipso ponitur non posse, cum hoc, contrarium operari, propter contradictionem ibi inclusam. Firmiter autem volebat ab incendio illo salvare Loth, et hoc firmiter promiserat Abrahæ. Quamvis autem ipsum non ingressum in Segor posset ab incendio salvare, vult tamen in hoc servare communem cursum: et ideo non vult quod in hora incendii sit in locis subvertendis. Idcirco, quia scilicet Loth dixit eam modicam, *Vocatum est nomen loci illius Segor*, quod interpretatur parva; prius enim vocabatur Bala, et erat una de quinque principalibus urbibus Sodomorum, quæ propter precem Loth fuit dimissa. *Sol egressus est etc.* Ex hoc patet quod in mane sequentis diei, quo Deus cum Abraham et Loth fuerat hospitatus, terra illa subversa est. *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham ignem et sulphur*, hoc est sulphur ignitum seu ignem sulphureum. *A Domino de cœlo*, id est de superiori parte aeris. Dicit autem, Dominus pluit a Domino, ut distinctionem et originalem habitudinem personarum Dei insinuet. Quamvis enim essent plures, si una non esset ab alia, non posset proprie dici quod una ab alia accepit potentiam et actum pluendi. Quidam tamen legunt quod Dominus ut existens in terra, pluit a Domino id est a se ipso ut existente in cœlo; sed hoc nihil est dictum. Habitudines enim diversorum locorum Dei nihil faciunt respectu actus pluviæ ut manantis a Deo. Et multum ridiculosum est quod Scriptura de tali modo curaverit, cum nihil sapientiæ contineat in se. Congrue autem gentem fœtidissimam ac fœtido et viscoso igne incensam concupiscentiæ, fœtido ac sulphureo igne combussit: et gentem quæ leges naturæ funditus subverterat, congrue subvertit, supremum terræ eorum ponens in infimo. Licet autem hic non dicatur, locum illum vertit Deus in mare sterile salsissimum, sicut ex aliis scripturis colligitur, et sicut experientia docet. *Versa est in statuam salis.* Corpus enim suum versum est in substantiam, remanente sua figura priori, quam Josephus dicit se vidisse, et usque ad tempus suum mansisse. Et secundum Augustinum, convenienter est conversa in salem, quia per hoc fidelibus quoddam injicitur condimentum quod sapiant aliquid unde illud caveatur exemplum. Factum est etiam hoc in signum, quod exeuntes de sæculo, et assumentes regularem vitam, et tandem corde quæ retro sunt, respicientes, sunt hypocritalis statua, quæ sibi quidem est mortua, aliis vero dat saporem, et sensum vivendi bene. *Abraham vero mane consurgens ubi steterat prius coram Domino*, id est consurgendo videns ad illum locum ubi steterat etc., nisi forte ibi jacuit in nocte illa, quamvis supra sit dictum quod Abraham ab illo loco reversus in locum suum. *Intuitus est Sodomam et Gomorrham.* Videtur quod tamquam de terræ illius incendio certus, scienter aspexerit versus regionem illam: et forte fecit hoc tamquam volens tunc ibi orare pro liberatione Loth. Unde subditur: *Cum enim subverteret Dominus civitates regionis illius, recordatus est Abrahæ et liberavit Loth.* Ad quid enim diceret: *Cum enim*, nisi vellet innuere quod Abraham tamquam Dominum pro Loth exorans aspexit illuc, et obtinuit quod petebat? Hoc loco enim non est causalis conjunctio, sed adverbium similitudinis vel certitudinis: vel est conjunctio expletiva, quia nihil significat, sed solum ponitur causa ornatus. Vel est quasi conjunctio illativa, ut sit sensus: Cum igitur subverteret Dominus etc. Nota autem ex

hoc loco, quod Loth non solum merito justitiæ suæ fuit liberatus, sed etiam principaliter meritis et precibus Abrahæ. *Viditque ascendentem favillam*, id est scintillam igneam, *quasi fornacis fumum*, id est tetro fumo immixtam : flamma enim illius incendii erat multum fumosa, qualis suo modo est in inferno. *Ascenditque Loth de Segor, et mansit in monte; timuerat enim manere in Segor.* Hieronymus secundum traditionem Hebræorum, dicit, quod Segor frequentes terræmotus fuerat hactenus passa, propter quod vocata fuerat Bala, id est, absorpta et inveterata. Et ideo visa subversione ceterarum urbium, timuit ibi manere. Et in hoc ipso de aliqua imperfectione fidei ad Dei promissum reprehensibilis fuit. Posset etiam dici quod pro tanto plus timebat manendo in Segor quam in monte, quia sua imperfecta voluntate extorserat prius a Deo licentiam manendi in illa, quod cum plenius credidit, intravit in montem, in quo Deus prius voluerat quod maneret. Vel forte uterque timor, humanus scilicet et divinus, fuit causa hujus translationis suæ. *Dixitque major ad minorem, Pater noster senex est, et nullus virorum remansit in terra etc.* Ex hoc patet quod omnes viri Segor erant deleti, quamvis ipsa civitas propter Loth fuit ab incendio præservata. Circa hoc factum filiarum Loth sunt tria dubia, ex quorumdam expositionibus in parte consurgentia. Primum est an ipsæ peccaverunt inebriando patrem et concumbendo cum eo, ut salvarent semen humani generis, quod omnino deperditum esse credebant. Nam dixerunt quod nullus virorum remansit in terra qui posset ingredi ad nos. Sed ad hoc patet responsio. Et primo de concubitu cum patre, qui nullo fine potuit bene fieri, cum sit hoc jure naturali a Deo prohibitum ; nec unquam super hoc a Deo fuerit dispensatum. Horret etiam hoc naturalis sensus honestatis, pudoratæ erubescentiæ et paternæ reverentiæ. In hoc etiam opere confunditur ordo et distinctio naturalis combinationum et correlationum, utpote ordo et distinctio principii ad principiatum, superioris ad inferiorem coæqualis ad disparem, matris ad prolem, et lineæ descendentium ad lineam stantium et ascendentium. Hic enim filia principiata a patre fit immediate principium ejusdem prolis, hic etiam filia fit suo gradu superior, ascendit enim ad gradum et locum suæ matris ; et in eo quod per modum conjugalem, fit quasi una persona cum patre et pater cum ipsa. Inferior etiam fit superior et superior fit inferior. Hic etiam eadem respectu prolis ex patre habitæ est mater et soror ac coæqualis ac dispar, cum etiam linea generationis naturali ordine descendat a patre per filios in nepotes, et sic deinceps ; et hic pervertitur ordo ille. Unde et hic membrum inferius assumit rationem sui capitis, et ramus gradum et rationem sui stipitis suæque radicis. Tanti igitur tamque naturalis ordinis subversionem non immerito et natura et lex naturalis abhorret et divina sapientia, ejusque lex ordinatissima et omnia ordinans ; imo et omnium ordo ut præfati ordinis causa, ejusque subversioni contrariatur. Non tamen dico quin fortasse sciret ipsa et posset hoc opus sub aliquo ordine sic rectificare, quod ex ejus singulari dispositione fieret licitum. Secundo hoc patet de inebriatione, quæ quidem de se est illicita tamquam auferens usum et statum qui proxime competit homini in quantum est rationalis, et in quantum est homo ; et sine quo nihil virtualis boni potest neque ad Deum, neque ad proximum, neque ad seipsum. Et dato quod aliquis pro aliqua cura proprii morbi fortasse posset quasi medicinaliter absque peccato se inebriare, ut aliqui concedunt, opus tamen quod a recta ratione singulariter exigit regulari, non solum non exigit inebriationem, imo potius maximam sobrietatem. Et certe tale opus est concubitus conjugalis. Et ideo filiæ Loth peccaverunt patrem inebriando, quamvis utrumque peccatum eorum multum allevietur ex intentione et affectione earum : quia non ex carnali lascivia, sed ex sola intentione prolis et salvationis humani generis, secundum earum æstimationem deperditi, motæ fuerunt. Alleviatur etiam ex præfata æstimatione earum, et ex ratione seu causa hujus æstimationis, quæ fuit ex viso judicio subversionis terrarum circum adjacentium. Verumtamen quo ad aliquod aggravatur, ex hoc quod æstimaverunt patrem hoc factum tantum horrere, quod omnino conatæ sunt hoc eum latere, cum tamen etiam in altera persona nihil tale deberent inchoare, sine consilio patris. Secundum dubium, an Loth in hac sui inebriatione et in filiarum suarum incestu peccaverit. Videtur enim quod non, quia semel aut bis ab altero cautelose inebriari se ne-

sciente, neque advertente, sic sed potuit fieri absque peccato sic inebriari. Sed Loth videtur primo hic cautelose inebriatus fuisse a filiabus suis; ergo videtur quod absque peccato fuerit inebriatus. Hoc autem concesso, sequitur quod non peccaverit in incestu filiarum suarum; quia nullo modo fecit hoc volens aut sciens, sed solum voluntate sensuali brutali more, sicut moventur in somniantibus et furiosis. Quod autem Loth secundum voluntatem rationalem incestum hujusmodi abhorreret, patet quidem ex fama justitiæ suæ ostensæ et commendatæ, tam ex verbis Abrahæ orantis Deum pro ipso tanquam pro justo, quam ex ejus hospitalitate, propter quam secundum Apostolum meruit recipere Angelos, imo et Deum; quam ex detestatione flagitii Sodomorum et intentionis eorum contra hospites Angelos; quam ex liberatione sua de communi incendio Sodomorum; quam ex verbo sancti Petri in secunda epistola sua dicentis, quod Deus justum Loth oppressum a nefandorum injusta conversatione eripuit, aspectu enim et auditu justus erat etc. Patet etiam secundo ex hoc quod, prout hic dicitur, filiæ suæ bene viderunt quod ipse nullo modo tali incestui consensisset, nec illum aliquatenus peregisset, nisi nesciens et inebriatus. Unde Augustinus xxii *contra Faustum* dicit: « Ab illo autem opere ita « patrem abhorrere sentiebant, ut illud « se impleturas esse non crederent, nisi « ejus ignorantiam procurarent. » Ad hoc dicunt quidam quod ipse non fuit plene ebrius, ita quod ex illa ebrietate usum totum rationis amiserat, quia tunc (ut dicunt) non potuisset concumbere: sed dicitur fuisse ebrius quia non fuit ita compos rationis, nec dominus suæ voluntatis, sicut prius. Et ideo dicunt quod dupliciter peccavit: scilicet se inebriando, et in aliquo modo voluntarie concumbendo cum filiabus. Sed contra istos est non solum quod superiori relationi præmissum est; sed etiam quia Scriptura expresse dicit, et signanter dicere curavit, quod Loth in neutro concubitu sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexit. Sed isti e contra dicentes, quod hoc fuerit impossibile, exponunt hoc verbum dicendo, quod sensus est, *Non sensit*, id est, Non advertit quod illa esset filia sua; credebat enim tunc quod esset uxor sua, mater scilicet earum defuncta. Sed certe Scriptura videtur hic omnino velle, quod ipse rationabili discretione nullo modo senserit seu adverterit aliquid de toto isto concubitu, et hoc quidem est et fuit possibile: quia certum est quod ab amente et ab existente extra totalem usum liberæ rationis posset aliqua imprægnari. Alii vero supponentes quod inebriando se peccaverit tanquam nimis negligenter et insolenter potus nimium a filiabus sibi propinati incommensurate accipiens, dicunt quod etiam peccavit concumbendo, quia peccatum causatum ab ignorantia vel impotentia per culpam propriam introducta, non excusatur omnino a culpa. Unde Aristoteles in *Ethicorum* dicit: « Quod legislatores, sive ju« dices puniunt eos qui ignoranter pec« cant, si ipsi videantur causa esse igno« rantiæ. » Unde ebriis alios percutientibus duplices increpationes irrogant, quia ipsi fuerunt causa suæ ebrietatis et ignorantiæ ipsam consequentis: et similiter puniunt in aliis quæcumque propter negligentiam ignorare videntur: eo quod ipsi poterant habuisse diligentiam et repulisse illam. Alii vero dicunt, quod dato quod voluntarie se inebriasset, non plus peccavit postmodum concumbendo, quam si non concubuisset; quamvis peccatum ebrietatis sit semper aggravandum; non solum ratione deformitatis, quam de se habet genus ebrietatis; sed etiam ratione omnium peccatorum, ad quæ homo per ebrietatem ejusmodi se disposuit, et quodammodo necessitavit; et præcipue respectu illorum peccatorum, de quibus potuit advertere quod ipse jam inebriatus de facili posset habere occasionem incidendi in illa. Hoc autem dictum probant duplici via. Primo scilicet ex mutua comparatione duorum consimiliter ex consimili ac coæquali culpa se inebriantium, et ad hæc coæquales occasiones habentium et sibi dantium ad cætera peccata. Quo posito detur quod solus alter eorum occidat aliquem vel fornicetur vel furetur. Quo dato, probatur necessario ex datis, quod iste nihil plus habeat culpæ vel reatus quam alter qui nullum occidit. Probatur ex datis: quia iste non majorem occidendi causam sibi dedit, quam alter: nec ille minorem quam iste. Secundo probant hoc ex causa et formali ratione peccati et culpæ, et ex eo in quo culpa principaliter et formaliter existit. Existit autem principaliter in libero voluntatis consensu; in actibus vero aliarum potentiarum non existit, nisi solum prout cau-

saliter dependent a primo actualiter referuntur ad illum. Causa etiam principalis omnis culpæ est libera voluntas, et ejus actus in quantum est liber seu depravatus. Cum igitur in præfato ebrio fornicante vel occidente, non sit alius liber consensus, nec alia libera causalitas nisi solum præterita qua se inebriavit, patet quod hic non est addita nova causalitas, aut formalitas natæ culpæ. Ad verbum autem Aristotelis respondent quod secus est respectu legis civilis quæ punit opus extrinsecum, non autem intrinsecum, nisi pro quanto operi extrinseco est conjunctum, et quæ in puniendo potius attendit commune damnum et periculum civium et temporalis boni communis, quam internum et æternum reatum, Deique occultam offensam. Aliud autem est de lege Dei et de lege seu de recto dictamine internæ conscientiæ. Dicunt igitur isti quod si Loth nullo modo peccavit inebriando se (quod utique contingere potuit si in hoc nullam culpabilem negligentiam aut insolentiam habuit sicut sancto Noe creditur contigisse), tunc in neutro illorum nullo modo peccavit. Si autem inebriando se aliquo modo saltem venialiter peccavit, tunc sequens concubitus nullam novam culpam primo peccato addidit vel adjunxit, quamvis primum ejus peccatum culpabilius fuit propter periculum incestationis filiarum. Quamvis et hoc adhuc valde excusabile esset, quia quasi omnino incredibile erat quod filiæ tale factum facerent aut excogitarent. An autem Loth se inebriando peccaverit vel non, dicunt quod non potest pro certo probari ex textu. Augustinus, in libro XXII *contra Faustum*, dicit quod « licet filiæ aliqua Sodomorum arte pessima, etiam paucis poculis potuerunt patrem sic inebriare, ut illud peccatum cum ignorante vel potius de ignorante committerent : Mirum tamen si hoc Scriptura tacuisset, vel si Deus servum suum sine aliquo voluntatis ejus vitio hæc perpeti sineret. » Hæc Augustinus ibi : qui tamen paulo ante præmittit : « Quapropter culpandus est quidem non quantum ille incestus, sed quantum meretur illa ebrietas. » Sed nota quod Deus hunc incestum permisit induci etiam in sanctum Loth, primo in signum quod gula et ebrietas sint matres luxuriæ. Secundo in signum quod post recessum ab infimis ad ardua et a carnalibus ad spiritualia, de facili quis labitur in vitia prioribus conformia et propinqua. Nam incestatio filiarum flagitiis Sodomiticis est vicina. Tertio ut ostenderetur quanti periculi est ebrietas quæ etiam inopinata mala inducit, et sic per consequens fortius timeretur et cautius vitaretur. Tertium dubium est an filiæ adhuc virgines poterant in primo concubitu concipere absque miraculo ? Ad quod quidam dicunt, quod non. Sed isti nec auctoritate, nec ratione probant dictum suum : quia non est impedimentum propter quod in prima sui cognitione et defloratione non possit virgo concipere, cum utique vigor et temperamentum matricis non sit minor tunc quam postea. Scriptura etiam hic non ascribit hoc miraculo ; sed absolute sic refert ac si secundum cursum naturæ sit possibile. Quocumque tamen modo hoc fuerit, divina providentia hoc contigit. Primo propter multiplex mysterium. Secundo ad revelandum earum incestum, et in exemplum occulto fornicantium quæ in sui revelationem pœnalem sæpe justo Dei judicio impraegnantur, sicut Bersabee cum David contigit. In primo enim concubitu, cum prius videretur esse sterilis, impraegnata fuit. Tertio forte ad implendam piam intentionem illarum, sicut et in Thamar quæ ex primo concubitu cum Juda geminos concepit ; et tamen Chrysostomus credit quod adhuc esset virgo. Vult enim Deus sæpe ostendere se etiam in terra velle remunerare opera bona, eo quod etiam bona multis impuritatibus annexa, quantum decet remunerat. Nota pro mysteriis hujus capituli, quod moraliter per Sodomorum judicium designatur pœnitentiale judicium. Pœnitens enim per amaræ compunctionis incendium omnia vitia carnis in seipso subvertit et perdit et incendit : quod quia fœtorem peccatorum mentali sensui imprimit, sulphuri proprie comparatur, vertiturque locus eorum in mare salsissimum, id est in memoriam peccatorum mordacem et tenacem atque profundam. Duo autem Angeli sunt illustratio intellectus et inflammatio affectus, immissi a Deo ad compunctionis incendium inducendum, quo patris earum hospitalitas sæpius promeretur. Qui quidem duas filias pulchras invenitur habere, sexus quidem feminei potius, quam virilis ; scilicet affabilitatem curialem et jucundam et communicabilitatem humanam quo ad temporalia subsidia hujus vitæ : quas quidam de carna

tibus, quasi sponsis earum in viris sanctis amant, quamvis nec propter eas cum viris sanctis mundum deserere velint; imo derident in sanctis salutifera verba mundum inferius et contemptus; et sic de aliis amplifica. Allegorice vero per duos Angelos designantur primo Moyses et Aaron plangentes Ægyptum, et exinde educentes populum Israel. Secundo Joannes et Christus synagogam cæremonialem percutientes et exinde cœtum Apostolicum educentes. Tertio Barnabas et Saulus, vel Petrus et Paulus idololatriam gentium subvertentes et exinde Christianum populum educentes. Quarto Anachoritæ et Cœnobitæ per Eliam et Elisæum præfigurati carnalitatem Jezabel, id est carnalis Ecclesiæ intendentes et exinde cœtum regularium carnem suam mortificantium educentes. Quinto Doctores Latini et Græci errores hæresum subvertentes, et exinde cœtum fidelium educentes. Sexto duo ordines prædicantium pauperum, seu duo primi patres eorum missi ad Ecclesiasticæ cupiditatis exterminium, ut educatur inde cœtus pauperum Evangelicorum etc.

CAPUT XX.

Profectusque inde, scilicet de Hebron, *in terram australem*, id est versus Austrum, scilicet versus Ægyptum. *En morieris*, supple nisi reddideris eam. *Abimelech vero non tetigerat eam*. Ex hoc patet quod idem sentiendum est supra de Pharaone propter eam flagellato. *Domine num gentem ignorantem*, supple quod illa esset uxor Abrahæ, *et justam*, scilicet, quo ad hoc factum, *Interficies? In simplicitate cordis mei*, id est simplici intentione. *Et munditia manuum mearum*, in actu seu opere puro et innocenti, *feci hoc*. *Et ideo custodivi te etc.* Nota quod Deus propter simplicitatem hominis custodit eum a multis peccatis, quæ alias per ignorantiam ageret. Nota etiam quod licet in parte fuerit Abimelech custoditus a Deo propter intentionis suæ simplicitatem; potius tamen hoc fuit propter charitatem Dei ad Abraham et Saram. *Ne peccares in me*. Licet omne peccatum in proximum sit contra Deum, singulariter tamen illud quod est factum contra sanctissimos et dilectissimos Dei, qualis erat Abraham. *Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia Propheta*, et ideo minus lædendus et vexandus. Nota quod licet ista Scriptura sacra veteris Testamenti pauca dicat de medulla vitæ spiritalis istorum patrum, et multum de cortice rusticano seu exteriori; in illis tamen pauris magnum cumulum spiritalitatis subinnuit. *Et orabit pro te, et vives*. Sed ad quid pro vita erat necessaria oratio Abrahæ, cum ipse dicatur hoc factum innocenter fecisse? Num propterea ei moriendum fuerat? Dicendum quod licet innocenter fecisset quo ad hoc quod non sciebat Saram esse uxorem Abrahæ, nihilominus tamen dignus erat pœna, quia a viro peregrino illam sumpserat, illo non præofferente, nec eo ad hoc promptum et voluntarium se ostendente, sed solum tolerante. Potest etiam dici quod sæpe ad timorem temporali pœna percutit nocentes sanctis viris, quamquam hoc faciant ignoranter, ut ex hoc postmodum tam ipsi quam cæteri amplius vereantur lædere sanctos viros. Nota etiam quod tam hic quam in præcedenti capitulo expresse legitur oratio unius alteri prodesse. Oratio enim Abrahæ profuit Loth et regi isti. *Quia induxisti super me et super regnum grande*, supple de facto, vel peccatum grande, id est pœnam debitam grandi peccato. Sed quomodo dicit super regnum meum, cum ipse rex solus hoc fecisset? Dicendum quod regnum sæpe temporaliter punitur pro peccato regis, tum quia est aliquid regis, tum quia frequenter participant in peccatis regis. *Vocavitque Abimelech Abraham et dixit ei: Quæ non debuisti fecisti nobis etc.* Hoc quod dicit verum esset si Abraham non habuisset rationem præsumendi quod interficeret eum si dixisset Saram esse suam uxorem. *Rursumque expostulans*, id est requirens rationem hujus relationis ab Abraham etc. *Vere soror mea est filia patris mei, et non filia matris meæ*. Secundum Hieronymum Septuaginta habent: Etenim vere soror mea est de patre, sed non de matre, id est fratris ejus Aram est filia non sororis. Sed quia secundum eum in Hebræo habetur: *Vere soror mea est, filia patris mei, et non filia matris meæ*, et magis sonat quod Abrahæ soror fuerit: in ejus excusationem dicimus necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas. Quidam vero dicunt supra illud XI cap., *Aram patrem Melchæ et Jeschæ*, quod Josepha filia Aram est Sara dicta quæ est filia patris Abrahæ, id est fratris sui Aram; quem ideo patrem suum vocavit, quia senior eo

fuerat. Sed hoc falsum esse convincitur; quia supra cap. XI dicitur, quod Thare postquam vixerat septuaginta annis, genuit Abraham, qui vixit centum triginta quinque annis ; et subditur, quod dies Thare fuerunt ducentorum quinque annorum. Ex quo necessario sequitur quod Abraham sit genitus ante quam Nachor et Aram. Non ergo Aram fuit senior quam Abraham. Posset ergo dici quod forte Abraham dixit quod filia est patris mei et non matris, quia Aram pater Saræ fuit filius Thare patris Abrahæ, sed tamen non de matre Abrahæ, sed de altera procreatus. Vel dicta est filia patris et non matris ; quasi dicat : A summo descendit per lineam suam paternam. Et hunc sensum secuti sunt Septuaginta. *Saræ autem dixit : Ecce mille argenteos*, nummos scilicet, *dedi fratri tuo*. Secundum quosdam, ironice et irrisorie dicit, *fratri tuo*, id est ei quem tu quasi dolose vocas fratrem tuum. *Hoc erit tibi in velamen*. Istud legitur tripliciter, secundum quod istud pronomen (hoc) potest ad diversa referri. Primo scilicet ad argenteos Saræ datos ; ut sit sensus : Hoc, id est hæc pecunia, erit tibi in velamen oculorum, id est in præparatione funeris : et tunc est irrisio, secundum *Glossam*. Vel *in velamen*, id est ad vittas, sive ad velamina faciei tuæ emenda. Secundo sic : *Hoc*, id est mendacium quo vocas scilicet virum fratrem tuum, istarum mulierum pudibundarum, quæ scilicet, de suis amasiis solent dicere quod sunt fratres sui, *hoc*, inquam, *erit tibi in velamen oculorum*, id est in verecundiam tuam, vel in memoriam verecundiæ, *ad omnes*, id est coram omnibus qui tecum sunt, ut scilicet recorderis, et recordando confundaris te tale mendacium dixisse. Tertio sic, *Hoc*, id est hæc urbanitas loquendi qua virum vocas fratrem, « erit » id est, *sit tibi in velamen oculorum tuorum ad omnes qui tecum sunt*, id est ad honeste loquendum cum tuis et tibi familiaribus, qui ex hoc modo circa te decipi non possunt. *Et quocumque perrexeris memento te deprehensam*, scilicet mendacio : quasi dicat : Amodo non teneas talem modum loquendi, quod utique cavebis si semper recorderis te in hoc deprehensam. *Sanavit Deus Abimelech*, scilicet vel ab aliquo morbo sibi immisso divinitus, vel quo ad hoc quod de uxore et ancillis ejus subditur. Nota, pro mysteriis hujus capituli, quod in sexta ætate quæ sub Christo currit, aut in sexto tempore Ecclesiæ, id est sub tempore apertionis sexti signaculi, facto et viso judicio Sodomorum, synagogæ scilicet, et carnalis Ecclesiæ : appropinquant spirituales patres ad regionem Australem æterni solis ardore flammantem, et per altioris paupertatis spiritum, et ex charitate contemplationis transcensum peregrinantur in Gerara, quæ interpretatur visio peregrinationis. In quo tempore Sara, id est spiritualis Ecclesia seu veritas catholica, quamvis nonagenaria, tantæ adhuc est pulchritudinis, ut a rege Geraræ adametur, quamvis non permittatur corrumpere eam, sed cogatur eam spiritalibus viris reddere, comperto quod nullum partum fructuosum potest aliter habere in domo sua, quamvis pallium sibi reputent injuriosum. Accipiunt tamen spiritales viri ab eo multorum fidelium familiam et mille argenteos id est perfectionem inferioris doctrinæ et eloquentiæ quæ multum coram domesticis est utilis in velamen et ornatum Saræ. Per Abimelech autem, qui interpretatur Pater meus rex, designantur patres antiquarum religionum seu Ecclesiarum, quæ adhuc retinent nomen Geraræ, id est peregrinationis et visionis seu contemplationis.

CAPUT XXI.

Visitavit autem Deus Saram. In hoc capitulo primo agitur de Isaac nativitate, secundo de Ismaelis electione, ibi, *Cumque vidisset*. Tertio de Abraham et Abimelech confœderatione, ibi, *Eodem tempore, etc*. *Visitavit autem Deus Saram*, scilicet per gratiam et effectum fœcundationis. *Dixitque Sara : risum fecit mihi Dominus*, id est gaudium, *quicumque audierit*, supple devotus huic miraculo et fidei meæ, *corridebit mihi*, id est gratulabitur mihi. *Et ablactatus est*, id est a lacte ablatus. Hieronymus dicit quod quidam Hebræorum opinantur tempus ablationis communiter fuisse quinto anno, et alii quod duodecimo. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem*. Quidam dicunt quod ille ludus erat illusio et illusoria oppressio Isaac ab Ismaele ; unde Apostolus ad Gal. IV, vocat hoc persecutionem, dicens : Quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc (ludo). Alii dicunt quod Ismael assumebat sibi dignitatem primogenituræ

vel signa dignitatis illius: et hoc ipsum quasi quædam persecutio erat; et huic modo magis consentit Hieronymus, quia hæc expressius probatur ex sermone Saræ dicentis, *Ejice ancillam et filium ejus. Non enim hæres erit etc.* Ex quo videtur quod Sara intellexit quod Ismael vellet sibi vendicare primatum hæredis et hæreditatis. Alii dicunt quod Ismael idola luto fecit, juxta illud Exodi xxxii: *Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere*, id est idola venerari ludendo, scilicet coram eis. Et hi dicunt quod ludendo Isaac idola colere docebat. Dicitur autem hic signanter: *Agar Ægyptia*, ad innuendum consimile mysterium dominativæ oppressionis Ægyptiorum contra populum Israel. Dicit Hieronymus quod illud quod sequitur, scilicet, *cum Isaac filio*, non habetur in Hebræo. Puto autem quod interpres hoc addidit tamquam exponens mentem litteræ quæ ex verbis Saræ sequentibus trahi potest. *Dure accepit hoc Abraham.* Non enim erat hoc sibi revelatum sicut Saræ, vel non suspicabatur illud malum imminere, quod suspicata est Sara. *Cui dixit Deus: Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem ejus*, id est de omnibus quæ dixerit tibi, vocem ejus audi; vocem ejus est modus loquendi. Nota ex hoc loco quod quandoque superior debet credere inferiori, juxta illud I Cor. xiv: *Quod si aliud revelatum fuerit sedenti* (vel secundum aliam litteram juniori), *prior taceat*. Aliquando etiam inferior aliqua prudenter advertit vel videt, quæ non superior. Nota etiam quod in hoc docemur quomodo carnalis affectus impedit rectum judicium et spiritalem intellectum. Quia enim Ismael secundum carnem plus attingebat Abrahæ quam Saræ, et quia Abraham plus afficiebatur secundum carnem ad eum quam Sara; idcirco Sara fuit magis disposita ad subtiliter et spiritaliter intelligendum malum Ismael quam Abraham foret. Nota etiam quod ex hoc satis convincitur aperte, quod Sara per divinam revelationem dixerit Abrahæ, *Ingredere ad ancillam meam*, quod supra xvi habetur. *Quia in Isaac vocabitur tibi semen*, scilicet semen gratiæ; et alias quomodo de filio ancillæ subditur. *Faciam enim eum in gentem magnam, quia semen tuum est.* Prædictam expositionem prosequitur Apostolus ad Romanos decimo, dicens, Quod non omnes qui sunt semen Abrahæ, sunt ejus filii. Sed in Isaac vocabitur tibi semen. Quod exponens subdit, id est non qui filii carnis, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine. Sed numquid non aliquis natus de stirpe Ismaelis est salvatus aut salvandus? Numquid etiam non multi de stirpe alia quam Isaac steterunt cum Abraham et Isaac? Ad quid ergo oportuit filium ancillæ ejici? Numquid omnes sunt damnati qui non fuerunt filii Isaac, nec speciale semen Abrahæ? Dicendum quod non potest hic ad plenum sufficiens ratio dari nisi recurratur ad mysticam rationem. Voluit enim Dominus in hoc facto figurari distinctionem et segregationem filiorum carnis a filiis gratiæ. Pro tanto tamen hic est ratio litteralis, quia populus in quo erat illo tempore cultus Dei principaliter servandus et propagandus, erat de solo Isaac nasciturus; illi autem populo erat valde nociva et periculosa commixtio ceterorum si starent cum eis ut concives et cohæredes; quia tunc de facili scinderent et corrumperent veritatem divini cultus. *Tollens panem et utrem aquæ imposuit scapulæ ejus.* Sed numquid non valde impium fuit Agar sic nudam et solam cum solo filio emittere, dando sibi solum modicum de pane et unum vas aquæ? Quare enim non fecit eam bene associari, et quare non dedit sibi unde ipsa cum filio semper sustentari posset? Dicendum quod quibusdam non indocte visum est quod Abraham fecit hoc prophetice juxta quod vidit Deum velle in hoc spiritalia mysteria. Deus etiam propter mysteria voluit hoc ita fieri, ut ex hoc tandem plenius pateret suum beneficium, suum regimen circa filium ancillæ, juxta quod promiserat Abrahæ. Et forte hoc etiam voluit in pœnam et correctionem superbiæ Agar, et filii ejus, in signum quomodo servi sive subditi superbi et ambitiosi sint abjiciendi quasi nudi. *Abjecit puerum etc.* Secundum Hieronymum, non est intelligendum quod ipsa portaverat eum super se quia jam erat octodecim annorum, et amplius; sed dicitur abjecisse, quod dimisit eum longe a se, ne videret illum mori. Unde et paulo post dicitur ei, *Tolle puerum et tene manum ejus.* Ex quo patet quod non eum super se ferebat, sed sicut comitem eum secum ducebat. Et dicit quod mos est linguæ hebraicæ quod omnis filius comparatione parentum infans vocetur et parvulus. *Exaudivit autem Dominus vocem pueri.* Videtur quod

potius deberet dicere vocem matris. Sed dicit Hieronymus quod mater non suam mortem, sed filii deplorabat ; et ideo dicitur exaudisse puerum, quia exaudivit matrem pro puero. Vel etiam in hoc innuitur quod puer fleret, et utique jam præ siti quasi moriens bibere cupiebat. Ipsum autem dicitur Deus exaudisse potius quam matrem, quia erat semen Abrahæ, de quo promiserat ei quod faceret illud in gentem magnam. *Aperuitque oculos ejus Deus*, ostendendo scilicet sibi puteum quem ibi esse nesciebat. Et forte iste est puteus quem servi Abimelech vi abstulerant a servis Abrahæ, de quo paulo post subditur : *Indigent enim ibi valde puteis*, non solum propter se, sed etiam propter pecora et armenta. *Eodem tempore dixit Abimelech*. Istud refertur ad monstrandum quod Deus jam tantum magnificaverat Abraham, quod rex illius terræ pro magno habebat firmiter confœderari cum eo. *Tulit itaque Abraham oves et boves, et dedit Abimelech*. In signum, supple, amicitiæ specialis. *Percusseruntque ambo fœdus et juraverunt*. Quod fuit per tactum mutuum manuum, vel per manualem tactum altaris, aut alterius rei sacræ, ut sic firmarent mutua pacta. *Ut sit in testimonium mihi*, id est pro me, *quoniam ego fodi puteum istum*, id est quod puteus iste sit ad me, et ad meos spectat, tamquam a me confossus et factus. Sed quomodo absentibus vel futuris potuerunt septem agnæ esse testimonium hujus facti ? Præterea numquid non tantum valebant ad hæc mutua verba ? Dicendum quod quando in pactis aliqua facta et dona adjunguntur verbis, est pro tunc multiplicius et sensibilius signum firmationis pactorum. Ceteris autem quibus per testes et instrumentum postmodum innotescit, fit ad hoc fortior impressio et amplior fides, et memoria fit diutior ac fama celebrior. *Idcirco vocatus est locus iste Bersabee quia ibi uterque juravit*. Secundum Hieronymum, duplex est causa nominis hujus. Una est ab eo, quod Abimelech accepit septem agnas de manu Abrahæ. Ber enim puteus, Sabæ vero agnæ vel oves dicuntur. Alia est, quia ibi juraverunt. Sabæ enim est idem quod juramentum. Quod autem paulo ante hoc nomen legimus, anticipative est dictum : non enim tunc ita vocabatur. Dicit etiam Hieronymus, quod usque hodie est ibi oppidum dictum Bersabee. *Et fuit colonus terræ Palæstinorum*, id est Philistinorum. Colonus est idem, quod adventitius, seu peregrinus inhabitator, seu cultor terræ alienæ. Pro mysteriis hujus capituli nota, quod per ortum Isaac (qui dicitur Risus), designatur moraliter omnis spiritualis proles cujuslibet mentis spiritualis, et præcipue mentis contemplativi, et spirituale gaudium habentis. Hæc proles et admiratio Saræ senis et sterilis, et admirabilis conceptus et partus designat admirationem mentis de novo parientis contemplationis partum : cum ipsa ex natura sua esset ad hoc impossibilis, et ultra hoc esset facta semel tam ex infectione sui vitiosa, quam diuturnitate temporis jam fatigata, et quasi desperata de tali prole. Allegorice autem significat omnes spirituales partus Ecclesiæ per successionem temporum parientis novum populum Dei, et novos status gratiæ a primo partu ejus usque ad ultimum quo parturiendi sumus Ecclesiæ triumphanti et resurgenti : et respectu cujuslibet istorum prius parit ancilla quam libera, de qua dicitur : *Lætare sterilis quæ non paris*. Et in quolibet partu spiritali, Ecclesia cogitur parturitionis sustinere tristitiam et pressuram ; sed cum pepererit, non meminit pressuræ propter gaudium prolis. Mystica autem ablactatio Isaac, est abstractio ejus a simplici et infantili justitia et doctrina, ad cibum perfectioris justitiæ et doctrinæ : ob quam spirituales patres faciunt magnum convivium spiritalis lætitiæ et doctrinæ; et tunc priores filii carnalis synagogæ vel carnalis religionis seu Ecclesiæ volunt sibi vendicare primatum, et pro hac re filios prosequuntur. Secundo nota de abjectione ancillæ et filii ejus, quod moraliter Abraham dure accipiens verbum Saræ, significat difficultatem et tarditatem, quam sentit animus super totali rejectione status et prolis sibi hactenus etiam utiliter famulantis : sed prævalente instinctu gratiæ et illuminatæ conscientiæ ex præcepto voluntatis divinæ, spiritalis anima rejicit eos, non quidem semper occidendo, sed per hoc quod quasi eorum oblitus vix aut raro assumit eos ad usum vel obsequium domus suæ. Utrem autem aquæ, id est onus mortificationis humeris imponit ancillæ tradendo panem solius necessariæ refectionis. Allegorice autem Abraham dure accipiens, quosdam Prælatos designat, qui in vitio spiritalis segregationis spiritalium filiorum a carnalibus carnali affectione du-

renunt; non intelligentes super hoc arcanum spiritalis sapientiæ et justitiæ Dei; sed tandem ex eo quidem intelligunt et implent consilium, imo et præceptum Dei et Saræ. Hoc enim modo fuit synagoga rejecta, et carnalis Ecclesia carnalisque religio, et activæ vitæ temporalis distractio circa finalem partem Ecclesiæ emittenda. Vel per Abraham designatur Deus omnium pater, qui secundum exteriorem corticem signorum sive voluntatis, quæ aliquando Dei voluntas in Scripturis vocatur, videtur esse durus ac difficilis ad ejiciendam ancillam et filium de domo sua, et quasi cum grandi difficultate et tarditate fuerunt rejectæ legales cæremoniæ et zelatores ipsarum. Et consimiliter erit in finali parte Ecclesiæ, et sic fuit in intermediis partibus ejus. Ancillæ autem cum ejicitur, imponitur onus litteræ frigidæ sicut aquæ, quia littera occidens relinquitur ei. Datur etiam sibi aliquis panis, id est aliqua grossa et carnalis justitia, cui carnalis sensus litteræ est pro potu. Sed quia carnalis sensus litteræ cito deficit vel arescit, idcirco carnalis synagoga vel Ecclesia dolet et plorat, sentiens se et filium suum mori, et remedia gratiæ longe esse. Hæc tamen pro carnali remedio sibi assumit, ut advertat cogitatus suos ad considerandam mortem filii sui; sicque miserabiliter stat usque quo adveniat illuminatio et prædicatio per nuncios Dei, quæ puteum spiritalis sapientiæ ac gratiæ sibi ostendat, ac bibat. Tertio nota quod per confœderationem Abrahæ et Abimelech, designatur fœdus spiritalium et evangelicorum virorum, quod post aliquale initium sui status, contrahunt cum Prælatis Geraræ, id est religionis, vel Ecclesiæ vetustæ et a veritate realis peregrinationis quasi alienatæ. Unde Gerara erat terra Palæstinorum seu Philistinorum, quos Septuaginta Allophylos, id est alienigenas vocant; qui et interpretantur positione cadentes vel ore concussi seu contundentes, quia tales positione carnalium et terrenorum cadunt a veritate suæ professionis et status, et suo carnali colloquio tam in se quam in aliis contundunt eloquia spiritalis doctrinæ. Puteus autem violatus a servis Abimelech, est puteus Scripturæ sacræ et catholicæ veritatis et sapientiæ et gratiæ ecclesiasticæ, quem illi quidem auferunt, partim sibi et suo carnali statui ac sensui prædictum puteum ascribendo et applicando, partim ab illius usu debito viros spirituales impediendo, ne scilicet illius gratiam et sapientiam sibi vel aliis administrent, saltem secundum formam et auctoritatem ecclesiastici juris. Initur autem fœdus mutuum per hoc quod Abraham dat illi oves et boves, id est animas simplices, et specialiter septem agnas, id est septem animas septiformi spiritus gratia adornatas. Et hæ sunt patri spirituali in testimonium, quod ipse puteum illum abstrahendo fodit, scilicet ab illo terrena obstacula et carnales ac terrenos sensus claudentes et tegentes puteum sapientiæ et gratiæ spiritalis removendo. Circa puteum autem plantat Abraham nemus, id est arbores spiritualium animarum et spiritalium expositionum et intelligentiarum, ut ibi jucundius et amœnius invocet nomen Domini etc.

CAPUT XXII.

Quæ postquam gesta sunt etc. In hoc facto circa tria est præcipue attendendum. Primo scilicet circa tentationem, qua Deus dicitur tentasse Abraham. Secundo circa præceptum de offerendo filium. Tertio circa Dei juramentum et promissum. Circa primum est duplex dubium. Primum est quomodo Deus tentat aliquem, cum tentare sonet in malum. Unde Jacobus ait: *Deus neminem tentat.* Secundum est quia omnis tentator intendit experiri aliquid quod ignorat; Deus autem nihil ignorat; ex quo videtur quod nullum tentare possit. Ad primum dicendum, quod tentare uno modo dicit actum, quantum est ex se et ex intentione tentantis inducentem malum; et de hoc modo loquitur Jacobus in verbis illis. Unde ibi dicit, quod *Deus non est tentator malorum, sed unusquisque tentatur a concupiscentia sua.* Alio modo tentare dicit actum ex se ordinatum ad bonum tentati, et ad probandum sive monstrandum sibi et aliis virtutem ipsius. Et hoc modo potest intelligi, quod præmittit Jacobus: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit etc.* Et illud etiam: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur etc.* Ad secundum dicendum, quod licet homines, ut sæpius, per actum tentandi velint sibi aliquid ignotum experiri, non tamen Deus.

Nec mirum : quia etiam magister volens aliquando discipuli sui scientiam et ingenium sibi notum aliis propalare, quæstionibus et objectionibus tentat eum : ut respondendo objectis, ejus scientiæ perfecta evidentia ceteris commendetur. Rursus sciendum, quod licet Deus nihil ignoret, non tamen novit futura sub illo respectu et modo, quo non sunt nec esse possunt scita vel scibilia. Dei igitur scientia, prout respicit solum futurum contingens in suis causis liberis sive contingentibus, et per respectum ad tempus præcedens actualem eventum rei futuræ, non novit certitudinaliter illud futurum fore, vel in posterum esse debere, quia illud non est scibile ; imo si poneretur illud esse scibile vel scitum, poneretur esse contradictio. Prout autem Dei scientia fertur ab æterno super præsentialem existentiam rei futuræ, pro tempore pro quo erit, sic infallibiliter scit futura contingentia : quia hoc modo non respicit ea ut contingentia respectu sui visus, sed potius ut præsentia, et ut præsentialiter existentia. Consimilis autem distinctio cadit super Dei velle : nam prima dicitur voluntas antecedentis : secunda vero voluntas beneplaciti, seu voluntas consequentis. Igitur respectu secundi modi non potest attribui Deo actus tentandi seu volendi experiri aliquando ignotum aliquod : sed respectu primi modi optime potest. Deus enim voluntate antecedente, et prout in casuali libertate et contingentia voluntatis nostræ non est adhuc certum nec scibile, an hoc vel ejus oppositum sumus facturi, potest rationabiliter aliquid mandare vel facere, per quod alterum illorum fiat scibile, et etiam scitum : non quod Deo fiat scitum per illud, ita quod per illud aliquid causetur in scientia Dei : sed pro tanto potest dici, quod per illud ex parte sua, id est ex parte ipsius futuri fiat scibile et scitum ; pro tanto scilicet, quia per hoc alterum oppositorum determinatur ad actum essendi. Circa præceptum vero de offerendo filio datum tria dubia occurrunt. Primum est, An Deus recte potuerit hoc præcipere, cum occisio innocentis sit actus impius, et potissime, quod hæc fiat a proprio patre. Et etiam cum contumeliosum sit Deo monstrare, quod ipse delectetur in mortibus hominum, et præcipue innocentium. Secundum est, An Abraham recte fecerit statim credendo et obediendo. Non enim statim se debuit reddere facilem, imo quantum erat ex se, tristem et difficilem. Est etiam in hoc aliud dubium, An scilicet Isaac debuerit in hoc patri obedire. Nam sicut ex hoc textu patet, erat compos rationis. Portabat enim ligna, et scivit quærere et conferre, ex quo habebant ignem et ligna, ubi erat victima, quæ debebat offerri. Supra etiam dictum est, quod Abraham post Isaac natum et ablactatum fuit colonus terræ Palæstinorum multis diebus. Et tunc subdit, quod postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham etc. Ex quo patet, quod post multum tempus ab ablactatione Isaac hoc factum contigerit. Unde et Josephus refert, quod Isaac tunc erat vigintiquinque annorum. Tertium dubium est, quomodo Abraham absque mendacio potuerit pueris suis dicere. *Ego et puer, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, cum ipse indubitanter proponeret et crederet, se occisurum filium suum, et per consequens crederet se ad illos non rediturum cum illo. Ad primum dicendum, quod Deus convenientissime hoc præceperit, tam respectu sui, quam respectu Abrahæ et filii sui, quam respectu nostri. Primo quidem respectu sui ; quia nihil debet Deus in suis tantum quærere et amare, sicut perfectum actum amicitiæ et obedientiæ suæ. Non est autem perfecta amicitia et obedientia nostri ad creatorem, nisi actualissima promptitudine, qua nos et omnia nostra amantissima sibi medullitus offeramus, et nisi ejus præcepto, imo et nutui nos et nostra omnia sibi continuo subjiciamus. Aperte autem patet, quod Deus principaliter in hoc præcepto id quærebat. Secundo hoc patet respectu Abrahæ et filii sui. Constat enim, quod ex hoc eorum virtus et meritum vehementius accrescebat, et ex ipsa impletione præcepti innotescebat tam eis quam omnibus aliis hoc audituris. Ex hoc etiam majorem fiduciam in Deum habere potuerunt et habuerunt. Tertio patet hoc respectu nostri, quia fuit nobis in maximum exemptum et documentum Deum amandi, et Deo in omnibus obsequendi ; tum quia per hoc inter cetera nobis innotuit, quod Deus potest hoc et consimilia præcipere, et super his et consimilibus dispensare. Decuit etiam in patribus præostendi, quod Deus multa transcendentia rationem et leges communes erat Christi temporibus præcepturus : tum quia nobis utile fuit Christum pro nobis immolandum pluribus modis præfigurari, et inter figuras nulla conformior et convenientior ista. Unde

hæc figura non solum fuit utilis nostræ informationi, sed etiam fuit valde honorificum Dei Patris et Unigeniti sui: quia hic expressa est figuraliter ex quanta charitate Deus pro nobis dedit et obtulit Unigenitum suum morti, et ex quanta obedientia Christus fuit in hoc obediens Patri, quia ejus Deitas sic fuit hic exposita et tradita, quod tamen non fuit passa, sed solum aries, id est ejus agnina humanitas, quæ tanquam perfectus aries, est princeps omnium ovium Dei. Fuit autem hoc figuratum in illo patre, cui primo aperte legitur facta fuisse promissio de Christo ex se nascituro, et qui pro cultu summi Patris defendendo contra introducentes plures Deos singulariter stetit, et qui populi Dei legem suscepit, et primus pater fuit a cæteris Gentibus segregatus. Fuit etiam conveniens hanc præcellentiam charitatis ostendi in illo, ne propter pluralitatem uxorum, aut propter bella et divitias temporales, crederetur fuisse carnalis aut imperfectus. Unde quod objicitur, hoc scilicet præceptum fuisse impium, patet ex præcedentibus esse falsum. Præterea constat quod propter solum originale peccatum Deus a nobis juste exigit mortem, imo et omnes computamur rei mortis et filii iræ: nihil ergo injustum fecit Deus, si mortem Isaac exegit a quocumque suo ministro, etiam a patre. Ulterius vitam et mortem nostram ordinare ad summum meritum et præmium nostrum, et ad summum Dei amorem et honorem, non est impium, imo piissimum: sed per hoc præceptum nihil aliud hic factum fuit. Unde non fecit hoc Deus, quasi absolute delectetur in pœnis nostris, sed potius tanquam delectatus in profectibus nostris, et in laudibus suis. Si autem quæris, quomodo Deus veraciter potuit præcipere illud, quod finaliter fieri nolebat, cum præcipere quod fiat hoc vel illud, sit idem quod velle hoc fieri: Dicendum quod Deus voluit quod Abraham esset paratus hoc facere; et etiam quod hoc faceret nisi sibi aliud mandaretur. In præceptis enim Dei semper voluntas excepta est. Unde in hujusmodi semper subintelligitur, nisi ipse oppositum insinuaret. Dato etiam quod Deus solum probative diceret alicui: Fac hoc vel illud, etiam posito quod nullo modo esset faciendum; adhuc non esset sermo falsus. Ad secundum patet jam sufficienter responsio ex prædictis. Est enim supponendum pro certo, quod Abraham fuit certissimus hoc præceptum fuisse a Deo; alias enim temerarie et impie acceptasset opus tam inusitatum, et præcipue non præhabito multiplici consilio provide et maturo. Primis enim Patriarchis et Prophetis fiebant visiones universales et fundamentales et infallibiles tanquam fundatoribus et fundamentalibus radicibus totius divini cultus et totius Ecclesiæ Dei: et ideo non erant dubiæ tales visiones quales communiter fiunt singularibus personis quibusdam, quas non est securum sequi, nisi per aliam certitudinem rationis et catholicæ fidei seu Scripturæ eorum veritas primitus innotescat. Hoc igitur concesso, sciendum quod Abraham debuit celerrime et superfervide implere præceptum, et post seipsum plus in filio quam in quocumque alio: et minus impium fuit, quod ipse sic vellet immolare filium quam si hoc voluisset de uno extraneo; quia immolando unigenitum suum, sibi tam amore naturæ quam gratiæ dilectissimum, non potuit sibi esse suspectus, quod impio aliquo motu hoc faceret: sed potius quod solo Dei amore inducente et in obsequium suum captivante totum naturalem et etiam spiritualem amorem, quem habebat ad corporalem vitam filii sui. De personis autem extraneis hoc merito posset suspicari: tum quia quanto hoc erat difficilius suo naturali et carnali affectui: tanto erat virtuosius hoc perficere propter Dei amorem: Tum quia illud quod naturali jure erat suum et sibi subjectum, potius decuit ab ipso offerri, quam rem extraneam, et quam rem suo dominio non subjectam. Illud etiam dubium de filio ejus patet: debuit enim obedire tanto patri cujus sanctitatem et divinas revelationes optime noverat et probaverat; et de facili advertere potuit et debuit, quod tam sanctus pater tam dilectum filium nollet immolare, nisi certissimus esset hoc Deum jussisse. Unde et Josephus refert patrem suum sibi dixisse, quod sicut admirabiliter ex Dei voluntate fuerat conceptus et mundum ingressus: ita ex voluntate Dei necesse erat ei mirabiliter inde egredi, quem Dominus judicasset dignum non morbo nec bello vitam finire, sed cum orationibus et sacrificiis animam ipsius ad se vocare: addens quod Deus suscitaret eum ob implendas promissiones suas. Sed forte adhuc quæreretur: Ad quid præcepit, scilicet quod ita longe, scilicet per tres dietas iret filium immolare? Ad quid in tali monte? Numquid non major esset

probatio, si in eodem loco in quo erat, visus esset ipsum statim immolare? Ad hoc triplex ratio potest dari ad præsens. Prima est, ut Abraham diuturnius in hoc opere probaretur : quia enim Deus non intendebat filium finaliter occidi, idcirco in applicatione voluntatis Abrahæ ad actum occidendi voluit ipsum exerceri per tres dies. Secunda est, ut locum in quo erat templum Dei condendum et juxta quem Christus erat immolandus, suo opere præmonstraret et divino cultui dedicaret. Secundum enim Hieronymum, Septuaginta ponunt : Vade in terram lucidam et Symmachus : In terram visionis. In Hebræo autem habetur : In Moria. Aiunt autem Hebræi esse montem, in quo (ut postea dicitur) cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria, qui idcirco illuminans interpretatur et lucens, quia ibi est oraculum Dei, et lex et spiritus, scilicet qui docet hominem veritatem. In hujus autem signum est quod Abraham dicitur illuc die tertio pervenisse, quia de Geraris, ubi tunc Abraham morabatur, usque ad montem Moria, id est sedem templi, est iter trium dierum. Male igitur quidam putant Abraham illo tempore ad quercum habitasse Mambre, cum inde ad montem Moria vix unius diei intersit. Tertia ratio est, ut in hoc opere multiplex mysterium Trinitatis ac trinæ itinerationis, triumque dierum et ascensionis in arduitatem crucis et martyrii præsignaretur. Ad tertium dubium dicendum, quod illud verbum Abrahæ potest tripliciter verificari. Primo ex spe resurrectionis Isaac. Nam secundum Apostolum ad Hebræos XI, Abraham in hac fide obtulit unigenitum, in quo susceperat promissiones implendas : arbitrans quia a mortuis eum suscitare potens est Deus. Secundo, ex conditione communiter subintelligenda vel subintellecta, scilicet si Deus voluerit, et si vita comes fuerit. Tertio intelligitur nisi ex speciali jussu Dei aliud evenerit. Sicut enim supernaturalia miracula sunt excepta a lege communi loquendi : sic supernaturalia et occulta et inusitata Dei consilia et mandata. Nec oportet quod sciens illa semper secundum illa loquatur ; maxime quando novit hoc non expedire, nec decere, nec Deum hoc velle : sed sufficit quod loquatur hominibus secundum communem cursum et secundum communem notitiam, juxta quod et sacerdotes dicunt aliquando de sacramentaliter sibi confessis ac notis quod nesciunt illa, et tamen in hoc non mentiuntur nec reputantur mentiri. Ambrosius vero in libro *de Patriarchis*, dicit quod « Abraham prophetavit quod ignorabat : ipse enim solus disponebat redire immolato filio ; sed Dominus per ejus os locutus est quod parabat. Captiose autem loquebatur cum servo ne cognito negotio aut impediret eum aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu. » Hæc Ambrosius. In quo videtur velle quod sicut Deus per os Caiphæ nescientis prophetavit de Christo, Caipha contrarium intendente : quod sic suo modo fuerit hic ; et quod Abraham juxta suam intentionem locutus est hic captiose, non mendose, utens plurali pro singulari ; ut sit sensus, Revertemur, id est revertar. Primi tamen tres modi plenius Abraham excusare videntur. Circa Dei vero promissionem tria occurunt dubia. Primum est quomodo dixit, *Nunc cognovi quod timeas Dominum?* Numquid enim omnia hæc non cognoverat? Aut nonne Abraham ante hoc factum Dominum timebat? Secundum, quomodo Deus ita magnificat hoc factum Abrahæ, cum multa alia majora reperiantur? Numquid majus fuisset si seipsum immolasset? aut instar martyrum se morti pro Domino obtulisset? et præcipue quia ipse alterum filium præter ipsum habebat, et adhuc plures habere poterat? Tertium quomodo aut quare jurat Deus, cum suum jurare nihil addat supra suum simplex verbum? Ita enim est verum unum, sicut et reliquum. Et etiam quia jurare non videtur actus Deo conveniens ; quia talis actus non assumitur nisi ad confirmandum aliquod dictum, quod alias non erat ita sufficienter firmatum. Ad primum dicendum, quod secundum Augustinum, sensus est : Nunc cognovi, id est cognosci feci : et est modus quo causa denominatur a suo effectu : et est hoc legendum per antonomasiam: id est nunc evidentius feci cognosci, quod tu præcellenter et singulariter timeas Deum. Secundo potest dici, quod Deus more humano de se loquatur : ut sit sensus : Ita est, ut nunc evidens sit te timere Deum ; quod etiamsi prius me lateret, modo mihi esset notum. Tertio potest dici, quod per hoc significatur ordo divinæ scientiæ ad suum temporale objectum : licet enim æternaliter præcedat illud, nihilominus non est talis objecti, nisi pro tempore suo. Unde singularem actum timoris Abrahæ hoc facto habitum sic Deus noverat ab æterno, quod tamen

non occurrat aliquando pro tempore præcedenti ipsum actum. Si autem quæras quare non potius dictum est : *Nunc cognovi, quod amas Dominum*, cum actus immolandi pro Domino filium potius fieret ex Dei amore, quam ex timore ? Dicendum, quod per timorem designat amorem, eo modo quo causa designatur per suum immediatum et inseparabilem effectum ; et ultra hoc designavit proprietatem amoris sui, et specialiter respectu hujus facti. Amor enim creaturæ ad Dominum suum non debet esse per æqualitatem, sed cum summa reverentia, et respectu agendorum debet esse cum summa obedientia ; et in homine qui potest adhuc peccare, debet esse cum summo timore offendendi. Opus etiam occidendi filium potius debebat fieri ex amore timente et obediente, quam ex amore delectante aut æstimante Deum in pœna mortis delectari. Rursus in hoc præcepto Dei et in ejus impletione fortissime captivabatur naturalis ratio et naturalis affectus et sensus Abrahæ ; et ideo potius attribuitur timori comprimenti, quam amori dilatanti et jocundanti. Nota autem quod cum præmissum esset, quod Angelus Domini dixit : *Nunc cognovi etc.*, subjecit tamen, *et non pepercisti filio tuo propter me :* quod utique non potest referri nisi ad Deum ; quia non propter Angelum, sed propter Deum non parcebat filio. De hoc autem supra decimo sexto est amplius tactum. Ad secundum dicendum, quod non sine causa ita magnificatur hoc opus. Tum quia ex singulari perfectione Abrahæ comprobatur hoc opus perfectum fuisse ; et longe plus, quam si ab aliquo imperfecto esset factum. Tum etiam quia ex genere quidem in omnibus talibus difficilius est agere quam pati. Unde tam secundum instinctum naturæ, quam gratiæ, incomparabiliter facilius foret Abrahæ ab altero pati sui et omnium suorum occisionem, quam quod ipse manu propria occideret filium. Rursus quoad aliud fuit sibi etiam difficilius occidere filium, quam seipsum ; quia naturali instinctu et ordine filius speratur succedere patri, et pater in illo sentit se supervivere ; et ideo in filii morte non solum se, sed etiam spem suæ posteritatis sentit mori et eradicari ; et præcipue pater jam senex, qualis erat tunc Abraham. Ex circumstantiis vero probatur hoc ipsum ; tum quia hic filius erat innocentissimus ; tum quia respectu uxoris liberæ et magis propriæ erat unigenitus ; tum quia in senectute genitus ; tum quia miraculo ei a Deo datus, et hoc postquam diu fuerat promissus et expectatus. Hæc enim erant causa singularissimæ dilectionis parentum ad ipsum. Quanto autem magis erat diligibilis et dilectus, tanto erat difficilius occidere ipsum : et hoc est quod signanter innuit Deus, quod ait : *Tolle filium*, non qualemcumque, sed *unigenitum et quem diligis*, scilicet singulariter. Ultra hæc autem erat circumstantia altior, quam tangit Apostolus ad Hebr. xi. Nam in hoc filio sperabat Abraham se accepturum promissiones Christi nasciturі et omnium electorum, sive corporaliter sive spiritualiter ex eo propagandorum : et cum vitam æternam adipisci non posset nisi per Christum, eo ipso per hunc sperabat se assequi vitam æternam ; ergo hunc filium offerendo offerebat totam fidem et spem omnium bonorum, quæ erant sibi a Deo promissa : et hoc erat altissimum. Fuit etiam hoc opus perfectum, quia ex promptissima et ad eum attentissima voluntate processit ; et hoc signat Scriptura tam respectu principii, quam respectu medii et termini. Respectu quidem principii ; tum quia Abraham vocatus a Deo respondit, adsum ; quod significat promptitudinem mentis ad Deo obsequendum et obtemperandum : sic enim diligentes et obsequiosi famuli adsunt domino suo : tum quia non expectavit, nec distulit : sed ipsa nocte consurgens fecit quod jusserat Deus. Respectu medii : tum quia tres dies in continuo fervore festinat ad opus implendum ; tum quia tertio die relictis pueris non minus ad hoc festinat dicens : *Ego et puer illuc usque properantes :* tum quia actus prævios operi ejusque rememorativos, et quasi præsentativos diligenter exercet. Nam ipsemet ligna holocausti ponit super filium suum, et ultra hoc portat in manibus propriis ignem, quo filius debebat comburi, et gladium, quo debebat occidi ; tum quia filio quærenti, ubi est holocaustum, divino affectu et modo respondet, dicens : *Deus providebit etc.* Respectu termini, tum in ædificando altare et ligna desuper componendo, tum in manus et pedes proprii filii colligando : quod (ut æstimo) fecit propter mysterium ; partim ad filii obedientiam plenius comprobandam : partim ne in hora immolationis filius quodam naturali horrore effugeret pas-

sionem : tum in extendendo manum et gladium, quantum in eo fuit, efficaciter applicando ad actum : tum quia tunc a Deo vocatus respondit *adsum*. In quo ostendit se promptum et præsentialiter attentum ad Deum et ad omne obsequium. Ad tertium dubium dicendum, quod exterior juratio Dei multum valet respectu nostri ad ampliorem confirmationem nostræ fidei et spei ; quia secundum Apostolum ad Hebr. VII, per hoc abundantius ostendit nobis Deus consilium suum secretum, ut per hoc fortissimum spei solatium habeamus, licet respectu Dei nihil addat secundum rem : addit tamen secundum rationem. Quamvis enim Dei voluntas secundum se semper sit æqualis et uniformis, respectu tamen objectorum suorum quodammodo se habet secundum magis. Unde dicimus, quod Deus plus diligit Matrem, quod Petrum ; et quod plus vult se diligi quam proximum : et quod immobilius præcepta primæ tabulæ quam secundæ vult observari. Similiter potest in proposito dici ; quod pro quanto majus inconveniens est perjurium, quam simpliciter mendacium ; pro tanto Deus difficilior est ad perjurium, quam ad simplex mendacium : quamvis secundum se et absolute sit ei utrumque æque impossibile. Non igitur est inconveniens Dominum per semetipsum jurare : tum quia non jurat ad confirmandum dictum suum quasi debile ex parte Dei, sed quasi respectu nostræ fidei : tum quia non jurat per majorem se, aut per alterum a se ; sed solum per seipsum. Nota pro littera, quæ restat, quod licet Isaac vocetur hic puer, non ex hoc sequitur quin esset adultus, qua secundum Hieronymum supra XXI super illud, Tradiditque puerum et dimisit eum, juxta Hebræum idioma, omnis filius ad comparationem parentum infans vocatur et parvulus. Et nota, quod ubi nos, juxta interpretationem Aquilæ et Symmachi, habemus hic, inter vepres, id est inter virgulta spinosa, et inter se condensa et implexa : melius interpretati sunt Septuaginta et Theodotion, qui ipsum nomen Sabek posuerunt, dicentes, quod tenebatur in virgulto Sabek cornibus suis. Etenim Sychneon verbum hebræum, quod sonat rete, quod Aquila posuit hic et Symmachus, per Sin litteram scribitur : hic vero Samek littera posita est. Ex quo, secundum Hieronymum, manifestum est, non interpretationem stirpium condensarum et in modum retis inter se virgulta contexta verbum Sabek sonare, sed virgultum. Vult ergo Hieronymus, quod Sabek sit quædam species virgulti. *Hærentem cornibus*, id est infixum. Ex quo videtur, quod cornibus erat infixum vepribus, quasi staret suspensus ; in quo expressum typum tenuit Christi in cruce suspensi. *Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt*. Secundum Hieronymum, pro eo, quod hic habetur, Dominus videt, in Hebræo scriptum est, *Videbit*. Et subdit, quod hoc apud Hebræos in proverbium exivit, ut si quando in angustia constituti sint, et a Deo optent auxilio sublevari, dicant, In monte Dominus videbit ; hoc est, sicut Abraham misertus est, ita et miserebitur nostri. Unde et in signum dati arietis solent etiam nunc cornu clangere. Videre igitur ponitur hic pro notitia. *Et nunc possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, id est urbes et terras eorum. Per portas enim, tamquam per aditum et fortalitium urbium, designat synecdochice ipsas urbes. Nota pro mysteriis hujus partis, quod hic allegorice designatur primo immolatio Filii Dei facta a Deo Patre, vel etiam quodammodo a sanctis Patribus die tertio, id est post legem naturæ et scriptæ, in tempore scilicet legis gratiæ. Asinus autem stratus ab Abraham, est rudis populus Judæorum cæremoniis legis stratus. Duo vero juvenes sunt Sacerdotes et Prophetæ, qui post Patriarchas venerunt ; et qui pro quanto figuris sensibilibus servierunt respectu sapientiæ Christi, juvenes fuerunt ; qui quidem, in quantum tales, ad arcanum passionis Christi non intraverunt. Ligna autem holocausti imposita super Isaac est Crux Christi, primo ab ipso portata : sed postmodum super eam est positus et confixus, sicut Isaac postmodum est positus super ligna altaris. Hæc autem ligna concisa fuerunt, quando a maleficis inflicta est pœna crucis, juxta quod Deuteronomii vigesimo primo scriptum est, *Maledictus est a Deo, qui pendet in ligno*. Ignis vero et gladius in manibus Abrahæ portati, sunt ardor divinæ charitatis ad dandum Filium pro nobis in mortem, et rigor justitiæ exigens ab ipso mortem pro solvendis reatibus nostris. Vel pro quanto per Abraham significantur Judæi crucifixores, ignis et gladius sunt zelus ignitæ iræ et invidiæ contra Christum, et gladius mortiferæ pœnæ sibi corporaliter illatæ. De qua matri ejus

dictum est : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Mons vero visionis seu illuminationis, ubi hoc factum est, ut eminentia metropolitanæ eorum sedis, in qua Christus est crucifixus, aut eminentia Evangelicæ veritatis et vitæ, in qua persistens est persecutus et passus. Quod vero Isaac non occiditur, sed aries pro eo, significat, quod Christi deitas non moritur, sed ejus caro hærens clavis et cornibus crucis. Secundo per hoc allegorice figuratur charitas patrum novi Testamenti ad hoc exhibendum martyrio et crucifixioni pœnitentiæ spirituales filios suos, ut omne carnale in eis penitus incenderetur et consumeretur, et spiritale proficeret : aptissime autem designat immolationem membrorum Christi fiendam sub Antichristo, tam mystice quam patenti. Et potes per modum priori consimilem omnia ad propositum applicare. Moraliter autem designatur hic holocaustum devoti affectus, quod fit in monte contemplationis in altari solidissimæ veritatis fidei catholicæ per ignem incendii in lignis præcipuorum beneficiorum Dei accensi et constricti præeunte gladio, id est acutissimo conscientiæ stimulo, seu verbo Dei vivo et acuto, omnia carnalia incidente. Asinus vero stratus est actio seu vita activa, virtuosis circumstantiis adornata. Duo vero juvenes sunt rationalis intellectus, et rationalis affectus qui super excessum præfati holocausti non intrant : sed extra simul et infra expectant, usquequo animus a supermundano contemplationis excessu rediens ad semetipsum revertatur ad eos. *His itaque gestis*. Quia infra erit narrandum, quomodo Isaac duxit in uxorem Rebeccam filiam Bathuel filii Nachor, idcirco hic breviter subditur de generatione Nachor, et quomodo fuerit Abrahæ denuntiatum eam peperisse etc. Dicit autem Hieronymus, quod de stirpe Hus primogeniti Nachor descendit Job, et subdit. Male igitur quidam æstimant Job de genere esse Esau. Aliis vero contrarium magis placet. Et quod in terra Esau seu Idumææ fuerit Hus, potest colligi ex eo, quod infra xxxvi inter duces Hebræorum, qui primo generaverunt in terra Edom, numerat Disan, cujus etiam filii fuerunt Hus et Aram. Igitur ab isto Hus forte fuit nominata terra ista Hus, in qua erat Job. Pro hoc etiam facit, quia ibi subditur, quod secundus rex Edom fuit Joab, quod quidam putant esse Job. Præterea etiam facit, quod Themam fuit in terra Edom denominata a Theman filio Eliphaz Themanitis amici Job, qui erat de genere Esau. Dicit etiam Hieronymus, quod de Hus genere fuit divinus ille, ut Hebræi tradunt, qui in libro Job dicitur Eliu, primum vir sanctus et Propheta Dei ; postea per inobedientiam et desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, divini vocabulo nuncupatur.

CAPUT XXIII

Vixit autem Sara etc. Hic subditur de morte et sepultura Saræ. Et quia Scriptura raro scribit de morte mulierum, videtur hic interseri propter locum sepulchri sui, in quo firmiter et possessorie obtinendo, non sine causa tantam fecit vim Abraham. Unde puto, quod tam ex revelatione, quam ex speciali devotione ad sanctum et primum patrem Adam ibi sepulchrum hoc fecerit. Unde et signanter nomen civitatis Hebron vocatur *Arbee*, id est quatuor, propter quatuor Patriarchas ibi sepultos. *Venitque Abraham, ut plangeret et fleret eam*. Quamvis mos antiquorum fuerit mortuos ad litteram plangere : nihilominus per hoc significatur hic religiosum officium funeri exhibitum. Unde mox subjungitur : *Cumque surrexisset ab officio funeris locutus est ad filios Heth*. Iste Heth fuit unus de filiis Chanaan. Filii autem ejus vocantur hic, quicumque de genere ejus sunt. *Date mihi jus sepulchri vobiscum*, id est in terra vestra. Nota, quod non petit sepulchrum, sed jus sepulchri ; quia volebat ibi dominium habere, ne amodo de communi jure posset sibi auferri. Et est valde notabile, quod prima terra, quam de jure sibi acquisivit et acquirere voluit, imo et prima quæ in Scriptura empta legitur, fuit sepulchrum. Hoc enim de jure hominum lapso competit, nec aliud hic nobis est quærendum aut habendum. *Princeps Dei es apud nos*, id est quasi a Deo nobis missus et institutus : quasi dicat : In tantum inter nos es et appares, quod tibi tamquam principi omnium reverentiam debemus, et in electis, id est, præcipuis et nobilioribus etiam sepulchrum. *Nullusque te prohibere poterit*, id est audebit, quum in monumento ejus, quisquis ille sit, sepelias mortuum tuum ; quia dicit, Elige quodcumque sepulchrum de nostris, quia nos faciemus quod nullus te

valeat impedire, *ut det*, id est vendat, *mihi speluncam duplicem*. Spelunca dicitur quia sepulchrum illud erat in saxo, vel rupe, vel in caverna saxea. Duplex vero dicitur, quia duplicem habebat loculum; unum scilicet pro Adam, alium pro Eva. *Pecunia digna*. Sed quare plus vult eam habere pretio quam dono, et pretio condigno quam semipleno? Dicendum quod litteralis ratio est major firmitas jurisdictionis possessionis, et ut ex hoc liberius sibi soli et suo generi vendicaret illud sepulchrum, ad quod singulari devotione fieri videbatur. Hujusmodi autem singulares devotiones solent in sanctis Patribus a Deo quodam speciali modo immitti ad honorandum ipsosmet sanctos: vel ut eorum memoria sit posteris notior ac celebrior, et per consequens etiam utilior. Vel in exemplum infirmioribus ut sanctorum meritis religiose afficiantur ad loca sacra et ad sepulchra sanctorum, sicut Abraham ad sepulchrum sancti Adæ. Vel propter aliqua mysteria nobis præsignanda. Nota quod secundum Hieronymum in Hebræo primo loco scribitur Ephron, ubi scilicet, dicitur, *Et audivit Abraham Ephron*. Sed secundo loco per Vau legitur ibi, scilicet, ubi dicitur, quod *appendit Abraham Ephran argentum*, et pro Ephron appellatus est Ephran, signante Scriptura eum non fuisse consummatæ et perfectæ virtutis, qui potuerit vendere memorias mortuorum. Sciant igitur qui sepulchra vendunt et non coguntur ut accipiant pretium, sed a volentibus quoque exigunt et extorquent, immutari nomen suum, et exire aliquid de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte qui invitus accepit. Hæc Hieronymus. Sed numquid si Ephron vendendo peccavit aut imperfecte egit, consimiliter Abraham emendo peccavit? Nam si vendere fuit simoniacum, per consequens et emere; et præcipue, quando emptor quasi compellit alterum ad vendendum, cum ille vellet sibi absque omni pretio dare sicut fuit hic. Nam et ubi etiam Ephron pretium taxat, dicens, *Terra quam postulat etc.* subdit, *Sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum*: quasi dicat: Non est hoc pretium tantum quod magnum quid sit me illud tibi dare; et ideo absque pretio sepeli mortuum tuum. Dicendum quod illud ex se non fuit tunc simoniacum, hodie tamen inter nos hoc esset propter ecclesiasticam consecrationem sepulchris fidelium adjunctam. Quocumque enim modo vendere sanctitatem vel consecrationem, aut vendere ideo plus rem sacram, fuit et est simoniacum. Modo autem ultra hoc ex rationabili statuto Ecclesiæ est etiam prohibitum vendere per se et directe locum sacratum; venditur tamen indirecte, pro quanto, scilicet venditur ager vel fundus intra quem sunt. Non etiam video quod Ephron multum imperfecte se habuit in vendendo, ex quo Abraham illud nolebat ex simplici dono absque pretio habere, et cum hoc instanter rogabat quod sibi venderetur. Et ideo puto quod ratio immutationis nominis ejus data a Hieronymo potius est mystica quam litteralis. Potuit enim mutari nomen non propter eum, sed in figuram futurorum simoniacorum. *Quadringentos argenti siclos*. Siclus, secundum Hieronymum, unciæ pondus habet, et secundum hoc quadringentas uncias argenti appendit, id est exsolvit. *Confirmatusque est ager*. Tota solemnitas quæ hic narratur, ad hoc fuit, ut plene pateret omnibus et plenius firmaretur Abrahæ jus et possessio illius sepulchri et agri. Nota autem quod ad hoc tempus dicit Augustinus verificari verbum Stephani, Actorum septimo, dicentis, quod Deus Abraham postquam mortuus est pater ejus transtulit in terram istam etc.: tunc enim dicitur translatus in eam, quia tunc cœpit firmius collocari in ea. Nota pro mysteriis, quod spelunca hæc mystice est religio sacra, aut quicumque status pœnitentiæ, in quo sancti mundo morientes, mundo absconduntur et sepeliuntur. Est autem duplex, propter corpus et animam ibi locandam, vel propter activam vitam et contemplativam, vel propter prælatos et subditos. Et hæc quidem a filiis Heth, qui interpretatur vita vel pavor, id est a filiis hujus vitæ pavidæ et miseræ, et specialiter ab Ephron, id est a pulvere mortis acquiri debet, quia communis omnium mors et miseria nobis magnam materiam exhibet sepulturæ præfatæ, tum quia plerumque apud antiquiores quamquam carnaliter affectos inveniuntur insignes regulæ sanctorum patrum, ipsorumque specialia exempla et documenta a sanctis noviter venientibus sunt in usum sui juris vendicanda. Sed nota quod hoc non fit firmiter sine pretio quadringentorum siclorum secundum formam solemniter approbatam traditorum. Christus enim tam in merito quam in præmio tria vota

Evangelica et regularis comparat fructui centesimo et præmio centuplicato, etc. Quartum autem est desiderium mortis et martyrii, sine quo tria prima non habentur perfecte. Qui autem hæc quatuor centenaria non relinquit mundanis, non potest sepulchrum præfatum firmiter obtinere, quia ab illis per tentationes familiares faciliter expeteretur. Vel donatio quadringentorum est abnegatio quadruplicis appetitus: scilicet appetitus dominandi, habendi seu possidendi, delectandi, et sciendi, prout scilicet sonant in præsumptionem et curiositatem seu vanitatem. Unde Christus, Matth. XIII, argentum et thesaurum absconditum in agro dicit emptum ex venditione et donatione universorum, quæ emptor habebat; propter cujus thesauri copiam Job quinto dicitur: *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut acervus tritici.* Et Job III de contemptoribus hujus vitæ dicitur, quod expectant mortem, et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulchrum. Potest etiam per hoc sepulchrum intelligi Scriptura sancta, de cujus sapientia in ea sub figuris sepulta sive abscondita, Proverb. II dicitur: *Si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies.* In qua quidem est duplex spelunca: novum scilicet et vetus Testamentum sub intelligentia litterali et mystica; vel secreta superiorum et inferiorum, quam qui vult per emptionem firmiter obtinere, oportet quod det vel relinquat quadruplicem sensum sapientiæ stultæ; nam quatuor appetitus prædicti vel alia priora quatuor habent suas proprias prudentias, quibus sua appetibilia graviter æstimant ac sagaciter et solerter procurant; et qui eas perfecte non rejicit, non potest intrare in illam divinam speluncam sapientiæ Christianæ et supermundanæ de qua Apostolus I Corinthiorum loquitur.

CAPUT XXIV

Erat autem Abraham senex. In hoc capitulo agitur de uxoratione Isaac: in quo septem per ordinem enarrantur. Primo scilicet missio et itineratio servi ad terram Nachor. Secundo etiam prophetica investigatio puellæ Isaac desponsandæ. Tertio servi receptio a fratre Rebeccæ, ibi, *Itaque puella.* Quarto festina allocutio servi ad Laban pro Rebecca suo domino desponsanda, ibi, *Qui ait, Non comedam donec loquar.* Quinto parentum puellæ, et tandem ipsius puellæ assensio, ibi, *Responderunt Laban et Bathuel.* Sexto servi cum Rebecca ad Isaac reversio, ibi, *Igitur Rebecca et puellæ ejus.* Septimo Rebeccæ ad Isaac introductio, ibi, *Qui introduxit eam etc. Pone manum tuam subter femur meum.* Hieronymus dicit, *Tradunt Judæi, quod servus in sanctitate Abrahæ, hoc est in circumcisione juraverit.* Nos autem dicimus eum jurasse in semine Abrahæ hoc est in Christo, qui erat ex illo nasciturus. Quod autem hæc secunda sententia sit melior, non solum patet ex præcellentia divinitatis Christi; sed etiam ex hoc quod corporalis circumcisio nihil habuit sanctitatis, nisi ex fide Christi, et ex sacramentali significatione ipsius; et quoad hoc habuit vis generativa Abrahæ singularem primatum, quem ipse bene non intelligens non dicit, *pone* super *femur*, sed, *subter femur.* Patet etiam ex hoc quod dicit, *ut adjurem te per Dominum Deum.* Jurantes enim solent adjurari per vim præstiti juramenti, et per sanctitatem ejus in quo jurarunt. Ex quo videtur quod per Deum ex ipso nasciturum juravit. *Ut non accipias filio meo uxorem de filiabus Chanaan.* Hic autem duo quærenda sunt: Primum est, quare noluit quod de Chananæis duceret uxorem. Si enim dicatur, quod timebat suo semini illorum idololatriam vel mores pestiferos: eadem ratione non debuit hoc permisisse Jacob de filiis: et tamen Judas legitur aperte filiam Chananæi duxisse, et cæteri et Joseph hoc ipsum verisimiliter fecisse creduntur. Secundum est, cum Isaac esset tunc quadraginta annorum, sicut sequenti capitulo dicitur, quomodo Abraham dicit servo, quia non accipiat hunc uxorem filio, sed potius de stirpe fratris sui? Numquid enim non fuisset hoc ipsi Isaac convenientius dicere? Aut numquid Isaac ita erat subjectus consilio et imperio illius servi? Ad primum dicendum, quod præter causam prædictam fuit altera, ut scilicet magis apparerent esse in terra illa ut peregrini, usquequo Deus sua promissa impleret, et per hoc clarius prædicaret gentem illam esse delendam suis et suo semini imposterum fugiendam. Unde et sub Moyse data est lex, quod filii Israel non ducerent filias eorum. In filiis autem Jacob hoc non

potuit ita servari, tum quia plures erant, tum quia forte tunc non erant nubiles filiæ Laban vel Nachor. Non etiam fuit hoc ita necesse, quoniam Deus illos intendebat transducere in Ægyptum; et ideo non curavit hoc ita inspirare eis, sicut fecerat parentibus primis. Ad secundum dicendum, quod patre vivente non debuit Isaac de seipso ordinare, nisi juxta voluntatem paternam : pater autem per hunc servum tamquam per suum procuratorem de filio ordinabat : et est subintelligendum, quod hoc faciebat de filii assensu. Nec puto quod illa prædicta verba dicantur illi servo quasi præsidenti Isaac, aut quasi Isaac deberet ejus consilio et imperio regi : sed solum dicuntur ei tamquam nuntio voluntatis paternæ, et tamquam ab ipso et ab ejus filio habenti auctoritatem procuratoriam ad conjugem filio desponsandam. Quod vero subditur : *Cave ne quando reducas filium meum illuc*, non hoc dicitur quasi haberet ille auctoritatem super Isaac ; sed potius per hoc exprimitur quod non debebat sibi aliquam de domo Nachor desponsare seu procurare pro pacto vel sub conditione quod Isaac esset illuc iturus et moraturus : sed solum sub conditione, quod illa esset ventura ad eum. Et nota, quod ex hoc primum trahitur, quod matrimonium potest inter absentes per procuratorem intermedium contrahi. Quia vero servus posset timere, quod suum iter sub tali conditione vix posset habere optatum et competentem effectum : ideo ipse Abraham ipsum super hoc assecurat subdens, *Dominus cœli qui tulit me etc.*, id est qui ad suum cultum me singulariter assumpsit : *Qui loquutus est mihi*, id est qui non solum simplici verbo, sed etiam juramento mihi promisit, quod semen multiplicaretur et obtineret hanc terram. Ex his ergo duobus erat Abraham securus, quod Deus propere dirigeret servum : et maxime cum ipse in hoc non intenderet nisi cultum et beneplacitum Dei. *Oravit Dominum, dicens : Domine Deus etc.* Videtur, quod hæc oratio fuerit superstitiosa : quomodo enim fuit ipse certus, quod illa quæ daret sibi potum, juxta quod ipse præcogitaverat, fuit ordinata a Deo pro Isaac ? Dicendum, quod imo prædicta oratio fuit fidelis et devota, atque discreta. Fidelis quidem, tum quia nullæ rei superstitiosæ, sed soli pietati et providentiæ Dei innitebatur ; tum quia innitebatur sanctitati Abrahæ et Dei promissionibus super ejus semine sibi factis : et dicto Abrahæ qui ei dixerat : *Dominus cœli qui mihi juravit, dicens : Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet Angelum suum coram te.* Devota autem fuit, eo quod non rem curiosam, sed utilem et necessariam, et piæ intentioni Abrahæ conformem petebat. Quia enim rationabiliter cogitabat, quod suum judicium aut experimentum non sufficiebat ad probandum et eligendum de terra et gente sibi incognita et inexperta puellam plene congruam tanto viro : idcirco aliqua ostensione divini præsagii et judicii expetebat a Deo, ut per illam sua electio dirigeretur. Discreta etiam fuit, quia conditionem posuit rationabiliter judicativam strenuæ et egregiæ indolis puellæ, utpote actum promptæ et piæ et largæ liberalitatis et humilis obsequiositatis, utpote quæ talis esset, quod longe plus ei obsequeretur, quam ipse peteret : et hoc in loco et tempore ad contrarium fortiter inclinante, scilicet tempore vespertino, et in quo tam pro gregibus quam pro domo oportebat eam celeriter pro se et aquam haurire, domumque redire ; et potissime, quia plures aliæ pro consimilibus causis habebant ibi tunc haurire. Rursus ex eventis patuit, quod conjecturalis illa cogitatio fuerat mota et ordinata a Deo ; quia mox Rebecca venit et descendit ad fontem, id est ad ripam putei, et omnia prout ille præcogitaverat, explevit : quia vero omnia conjecturaliter proposuerat, admirabiliter per Rebeccam et in Rebecca impleta fuerunt. Et cum etiam inventum est, quod ipsa erat de domo et stirpe Nachor fratris Abrahæ, satis apertum et certum signum habuit quod hæc præcogitatio erat præordinata et provisa a Deo. *Igitur puella etc.* Secundum Hieronymum, hic pro puella in Hebræo habetur, Alma, quod verbum nunquam nisi de virgine scribitur ; et interpretatur abscondita ; et ideo per hoc nomen significatur non quæcumque virgo, sed virgo nimia diligentia custodita. Et hoc idem verbum de Maria sorore Moysis adhuc virgine etiam legitur, ubi scilicet nos habemus, perrexit puella et vocavit matrem suam etc. Ideo infert Hieronymus, quod Isaiæ capite septimo in Hebræo legitur, Ecce alma concipiet et pariet filium, majoris est laudis, quam si diceretur : Ecce virgo ; quia virgo juxta Apostolum potest esse

corpore, et non spiritu: sed abscondita quæ virgo est, per antonomasiam virginitatis habet, ut et virgo sit et abscondita; et quæ abscondita est juxta idioma hebrææ linguæ consequenter et virgo est. Sed forte quis objiciet: Quomodo Rebecca erat sic abscondita, cum ipsa iret extra urbem ad hauriendum aquam, sicut communiter faciunt vulgares puellæ? Potest dici, quod sub tali circumstantia juxta morem terræ hoc fiebat, quod nullum periculum nullaque suspicio mala poterat suboriri. *Protulit ex inaures etc.* Et infra: *Cum vidisset inaures et armillas in manibus sororis suæ.* Est autem inauris et armilla propriæ ornamentum armorum seu lacertorum virilium; communiter tamen stat pro circulo argenteo vel aureo, qui in pectore puellarum stringit capitium tunicæ vel camisiæ earum. Sed numquid ille bene fecit dando puellæ hujusmodi jocalia, aut puella recipiendo ab eo? Dicendum, quod a sene maturo et reverendo qualis præsumendus est fuisse procurator totius domus Abrahæ, pensata causa charitatis et curialitatis a puella acceptæ et considerato etiam loco publico, ubi tunc erant, et societate seu familia prædicti procuratoris, hoc nihil habuit suspicionis, sed potius fuit signum condignæ gratitudinis et charitatis ad puellam tam liberalem et obsequiosam. Unde nec ipsa tanti viri donum bono modo respuere potuisset absque indecenti contemptu illius. Præterea licet hic videatur innui, quod primo dederit sibi jocalia, antequam illa interrogata ab eo dixisset se esse filiam Bathuelis filii Nachor, infra tamen ex verbis servi aperte innuitur, quod primo scivit per ipsam, quod esset de genere Abrahæ etc. *Est in domo patris tui locus ad manendum?* Hoc videtur subdere, ne absque causa quæsivisse videretur cujus esset filia; sed quasi ad sciendum, an pater ejus haberet pro se hospitium aptum, quamvis principaliter intenderet scire, an esset de genere Nachor viri Melchæ. Et occulto Dei instinctu de Melcha avia sua mentionem fecit; ut sic magis appareret, quod non solum ex parte avi, sed etiam ex parte aviæ erat de genere Abrahæ et Saræ. *Cum vidisset inaures et armillas in manus sororis suæ.* Nota quod jocalia prædicta non portavit absconse, sicut faciunt aliæ de hoc suspectæ. *Benedictus Dominus qui non abstulit misericordiam et veritatem suam a Domino meo.* Beneficium Dei et veritas est ut impleat promissum suum. *Cucurrit itaque puella et nuntiavit in domo matris suæ.* Ex hoc quidam volunt, quod Bathuel pater ejus jam obiisset, et etiam quia infra non dicitur, quod servus obtulerit dona patri, sed solum matri et fratribus. Et iterum post subditur: *Responderunt fratres ejus et mater.* Quod autem paulo ante dicitur, Responderunt Laban et Bathuel, dicunt, quod Bathuel dicitur pro tanto respondisse, quia delegaverat eam tradendam generi suo. Vel sustinendo, quod Bathuel pater ejus viveret, quod Scriptura magis sonat, potest dici, quod forte pater ejus habebat plures uxores, quarum quælibet habebat domum sibi pro se et prole sua; et ideo Rebecca dicitur ivisse ad domum matris suæ. Quod autem dicitur hic quod servus dedit dona matri et fratribus potius, quam patri; fuit ideo, ne essent communia aliis uxoribus et earum filiis. Quod vero dedit matri et uterino fratri, plus pertinuit ad Rebeccam: Quod vero dicitur, quod responderunt fratres ejus et mater, per fratres intelliguntur pater ejus et Laban frater, secundo quod trigesimo primo capite, Jacob suos filios vocat fratres. *Et appositus est in conspectu ejus panis.* Per panem more Scripturæ intelliguntur omnia cibaria. *Destravit omnes camelos*, id est omnes disellavit et sarcinas ac sellam deposuit. *Quamobrem si facitis misericordiam et veritatem cum Domino meo, indicate mihi*, dare scilicet filiam suam filio Abrahæ. Misericordia erat pro quanto erat ad hoc obligatus, et quia Abraham erat in terra longinqua et peregrina, et quia erat expediens domui Abrahæ. Veritas seu justitia erat pro quanto fratri vel propinquo suo, et sic sanctæ, et ex tali causa filiam eorum expetenti erat justum et debitum eam dari. *Ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram.* Modus est loquendi satis usitatus: quasi dicat: Secundum quod sumpseritis partem affirmativam vel negativam, et ego prosequar hanc vel illam. *A domino egressus est sermo*, id est Deus dixit et voluit, quod eam tibi tradamus. Hæc autem Dominum dixisse dixerunt, pro quanto tam ex inspiratione Abrahæ quam ex admirabili directione servi et ostensione conjecturali signi patuit Deum hoc voluisse. Non possumus licite et debite extra placitum ejus. *Et dixerunt, vocemus et quæramus ejus voluntatem etc.* De jure enim naturali erat quærendus ejus assensus; et

hoc sic quod esset per verba expressus ; non enim invita nubere debet ; et præcipue ita longe. *Et Delboran nutricem ipsius.* Hieronymus, Decens quippe erat, et ut ad nuptias absque parentibus virgo proficiscens nutricis solatio frueretur. *Ad puteum cujus nomen est viventis et videntis.* De hoc puteo habitum est supra decimosexto. Sic secundo fuit vocatus ab Agar. *Habitabat enim in terra Australi*, id est in Geraris, secundum Hieronymum. Unde et supra decimo sexto dicitur puteus ille esse in deserto Sur versus Ægyptum. *Et egressus fuerat ad meditandum in agro.* Secundum Hieronymum, Septuaginta habent, *Et egressus est, ut exerceretur campo*, in Hebræo autem habetur, Et egressus est, ut loqueretur in agro : et subdit, quod sicut Dominus solus orabat in monte, sic Isaac, quia justus erat, domum exiverat ad orandum : et ut nona hora vel ante solis occasum spirituales Deo victimas offerret. *Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo*, ex reverentia scilicet viri quem videbat in occursum eorum venire. Quamvis enim a servo adhuc non quæsivisset quis esset, nihilominus conjicere cœpit quod esset aliquis reverendus de domo viri sui. *At illa tollens cito pallium.* Secundum Hieronymum in Hebræo est et tulit theristrum. Theristrum est pallium et genus Arabici vestimenti, quo mulieres illius provinciæ velabantur. Narratur autem hoc in signum pudoratæ honestatis Rebeccæ. Et nota quomodo Scriptura narrat a principio missum servum a patre, sed rediisse ad filium tanquam ad dominum suum. Hoc enim convenit litteræ simul et mysteriis. Litteræ quidem, quia prima tractatio uxorationis filii magis spectabat ad patrem : sed ejus consummatio potius ad filium. Mysteriis vero, quia prima origo bonorum, et prima missio nuptiarum plus appropriatur Deo Patri. Desponsatio vero Ecclesiæ plus Filio, cui rex fecit nuptias, sicut Christus ait. Amor vero, quo dilecta est sponsa, plus Spiritui sancto. Nota igitur pro mysteriis, quod per Rebeccam potest mystice intelligi quælibet anima, vel Ecclesia Christo Filio Dei patris desponsata per intermediam procurationem Angelorum, vel quorumcumque Sanctorum, de qua sex mystice prædicantur. Primum est ejus præparatio non facta a nuntio, sed solum intenta. Nisi enim Deus prius prædisponeret mentes, non possent per nuntios ad tam altas nuptias elevari. Insignia vero suæ præparationis sunt quatuor : scilicet virginalis speciositas (portat enim in scapula hydriam, quam de fonte putei, id est de sapientia fidei seu Scripturarum impleverat), et etiam ejus profusa liberalitas et obsequiositas ; nam ferventer suis denuntiat ut eis occurrant, illosque recipiant. Secundum est ejus cognatio. Si enim non esset de genere Dei, saltem pro quanto est de genere rationali facto ad imaginem Dei, non esset his nuptiis apta : nec adhuc est ad hoc disposita, nisi prius per gratiam sit facta de domo et cognatione Sanctorum vel fidelium. Tertium est ætas adornatior per nuntii dona. Unde bene dicit Rebecca ; quod interpretatur, quæ multum accepit. Quartum est ejus et suorum sponsalis consensus. Quintum est ad sponsum suum adductio : quem quidem invenit in terra Australi, id est in terra meridionalis amoris et splendoris, et juxta puteum viventis et videntis, id est juxta profundam sapientam æternæ vitæ et providentiæ Dei, non otiosum, sed in agro præmeditantem, et sibi accurrentem. Tuncque sponsa in ejus occursu suos defectus plenius recognoscens, se profundius humiliat et mundat et ornat : et ideo de camelo gibboso descendit, et pallio charitatis se operit. Sextum ejus introductio in tabernaculum Saræ et nuptialis copulæ consummatio. Per Saram autem intelligitur prima et præterita Ecclesia, non in quantum habuit aliquid ancillare et evacuandum, quod designatur per Agar : sed potius in quantum habuit moralem sapientiam et gratiam atque justitiam ; et ideo in ejus tabernaculum nova et postrema etiam debuit introduci. Qualis autem fuerit et esse debuit harum nuptiarum minister seu procurator, adverte, quia primo obligatur per vim generativam et regenerativam Dei Patris, ut scilicet nullam infidelem aut pestiferam adducat, quia hoc non esset facere Dei Ecclesiam, sed Satanæ : et quod sponsam potius adducat in domum Christi, quam e contrario : cujus contrarium faciunt illi, qui suis exemplis vel negligentiis Christi fidem et statum cum terrena gloria et cupiditate et opulentia faciunt possideri. Possunt hic consimiliter notari omnes actus nuntii hujus ; quomodo scilicet, cum decem camelis domini sui multa bona portantibus venit cum familia operum, ut subdita jugo legis et bonis gratiæ Dei plena, cum

quanta possum instantia potuit et diligentia, et discernit mentes idoneas ab inceptis conjugiis tali et tanto. Et quomodo per sancta exempla et documenta, et sacramenta eas adornat ante ingressum, sed multo largius post ingressum, habito jam consensu parentum et fratrum, et qualiter non comedit, id est non quiescit, nec satiatur, usquequo obtineat quod intendit : cujus contrarium pseudoapostoli faciunt, qui prædicant propter quæstum, et qui realiter parum curant de commodis animarum etc.

CAPUT XXV.

Abraham vero aliam duxit uxorem nomine etc. Hieronymus super hoc loco dicit, quod Cetura interpretatur, copulata aut conjuncta. Quam ob causam suspicantur Hebræi eamdem esse Agar, quæ Sara mortua de concubina transierit in uxorem. Et videtur per hoc decrepiti jam Abrahæ excusari ætas, ne scilicet senex post mortem uxoris suæ vetulæ novis arguatur nuptiis vacasse, et subdit : Nos quod incertum est relinquentes, hoc dicimus, quod juxta historicos Hebræorum filii Abrahæ nati de Cetura occupaverunt Trachonitidem et Arabiam, usque ad terminos maris rubri. Idem etiam Hieronymus in *commentario suo super Paralipomenon* libro primo in principio dicit : Cetura ipsa est Agar : quod in Psalmo manifestatur, cum dicitur : Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab et Agareni etc. Ismaelitas vocans filios Ismael qui utique filius Agar fuit : et Agarenos, Madianitas et ceteras tribus, quas de Cetura sancta Scriptura procreatas commemorat. Et iterum infra super illud quinti capituli, ubi dicitur, quod filii Ruben in diebus Saul præliati sunt contra Agarenos, Ituræi vero et Naphæi et Moab præbuerunt eis auxilium, dicit : Notandum, quod ipsa sit Cetura, quæ et Agar ; nam cum dicit Rubenitas pugnasse cum Agarenis, subditur, eis præbuisse auxilium Ituræos, Naphæos, et Nodab, qui utique filii Ismael fuerunt. Idem in Paralipomenon Nodab, in Genesi Cedma vocatur. Hæc Hieronymus. Cui etiam ratio pro tanto magis consonat, quia si Agar adhuc vivebat, condecens fuit tam veritati conjugis, quam pietati in eam, quod post mortem Saræ reduceretur ad Abraham : quia illud, quod præcesserat de ejectione ejus in separatione Ismael, satis sufficiebat tam ad vitandum dissidium inter Agar et Saram, quam ad delectandum primatum hæreditarium Isaac super Ismael, quam ad correctionem prioris superbiæ Agar, et quam ad mysteria futurorum. Huic etiam consonat, quod paulo post dicitur, Ismael simul cum Isaac petisse Abraham. Ex quo videtur quod aliqualiter ad paternam amicitiam esset restitutus. Si autem dicatur, Quare Scriptura non vocat eam hic expresse Agar? Potest dici, quod hoc factum est, ne mysterium ejectionis ejus per hoc obscuraretur ; et ut ex mutatione nominis, mutatio circa ipsam facta significetur. Augustinus vero, XVI *de Civitate Dei*, dicit : « Quid sibi vult, quod Abraham post mortem Saræ Ceturam duxit uxorem, nisi absit, ut incontinentiam suspicemur, præsertim in illa jam ætate, et in illa fidei sanctitate? An adhuc procreandi filii quærebantur, cum jam Deo promittente, tanta multiplicatio filiorum ex Isaac sicut stellas cœli et arenam terræ fide probatissima teneretur? » Et subdit, quod factum est hoc in figuram ; quia scilicet per Agar et Ismael significantur carnales, qui sub novo sunt Testamento ; vel quod etiam per hoc provisum fuit contra futuros hæreticos, secundas nuptias damnantes. Si vero quæratur, quomodo potuit tunc Abraham filios generare? Respondet Augustinus *libro eodem*, capite XXVIII, quod « senex de adolescentula potuit gignere, eo quod vividam adhuc ejus invenit ætatem. Et quod Apostolus dicit, corpus ejus jam esse emortuum, intelligendum est, non ad omnia fuisse emortuum, sed ad gignendum. » Deinde subdit aliam solutionem ; quod scilicet donum gignendi, quod a Deo acceperat quando genuit Isaac ; etiam post obitum Saræ remansit. Præfert tamen primam solutionem ; quia licet in tempore nostro centenarius senex de nulla possit femina gignere, tunc tamen poterat, quando adhuc tamdiu vivebant, ut centum anni nondum facerent hominem decrepitæ senectutis.

Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac etc. Si hoc factum est post hos filios habitos ex Cetura, quomodo supra dixit servus Abrahæ, quod Abraham dederat Isaac omnia quæ habuerat? Potest dici, sicut dicit Josephus, quod ante duxerat Ceturam quam misisset pro uxore Isaac. Vel dicendum, quod jam primo

Isaac fecerat hæredem ; non tamen sic, quod de facto tradidisset sibi totam hæreditatem : sed hoc fecit paululum ante finem vitæ suæ. *Filiis autem concubinarum largitus est munera.* Si Cetura est eadem quæ et Agar, tunc concubinarum dixit, ponens plurale pro singulari, id est filiis concubinæ. Nec intelligas, quod fuerint quasi non uxores ; quia paulo ante dictum est idem de Agar. Sed concubinæ dicuntur ad differentiam, supple Saræ. *Et separavit eos ab Isaac filio suo et plagam orientalem*, id est versus orientem. Secundum enim Hieronymum, a plerisque filiis Abrahæ ex Cetura dicuntur occupatæ Indiæ regiones. Causa autem, quare voluit eos ita esse separatos ab Isaac, fuisse videtur, quia voluit clarescere, quod ille debebat esse singularis hæres promissionum suarum, et singularis pater populi Dei ; et etiam quia prævidit, quod commixtio progeniei nasciturae ex illis fuisset nociva filiis Isaac et Jacob, quæ progenies ad verum cultum Dei spectat. Vidit etiam utilius fore ipsos dispergi, ut plures terras occupando, nomen Dei Abrahæ amplius dilataretur, aut magnificaretur in eis : et nihilominus ordinavit hæc Deus in mysteria futurorum. Nam hæreticis largitur quidem munera : sed non hæreditatem gratiæ et gloriæ. Stant etiam in vita ista separati a fidelibus, et distincti. *Fuerunt autem dies vitæ Abraham centum septuaginta anni*. Ex hoc patet, quod centum annis integris peregrinatus est in Chanaan · quia septuaginta quinque annorum erat, quando venit illuc. *Et deficiens mortuus est etc.* Secundum Hieronymum, in Hebræo est, Et mortuus est Abraham in senectute bona et senex et plenus dierum. Et subdit, Male a Septuaginta interpretibus additum est, et deficiens mortuus est ; quia non convenit Abrahæ et sanctis deficere et imminui ; et etiam quia in græcis codicibus ponitur, plenus dierum, eo quod luce, et diei plenus operibus occubuerit : tum etiam quia magis ad anagogen facit, si simpliciter ponatur, plenus. Potest tamen dici, quod sicut dicitur mortuus non in anima, sed in corpore ; sic dicitur defecisse per mortem corporalem. Plenus vero dierum dicitur tam propter consummationem temporalis ætatis, quam vitæ spiritualis.

Congregatusque est ad populum suum. Hunc modum loquendi Scriptura tenet, ut subinnuat animas post mortem remanere, et in aliquod unum collegium congregari : bonas quidem cum bonis, malas autem cum malis. Nota pro mysteriis, quod post mortem Saræ Isaac ducente Rebeccam juxta mysteria supradicta, Deus Pater quasdam concubinas carnales divino judicio subinducit, ex quibus nascuntur hæretici et carnales.

Et post obitum illius benedixit Deus Isaac. Hic incipit separatim agere de Isaac. Supra enim plura dicta sunt de eo, prout a patre et sub patre regebatur. Et primo agit de suæ prolis prodigiosa propagatione. Secundo de temporalium suorum prospera a Deo multiplicatione, vigesimo octavo capite. Tertio de finali filiorum ab ipso benedictione, vigesimo septimo capite. In his autem tres Dei apparitiones seu loquutiones factæ leguntur. Una quidem ad Rebeccam, et duæ ad eum. Et in ultima dicitur ædificasse altare. In prima vero parte, antequam narret de prole ejus, præmittit generationes Ismaelis ; tum quia fuit primogenitus, tum etiam ut breviter de eo expediens continuam historiam de Isaac prosequatur. Voluit autem aliquid de prole Ismaelis tangere, ut appareret, promissionem Dei factam de eo ad Abraham bene fuisse impletam. Nam sicut supra decimo septimo dictum fuit Abrahæ, quod Ismael duodecim duces generaret, sic duodecim filios habuit, quorum quilibet fuit princeps et dux in sua tribu et terra ; et occupaverunt terram ab Evila, quæ est regio Indiæ, usque Sur, quæ est contra faciem Ægypti, de qua supra decimo sexto dictum est. Dicit autem, *Quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios*, vel venientibus Assyrios, id est circa illam partem respicit Ægyptum, qua itur et intratur in terram Assyriorum. Dicit autem Hieronymus, quod a Nabaioth primogenito ejus omnis regio ab Euphrate usque ad mare Rubrum, usque hodie dicitur Nabathena, quæ est pars Arabiæ.

Isti sunt filii Ismael ; et hæc nomina per castella et oppida eorum. Secundum enim nomina ipsorum fuerunt et nomina oppidorum suorum, et tribuum suarum. Unde a Cedar dicta est Cedar regio in deserto, et Duma alia regio, et Theman ad austrum, et Cedma ad orientalem plagam dicitur : ab Itur vero dicta est regio Ituræa.

Coram cunctis fratribus suis obiit. Secundum Hieronymum, id est in manibus omnium filiorum suorum, superstitibus

consulens liberis suis, et multo prius morte praeveniente : quod quidem sonat in magnam temporalem prosperitatem. Quod autem fratres pro filiis appellentur, probat Hieronymus ex Jacob, dicente ad Laban : Quid invenisti de universis vasis domus tuae ? ponatur coram fratribus meis et coram fratribus tuis. Nam Jacob, exceptis liberis, non habuit tunc secum aliquos fratres.

Hae quoque sunt generationes Isaac, etc. *Abraham genuit Isaac*. Nota, quomodo praemisso solemni titulo, iterato incipit ad Abraham, ut ostendat in utroque illorum esse solemne initium.

Qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem. Nota quod qui quadraginta annis in virginitate vixerat, satis patet, quod de facili residuum temporis sine concubitu transegisset : nisi Deus et ratio illius temporis aliud suasisset.

Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis. Multis enim annis fuerant absque prole. Nam infra dicitur, quod sexagenarius erat Isaac, quando nati sunt parvuli. Sed quare oravit pro fecunditate uxoris, cum sciret a Deo infallibiliter hoc esse promissum ? Dicendum, quod divina promissio et praedestinatio non evacuat orationes, imo exigit eas ; quia Deus non promittit aut destinat talia futura absolute et in omnem eventum : sed sub congruis conditionibus, et praesuppositis debitis dispositionibus. Posset etiam dici, quod licet Isaac esset certus se habiturum filios, non tamen erat certus quod de Rebecca esset illos habiturus. *Sed collidebantur in utero ejus parvuli*. Littera Hieronymi habet, et movebantur filii ejus in ea. Et secundum eum, Septuaginta pro motione posuerunt ludebant, sive calcitrabant. Aquila vero, confringebantur. Symmachus autem, quod instar navis agitatae in superficie ferebantur. *Perrexitque, ut consuleret Dominum*. Perrexit quidem ad aliquem locum, in quo consueverat orare et invocare Dominum. Quia enim pugna seu mutua collisio parvulorum apparebat, tam matri quam proli mortifera, videbaturque hoc prodigiosum potius quam naturale : ideo ivit ad consulendum medicum, scilicet solum Dominum. *Duae gentes in utero tuo sunt*, id est duo infantes de quibus duae gentes nascentur. Unde et materialiter et causaliter erant ibi duae gentes. *Et major serviet minori*. Hoc secundum litteram fuit impletum tempore David, quando Edom factus est ei tributarius, prout habetur II Reg. VIII. Et quia temporalis servitus aut temporale dominium non fuit magnum quid apud Dominum, nec apud sanctos ejus, nisi solum secundum corticem veteris Testamenti : idcirco secundum interiorum medullam intelligitur hic principatus Christianorum super Judaeos, et spiritualium super carnales. *Et totus in morem pellis hispidus*. Secundum Hieronymum, ubi nos habemus hispidum, in Hebraeo habent sear, quod interpretatur pilosus. *Plantam fratris tenebat manu, et idcirco vocavit eum Jacob*, id est supplantator. In plantae enim tentione significatur, quod fratrem suum supplantaturus erat. Luctantes enim solent se mutuo supplantare sive decipere, per hoc quod unus suo pede contingens plantam alterius facit eum subito labi : et per consequens etiam totum corpus illius corruere. *Sexagenarius enim erat Isaac*. Ex hoc patet quod Abraham vixit quindecim annis post ortum Jacob ; et ita in multis potuit Jacob edoceri ab avo. *Gnarus venandi*, id est peritus venandi. *Jacob vir simplex*, id est sine dolo et sine fictione. Quod signanter dicitur, ne subsequens emptio primogeniturae et benedictionis paternae subtractio credantur provenisse ex aliquo dolo. *Jacob habitabat in tabernaculis*, scilicet pastoralibus, tamquam pastor : in quo vult significare quod fuit homo quietus, et internae simplicitati et meditationi vacans. *Isaac amabat*, id est praediligebat, *Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur*. Haec non fuit causa, sed fuit quaedam praediligendi occasio. Reverentia enim et obsequiosa devotio, quam Esau ad patrem in hoc plus quam Jacob habere videbatur, fuit hujus praedilectionis prout causa : et praecipue erat ei annexa dignitas primogeniturae : ex quibus Isaac humanitus aestimabat in Esau promissiones divinas in eo principaliter esse complendas. Sed nihilominus Scriptura non sine causa carnale obsequium et edulium dicit esse motivum hujus praedilectionis, ut innuat, quod etiam in sanctis viris est plerumque aliquid affectionis carnalis, quoad aliquid obscurantis judicium rationis, saltem pro quanto homo plus debito bonum sentit de sibi magis obsequiosis. *Rebecca diligebat et praeamabat Jacob*. Cujus causa inter cetera erat supra scripta revelatio sibi facta. *Quam ob causam* quia scilicet rufam lenticulam im-

portune concupivit, in tantum ut propter eam primogenita venderet. Idcirco *vocatum est nomen ejus Edom*, quod interpretatur rubrum sive fulvum. Hanc autem gulositatem ejus vocat Apostolus, ad Hebræos duodecimo capite, profanum, id est irreligiosum, et procul a fano, a Dei templo. Et nota quod licet gula ex genere suo non videatur multum notabile crimen, efficitur tamen tale ex quo notabiliter reddit hominem brutalem, ac improbum et porcinum : et se nudat statu et dignitate spiritali : et talis erat Esau, tanti Patriarchæ primogenitus; et tunc fit sicut porcus conculcans sacra. Secundum autem Gregorium, vitium gulæ quinque modis tentat, qui per hunc versum notantur :

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Primus enim modus est, quando indigentiæ tempora prævenit. Secundus quando lautiores cibos quærit. Tertius quando mensuram refectionis excedit. Quartus est, quando ipso æstu immensi desiderii aliquis peccat. Quintus est quando nimium studium in eorum accuratiori præparatione apponit. In quarto, scilicet in nimio appetitu, plerumque ita excedunt et peccant aliqui in vilibus cibis sicut alii in pretiosis; unde et lenticula vilis cibus erat. *Vende mihi primogenita tua.* Hieronymum dicit, quod Hebræi tradunt primogenitos functos officio sacerdotum, et habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotem eligeretur. Quidam etiam dicunt quod primogenitura sex dignitates habebat : scilicet vestem; et hæc erat præcipua : finalem benedictionem in conviviis : et quod duplicem partem ferculorum accipiebat : et quod debebat habere duas partes hæreditatis : et quod prima sedes vel sessio erat sua. Sed numquid peccavit Jacob, tam expetendo sibi vendi spiritale jus primogenituræ, quam in tanta famis angustia, fratri nolendo dare cibum modicum et vilem sine pretio tam præcellenti ? Dicendum quod si ex ambitione primatus, aut ex cupiditate lucri primogenituræ, aut ex impietate in fratris necessitatem, aut ex animo ipsum malitiose decipiendi hoc fecisset, absque dubio multipliciter et enormiter peccasset in Deum et in fratrem. Sed puto pro certo tenendum esse, quod ad hoc spiritualiter et auctoritate divina et revelatione prophetica motus fuerit, tum ut peccati gulositatis vilitatem et irreligiositatem per hoc detegeret et proderet ; tum ut dignitatem primogenituræ illum de jure divino amisisse, et se acquisivisse, ostenderet : tum ut futurorum mysteria in hoc prophetice præfiguraret. Vel si dicitur quod Jacob de hoc nondum habuerat revelationem expressam, potest dici quod Jacob a principio non serio, sed quasi joco vel modo tentativo dixerit, vende mihi primogenita : sic tamen quod occulto instinctu Dei ad hoc dicendum fuerit impulsus. Vel si serio dixerit, æstimandus est sic simplici intentione hoc fecisse, quod nihil ambitiosum aut simoniacum contigerit mentem ejus. *En morior*, scilicet, fame, *quid mihi proderunt primogenita?* Nota quod vitium gulæ in omni fame de facili imaginari facit periculum et angustiam mortis, ac parvipendere ac negligere spiritualium pretiositatem et utilitatem. *Jura ergo mihi*, id est venditionem hanc mihi juramento confirma. Nota pro mysteriis, quod fere in quolibet ortu notabilis populi electorum assimilati Jacob inveniuntur aliqui præsumentes de primatu primogenituræ seu status antiquioris. Unde Pharisæi contra Apostolos murmurabant, hi novissimi una hora fecerunt : qui ut plurimum instar pseudoapostolorum sic inserviunt gulæ quod venter est Deus eorum. Sunt etiam magni et astuti venatores temporalium, et agricolæ terrestrium cupiditatum. Et quia in sexta ætate, scilicet Christi, et in sexto tempore Ecclesiastico, sub apertione scilicet sexti signaculi, hi duo præcipue oriuntur : ideo in ætate Isaac sexagenaria nasci dicuntur. Primus autem non solum concupiscentia, sed et iracundia totus est rufus et hispidus. Nam semper horrendo zelo et odio prosequitur fratrem suum, prout dicitur Amos primo. Secundus autem simplicitate et quieta intra se mansione gaudet : et tunc ob necessariæ rei parvipensionem primogenituram alteri debitam sibi acquirit. Primus autem in principio a prælatis suis sæcularibus solet præamari, propter venatus obsequii blandimenta. Secundus autem a divina gratia et spirituali Ecclesia præamatur. Nota autem, quod istæ plerumque per diversos status et habitus distinguuntur, sed nihilominus sub Rebecca ejusdem status reperiuntur, et in utero Ecclesiæ aut religionis matris suæ ab initio invicem colli-

stantes, et se concertantes collidunt. Nota etiam, quod in hac eorum duorum pugna ab initio matris usque in finem significatur pugna corporis reproborum et corporis electorum, qui sunt simul stantes in utero humanæ naturæ, et etiam in utero Ecclesiæ. Item secundum Apostolum ad Romanos nono, ostensus est in hoc modus divinæ prædestinationis, ex eodem utero alterum geminorum eligentis, et alterum reprobantis.

CAPUT XXVI

Orta autem fame. In hoc capitulo primo ostenditur, qualiter Isaac in sua peregrinatione est divina provisione directus. Secundo, quomodo propria cautela protectus, ibi, *Qui cum interrogaretur*. Tertio, quomodo a Deo ditatus, ibi, *Seminavit autem*. Quarto, quomodo injurias terrigenarum patienter toleravit et vicit, ibi, *Ob hoc invidentes ei*. Quinto, quomodo divina apparitione confortatus, ibi, *Ascendit autem ex loco illo*. Sexto, quam libenter rex Geraræ cum ipso confœderari expetiit, ibi, *Ad quem locum venisset*. Septimo, quomodo hinc prosperum nuntium de aquæ copia recepit, ibi, *Ecce autem in ipso die. Ne descendas Ægyptum etc.* Unde est, quod Deus de Abraham voluit, quod tempore famis peregrinaretur in Ægyptum, sicut supra XII est habitum; et consimiliter hoc voluit de Jacob sicut habetur infra XLVI; de Isaac vero hoc noluit? Ad hoc ad præsens duplex ratio potest dari. Prima est ad ostendendum multiplicem modum divinæ potentiæ et providentiæ. Si enim omnes tres tempore famis in Ægyptum ivissent, videretur, quod Deus non potuisset eos nutrire in terra Chanaan tempore talis famis. Secunda est, quia sicut in patre primo, scilicet in Abraham, debuit præfigurari descensum populi in Ægyptum, et in tertio, scilicet in Isaac, illum oportuit iterari; sic in medio, id est in Jacob, debuit præfigurari totam continuam mansionem populi Israel in terra promissionis, postquam ipsam obtinuerit. Et ut breviter generale mysterium tangam, principia et exitus populi Dei habent probationes in Ægyptum, id est in tenebras et angustias tentationum, descensus; media vero meridionali stationi plus assimilantur. *Et benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ*. Augustinus XVI *de Civitate Dei*, capite XXXVI, hoc loco tractat, quod non ideo Isaac patri suo præferendus, quia nullam feminam præter unam conjugem noverat; quia erant procul dubio paternæ fidei et obedientiæ merita potiora, in tantum ut propter illum dicat Deus hæc se facere bona quæ facit: quod tamen hic quibusdam videtur esse incertum. Aliis autem videtur probabile, quod omnes tres scilicet Abraham, Isaac et Jacob, omnibus pensatis fuerunt in merito pares, tanquam assumpti in speculum et mysterium beatissimæ Trinitatis, in qua tres personæ sic suis proprietatibus sunt distinctæ, quod tamen in substantia sunt æquales. Ideirco potest dici, non oportere, quod per hoc verbum Augustini significetur majoritas meriti Abrahæ; sed solum originalis primitas; quia Abraham tanquam primus meruit sequenti potius, quam e contra. Unde communiter omnes primi sancti habent aliquam causalem rationem, secundum quam sunt merita sequentium. Unde et Jacob, infra ultimo dicit de Joseph: *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus*. Et ad Laban XXXI dicit: *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac adfuisset mihi etc.* Et XLVI dicit ei Dominus Deus: *Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere*. Est etiam alia ratio hujus: quia sancti, dum vivunt, nondum compleverunt veritatem suam, nec pervenerunt ad statum immobilis securitatis, et expedit eis semper minora de se sentire: propter quod decet quod Deus eis quodammodo præferat merita præcedentium patrum. *Et custodierit præcepta et mandata, et ceremonias legesque servaverit etc.* Augustinus *contra Faustum* XXII hunc locum Isaac excusans, dicit: « Rex Rebeccam viri sui conjugem tunc esse cognovit, quando eum cum ea ludentem vidit: quod non cognovisset, nisi cum conjuge ille sic luderet, quomodo cum ea, quæ conjuncta non esset, ludere non deceret. Quod cum sancti conjugati faciunt, non inaniter faciunt, sed prudenter; descendunt enim quodammodo ad feminini sexus infirmitatem, ut aliquid blanda hilaritate vel dicant vel faciant, non enervantes, sed temperantes virilem vigorem; quod ei, quæ uxor non est, qui dixerit aut fecerit, turpis est. Verum hoc, quod ad mores humanitatis pertinet, dixerim, ne quisquam durus et sine affectu id ipsum pro crimine objiciat

sancto viro, quod cum sua conjuge luserit. Tales enim homines inhumani, si aliquem gravem virum ludicrum aliquid garrientem cum pueris etiam parvulis viderint, quo eorum lacteum sensum affabili et nutritoria facilitate remulceat, tanquam delirantem reprehendunt, obliti unde creverint, aut ingrati, quod creverint. » Hucusque Augustinus. Significatur autem per hoc ludus studiosi animi cum sapientia, quasi cum sponsa sua, de quo Ecclesiastici trigesimo secundo : Præcurre prior in domum tuam, et illic lude, et age conceptiones tuas. Vel ludus Filii Dei, qui est sapientia Patris, cum sanctis animabus : de quo Proverbiorum VIII dicitur, quod erat *ludens in orbem terrarum, et deliciæ* suæ *esse cum filiis hominum. Quare imposuisti nobis?* id est quare decepisti nos? Impono enim uno modo idem est, quod decipio ; unde impostor est deceptor, et impostura idem quod deceptio. *Et invenit in ipso anno centuplum.* Secundum Hieronymum, Septuaginta habent centuplum hordei. Sed in Hebræo habetur, ut Aquila transtulit, centuplum æstimatum ; et subdit quod Scriptura tacens genus frugum quod centuplavit, cunctarum in illo virtutum multiplicationem videtur ostendisse et præfigurasse. *Vocavit calumniam*, id est fraudem et deceptoriam rapinam. *Appellavitque eum inimicitias.* Secundum Hieronymum, pro inimicitias est in Hebræo, Satana, id est adversum, sive contrarium. *Ad quem locum cum venissent Abimelech et Ochozath amicus illius.* Secundum Hieronymum, in Hebræo habetur, Et collegium amicorum ejus ; ut nunc tam hominem significet quam turbam amicorum quæ cum rege venerat, in quibus fuit et Phicol princeps exercitus ejus. *Unde appellavit eum abundantiam ; et nomen urbi impositum est Bersabee.* Secundum Hieronymum, Beer Saba interpretatur puteus saturitatis. Licet enim supra ex verbo juramenti, sive ex septenario numero ovium, quod saba dicitur, asseruimus, quod dicta sit Beersaba : tamen nunc ex eo quod aqua inventa est, Isaac ad præimpositum nomen urbis alludens, declinavit paululum litteram ; et pro stridulo Hebræorum sin a quo sabe incipitur, græcum sigma, id est hebræum Samech posuit. Vult ergo Hieronymus dicere, quod litteram Sin, mutavit in litteram Samech ; et ideo variata est nominis significatio seu interpretatio. Nota pro mysteriis, quod per tædia quæ Isaac cum suis passus est a rege Geraræ et a suis, significatur molestia multiplex, quam spiritales et spiritualium religionum patres a Prælatis et domesticis antiquorum statuum patiuntur. Invident enim quando vident novissimos sibi præferri. Quatuor autem genera puteorum sibi tollunt ; quamvis quartum potius impugnent, quam auferant : quorum duo primi fuerant patrum, sed ab eis abstrusi ; et post hos duos familia Isaac fodit alios, et pro uno nunc Palæstini sunt rixati. Quorum primus dictus est latitudo, alter vero abundantia vel saturitas. Per duos quidem primos a patre Isaac prius fossos, duo Testamenta, vetus scilicet et novum designantur : quos per carnalem intelligentiam obstruunt carnales expositores ; sed puteos alios, novæ scilicet et Evangelicæ legis, iterato fodit, nec aperit Isaac, quia illorum apertio est magis necessaria spiritali vitæ virorum Evangelicorum. Tertius vero puteus qui proprie est virginum, dictus est calumnia ; et quartus qui propter consimilem causam dictus est Satan, id est adversarius seu inimicitia, significat specialem doctrinam et vitam seu regulam spiritualium posterorum. Quorum primum impugnatur per calumniosam surreptionem qua Palæstini, id est antiqui carnalium positionum, cadentes, doctrinam spiritalium prædictorum sibi ascribunt. Secundum vero impugnatur per æmulationem et inimicitiam satanicam. Sed post hæc foditur quintus ; scilicet dilatatio charitatis et pacis etiam usque ad præfatos adversarios ; et pro ipso non corrixantur ; imo post apertionem ipsius et initiationem sequentis, prædicti adversarii cum Isaac confœderantur ; tuncque ad plenum fœdus, scilicet abundantia spiritalis satietatis quæ per gustum divinæ contemplationis est, habetur. *Esau vero quadragenarius duxit uxores etc. Quæ ambæ offenderant animum Isaac et Rebeccæ.* Forte vel propter idololatriam, vel propter pravam et male morigeratam vitam. Præmittitur autem hoc ante benedictionem sublatam Esau et datam Jacob ; ad amplius subinnuendum aliquid de demerito Esau propter quod etiam benedictionem amisit.

CAPUT XXVII.

Senuit autem Isaac. In hac parte primo describitur voluntas Isaac ad finalem benedictionem dandam Esau; et praeceptum quod dedit ipsi Esau ad cum venationem venandi; consilium matris Jacob ad illam praeripiendam, ibi: *Quod cum audisset Rebecca.* Tertio, rationabilis timor Jacob ad matris consilium perpetrandum, ejusque a matre assecuratio, et tandem consilii materni impletio, ibi: *Cui ille respondit: Nosti quod Esau.* Quarto, Jacob sub specie Esau offerentis a patre diligens examinatio, sed non comprehensio, ibi: *Dixitque Isaac: Accede huc.* Quinto, ejus a patre acceptatio ac commendatio et benedictio, ibi: *Benedicens ergo illi ait: Tu es filius meus etc.* Sexto, Esau adveniens, ejusque oblatio ac benedictionis paternae requisitio, patrisque super hoc extatica admiratio et obstupefactio; et benedictionis ab ipso primo datae confirmatio, ibi: *Vix Isaac sermonem impleverat.* Septimo, Esau ex hoc consternatio et benedictionis iterata requisitio: et tandem aliqualis obtentio, ibi: *Auditis Esau sermonibus.* Octavo, Esau contra Jacob malitiosum odium, ibi: *Oderat ergo Esau Jacob.* Nono, maternum consilium datum Jacob ad evitandum odii fraterni periculum, ibi: *Nuntiata sunt Rebeccae.* Decimo, cautelosa expetitio matris a patre ad Jacob consilium perficiendum; ut scilicet vel occasione uxorationis Jacob mitteret ad terram Laban avunculi sui, ibi: *Dixit quoque Rebecca ad Isaac: Taedet me vitae meae etc.* Undecimo, paterna visio super hoc sibi data, ejusque benedictio sibi reconfirmata, ibi: *Vocavitque itaque Isaac.* Duodecimo, narratur quomodo hac de causa duxit filiam Ismaelis, ibi: *Videns autem Esau.* Nil ergo. *Senuit Isaac etc.* Si haec benedictio data fuit anno quo Esau duxit duas uxores Chananaeas, tunc fuit Isaac centenarius; si vero hoc factum est anno quo Jacob fugit ad Laban, tunc Isaac fuit ad minus centum triginta septem annorum; quia Jacob fuit septuaginta septem annorum, quando fugit ad Laban; et fuit octoginta quatuor annorum quando ei copulata est Lia, sicut probabitur infra capite vigesimo nono. *Senuit autem Isaac etc.* Ad quid voluit quod Esau de venatione sua primo sibi offerret cibos antequam benediceret eum? Ad hoc duplex potest dari ratio. Prima est ut Esau meritorie ad suscipiendam paternam benedictionem disponeretur per opus providae obedientiae et obsequiosae ac filialis dilectionis et reverentiae in sanctum patrem suum. Secunda est, quia sicut Isaac non humanitus, sed divinitus movebatur ad benedictionem de futuris, secundum Apostolum ad Hebraeos dicentem: *Fide et de futuris benedixit Isaac etc.*, sic etiam credendum est quod ad praedicta moveretur; et etiam in figuram spiritualium et futurorum id filio suo praecepit. Unde haec omnia erant figuralia et sacramentalia. *Fac mihi inde pulmentum.* Pulmentum dicitur quod cum pane comeditur, et est derivatum a pulte. Puls autem est cibus ex aqua et farina confectus; unde pulpa dicta est, quia caro pulposa olim cum pulte mixta edebatur. Quamvis secundum Isidorum pulpa dicatur a palpando, quasi palpa: quia palpitat et resilit. *Affer mihi duos haedos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo.* Sed numquid matri pro prandio senis non sufficiebat unus haedus? Potest dici, quod licet sufficeret, nihilominus in signum solemnioris epuli multo plus debuit sibi offerri, quam esset necessarium refectioni suae. Vel forte ut duplici modo illos sibi offerret, unum elixum, alterum assatum. Aut potest dici quod ob mysterium mater hoc fecit; nisi forte quis dixerit quod non fuerit ibi naturaliter magnus cibus: quod enim est uni multum, est alteri parum, et quod uni superfluum, alteri est solatium. *Timeo ne putet me sibi voluisse illudere etc.* Ex hoc inter cetera quod Jacob quae sequuntur non fecit animo doloso et illusorio, sed sola fide ut daretur benedictio et acquireretur, facile erat intelligere. Nam in hoc casu dolus apud eum nihil valuisset, sed potius obfuisset. Praeterea nisi aliud re confirmaret pactum, facile erat intelligere quod solus ille esset benedictus quem pater benedicere intendebat, potius quam ille de quo hoc non intendebat. Rursus facile fuit advertere quod quando pater postmodum se a Jacob illusum vidisset, quod ipsum tamquam delusorem non ejiceret. Et esto quod ipse hoc non faceret, Deus hoc fecisset, si cum fraude et mendacio hoc factum fuisset. *Ad quem mater: In me sit ista maledictio, fili mi.* Hic loquitur tamquam per hoc revelationem certa, quod divina benedictio erat Jacob danda, et per hoc factum sacramentaliter assu-

menda. Unde et Jacob certus de fide et spiritualitate matris sibi acquievit. *Et vestibus Esau valde bonis etc.* Secundum Hieronymum in hoc loco tradunt Hebræi primogenitos functos officio sacerdotum, et habuisse vestimentum sacerdotale, cum quo sacrificabant antequam Aaron eligeretur. De istis ergo videtur hic Scriptura loqui. Alias potest dici quod sicut pelles collo Jacob apposuit, ut videretur esse Esau qui erat pilosus, sic eadem ratione ipsum vestibus Esau induit, ut patri omnino videretur esse Esau. *Dixitque Jacob : Ego sum Esau primogenitus tuus.* Sed numquid hoc verbum fuit mendosum? Augustinus, xvi *de Civitate Dei*, dicit quod hic fuit dolus simplicis et fictio non mentientis, sed profundum mysterium veritatis. Sicut autem Christus non est mentitus, quando de Joanne dixit, ipse est Elias, quia ibi accipitur Elias non pro persona, sed pro conformi officio et virtute : sic et Jacob vere dicit se esse Esau, non secundum personam, sed vice et dignitate primogenituræ sibi divinitus traditæ : et jam prius sacramentali emptione promeritæ. Verum est quod si istud non fuisset factum inspiratione prophetica et auctoritate divina, non solum non posset excusari a duplicitate mendosa, imo nec ab impietate injuriosa et proditiosa in proprium fratrem : nec a sacrilegio in Deum, quia in Dei sacramentis scienter immiscere aliquid falsi est sacrilegium et profanum. Constat autem quod datio et susceptio hujus benedictionis erat opus sacramentale : alias enim quilibet pater potuisset suis filiis benedictionem æqualis virtutis et utilitatis conferre ; imo alias superstitiosum et auguriosum fuisset, credere quod propter benedictionem paternam solum humanitus factam obtineret quis in posterum bona temporalia vel æterna. Quia tamen delusores simplicitatis paternæ et Scripturæ sacræ soliti sunt dicere, quod nos a mendacio et peccato excusamus quos volumus et quos nolumus accusamus : attendant quomodo non ex nostro sensu, sed potius ex verissimo sensu ipsius Scripturæ has expositiones accipimus. Quod enim Jacob nihil hic dixerit aut fecerit fallaciter aut mendose probatur. Primo ex hoc quod pater quando postmodum veritatem facti deprehendit, non est contra eum turbatus, nec benedictionem datam infregit, imo consummavit, seu potius esse a Deo confirmatam asseruit, dicens : *Benedixitque ei et erit benedictus.* Secundo, quia a principio conceptionis eorum præsagium divinitus est ostensum, quod minor majori divinitus est prælatus. Tertio, quia ipse Jacob est supra singulariter de simplicitate mentali et quietudine laudatus. Quarto, quia statim post hoc factum Scriptura narrat, quomodo Jacob fuit a Deo divinitus apparitionibus singulariter directus, et usque in finem prosequutus. Quinto, quia hi tres patres, scilicet Abraham, Isaac et Jacob, in tantum per totam Scripturam sacram præconizantur, ut Deus, Exodi tertio, glorietur se in æternum vocari Dominum Abraham, Isaac et Jacob. Et Moyses ubicumque vult Dominum fortiter adjurare, sicut fecit Exodi xxxii, singulariter eum adjurat dicens : *Recordare Abraham, Isaac et Jacob et Israel servorum tuorum, quibus jurasti etc.* Sic in Isaia et in ceteris Prophetis miras præconizationes ipsorum reperies. Sic et in Psalmo, *Confitemini Domino*, his tribus prænominatis tamquam Dei specialibus servis et amicis, subditur : *Non reliquit Deus nocere eis, nec corripuit pro iis reges. Nolite tangere Christos meos et in Prophetis meis nolite malignari etc.* Et sicut hic vocantur Christi Dei et Prophetæ Dei, sic et a Christo Lucæ xiii dicitur, *Et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob etc., in regno Dei.* Et cap. xvi, ubi Lazarum ait portatum in sinum Abrahæ : et Matth. viii ait, quod multi venient et accumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum. Et Joan. viii dicit, Si filii Abrahæ estis opera Abrahæ facite. Et, Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est. Sic et Apostolus ad Hebræos xi, inter cetera ait, quod confunditur Deus vocari Deus eorum ; paravit enim illis civitatem. Sexto, convincit hoc profunditas mysteriorum divinorum in his et consimilibus admirabiliter comprehensa : de quibus aliqua licet pauca post litteralem expositionem tangentur. *Feci sicut præcepisti mihi.* Nota quod eo modo quo dixit se esse Esau primogenitum, dicit sibi fuisse præceptum quod fuerat jussum Esau, ut scilicet pararet et adferret patri cibos. Intentio enim præcepti paterni prout erat divina et divinitus mota, ferebatur in illum qui secundum Deum erat melior et prælectus a Deo : quamvis ejus intentio per humanam æstimationem erronea determinaretur ad Esau, quia credebat illum meliorem et prælectum a Deo. Ergo se-

eamdem vero et veritatem potuit dicere : *Fecisset præceptum mihi etc., ut benediceret mihi anima tua.* Nota quod sæpe in Scriptura per hoc quod dicitur, anima tua, significatur teneritudo ac vehementia affectionis et sermonis. *Vox quidem, vox Jacob est.* Hic pater exprimit causam quare tactu voluit probare an ipse ad litteram esset Esau; dubitat enim ex hoc quod vox ejus videbatur esse vox Jacob et non Esau. *Et non cognovit eum, quia pilosæ manus.* Sed unde est quod plus credidit tactui quam auditui ? cum tamen auditus sit sensus magis disciplinatus quam tactus. Dicendum quod primo non fecit hoc solus tactus, sed plura alia cum tactu concurrentia ; scilicet assertio Jacob dicentis quod ipse erat Esau ; credebat enim pater quod ipse non auderet illudere patri suo. Item quia vidit quomodo Jacob præceptum patris factum soli Esau persolvisset. Item quia scivit Jacob esse simplicem et non fraudulentum. Item quia, secundum quosdam, putavit quod Esau ad benedictionem a patre petendam ex quadam reverentia vocem humiliasset, et quod ex hoc esset similis voci Jacob ; fortasse enim vox Esau fuit grossior et rigidior, vox autem Jacob subtilior et suavior. Secundo potest dici quod etsi respectu doctrinalium seu intellectualium auditus sit certior ad discernendam differentiam Jacob ab Esau, multa tamen pilositas Esau quæ tactu et non auditu poterat a patre probari, erat signum infallibilius, quam esset sola differentia vocis eorum. Unde et Jacob supra timuit plus deprehendi in tactu suæ pellis lenis, quam in auditu suæ vocis. *Tu es filius meus etc.* Si hoc non pars benedictionis sequentis est, sed potius expetitio iteratæ assertionis ad majorem veri confirmationem. Item ejus quod præmittitur, scilicet *Benedicens ergo illi*, est sensus, id est benedicere ergo volens illi. Potest tamen esse quod illa confessio, et ciborum oblatio, patrisque deosculatio, essent materialia hujus sacramentalis benedictionis ; sicut est confessio in sacramento pœnitentiæ. *Statimque ut sensit vestimentorum fragrantiam, benedicens, ait : Ecce odor etc.* Nota quod spiritus sanctorum exsultans aliquando ex occasione sensibilium incipit exsultare, et ad excessum propheticum sublevari ; sicut Eliseus sublevatus fuit ad tactum citharœdi, prout habetur IV Regum, III. Et sic forte ex odore vestium est Isaac occasionaliter sublevatus. Unde et a quodam viro sancto, secreto scio, quod post quosdam excessus, quos aliquando habuit, postmodum ad odorem florum sic immutabatur spiritus ejus, quod quasi videbat ad prædictos excessus. Est etiam notandum hic quod ad spirituale mysterium concipiendum vel exprimendum valet quædam conformis affectio et repræsentatio sensibilium. Unde Hieronymus super Amos, dicit quod Prophetæ ex illis sensibilibus comparativas et propheticas similitudines plus accipiunt in quibus fuerunt assueti : et ideo Amos tamquam pastor bonus sumit similitudines ex vaccis, dicens, cap. IV, *Audite verbum hoc, vaccæ pingues quæ estis in monte Samariæ.* *Ecce odor filii etc.* In hac benedictione secundum litteram, quatuor bona ponit. Primum est odor famæ veracis ex virtutum et virtuosorum operum plenitudine, tamquam ex agro pleno odoriferis herbis et fructibus, emanantis. Secundum est abundantia rerum naturalium temporalium, ex fœcundatione terræ procedens. Tertium est potestas dominationis, tam in alienos, quam in fratres et propinquos. Quartum est abundantia prosperitatis in omnes sibi faventes : et e contra inundantia calamitatis in omnes sibi adversantes. Et hæc quidem secundum corticem veteris Testamenti, umbraliter in populo Israel impleta fuerunt. Si autem in Scripturis aliquando contrarium reperis, scito quod hoc in parte fuit propter peccata populi : principaliter vero ut omnes in hujusmodi promissionibus spiritalem intelligentiam quærere compellantur. Nam in his benedictio regni gratiæ et gloriæ continetur : principaliter quidem et proprie respiciens regem Christum : secundario autem et participative Ecclesiam electorum : semper quidem ac simpliciter pro reali fama et copia spiritualium, et pro dominio spirituali : pro tempore autem, et quantum expedit, etiam pro regno et dominio temporali electorum Ecclesiæ, pro tempore collato tam in veteri Testamento quam in novo. *Expavit Isaac*, id est secundum Augustinum in *Quæstionib. super Genesim*, in extasim cecidit, ita ut quædam mentis alienatio sequeretur. Et tunc fuit ei revelatum a Domino quod confirmaret benedictionem suam filio minori, cum ei irascendum potius videretur, quia fefellerat patrem. Et XVI *de Civitate Dei*, c. XXXVII dicit : « Veniente repente Esau, Isaac ex-

pavescit : et alium se pro alio benedixisse cognoscit. Miratur, et quisnam ille sit percontatur, neque tamen se deceptum esse conqueritur : imo confestim revelato sibi intus in corde magno sacramento, devitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis non hic maledictionem, potius expectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more generentur ? O res gestas, sed prophetice gestas etc. » Et nota quod odor ille quem benedicendo habuit, quando ait, *Ecce odor filii mei etc.*, poterit cooperari ad hoc quod postmodum adverteret, quod quicumque ille esset, sive Jacob, sive alius, ipse erat vere benedictus. *Irrugiit*, id est rugitum magnum emisit. *Venit germanus tuus fraudulenter*, scilicet quantum ad exteriorem modum, non autem quantum ad rem. Vel fraudulenter, id est cautelose, et pia fraude. *Dominum tuum illum constitui.* Scilicet spiritualiter et de jure. Vel constitui, id est constituendum prædixi. Et intellige hoc magis respectu populorum ex eis propagandorum, quam respectu ipsorum. *Et omnes fratres tuos*, id est filios tuos præsentes et futuros, aut etiam ceteros propinquos tuos, *servituti illius subjugari : frumento, vino et oleo stabilivi eum.* Opus divinæ prædestinationis et gubernationis, sive spiritualis, sive temporalis, soli Deo competentis sibi ascribit, tamquam in hoc sacramentaliter gerenti vicem Dei : vel stabilivi, id est stabiliendum promisi, et prædixi. Per frumentum autem omne pertinens ad cibum : per vinum omne pertinens ad potum : per oleum autem omne condimentum designatur. Signanter autem quo ad sensum litteræ tangit tria, quorum erat copia in terra promissionis. *Et tibi post hoc, fili mi, ultra quid faciam?* Ex hoc patet quod non fuit in libera potestate patris benedicere quemcumque filiorum vellet, nec quomodocumque vellet. Sed quare non potuit sic utrosque benedicere, sicut Jacob benedixit duodecim filios suos, et Joseph etiam filios suos? Ad quod etiam hæc benedictio proderat, aut ad quid ita sollicite a filiis et a matre pro Jacob exquirebatur, ex quo nullus poterat eam habere nisi benedictus a Deo ? Benedictus autem a Deo non indigeret illa. Ad quid etiam Abraham non legitur benedixisse Isaac, si hæc benedictio ab ipso vel ab ejus patribus originem sumpsit ? Ad primum dicendum, quod per hujusmodi benedictiones declarabatur, et quodammodo sacramentaliter ordinabatur in quo et in cujus semine deberent proprie divinæ promissiones ad Abraham factæ adimpleri : sicut autem Abraham per divinam revelationem scivit quod in solo Isaac uno filiorum suorum hoc erat implendum, sed a principio non fuit sibi revelatum in quo, et ideo ex quo scivit quod in Jacob, vidit quod Esau erat segregandus a semine illo. Jacob vero scivit quod ex omnibus filiis suis debuit unus Dei populus in unum statum congregari, ita quod fuerunt partiales rami unius arboris populi Dei : et ideo suas partiales benedictiones ab ipso receperunt. Ad secundum dicendum, quod sicut sacerdotalis vel Episcopalis consecratio præexigit condignitatem in ordinando, et nihilominus confert jus sacramentale, et consummationes status et meriti plenioris : sic non inconvenienter potest in proposito dici. Et sicut etiam contemptus sacramentorum privat ordinem gratiæ, eorumque reverens devotio disponit ad illam, et confirmat illam : sic in viris præfatis contemptus paternæ benedictionis alienasset eos a gratia Dei, et a promissionibus ejus ; reverens vero devotio reddebat eos condigniores gratia illa. Ad tertium dicendum, quod non oportet sola illa esse facta quæ sunt in canone scripta : dico tamen quod Abraham sub tali ritu non benedixit Isaac. Hujusmodi forte potuit esse ratio : quia ante ejus conceptum, et post ejus ablactationem fuit expresse a Deo determinatum, rem sive effectum illarum benedictionum in ipso esse implendum. Non autem oportet prædictas benedictiones efficaciam habuisse nisi solum in propheticis viris ; sicut fuit in Noe maledicente Cham, et benedicente Sem et Japhet, et sicut in Moyse benedicente duodecim tribus Israel, prout habetur Deuteronomii ultimo. *Cumque ejulatu magno fleret.* Nota secundum Apostolum ad Hebræos XII, quod Esau in tantum reprobatus est, quod non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis requisisset eam : et non solum fuit hoc ratione culpæ prius commissæ, sed etiam ratione præsentis : quia non cum humilitate debita, nec cum virtuali contritione petiit illam, sed potius ex illa multa in fratrem condignatione et invidia, et ex præsumptuosa ambitione primatus spiritualis et temporalis, a quo propter superbiam se

maledicto Jacobo rejectum. Flebat, et benedictionem petebat. *In pinguedine terræ erit.* Secundum literam tangit illa quæ tam in Esau quam in semine ejus Judæorum literaliter sunt impleta; nam terram competenter fertilem habuerunt et ut bellicosi in gladio vixerunt, et a David usque ad Joram filium Josaphat servierunt regibus Judæ. Ex tunc vero excusserunt jugum servitutis præfatæ, prout habetur IV Reg. VIII, ubi dicitur: In diebus ejus recessit Edom ne esset sub Juda, et constituit regem. *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob.* Patre enim vivente hoc non audebat: tum quia timebat exhæredari et maledici ab eo; tum quia non erat in omnibus ita reprobus, quin ipse aliquo vereretur offendere patrem suum. *Nunciata sunt Rebeccæ.* Si Esau solum in corde suo dixerat verba illa, prout supra dixit, videtur tunc quod per revelationem divinam sunt nunciata Rebeccæ; sin autem, subintelligendum est quod impia Esau cogitatio, sive per verba, sive per alia signa forinseca usque ad Rebeccam pervenerit. *Fuge ad Laban fratrem meum.* Nota quod aliquando sanctis, ut in proposito, fuit consuetum fugere, tam ad vitandum reatum, quam ad vitandum personale periculum proprii corporis: sed fugere cum detrimento fraternæ salutis, aut propriæ virtutis, aut justitiæ, aut veritatis, tunc talis fuga non est perfectorum. *Cur utroque orbabor filio?* quasi dicat: Si hic remanseris, occidet te frater tuus, tunc ipse fugiet, et sic orbabor; vel si occiderit te, non reputabo eum filium meum, et sic orbabor utroque; vel forte timebat ne ex hoc contingeret quod mutuo se occiderent.

CAPUT XXVIII.

Vocavit itaque Isaac Jacob etc. Nota, quomodo sancti isti longe majorem curam habebant ut filiis suis providerent uxores aptas divino cultui, sanctissimisque moribus, quam quod per eas contraherent affinitatem aut temporales amicos cum Gentilibus terræ, in qua habitabant; imo hoc propter primum totaliter recusabant. *Profectus pervenit in Mesopotamiam.* Hoc nunc breviter dicit, sed postmodum qualiter illuc iverit prolixius enarrabit. *Videns autem Esau etc. Ivit ad Ismaelem.* Sed numquid non Ismael jam obierat? cum supra dictum sit quod facti sunt anni vitæ ejus centum triginta septem, fuitque natus Isaac centesimo trigesimo septimo anno? Probabiliter potest dici, quod ad Ismaelem dicitur ivisse, quia ivit ad populum ex eo genitum: nam, more Scripturæ tunc vulgari, progenies tota vocabatur ex nomine primi patris. Nota pro mysteriis, quod sicut per corvum et columbam duo ordines Ecclesiæ designantur, activorum scilicet et contemplativorum, seu clericorum vacantium forinseco regimini et religiosorum magis vacantium interno gustui divinorum, et soli spirituali animarum ædificationi: sic per Esau intelligitur populus Judæorum pelle literæ ex pilis cæremonialium et legis severitate hispidus: Per Jacob vero lenem, Christus et populus christianus, qui consilio divinæ gratiæ et sapientiæ celerrime duos optimos hædos patri obtulit, scilicet puram intelligentiam utriusque Testamenti, aut Judæos et Gentiles Christi gratia impinguatos, aut Græcos et Latinos quasi repente convertens. Quod per longa tempora non potuerunt Dei prophetæ explere, quamvis instar venatorum mare et aridam circuirent ut facerent unum proselytum. Christo enim Apostoli pellibus hædorum manus et collum texerunt ut patri cæco viderentur esse Esau, quia verbum doctrinæ et opera sua sub quadam observantia cæremonialium pro tempore velaverunt, ne doctrinæ et vitæ Evangelicæ aperta nuditas nimium offenderet cæcos legis zelatores. Velant etiam se pelle hircina, id est humili confessione peccatorum, dicendo se esse peccatores. Christus etiam circumcisionem et cetera legalia observavit, ne Patribus et legi a Deo datæ contrarius videretur: et similitudine carnis peccati, quasi pelle hircina operuit, ut falleret Principem mundi et Judæorum Pontifices et Doctores: qui credentes se per Prophetas benedicere Esau, Jacob, id est Christum nescii benedixerunt, quia ipsæ prophetiæ docent nos veraciter gloriam Christi et legalium subjugationem. Nota etiam quod in præfato opere satis luculenter figuratur quod omnes sensus deficiunt in perscrutatione sacramentorum Christi, et præcipue in sacramento corporis sui præter auditum, quo verba sacramentalia percipiuntur, utpote illa, Hoc est corpus meum, et consimilia. Unde bene dicitur: Vox quidem vox Jacob est, id est proprie significans

Christum, et ejus gratiam ibi esse : sed manus, id est operationes forinsecæ sunt manus Esau, id est pelle sensibilium circumtectæ.

Igitur egressus Jacob de Bersabee. Hic incipit separatim agere de Jacob et filiis ejus ; licet per accidens aliqua tangantur de Esau et prole ejus. In hac autem parte narrantur septem apparitiones Dei ad Jacob. Prima scilicet fugienti ad Laban. Secunda remunerando eum ex rebus Laban infra XXXI, ibi : *Dixit Angelus Domini ad me in somnis.* Tertia vero redeunti de Laban cap. XXXII, ibi : *Fueruntque ei obviam Angeli Dei.* Quarta metuenti fratrem suum, eodem cap. XXXII, ibi : *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Quinta post interfectionem Sichimorum XXXV cap., ibi : *Interea locutus est Jacob.* Sexta postquam rediit in Bethel, infra eodem : *Apparuit autem iterum Deus.* Septima postquam renuntiatum est quod Joseph viveret per fratres suos, quæ facta est ei ut iret ad Joseph, infra XLVI, dum dicitur, *Profectusque Israel.* Ordo autem historiæ sic procedit. Primo enim narratur quomodo duas filias ejus duxit. Secundo, quam prolem ex eis habuit, infra XXIX, ibi : *Et postquam expleti sunt.* Tertio, quam mercedem ex servitio Laban habuit, infra XXX, ibi : *Nato autem Joseph.* Quarto, quomodo a Laban recessit, XXXI cap., ibi : *Postquam autem.* Quinto, quomodo iram Esau placavit, XXXII cap., ibi : *Fueruntque ei.* Sexto, quomodo in Sichem pervenit, et quomodo Sichem a filiis suis destructa fuit, infra XXXIII, ibi : *Reversus est itaque.* Septimo, quomodo ex illo loco recedens in Bethel pervenit, et tandem in Bethleem ; et quomodo prope Bethleem Rachel pro partu Benjamin obiit, infra XXXV. Octavo refertur generatio Esau, et dominatus regni eorum, infra XXXVI. Nono, de venditione Joseph, infra XXXVII. Decimo, de generatione filiorum Judæ, infra cap. XXXVIII. Undecimo, de Joseph tribulatione et magnificatione. Duodecimo, de descensu Israel in Ægyptum, infra XLII cap., ibi : *Audiens autem Jacob.* Tertiodecimo, de morte Jacob, et benedictione filiorum ejus, infra XLVIII : *Cumque appropinquare cerneret.* Dicitur igitur, *Cumque venisset ad locum quemdam,* scilicet ad urbem Luzam, quæ post dicta est Bethel secundum aliquos, extra urbem sub dio mansit, quia cives illius terræ sibi suspectos habebat, vel ut liberius orationi vacaret. Unde ipse infra XXXV, dicit, se hic fuisse exauditum a Deo cum tribularetur ex fuga fratris sui. Vel hoc fecit, quia forte solitus erat austere jacere tamquam sanctus pastor. Quod autem extra jacuit, satis innuitur per hoc quod subditur. Lapides ibi jacentes supposuisse capiti suo, quasi pro cervicali. Si vero quæris, quomodo filius tanti patris familias, qui, ut supra legitur, plurimos servos, multasque divitias habebat, ibat ita solus et ita pauper, ut non haberet nec stratum cervical in quo de nocte dormiret : potest dici primo quod forte voluit suum iter esse fratri suo occultum. Vel potest dici quod licet plures servos ac divitias haberet, nihilominus soliti erant illi Patres simpliciter et humiliter vivere. Unde et Esau agricola erat, et fessus de agro venerat quando Jacob valde simplicem cibum sibi ipsi coxerat. Nec Esau, ut videtur, aliquod aliud pulmentum in domo sua tunc paratum invenit. Supra etiam dicitur Rebecca cum hydria super scapulam ivisse, et tamen dicitur habuisse puellas in ancillas, cum quibus de domo patris ad Isaac venit. Unde videtur quod nolebat liberos suos in otio carnali nutriri. Quamvis etiam Jacob non omnino sine sociis fuisse credatur. Nam paulo post subditur, quod ipse amovit lapidem ab ore putei, et adaquavit gregem Rachelis ; et ibidem dicitur quoque quod ille lapis erat valde grandis. *Viditque in somnis.* Nota quod diversos gradus Angelicorum ordinum sub specie scalæ vidit, et eorum duplicem actum hierarchicum : qui sunt elevati in Deum, ad divina accipienda et participanda : ac deinde descendere ad inferiores, ad dona suscepta illis communicanda. Sub specie vero Domini innixi scalæ, designabatur præsentia divinæ majestatis omnes ordines inhabitantis. Signantur etiam per scalam gradus ordinis militantis Ecclesiæ in cacumine attingentes usque ad cœlum, id est usque ad infimum Angelicæ hierarchiæ. Per Angelos vero ascendentes ostenditur nostram hierarchiam per Angelicam gubernari. Dominus vero scalæ innixus præsentiam suæ majestatis et mysterium Dei crucifixi aperte designat. Per Angelos etiam designantur Sancti, tam novi quam veteris Testamenti, quorum est ascendere ad Deum et descendere ad proximum, juxta duo præcepta geminæ charitatis. Dilatatio vero de qua subditur, ad litteram intelligitur de quatuor plagis terræ promissionis, respectu

novi Testamenti, de quatuor plagis orbis. *Vere Dominus est in loco isto*, scilicet, per spiritualem effectum suæ gratiæ et revelationis ibi tunc factæ. *Et ego nesciebam*, scilicet spiritum sub tali effectu ibi adesse, *pavensque*, scilicet timore et admiratione et reverentia eorum quæ viderat, *Quam terribilis est locus iste*, id est quam metuendus et reverendus. Hoc dicit tum quia Deus ita magnifice in illo loco se exhibuerat, eo quod ex hoc tempore locus quasi a Dei præsentia conservatus sibi occurrebat; tum quia in spiritu sensit locum illum ad cultum Dei in posterum ordinari; tum quia vidit quod typum gessit Ecclesiæ totius, tam veteris quam novi Testamenti; quæ est proprie domus Dei. *Tulit lapidem, et erexit in titulum*, id est in insigne memoriale præfatæ visionis, et præfati sacramenti. *Fundens oleum desuper*, tanquam in sacramentale signum consecrationis illius lapidis. Nam per oleum significavit affluentiam et præsentiam divinæ unctionis et gratiæ, per quam in Ecclesia stabilitur et erigitur Dei cultus. *Appellavitque nomen urbis Bethel*, id est domus Dei. *Quæ prius vocabatur Luza*. Dicunt quidam quod hæc urbs sit Jerusalem; aliis tamen videtur magis quod sit illa urbs de qua supra XII et XIII dictum est, quod Abraham mansit etc. Alii inquiunt quod est illa de qua supra XXI dicitur quod Agar erravit in solitudine Bersabee; quamvis locus ille non vocaretur tunc Bersabee, sed postmodum sit ei hoc nomen impositum, sicut ibidem paulo post legitur. *Vovit etiam votum dicens: Si fuerit*. Circa hoc votum videntur esse tria dubia. Primum quomodo sub præsuppositione conditionis bonorum temporalium sibi dandorum vovet aliquid Deo? Secundum est, quomodo vovet illud ad quod tenebatur, scilicet quod Deus esset sibi in Deum. Tertium est quomodo non impleverit quod lapis ab ipso erectus in titulum vocaretur domus Dei? Præterea quid magni est novissime quod offerret decimas Deo, cum ipse sacerdos fuerit domus suæ, et ita ut videtur, ipsemet reciperet decimas illas? Ad primum dicendum et primo quod licet temporalia propter se diligenda non sint, licet tamen pro eis a Deo obtinendis debitum obsequium vovere Deo; tum quia in hoc profitetur homo illa esse a Deo, tum quia per hoc finaliter adjuvatur ad Deum; tum quia per hoc exhibet homo Deo debitam gratiarum actionem non solum de bonis spiritualibus, sed etiam de temporalibus ab ipso receptis. Secundo dicendum quod in hac præsupposita conditione, potius intendit Jacob beneficium divini regiminis, et divinæ gratiæ et custodiæ circa se, quam ipsa temporalia bona secundum se sumpta. Ad secundum dicendum quod bene potest quis illud ad quod prius tenebatur vovere. Unde et in baptismo dicimus nos profiteri fidem et cultum Dei, et observantiam christianæ legis. Nec est superfluum hoc, quia tunc ex hoc fit major obligatio hominis ad Deum, et alter modus obligandi. Primus enim modus solum erat debitus, et ab altero impositus et mere necessarius. Secundus vero dum, scilicet, accedit votum, est gratuitus et a propria voluntate assumptus et oblatus. Et ideo includit majorem et firmiorem applicationem voluntatis, et majorem reatum, si non impleatur. Potest etiam dici quod per hoc intendit Jacob aliquem specialem et supererogativum cultum Dei, ad quem prius non omnino tenebatur. Ad tertium dicendum, quod secundum litteram in hoc videtur vovisse, quod inter cetera loca in quibus coleret Deum, et quæ dedicaret cultui Dei, esset ille lapis et locus ejus: et hoc invenitur ab ipso impletum infra trigesimoquinto. Vel nomine illius lapidis intellexit generaliter terram promissionis, in qua Dei cultus per ipsum et ejus semen erat singulariter celebrandus. Mystice tamen per lapidem illum intellexit Christum, super quem est domus Dei fundata. Neque fuit modicum in tantum revereri Deum et apparitionem ipsius, quod ex hoc locum illum in quo sibi apparuerat promiserit ei se in summa reverentia habiturum: et se ibi colere Deum, ac prophetice et præfigurative se ibi profiteri Christum venturum. Per infusionem vero olei designatur inunctio gratiæ et lætitiæ spiritalis quæ fuit in Christo et in sanctis patribus: quam Jacob sensit in visione præfata, et quam sciebat effundi a Deo cum solido altari seu fundamento divini cultus. Ad illud vero de decimis dicendum, quod, ut æstimo, ipse supponit quod sic decimas in usus divini cultus expenderet, quod in suos carnales usus non reducerentur: et hoc potuit fieri quamvis ipsemet esset sacerdos. Nota quod hic secundo fit mentio de decimis. Primo enim per Abraham leguntur datæ, hic vero per Jacob voto firmatæ. Si autem quæratur, unde venit quod per par-

tem decimam significaretur pars soli Deo reddenda et ascribenda ? Respondetur quod ex hoc, quia in humanis computationibus numerus denarius erat communiter assumptus pro primo perfectoque limite numerorum. Sed si tunc ulterius quæras, unde hoc proveniat ? Quamvis talium multas causas reddere non oporteat, cum fuerint a voluntate humana ; nihilominus duplex hic ratio redditur. Una, scilicet, sensualis, qua digitis nostrarum manuum resumimus illa decem : ideo communiter denarium pro mensura numerorum sequentium assumpserunt, prætigentes in illo numerum certum. Secunda ratio est magis intellectualis, ex proprietatibus scilicet numeri denarii, sumpta ; quia scilicet super septenarium ; in quo Deus compleverat opera universi addit ternarium, et ita quasi comprehendit universitatem rerum et Deum trinum : et hoc modo currit decalogus præceptorum, quia tria prima sunt ad Deum, septem vero alia sunt proximum pertinentia. Vel quia super quadraturam seu perfectionem ternarii addit unitatem finalem, scilicet super ter tria : quod videtur Deus observasse quando novem ordinibus angelicis qui constituunt ter trinas Hierarchias, addidit ordinem hominum quasi decimum : in quo quidem est finalis unitas commendata, non solum quia factus est ultimo, sed etiam quia totum genus humanum conditum est in homine uno, et tandem reparatum in uno Christo, ubi naturæ creatæ et increatæ facta est unio et personalis unitas in naturis. Nota quod visio scalæ præfata allegorice refertur ad multa. Nam prout Jacob designat Christum fugientem malignum impetum Judæorum, sic scala hæc completur in ipso, juxta illud quod ipse Joannes dicit, videbitis cœlum apertum et Angelos Dei ascendentes super Filium hominis. Et regulariter in initiis solemnium statuum et temporum aliquid simile reperies in principalibus capitibus illorum statuum præmonstratum. Moraliter vero per scalam istam significatur perfectio vitæ fugientium mundum : et per duo latera scalæ, in quibus gradus scalæ infiguntur, intelligitur spes duplicis providentiæ Dei ; æternorum scilicet a dextris, et temporalium a sinistris. Vel duo Testamenta, quibus innititur fides nostra. Vel duplex notitia, divinorum scilicet et mundanorum. Gradus vero scalæ designant virtutem gradus et gradatos profectus. Ascensus vero angelici sunt illuminationes et meditationes ascendentes in cœlum. Descensus vero sunt considerationes peccatorum et miseriarum, omniumque defectuum nostrorum, et condescensive compassiones ad proximum. Tali autem scalæ sive vitæ Deus est innixus sive infixus, promittens utique gratiarum et præmiorum dilatationem universalem.

CAPUT XXIX.

Profectus vero Jacob venit in terram orientalem, id est in Mesopotamiam ; quæ respectu terræ promissionis, est versus orientem. *Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis evolverent lapidem.* Forte mos iste inoleverat ibi, aut propter laborem frequentem revolvendi lapidem, aut quia non poterat amoveri nisi a multis pastoribus insimul congregatis ; vel forte quia non erat ibi tanta copia aquæ, quin oporteret eam sub certa mensura ab ovium pastoribus distribui. Unde et ideo ille puteus stabat sic clausus, ne quilibet pro libito inde posset aquam haurire. *Dixitque Jacob ei, Date ante potum ovibus.* Hoc dixit ut se illis exhiberet humanum, aut potius ut ex hoc haberet occasionem adaquandi gregem Rachelis venientis. *Et adaquato grege osculatus est eam.* Supponendum est quod primo indicaverit se esse consombrinum ejus antequam oscularetur eam. *Elevataque voce flevit,* scilicet vel præ gaudio, vel præ amoris teneritudine, vel suæ propriæ peregrinationi compatiens. Nota pro mysteriis, quod fugiens mundum et insidias dæmonis, relinquit occidens culpæ, et venit ad orientem solis æterni ; ibique in agro exercitii virtualis, invenit puteum gratiæ et sapientiæ Dei : tresque greges ovium, id est tres status fidelium et perfectorum : simplicium scilicet incipientium, proficientium et perfectorum. Vel status electorum legis naturæ, scriptæ et gratiæ. Post quos, sive in quorum fine venit Rachel, id est vitæ contemplativæ culmen cum grege contemplativorum. Nec potest fieri putei apertio, et ovium plena adaquatio seu potatio, nisi in adventu istius, vel in die resurrectionis, cum erunt omnes oves electorum insimul congregatæ. Stat enim puteus grandi lapide clausus, id est partim lapidea duritia cordis nostri, partim ex duritia severa justitiæ Dei nulli indigno contra justitiam aliquid dantis ;

nec unus gradus valentia offendere, nisi sub proportionali mensura. Ulterius Jacob, capere contemplationis opera, quibusque pertingamus ad cœlestis æternæ patriæ, dum adhuc multum diei superest, id est, multum illuminationis adsunt adhuc ab ipso in tertio dilio mundi. Deinde, propter amorem Rachelis, cognitum amorem est, et forma adæquationis gregis ejus, [illegible] sibi dabit eandem illud quod sponsa petit in Canticis dicens: [illegible] *Et postquam impleti sunt dies* [illegible]. Hic narratur quomodo Jacob duxit duas filias Laban, et tandem duas ancillas earum; et quomodo pro filiabus Laban servierat quatuordecim annis: et qualiter Lia sex filios habuit et unam filiam. Ex qualibet vero ancillarum duos filios, ex Rachel vero unum, scilicet Joseph: Benjamin enim non fuit tunc natus ex ea. Contra vero errorem quorumdam æstimantium Jacob tanquam carnalem sola egisse, nota primo, quod ipse fuit septuagenarius septem annorum quando venit ad Laban: quia sicut infra XLV. dicitur: *Erat centum triginta annorum quando intravit Ægyptum*. Quo tempore fuit Joseph triginta annorum: nam triginta annorum erat, quando eductus de carcere, stetit coram Pharaone, prout dicitur infra cap. XLI: *Et post hoc transierunt septem anni ubertatis, et duo anni famis*, prout habetur capitulo XLV. Et constat ex hac parte quod Joseph natus fuit ante illos annos quibus Jacob debuit servire pro mercede agnorum seu ovium. Unde infra XXX. dicitur: *Nato autem Joseph dixit Jacob socero: Dimitte me. Et post hoc ait ei Laban: Constitue mercedem, quam dem tibi*. Et capitulo XXXI, dixit Jacob ad Laban: *Per viginti annos servivi tibi: quatuordecim pro filiabus, et sex pro gregibus tuis*. Constat autem quod in primis septem annis non fuit carnaliter copulatus Racheli vel Liæ. Si igitur a centum triginta annis Jacob subtraxeris triginta novem annos Joseph, et septem medios annos, in quibus servivit pro uxoribus suis: jam igitur copulatis restabant anni Jacob octoginta quatuor. Si vero detraxeris septem primos ubertatis, restant septuaginta septem. Videsne ergo quam castus fuerit, qui tot annis absque uxore in virginitate permansit? Secundo ad hoc ipsum nota, quod Augustinus contra Faustum optime probat ex hoc loco, quod Jacob castissime usus est uxoribus suis. Cum enim Rachel, quæ erat pulchrior et prædilecta de jure, deberet illum in quadam nocte habere (sub quadam enim lege justitiæ videtur distribuisse uxoribus tempora sua) tunc Lia dicente, quod ipsum conduxerat ut esset illa nocte cum ea, Jacob non reclamavit ut diceret: Imo intrabo ad Rachel, ad quam hæc nox de jure spectat: quod quidem dixisset, si ad ejus concubitum carnaliter duceretur. Rursus libro tertio de doctrina Christiana probat hoc generaliter de sanctis patribus. Primo ex Tobiæ Junioris oratione, in qua ait: Domine tu scis quia non luxuriæ causa accipio uxorem meam, sed sola posteritatis dilectione, et ex eo quod Angelus dixerat ei, quod per tres dies continens oraret cum ea, et in sequenti nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteretur. Secundo hoc probat ex rege David, de de quo minus id verum posset apparere; tum quia si ad uxores suas carnaliter alliceretur, inexpiabili odio contra Absalon incestatorem earum motus fuisset, et tamen e contra ipsius interitum vehementissime planxit, nec tunc proprias uxores cognovit; tum etiam, quia cum in Bersabee illicito irruisset, increpatus de hoc per Nathan prophetam, audivit ab ipso parabolam, de vicino multas oves habente, qui in adventum hospitis sui unicam pauperis oviculam exhibuit opulentam. Ex hoc enim patet quod immoderatæ libidinis appetitus, non fuit in ipso permansive, sed quasi in transitu. Unde et ille appetitus non civis vel domesticus ejus, sed hospes vocatus est a Propheta. Sed sicut ibidem Augustinus ait, quosdam contra prædicta movet, quia laqueis libidinis obstricti, etiam in una conjuge non possunt experiri aut imaginari temperantiam illam quam sancti Patriarchæ et Prophetæ, etiam in pluribus uxoribus habuisse prædicantur. Sed contra tales arguit, quod eadem ratione possent dicere, quod incredibile est etiam Apostolos nostros, quando multorum credentium celebrantur laude et præconiis, et persequentium maledictis infamantur, nec laudis esca fuisse illectos, nec contumeliarum aculeis fuisse penetratos: quia, quando ipsi honorantur et laudantur intumescunt superbia; tanto avidiores inanissimæ gloriæ, quanto eos magis et frequentius lingua blandior ventilaverit. Et e contra impetu iræ et impatientiæ horribiliter commoventur, quando se sentiunt persequi et maledici. Sicut

igitur primum fuit in Apostolis, quamvis ipsi propter suam corruptionem non possint hoc in seipsis experiri, sic et in proposito. Sed forte contra hoc objicietur, quia etiam sanctæ virgines aut continentes novi Testamenti sentiunt se non omnino posse perfectam castitatem servare et experiri, nisi pro posse fugiendo omnem imaginationem et aspectum et colloquium carnalis concubitus vel operis conjugalis. Ad quod dicendum, quod aliter accipit ratio opus non congruens, imo sibi inhibitum, et aliter opus sibi pro tempore præceptum. In primo enim occurrit pravitas et disconvenientia rectæ rationi contraria ; in secundo vero occurrit ordo rationis et ordo divini præcepti : et ideo recta ratio non ita potest experiri in primo rectum ordinem virtutis, sicut facit in secundo, quamvis illa opera ex se sint ejusdem generis : et sic respectu operis conjugalis est inter sanctos Prophetas veteris Testamenti, et inter sanctos religiosos novi. Nam opus conjugale est istis ex proprio voto inhibitum, nec sic a lege Christi præceptum, sicut erat in veteri lege ; nec ita congruit perfectioni Evangelicæ, sicut congruebat perfectioni veteris legis. Rursus Dei gratia non ita movet aut ordinat hominem ad opera sibi illicita et inhibita, sicut facit ad opera sibi congrua et injuncta, et communi utilitati expedientia. Ad illa enim movet per modum fugæ et abominationis, ad hæc vero deductive et moderative, et pro quanto bona sunt approbata, aut relata in suum finem : et ideo non ordinat continentes novi Testamenti ad opus conjugale, aut ad imaginationem ipsius, sicut ordinabat sanctos Prophetas. Ulterius honorificum ac decens divinæ gratiæ ac potentiæ fuit, quod in omni statu populi Dei a se solemniter instituto, aliquos ad perfectam observantiam illius status perduceret, ita quod essent in vertice montis illius status. Ergo sicut in abstractione virginali omnem concubitum respectu sui intime abhorrentes quosdam perfecit in novo : sic in conjugali propagatione populi Dei moderatissime exercenda quosdam debuit perficere in veteri lege. Sed forte adhuc objicietur, quia Jacob sic dicitur amasse Rachelem tanquam pulchriorem, quod septem annis pro illa habenda servivit, et videbantur sibi esse pauci dies præ amoris magnitudine, et ejusdem Rachelis amorem amori Liæ prætulit. Item non videtur quod ex Dei definitione Liam accepit ; immo sibi ignoranti fuit supposita ; et ita aut ipsam debuit relinquere tanquam sibi contra jus conjugii copulatam : aut ex tunc non debuit ducere Rachelem. Item non videtur fuisse necessitatis quod earum ancillas duceret, cum ex Lia satis prolium haberet. Ad primi solutionem prænotandum est primo, quod aliud est, propter se et principaliter ferri in alicujus pulchritudinem corporalem tanquam ut in moventem ex hoc ad impudica et ad enervandam virilitatem cordis : aliud vero est ferri in illam ut subinductivum ad amicitiam honestam et socialem. Videmus enim quod pater aliquando subinducitur ad prædiligendum alterum filiorum, vel sociorum vel fratrum, propter aliquam condecentiam decoris, vel aliarum proprietatum corporalium. Hugo de S. Victore in quodam libello suo dicit, quod sicut idem ferculum plus placet in scutella pulchra et munda quam in minus munda, sic æqualis charitas plus placet et vehementius ad sui amorem allicit in persona suavium gestuum et verborum, quam in persona rusticanorum vel agrestium seu incompositorum verborum et gestuum. Secundum est quod in quibusdam actibus exercendis est necessaria aliqua delectabilitas et complacentia, ita quod aliter non est possibile illa perduci ad affectum et finem suum. Unde Augustinus in libro *Confessionum* dicit quod ad actum comestionis est necessaria aliqua complacentia cibi ; alias enim corpus non reficeret, immo nec gustari aut deglutiri posset, nisi solum ad horam, ut quædam horribilia medicamina : et consimiliter videmus quod ad discendum est necessaria aliqua complacentia eorum quæ doctrinaliter audiuntur vel leguntur vel meditantur, alias enim non posset homo ibi diu persistere, nec eorum veritas imbibi menti ; et de hoc genere est actus conjugalis generativus prolis. Et ideo in talibus sic oportet moderari hujusmodi complacentias eis coordinatas, quod cum oportet eas admittere, non quasi propter se expetitas, sed solum ut operi utili contraditas et connecessarias ; quanquam vitiositas sibi annexa sit semper detestanda. Tertium est quod viri perfecti in aliquibus circumstantiis quorumdam operum suorum plerumque infirmantur etiam respectu illorum operum quæ alias multum perfecte exercent ; sicut patet in magnis

zelatoribus justitiæ et veritatis, qui ex hoc aliquando in interpretatione aliqua vel impetuositate aliquem excessum faciunt; aut in exercitio actuum liberali et hospitali, qui aliquando in dono vel in lætitia et hilaritate ad hospites vel pauperes superexcedit. Hujusmodi excessus sive defectus partim per intentionem ipsius operis et aliarum circumstantiarum ejus excusatur; partim vero per processum temporis, et per continuum incrementum virtutis expurgatur et expiatur; partim vero per alias perfectiones exteriorum virtutum et operum quodammodo recompensatur. Igitur juxta tres modos prælatos debet intelligi amor Jacob ad Rachelem; et idem est de aliis consimilibus. Ad secundum dicitur quod ex hoc potius in parte posset contrarium argui. Si enim Jacob ad amplexus Rachelis multum voluptuose ferretur, tunc in prima nocte omnino voluisset sensus suos pascere illius decore et aliquibus blandis; et tunc non potuisset falli, an alteram vice illius ignoranter haberet; cujus tamen contrarium hic legitur contigisse. Quod autem cognito, quod esset Lia, non ipse a conjuge recessit, imo nuptias acceptavit, fuit ex duplici causa insimul concurrente. Prima fuit, secundum Augustinum, rationabilis pietas, ne scilicet illa ex hoc vituperaretur, et ne illam ludibrio habuisse videretur. Secunda causa principalior et formalior fuit, quia in spiritu percepit Deum velle quod utramque sororem duceret in uxorem. Nam Rachelem jam prius duxerat quantum ad consensum expressum ratum et apertum, per nuptiarum convivium promulgatum et celebratum; et ideo Rachel simpliciter erat sua uxor. Liam vero postmodum propter incidentes seu accidentes causas accepit. Ad illud vero de ancillis, satis patet per ea quæ supra documentaliter de Abraham respectu Agar dicta fuerunt. Quid enim mirum si hoc per divinam revelationem fecit, quando artem de coitu ac conceptu et partu ovium Angelo revelante peregit? prout infra trigesimoprimo habetur. Rursus ex serie litteræ hujus habetur, quod ancillas non duxit nisi jussus ab uxoribus suis; et hoc propter solum amorem prolis; primam namque ancillam duxit ut satisfaceret immenso dolori Rachelis, quæ fere moriebatur, quia non poterat habere prolem. Quid autem mirum si a sancto viro suo edoctæ, quod Deus sibi et patribus suis infallibiliter promiserat, populum innumerabilem ex ipso propagandum, et tandem Christum in quo Dei cultus fundaretur et in omnes gentes diffunderetur; quid, inquam, mirum si hoc edoctæ, pia charitate inardescebant ad prolem ex ipso habendam, cujus fidem et sanctitatem tanta et tam assidua experientia comprobabant, quod de ea dubitare non poterant, nec debebant? Quid etiam mirum si vir sanctus hæc sciens et docens, soli charitati earum condescendebat? Rursus notandum quod si Jacob libidinose dilexisset Rachelem, quando pro ea septem annis servivit, non tantum distulisset illi carnaliter commisceri, saltem per dolos et vias occultas. Non enim fuit difficile captare ad hoc horas et modos. Potius igitur est mirandum, quod cum viri, et præcipue divitum filii et magnorum, solebant pro uxoribus magnas dotes expetere et accipere, ipse non solum nullam dotem quæsivit, imo pro eis per duas septenas annorum servivit; quod nullatenus vir prudens et valens fecisset, nisi divinitus revelationibus duceretur. Unde et quod dicitur, videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, si amor iste fuisset libidinosus, potius deberet contrarium dici, eo quod talis amor est impatiens moræ, nec rationem attendit; quamvis post factum multus labor pro amasia jam impensus videatur parvus etiam libidinoso amori. *Quare imposuisti mihi?* id est, quare talem imposturam vel deceptionem mihi fecisti? *Et hebdomada transacta Rachel duxit uxorem.* Ex hoc infertur quod quidam male æstiment quod post septem annos alios Jacob Rachelem accepit uxorem. Non enim ita est, sed post septem dies nuptiarum Liæ. *Sorore sterili permanente*, id est non fœcundata; vel forte ad litteram sterilis erat. Nota secundum Hieronymum, quod Lia filium primum vocat Ruben, qui interpretatur visionis filius. Dixit enim quod, *vidit Dominus humilitatem meam*, id est dejectionem, quia a viro meo despiciebar. Vidit, inquam, et misertus est mei. Secundus dicitur Simeon, id est auditio. *Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi.* Tertius Levi, id est additio, sive appositus aut applicatus; quia dixit, *Nunc copulabitur mihi vir meus, etc.* Vel secundum Hieronymum potest juxta Hebræum transferri: Nunc persequetur me vir meus, id est valde firmo amore me usque in finem vitæ meæ sequetur. Quar-

tus dicitur Judas, id est confessio. Et secundum Hieronymum sumitur confessio hic pro gratiarum actione, vel laude; sicut in Evangelio dicitur : *Confiteor tibi, Domine, pater cœli etc.*; id est, gratias ago tibi, vel glorifico te. Quintus de Bala ancilla Rachelis vocatur Dan, id est, judicium : dixit enim, *Judicavit mihi Dominus*, id est judicium mihi fecit exaudiens preces meas justas et pias. Sextus ab eadem vocatur Nephtalim, id est, conversio vel comparatio; dixit enim, *Comparavit me Dominus*, id est coæquavit seu assimilavit cum sorore mea, et quasi me convertit, sive transtulit ad fœcunditatem illius. Septimus de Zelpha ancilla Liæ dicitur Gad, id est, feliciter vel in procinctu, seu in eventu; dixit enim se esse ex eo bene fortunatam, seu quod in bona fortuna et expedite veniebat. Octavus ab eadem dicitur Issachar, id est merces; cujus causa fuit quod virum mercede mandragorarum conduxerat, et quia Deus istum, tamquam mercedem Liæ dederat : quia ex charitate prolis dederat ancillam suam viro suo. In quo verbo Liæ expresse patet, quod ex divina charitate movebantur ad ista. Immo certe omnia quæ dicunt in impositione nominum filiorum aperte indicant quod in omnibus his humiliter et fideliter ferebantur in Deum, et suos partus Deo exaudienti et inserenti ac judicanti illos ac nomina ascribunt. Et hoc ipsum facit Moyses, utpote quando ait, *videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus*; et iterum post, *Et exaudivit preces ejus concepitque et peperit filium quintum*. Et iterum de Rachele dixit : *Recordatusque Dominus Rachel, exaudivit eam et aperuit vulvam illius*. Decimus dicitur Zabulon, id est habitaculum fortitudinis : dixit enim : *Amodo habitabit vir meus mecum, quia genui ei sex filios*: propter quod et præmisit, *Dotavit me Deus dote bona*, scilicet sex filiis, qui amabiliores erunt viro, quam si multam pecuniam ei Lia in dotem attulisset. Habuit etiam filiam Dinam quæ interpretatur causa vel judicium. Fuit enim causa jurgii in Sychimos, et ita occulto Dei judicio sic fuit vocata. Post hoc de Rachele natus est Joseph, qui interpretatur augmentum; sic dictus, quod sibi alium addi mater optaverat.

CAPUT XXX.

Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, invidit sorori suæ. Non sic quod doleret Liam habere prolem; sed quia dolebat se instar illius non posse habere; ita quod hic dolor augebatur ex consideratione fœcunditatis Liæ; quamvis non mirum si huic dolori aliqua passio deordinatæ invidiæ fuit adjuncta. *Habeo*, inquit, *famulam Balam : ingredere ad eam*. Puto quod jam audiverat Saram aliquid tale de Agar ancilla fecisse et sanctum Abraham consensisse : et ideo forte ejus exemplo Rachel fuit mota. *Parumne tibi videtur quod præripueris maritum mihi*. Abstulisse autem dicitur, non quod vices Liæ debitas usurpaverit; sed quia Lia primo de facto fuit sibi juncta : sed Rachel tamquam prædilecta tandem conjugalem primatum obtinuit. Præripuit ergo virum, tum quia partem in viro accepit, quia alias fuisset totaliter Liæ : tum quia in illo primatum habuit. *Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ*. Secundum Magistrum, tres erant messes, id est collectiones. Prima pomorum, secunda triticeæ, tertia vindemiarum. Quia tamen non est consuetum primam et tertiam vocari messes, potest dici, quod messem triticeam dixit ad differentiam hordeaceæ. *Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui*. Quidam opinantur hoc genus pomi in escam sumptum sterilibus fœcunditatem parare; et quod ideo Rachel poma ista volebat; quod Augustinus reputat fabulosum. Unde potius videtur quod curiositate feminea voluerat illa : quamvis enim non sunt apta esui, sunt tamen pulchra et odorifera et forte non fuerant alias visa ab ea. Scriptura tamen hujusmodi muliebria narrando, aperte ostendit se magis in hujusmodi servire mysteriis, quam sensui litterali : quamvis hic in parte narretur ad monstrandum quomodo Rachel, quia non poterat fœcundari, parvipendebat carnalem concubitum in tantum ut mandragoras prætulerit illi, ad monstrandum sanctum desiderium Liæ ad prolem divino cultui pariendam. Unde et paulo post dicitur, *Quod exaudivit preces ejus Deus, concepit quæ etc.* Nota autem quod tota hæc proles infra septem annos est orta : quod patet quia nato Joseph qui postremo est natus, pepigit Jacob cum socero suo servire si-

li pro mercede ex pecoribus suis habenda. Dicitur autem infra quod quatuordecim annis servivit pro filiabus, et sex pro gregibus suis. Et constat quod in primis septem annis nulli filiarum carnaliter junctus est. Cum igitur Lia septem liberos habuerit, oportet (ut videtur) quod circa initium primi anni peperit Ruben, et paulo post alium et sic usque ad Judam; et ea sterilis plus solito steterit a conceptu; et illo medio tempore, cum vidisset Balam concepisse, Zelpham ancillam dedit viro suo, et tandem postea alios concepit et peperit ipsa Lia filios. Et hoc ordine facile est videre, quomodo tota hæc proles infra septem annos potuit nasci. Et maxime quia Joseph potuit concipi ante ortum Dinæ, et ad hoc nasci postremo post illam. Nota pro mysteriis, quod Richardus in quodam libello suo *de Contemplatione*, qui dicitur *Benjamin minor*, exponit hoc moraliter de activa vita et contemplativa et earum multiplici prole. Nam per Jacob intelligitur animus contra vitia luctans, hostemque supplantans; qui veniens ad Scripturas sanctorum patrum, principaliter quidem in Rachel ad sapientiam contemplativam, quia est facie decora et aspectu venusto, accedit. Sicut autem in mente sunt duæ potentiæ quasi duæ sorores, scilicet ratio et voluntas; vel duo aspectus mentales, scilicet speculativus et practicus: sic per gratiam formantur in eis duæ vitæ sive duo modi vivendi. Unus quidem secundum justitiam operum, alter vero secundum gustum et sapientiam æternorum. Prima autem vita designatur per Liam, tum quia ætate prior et major, tum quia interpretatur laboriosa. Per Rachel vero designatur secunda, scilicet contemplativa, quia facie decora, tum quia junior et posterior; tum quia interpretatur ovis atque videns Deum vel videns principium. Justitia enim activa est multum laboriosa et respectu contemplandorum habet oculos per distractionem temporalium lippientes; vel etiam lippis est oculis, quia si vult esse justa, multa temporalia commoda habet relinquere, ac si non videret illa: quod homines sic horrent sicut lippitudinem oculorum. Tamen secundum communem cursum prius nascitur illa quam contemplativa, et propter multitudinem ac sensibilem magnitudinem exteriorum operum æstimatur major quam illa, et etiam a principio, quamvis præ-cipue supradicta minor prædiligatur. Septem autem anni quibus Jacob pro illa servit, significant aut totum hujus vitæ decursum, aut plenitudinem et universalitatem constitum, quibus virtuosus pro contemplatione habenda laborat; et hoc totum videtur homini valde parum respectu valoris et amabilitatis illius. Congruit autem ordine divino et inter homines consueto (quamvis id occultum sit homini inexperto et contemplationis desiderio non nimis inflammato) quod dum post multos conatus credit homo habere Rachelem, sibi in nocte supponatur Lia; quia propter tenebras et angustias hujus vitæ, et etiam propter impetus vitiorum et carnis compellitur homo in operibus activæ justitiæ exerceri: sed tamen post septem dies, id est post hanc vitam et plenitudinem operum activæ, intratur ad amplexum Rachelis. Cujus quidem prægustatio est in hac vita, sed consummatio est in futura. Duæ autem sorores prædictæ duas habent ancillas; quia rationi speculativæ ancillatur imaginativa, quæ optime vocatur Bala, id est absorpta vel inveterata: quia de veteribus seu de corruptibilibus instar vetularum semper garrulatur et a speciebus sensibilium absorbetur. Voluntati vero sive virtuti practicæ famulatur sensualis appetitus qui sensualitas nominatur: quæ congrue vocatur Zelpha, id est os hians, seu os fluens, quia semper inhiat ad delectabilia carnis et illis inebriatur et in delectationes putridas totus fluit. Parit autem Lia septuplam prolem juxta septem naturales affectiones nostræ voluntatis, quæ per gratiam directæ et fecundatæ, transeunt in virtutes, et sunt amor et odium, et deinde sequuntur timor et spes, dolor et gaudium et verecundia quæ est timor de turpi facto seu est fuga infamiæ. Ordo autem generationis est iste. Nam primo mens ex visione divinæ justitiæ et judiciorum ejus concipit timorem, et hic est Ruben, id est visionis filius; est enim ex prædicta visione seu consideratione genitus. Secundo incipit mens de peccatis, propter quæ erat damnanda, compungi et dolore affici; et hic Simeon, id est exauditio, quia cum tali dolore petens veniam exauditur a Domino. Tertio ex hoc concipitur spes gratiæ et misericordiæ; et hic est Levi, id est auditus: quia iste nostræ imbecilli virtuti, addit auxilium et fiduciam et assistentiam dictæ virtuti. Quarto ab expe-

rimento pietatis et veritatis Dei, in quem sic fiducialiter sperat, concipitur quidam plenior affectus divini amoris, per quem eum glorificat, et de bonis acceptis, et adhuc speratis sive promissis, Deo gratias agit : et hic est Judas, id est confessio laudis. Adverte autem quod, licet amor foveat in virtutibus principatum, tamen prius intrat timor, quam ipse perficiatur : et primo exercemur in actu divini timoris quam in puro actu sui amoris. Quinto vero per Dei amorem et laudem ratio ad ipsum speculandum fortius incitata mori se æstimat, nisi instar sororis liberos gignat : et quia hoc per se non potest, idcirco famulam suam, id est imaginationem viro suo tradit ut filios gignat, non sibi, sed rationi. Quia vero imaginatio in duo currit genera objectorum, scilicet in pœnalia et suavia, seu terribilia et desiderabilia : idcirco in Deum per terribilem rationem directa, duos filios parit multum utiles contemplationi. Prima est imaginaria speculatio pœnarum infernalium, seu futurorum et terribilium judiciorum Dei. Voco autem imaginariam, non quod in sola imaginatione sistatur ; sed quia in ipsa et per ipsam ratio futura Dei judicia speculatur : et ideo hic filius Dan, id est judicium vocatur. Secundus filius est imaginaria speculatio æternorum præmiorum, et quorumcumque intellectualium seu spiritualium bonorum ; et quia hoc est per conversionem corporalium ad spiritualia et temporalium ad æterna, et per quamdam conversivam translationem istorum in illa : ideo hic Nephtalim, id est comparatio seu conversio nominatur. Quia vero ordinationem imaginativæ sequitur ordinatio sensualitatis : idcirco post hæc et ipsa filios parit, imperata tamen a Lia, id est a voluntate superiori ; quæ quidem ad regendam sensualitatem fortius incitatur ex rationabili speculatione suppliciorum et præmiorum. Et quoniam tunc sensualitas bene regitur, quando delectabilia carnis abstinentissime fugit ejusque pœnalia tranquille et materialiter portat : idcirco et ipsa geminam prolem parit : scilicet vigorem patientiæ et rigorem abstinentiæ. Primusque filius vocatur beatus, secundus vero felix. Duæ enim sunt beatitudinis partes. Prima est, nil tibi evenire quod odias : Secunda est omnia habere quæ recte desideras. Hæc autem duo nullo modo possunt a nobis nisi per hos duos filios obtineri : quod ex suorum contrariorum comparatione clarius elucescit. Dentur enim homines duo, quorum unus totis viribus carnis delicias concupiscit, ejus vero pœnalia toto animo exhorrescit et fugit : alter vero totum e contrario facit, quia scilicet tota post se pœnalia quærit et delectabilia fugit : tunc igitur videamus, quis horum duas partes beatitudinis præfatas, in hac vita plenius assequitur. Et constat quod ultimus ; quia primus semper superabundat in his quæ super omnia odit scilicet in pœnalibus, quibus hæc vita misera carere non potest : semper etiam eget delectabilibus, quæ super omnia quærit, quia appetitus ejus est infinitorum et quasi infinitus et pauca delectabilia sensus valet habere, et hoc ipsum non nisi per successiva et interposita momenta, et ideo æstu desideriorum furit et sollicitudinibus et egestate languescit ; præsentia vero pœnalium semper molestatur et timore malorum imminentium continue perterretur. Alter vero e contrario se habet ; quia semper ad votum abundat in his quæ amat et quærit, scilicet in pœnalibus ; et de facili caret his quæ odit, scilicet delectabilibus hujus mundi. Et experti sciunt quanta felicitas est nulla deordinata concupiscentia allici vel tentari, nec aliqua vel impatientia molestari. Primi autem duo qui sunt de Bala, in componenda pace internorum civium principalius occupantur. Nam Dan quasi judex comprimit internos motus, tenens omnia sub tremore judiciorum Dei. Nephtalim vero per abundantiam suavitatis suarum compositionum omnia replet pace. Duo vero qui de Zelpha orti sunt, contra extrinsecos hostes pugnant, et ab illorum insultibus nos protegunt. Gad enim contra illecebras delectabilium stat semper in procinctu expeditionum ; unde infra Jacob dicit, Gad accinctus præliabitur ante eum. Aser vero contra tela adversariorum præbet scutum patientiæ et contra egestatem præbet exuberantiam alimoniæ, gloriatur enim in tribulationibus : unde infra de eo Jacob dicit, quod pinguis panis ejus et præbens delicias regibus. Quia vero a mente sic per Dei timorem ordinata colligitur magna messis, ne dicam hordei, imo et tritici : ideo post ortum prædictorum dicitur Ruben, id est Dei timor, tempore messis triticeæ exiisse in agrum : qui quidem exit foris vel per hoc quod extrinsecus per opera manifestatur, vel per hoc quod aliorum imperio se subji-

tiæ ; ut colligat messem fructuum obedientiæ sanctæ. Quia autem talis timor se vegetabilis et fructifer non potest esse non esse famosus, hinc est quod timor iste dicitur mandragoras, poma scilicet quædam odorifera, reperisse, quas matri Liæ, id est superiori voluntati dedit ; quia fama et meritum hujus, propriæ spectat ad ipsam. Sed Rachel, id est ratio pura et simplex, partem illarum sibi vult dari a Lia, id est a voluntate. Non enim expedit quod voluntas nullum se abdicat in extrinseca fama sibi oblata ; sed oportet quod per rationem tota, vel saltem major pars ejus, referatur in Deum. Unde et ipsa poma non sunt apta ad esum, imo sunt insipida. Licet autem voluntati sit hoc difficile, et præcipue quia contemplativa ratio præter hoc virum præcipuit voluntati, tum quia omnino vult illum ab omni propria voluntate abstrahi et alienari, tum quia plus vult illum ad superna contemplanda rapi, quam in inferioribus virtutum operibus immorari ; nihilominus ratio obtinet mandragoras illas a Lia, et per hoc concedit virum suum in nocte, quia sola voluntas propriam gloriam non quærit, concedendum est sibi quod in nocte hujus vitæ, in qua lucem æternam non possumus libere contemplari, possit a viro suo concipere bonorum fructus uberiores ; et ideo postea ex ipso nascitur Issachar, qui interpretatur merces, et ipse gaudium et gloria, quem talis mens habet de testimonio puræ conscientiæ suæ. Non quod tale gaudium sit vere merces et quasi præmium mentis ; nam etiam refutanti gloriam famæ alienæ pro mercede debetur gaudium, et gloria de solido testimonio propriæ puritatis : hoc est, illud gaudium quod per gustum videt requiem bonam et terram optimam. Sed sic dicitur quia in seipso prægustat quale erit gaudium in æterna vita, quando tale ac tantum potest haberi in ista ; et quia nihil ita fortificat vires cordis ad omnem laborem et omne opus præceptorum pro æterno præmio subeundum, ideo Issachar est asinus fortis, supponens suum humerum ad portandum, factusque est sub tributis serviens. Post hunc autem nascitur Zabulon, id est habitaculum fortitudinis, quidam scilicet sanctæ iræ robustissimus zelus contra omne vitium ; et hic est domus Dei, turris et propugnaculum, imo pugil et defensator. Potuit autem, aut decuit fieri, quod talis zelus ante supradictos filios nasceretur ; tum quia inordinatum est aliorum vitia corrigere et increpare ; tum quia multa pax et patientia, et gaudii divini suavitas præexigitur ad hoc, quod quis habere valeat zelum rectum et moderatum ; alias autem zelus ejus in rancorem odii, vel in livorem invidiæ de facili convertetur ; diceturque ei a Christo : *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Quia vero non est justus in terra qui non aliquando peccet, nihilque imbecillius quam tantum zelatorem esse, et vitiorum objurgatorem, et post tantum zelum in pluribus defectibus invenire seipsum. Idcirco post hanc nascitur Dina, id est virtuosa verecundia, per quam quis causam et judicium (quod sonat nomen Dinæ) contra seipsum iterato assurgit : arguit enim homo seipsum, causans quod post tot ac tanta exercitia, et specialiter post tantum zelum in alios, ipse deficiens, etiam nihil minus reperiatur. Et nota quomodo partus Liæ, ab humilitate suæ despectionis, divinique timoris incipit, et in humilitatem verecundiæ et confusivæ objurgationis sui ipsius finitur. Nota etiam quod hæc verecundia potius dicitur filia quam filius ; primo quia non ita arguit rigide, eo quod non invenit materiam vitiorum sic objurgabilem ; sed procedit tantum quodam muliebri rubore et pudore ; et quod majoris objurgationis est, magis spectat ad Zabulon, id est ad zelum superiorem. Secundo, quia timor in futurum ex deficiente sensu proveniens, est quasi femineæ debilitatis signum, et provenit ex defectu virilis roboris et vigoris. Tertio, quia vereri et pavescere humanum judicium vel conspectum, sicut facit erubescens committere aliquem defectum, non est omnino virilis virtutis, sed potius veribilis. Quia vero ante mentem sic perfectam, sicque zelantem, sicque humilem et erubescentem, condecet ad supernæ sapientiæ lumina amplius elevari : ideo tempus est omnino quod Rachel, id est ratio fœcundetur. Et quoniam prius est illuminari ad seipsum discrete regendum et discutiendum, ac deinde etiam ad inferiores alios, antequam per extaticos gustus et superexcessus in divina et æterna perspicaciter contemplanda possit omnino suspendi et rapi : ideo prius innascitur Racheli discretio prudentiæ, scilicet Joseph rector fratrum et rector Ægypti, cujus decor in tantum est concupitus,

quod filiæ discurrerunt per murum ad illum videndum : qui quidem recte vocatur augmentum, quia exigit alium filium sibi apponi, scilicet contemplationis excessum; tum quia per discretum regimen supra modum augmentantur virtutes et earum opera, et familia domus Dei. Merito autem nascitur hic postremo ; tum quia multitudo temporis et diuturnæ experientiæ est necessaria ad perfectam discretionem habendam : tum quia perfectio ejus ex priorum virtutum longa et ardua exercitatione dependet ; tum quia multos casus tentationum, multasque differentias virtualium exercitiorum, et multos modos medicinalium remediorum, oportet mentem tam in se quam in aliis, non solum speculative, sed etiam practice comprobasse, antequam in his posset homo esse perfecte discretus et circumspectus. Et hinc est quod hic nascitur in senectute Jacob, sicut infra dicetur : et certe vix est aliquis plene discretus usquequo sit senex ; nisi hoc sit a Deo supra legem communem, et quasi miraculose. Potest etiam proles prædicta, quoad aliqua moralizari ; ut scilicet, primus filius sit visitatio pauperum et despectorum, secundus vero exauditio petitionum ipsorum, vel condonatio injuriarum, saltem quando petunt illa sibi indulgeri : tertius autem est obsequiositas, qua quis propriam personam copulat et mancipat corporalibus obsequiis aliorum. Per hæc autem tria, sicut se homo exhibet aliis, sic Deus visitat et exaudit eum, et se copulat illi. Post hæc autem sequitur aliud genus activæ vitæ, scilicet prædicatio Dei et fidei ejus ; et quartus filius confessio nominatur. Quia vero rationabilis manuductio multum adjuvat præfatæ prædicationis effectum, ex hoc ratio incitatur, ut ex quo adhuc per intellectuales rationes non potest, nisi saltem per sensibiles similitudines ducatur ad intelligendum magnificentiam Dei et operum ejus. Et quia universæ viæ Domini sunt misericordia et veritas, id est justitia, et per opera suæ justitiæ Deus timendus, per opera vero suæ misericordiæ monstratur amandus, idcirco Dan et Nephtalim subsequuntur. Sed quia non sufficit verbo docere, nisi exempla operum subsequantur (non enim a sequente impetus suæ iræ et concupiscentiæ fructuose docetur) ; idcirco oportet quod subsequatur generatio Aser, id est exemplum perfectæ abstinentiæ, non solum a cibis, sed etiam ab omnibus concupiscibilibus et cupiditatibus mundi. Et tandem Aser, id est perfecta patientia in adversis. Et quia tales doctores sunt famosi in populis, idcirco oportet hujus famæ odorem per rationem Deo offerre ; quo facto sequitur jocunditas unitatis fraternæ, qua quis in ædificatione animarum et in dilatatione divini cultus in eis intentissime jocundatur, ita quod dicat, Ecce quam bonum et quam jocundum habitare fratres in unum : et hic est Issachar exhilarans totam Ecclesiam Dei, et se pro illa supponens hominibus et tribuens ut postea sequatur Zabulon, id est quod homo pro domo Domini defensanda, se hostibus in murum opponat. Ne autem hoc fiat indecenter vel impie, aut immoderate, oportet subsequi quamdam reverentiam pro posse ad omnes ; saltem in his, in quibus sunt merito reverendi. Et hoc est Dina ; quam qui corrumpit, est merito culpandus et objurgandus. Post hæc autem et non antea est quis idoneus ad regimen animarum ; ut scilicet, excrescat sive ascendat usque ad sedem Ecclesiasticæ prælationis ; et hic est Joseph postremo exortus. Allegorice autem potest hæc proles ex suæ generationis ordine juxta duplicem modum præfatum aptari ad hoc quod per doctrinam ad prælatum consimilis proles formetur in ceteris animabus, seu in Ecclesia Dei ; quamvis prout hoc refertur ad informationem agendorum, potius sit moralitas ; et prout refertur ad monstrandum aliquid in Ecclesia factum vel fiendum, sit propterea allegoria. Vel potest hic texi ordo Ecclesiæ a Jacob usque ad Christum. Primo enim in Ægypto natus est Ruben, id est filius visionis ; quia Dei populus ibi vidit prosperam sui multiplicationem sub Joseph, et sui afflictionem sub Pharaone. Secundo sub Moyse et Aaron est a Deo jam populus exauditus, ac de Ægypto eductus ; et tunc natus est Simeon, id est exauditio. Tertio est Leviticus ac sacerdotalis ordo elatus. Quarto temporalis principatus, atque tandem regalis ducatus sub Judicibus, et præcipue in stirpe David, quæ fuit de tribu Juda, est procreatus : tuncque doctores pædagogici elementorum, scilicet litteræ legis, et milites seu bellatores prævalidi sunt quasi de ancillis exorti ; gloria tamen regni et bellorum ejus a David cum cantoribus ejus, non homini est ascripta, sed Deo. Propter quod ordo propheticus et datus

est, qui tanquam stirpem sub Messia venturo promitteret eis. Et post transmigrationem Babylonis in restauratione templi sub Aggæo festive et læta quodam modo id partim prægustaret. Post hoc vero missus est Mathathias cum Juda Machabæo, et cæteris filiis suis; qui zelo legis accensi pro patria pugnaverunt et domum Domini defensarunt. Postea vero præsentia pace quædam proles carnalis et mundialis, est sub Pharisæis exorta, hypocrisi Pharisæorum superstitione. Et hæc est Dina. Post hæc autem natus est Christus, qui a Pharaone, id est a regibus Romanorum dictus est tandem mundi salvator. De ortu vero Benjamin infra subdetur, quia tam moraliter quam allegorice, ea quæ ante ortum ejus habentur pingere oportet.

Nato autem Joseph. Hic igitur de servitio Jacob pro mercede; atque deinde de recessu ejus a Laban propter contentionem causatam. Circa quam partem potest fieri quæstio triplex. Prima est an Jacob licite et juste fecerit excogitando artem de virgis ante oves in hora conceptus earum positis; et hoc solum quando erat tempus conceptus ovium. Dicendum quod Jacob juste hoc fecit, quod patet ex tribus quæ in hoc opere concurrunt. Primum est servitus ejus præterita, qua per quatuordecim annos fidelissime, et ipsi Laban utilissime servierat absque temporali mercede, resarciens etiam ei omne damnum, quamvis non ex culpa aut ex negligentia sua accidisset, ut ipse inferius dicit; et ideo aliquid de rebus Laban sibi merito debebatur. Secundum est, quia in pacto, quod ipse cum Laban pepigit, pars contingit ei pejor. Unde si Laban juste circa Jacob se haberet, nullatenus sustinuisset quod Jacob deteriorem partem quam ipse haberet; utpote quod ex gregibus unius coloris, sola proles varia esset Jacob, et quæ esset unius coloris, esset Laban. Quia igitur Laban injuste et impie circa Jacob se habebat, ideo dignum fuit erga eum in hoc astute et cautelose procedi, sequendo cursum naturæ conceptus, et a forma pacti deviando. Tertium est imperium seu consilium a Deo super hoc sibi datum. Quod enim Deus artem prædictam de virgis sibi revelaverit, patet ex hoc quod ipse refert Liæ et Racheli se vidisse in somnis mares concumbentes esse varios, et Angelum Domini sibi dicentem, quod adverteret et videret quomodo erant varii et diversorum colorum. Quod autem hoc sibi in visione mandaret, et diceret propter artem prædictam, patet ex hoc quod Angelus subdit: *Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus etc.*; quasi dicat: propter injustitias tibi a Laban factas, volo quod hoc fiat; et ex eo quod ei dicitur etiam: *Ego sum Deus, qui tibi in Bethel promisi, quod ego te ubique custodirem.* Et varietas in virgis quam arietes feminis videbantur habere; ratio fuit, quod esset in femellis causa concipiendi fœtus varios. Quod vero in fine visionis subditur: *Surge et egredere de terra etc.*, intelligendum est quod prædicta visio fuit bis facta ad eum; scilicet in principio ad discendum hanc artem: et iterum in fine ut recederet a Laban. Unde hoc verbum, scilicet surge, aut non fuit sibi in principio dictum, aut non fuit tunc sibi dictum, ad statim recedendum, usquequo ex arte prædicta copiosam haberet mercedem. Vel forte Jacob quando retulit hoc suis uxoribus, primam partem accepit ex visione prima: et ultimam sibi tunc ultimo factam. Ad hoc etiam facit quod Jacob tam in pacto quam post totum effectum Deo adscribit: nam in pacto, dicit: *Respondebitque mihi cras justitia mea*, et post uxoribus dicit: *Tulitque Deus substantiam patris vestri et dedit mihi.* Et paulo ante: *Deus autem patris mei fuit mecum, et non dimisit ut pater vester noceret mihi.* Ipse etiam Laban ante pactum confitetur, se per effectum propriæ prosperationis cognoscere quod Deus in tantum erat cum Jacob, quod propter eum Deus in temporalibus benedixit ei: unde ait: *Experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te.* Et Jacob postmodum confitetur subdens: *Benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* An autem solum duobus primis concurrentibus, absque scilicet nutu vel consilio divino, posset talis artis commentum juste fieri, dubium est. Quidam enim dicunt quod non; quia pacta sunt intelligenda secundum communem modum, et absque appositione alicujus doli. Alii dicunt, quod licet non esset hoc licitum facere simpliciter et absolute, esset tamen ad extorquendum id quod alias sibi juste debetur: adhibito tamen moderamine, quod per hoc non acquiratur amplius quam sibi debetur. Quidquid autem sit, de hoc certum est quod ex Dei præcepto vel consilio potuit hoc fieri juste, etiam si non concurreret primum: quia

Deus potest cuicumque vult dare res quorumcumque : ipse enim est summus Dominus omnium rerum. Secunda quæstio est, An ex arte præfata sequeretur varietas colorum in fœtibus naturaliter, vel solum miraculose. Ad quod dicit Hieronymus, quod naturaliter. Dicit enim quod Jacob novam strophum, id est, artem conversivam commentatus est, et contra naturam albi nigrique pecoris naturali arte pugnavit : neque mirum quod hanc feminarum in conceptu tradunt esse naturam, quod quales in extremo voluptatis æstu cum concipiunt perspexerint vel mente conceperint, talem procreent sobolem. Et hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos dicitur fieri. Et Quintilianus etiam pro defensione cujusdam matronæ accusatæ, quod Æthiopem pepererat, argumentatus est, hunc conceptum esse naturalem. Et idem dicit Augustinus libro III *de Civitate Dei*, capite VII ; ubi ostendit, quod anima matris ex imagine colorum visorum vehementer affecta, naturali ordine conformiter afficiebat materiam sui fœtus. Nos multiplici experimento probamus, quod tanta est colligantia animæ ad corpus, quod unius affectio vel passio de facili redundat in alterum. Unde ad passionem timoris vel pudoris resultat in corpore pavor vel rubor; et sic de aliis. Sed si cuiquam videretur, quod quamvis ex inspecta forma imaginum aliquando contrahatur consimilis forma conceptuum, non tamen hoc secundum naturam solam fit frequenter et regulariter, sicut fuit in casu isto ; tunc potest dici, quod supra legem aderat etiam hic regulatrix potentia Dei. Tertia quæstio est, An fuerit decens vel credibile, quod Deus tam turpem visionem ostenderet, aut quod de causa vili et turpi opere se intromitteret ? Dicendum, quod nisi hoc fuisset decens, non fecisset hoc Deus, neque Jacob assensisset, nec in Scripturis sacris hoc ita solemniter scriptum esset. Ostenditur autem hoc fuisse decens primo respectu divinæ sapientiæ, quæ sic omnia, quantumcumque turpia et difformia, præclarissime videt : ita quod ex hoc in nullo defœdatur aut dehonestetur. Idem est de Angelis et beatis : et ideo nihil indecens est in ejus sapientia, omnem veritatem specialiter contemplari ; fuitque utile nos etiam per exempla sensibilia edoceri, quod Dei exemplaris sapientia sine fœditate omnia etiam turpia repræsentet. Secundo patet hoc ipsum ex respectu suæ potentiæ et providentiæ ; quia constat, quod ipsa specialiter omnibus adest : nihil enim potest fieri sine ipsa ; et absit, quod in aliquo horum fœdetur : quin potius in hoc apparet sincerior, quod incontaminabiliter omnia facit, et omnibus adest. Numquid etiam non justum est et pium, quod non solum in spiritualibus, sed etiam in corporalibus remuneret sanctos, et puniat impios ? Rursus tanta est vis veri amoris, quod usque ad infima condescendit amico, et ab amico tanto plus se diligit æstimat et regratiatur, quanto etiam in minoribus sentit sibi ineffabiliter condescendi, et usque ad extremas inimicitias de se curam haberi. Tertio patet ex bonitate omnium naturalium rerum et operum in quibus utique nihil est peccati ; imo sunt omnia plena ordine et ratione admirabilis sapientiæ Dei. Neque inexpediens fuit nobis ex sensibilibus ministrari et prophetari futura, etiam arcana sapientiæ. Inter sensibilia autem nullum altius et profundius est, quam hujusmodi formativa vis animalium. *Responditque mihi justitia mea :* quasi dicat : pro te erit natura pecorum quæ unicoloria ex unicoloribus oriuntur ut frequentius ; pro me vero erit justitia mea, scilicet ut Deus reddat mihi secundum justitiam mei servitii et laboris. *Cras*, id est in futurum. *Quando beneplaciti tempus advenerit coram te*, id est quando tempus ex tuo beneplacito taxatum et institutum advenerit. *Et omnia*, id est de omnibus quæ non fuerunt varia, supple si fuerint a me retenta, *furti me arques*, id est secure me arguere possis. Nota, ubi paulo post nos habemus. *Cunctum autem gregem ei tradidit in manus filiorum*, melior, ut videtur, littera esset, si esset ibi sic, vel sic intelligi debet. *Et separavit in die illa capras et oves, et hircos et arietes varios atque maculosos a cuncto grege unicolore. Et tradidit*, scilicet varios, *in manus filiorum suorum omnium. Jacob autem*, sicut mox subditur, *pascebat reliquos greges*, scilicet unicolores, *alios per filios suos pascebat Laban*, hoc est, per filiarum suarum filios, scilicet Rachel et Liæ. *Et posuit inter se et generum spatium itineris dierum trium ;* ne scilicet ex vicinitate pecorum istorum et illorum posset furtive aliquis dolus nasci. *Virgas populeas virides*. Ideo virides sumpsit, quia in hujusmodi major apparet diversitas inter partem decorticatam et non

decorticatam, ipsamque viriditas sensibilius gratia intuentium se offert; et etiam quia facilioris essent decorticationis. Secundum autem Hieronymum virgarum varietas faciebat umbras seu imagines arietum et hircorum in aqua illa resplendentium, varios apparere femellis simul in aqua intuentibus virgas. Faciebatque Jacob oves in ipsa potandi aviditate ascendi; et ex duplici desiderio, scilicet potus et coitus, affectuosius et fortius inhærerent imagines arietum in aquarum speculo visæ. Nota, quod ubi nos habemus, ex plataneis, Hieronymus habet ex malogranatis; et dicit, quod Septuaginta habent virgas styracinas, et nucinas et platanines. *Et fiebant serotina Laban etc.* Ideo hoc dicit, quia primi temporis fœtus est melior; ideo ante illas oves seu capras, quæ primo tempore quærebant matrem, ponebat Jacob virgas, ut fœtus melior suus esset. Ante illas autem quæ sero, id est tardiori seu posteriori tempore quærebant matrem, virgas non ponebat, ut sic deterior fœtus esset Laban. Duplici autem ex causa (ut dicit Hieronymus) fuit, quod Laban haberet illis aliquam partem, non tamen ita bonam. Prima scilicet ne posset aliqua doli suspicio Laban insurgere vel apparere. Secundo ne Laban plus debito spoliaretur.

CAPUT XXXI

Postquam autem audivit verba filiorum Laban. Hic est primo admonendum, quantum ad dicta, quod quidam dicunt, quod prima immissio arietum in oves fuit in principio veris, et prima erat melior, quia meliores oves citius appetunt coitum: ita quod illas primo faciebat ascendi, istas vero postremo. Aliis vero magis placet, quod serotinus conceptus erat in autumno, primus erat in vere: quia, ut dicit Augustinus in lib. *Quæst. super Genesim* et Hieronymus, natura Italicarum ovium et Mesopotamiæ traditur eadem esse, scilicet quod pariunt bis in anno. Unde Virgilius ait:

— Bis gravidæ pecudes. —

Et hoc modo illud quod infra legitur, scilicet mutavit mercedem meam decem vicibus, intelligit Hieronymus, dicens, id in sex annis, quibus Jacob pro mercede servivit, fieri potuisse: quia sicut etiam Augustinus in lib. *Quæst. super Genesim* dicit, in primo anno, in quo inter se pacti sunt, solum semel pepererunt: quia tunc non ita potuit eas facere bis ascendi. Sexto autem anno, cum semel peperissent, prius recessit Jacob a Laban, quam iterum parerent; quatuor autem annis intermediis bis pepererunt. Posset tamen dici, quod licet in primo anno bis pepererint, non tamen pro illo anno mutavit sibi mercedem, quia nondum viderat se fraudatum; et ideo quod quinque annos sequentes etiam decies mutavit, bis scilicet respectu cujuslibet anni. *Et vendidit comeditque pretium nostrum*, id est nos tibi vendidit pro servitio tuo; et pretium seu utilitatem illius servitii sibi in nobis accepit. *Et Rachel furata est idola patris sui.* Satis est mirabile, quod hoc fecit, cum non sit credendum, quin a Jacob fuerit edocta, quod super omnia idololatriam fugeret et caveret. Nec sit verisimile, quod tamquam cupida argenti vel auri (de quo forte erant idola illa) fuerit. Quidam igitur dicunt, quod hoc fecit, ut si pater insequeretur illos, haberent ad ea recursum et refugium, ut ad templa sacra. Vel posset dici, quod scilicet zelo justitiæ contra ejus avaritiam seu rapinam hoc fecerit. Dicit autem Hieronymus, quod ubi nos idola legimus, in Hebræo habetur Seraphim, quæ Aquila figuras vel imagines interpretatur. *Et amne transmisso*, id est Euphrate fluvio transvadato, *Contra montem Galaad.* Anticipative sic vocatur, quia postmodum hoc nomen accepit, sicut infra legitur. *Et comprehendit*, id est attigit in montem. *Viditque*, scilicet Laban, *in somnis dicentem sibi Dominum. Cave etc.* Nota, quomodo Deus quasi omnia facta Jacob agebat. Unde Sapientiæ decimo dicitur, quod Deus reduxit eum per vias rectas et in fraude circumvenientium illi adfuit et honestavit, et multum ditavit et magnificavit illum in laboribus suis. *Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum. Sed Deus patris tui heri dixit mihi, Cave etc.* Nota, quomodo arrogantia superborum sæpe se confundit, ubi magis credit se super sanctos magnificare. Nam Laban volens ostendere, quod bene poterat nocere Jacob, in signum, quod non desistebat defectu potentiæ, revelavit inhibitionem Dei super hoc factam; non advertens, quod in hoc ipso ostendebat Deum quo ad hoc esse cum Jacob, et Jacob esse justum ipsumque injustum. Quod bene advertens Jacob

subdit inferius. *Laborem manuum mearum respexit et arguit te heri clam me*, id est me nesciente. *Abegeres*, id est furtive abduceres. *Quasi captivas gladio*, id est ac si tuo gladio essent captivatæ et captæ. *Cur furatus es deos meos ?* Nota, quod hic primo legitur de pluralitate deorum et de cultu idolorum : nondum enim supra mentio facta erat. *Timui ne violenter auferres filias tuas*. Ex quo patet, quod non fugiebat propter cupiditatem temporalium quæ sibi asportabat. *Super stramenta cameli*, id est sub sella ejus. *Quia consuetudo feminarum nunc accidit mihi* : quasi dicat, Nunc patior menstrua, et ideo non possum, sicut deberem, assurgere tibi. *Sic delusa*, id est delusione frustrata est, *sollicitudo*, id est sollicita intentio , *quærentis*. *Tumensque Jacob cum jurgio ait*, id est multum indignatus, tam vultus quam verborum asperitate ait. Quod quidem pro loco et tempore sancte fit a sanctis : et certe non solum ex subsequentibus verbis Jacob patet ipsum juste fuisse indignatum : sed etiam ex facto Laban. Nullatenus enim debuit credere, quod Jacob fuisset sibi aliquid furatus et præcipue idola ; et saltem ex quo audivit hoc fortiter negantem, et omnia sua ejus scrutinio exponentem, debuit credere et desistere. *Pone hic coram fratribus tuis*. Forte fratres suos vocat illos de quibus dicitur, quod Laban assumptis fratribus suis persequutus est eum : unde hoc de filiis Laban ipsius dicit. Nam filii ipsius Jacob parvi erant, et primogenitus ejus, scilicet Ruben, nondum habebat tredecim annos : et ideo ad hoc dijudicandum nondum erant idonei. *Idcirco viginti annis fui tecum ?* Hoc indignanter et interrogative debet legi , quasi dicat, Obsequium, quo viginti annis servivi tibi, non meruerat, ut ita scrutareris omnia mea. *Ego omne damnum reddebam*. Videtur, quod Jacob aliqua de domo patris sui secum haberet, ex quibus posset damna illa reddere. « Diu noctuque æstu urebar et gelu. » Æstu scilicet de die, gelu de nocte et aliquando de die. Nec mirum, si idem effectus potuit esse a diversis causis ; et maxime, quia ventus est effectus immediatus ; quamvis ustio immediatius sit ab æstu, quam a gelicidio seu a frigore. Primi enim effectus caloris et frigoris sunt calefacere et infrigidare : per infrigidationem autem fit aliquando nimia contractio carnium et pororum ejus : ad quam sequitur interim caloris accensio et superficialis cutis nimia desiccatio. Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi. Nota ex his quam fideliter quamque simpliciter servierit ei ; et e contra quam injuste et impie ille semper se habuerit ad eum. *Immutasti quoque mercedem meam decem vicibus*, id est pluries ; sumitur enim numerus determinatus pro indeterminato. Vel ad litteram decem vicibus juxta modum superius tactum, immutavit eum hoc modo ; quia quando Laban videbat plures diversi coloris nasci, dicebat, Unicolores sint deinceps merces tua. Quando vero videbat unicolores plus multiplicari, dicebat : Amodo diversi coloris sint tui. Pro decem vero vicibus Septuaginta habent, decem agnis. Sed Hieronymus dicit, quod nomen Hebraicum (monim) numerum magis quam agnum sonat. *Et timor Isaac*, id est Deus, quem timet Isaac ; vel sanctus timor, quo ipse eum colit et timet. Nomine enim timoris intelligitur aliquando totus cultus Dei. *Uterque juxta proprietatem linguæ suæ*. Laban enim , secundum Hieronymum, antiquam parentum linguam commutaverat in linguam provinciæ in qua habitabat. Jacob igitur acervum testimonii lingua Hebræa vocavit Galaad. Galaad enim est acervus testimonii : Laban vero id ipsum, id est acervum testimonii, lingua Syra vocavit, ut ibidem ostendit. Nota pro mysteriis, quod sicut in prima procreatione virtuosæ prolis requiritur virtuosum exercitium : sic in procreatione habendæ mercedis requiritur providæ discretionis sagax ingenium, per quam scit homo se diversimode omnibus, prout expedit, contemperare et accommodare. Et primo oportet quod sciat intelligentiam proportionaliter variare, et Scripturæ sacræ intelligentiam sub rationabili varietate inspicere. Oportet etiam, quod in canalibus, id est Scripturæ sacræ libris seu tractatibus, in quibus aquæ divinæ sapientiæ continentur, ponat virgas, id est rectas et solidas intelligentias, seu expositiones : in quibus sic servetur sensus litteralis quasi cortex, quod nihilominus pro eo, quod spiritales sensus exigunt, auferatur velamen corticis litteralis : ut sic exempla et documenta arietum, id est sanctorum Patrum in his aquis descripta mentibus seu affectibus spiritualiter fœcundandis appareant varia, in hora fervidi conceptus et potus ; et ex hoc proles eorum erit conformiter

variata. Et quia naturaliter omnia Dei opera sunt quidam canales super quos est effusa aqua sapientiæ Dei, juxta illud Ecclesiastici primo, *Effudit illam super omnia opera sua*; idcirco sic ex omnibus est Deus per similitudinem spectandus quasi sparsorum cortice remanente, quod nihilominus per privationem omnium est super omnia segregandus, ut ab omnibus secernatur; alias enim non concipietur recta intelligentia ejus. Mystica vero ratio trinæ speciei virgarum potest tripliciter accipi, secundum tres generales rationes variationis prædictæ. Prima enim sumitur ex respectu operum agendorum, quæ pro loco et tempore varias circumstantias exigunt; ita quod id quod agendum est aliquando, in alio tempore est omittendum, vel augendum vel minuendum; semper tamen debet esse recta intentio quasi virga recta. Tunc igitur trina est virga secundum tria principalia objecta, ex quibus sumuntur genera moralium operum. Nam per respectum ad Deum debet esse virga florigera et fructifera, qualis est amygdalina, quæ ad monstrandum Sacerdotium dignum floruit et fronduit. Opus enim habens Deum pro objecto immediato, habet miros splendores divinorum luminum, quasi flores; et miros sapores dulcorum et gustuum quasi fructuum. Per respectum vero ad seipsum, debet esse actio pungitiva et concupiscentialis caloris divisiva; ut sit virga generans vinum acerbum malorum granatorum. Per respectum vero ad proximum, instar virgarum populearum, debet esse actio multiformis juxta multiformitatem personarum et populorum. Secunda sumitur ex respectu statuum populi Dei, qui in tres distinguuntur, scilicet in conjugatos, clericos et religiosos; vel infimos, medios et supremos; vel in statum activorum, contemplativorum et prælatorum; vel in statum ante legem, et sub lege, et post legem. Tertia est respectu fidei vel Scripturæ, quæ juxta modos prædictos habet distingui. Nota etiam, quod sumendo fœcundationem hanc allegorice, prout scilicet ad spiritales patres Ecclesiarum et religionum est in subditis hujusmodi varietas discrete formata; tunc per Laban intelliguntur Prælati sæculariores et vetustiores, aut carnaliores; et tunc serotina, id est pigri et inhærentes, semper sunt Laban. Prima vero, id est strenui et præcipui, spectant ad Jacob. Et sæpius sicut prima proles sanctorum statuum est spiritalis et fervida, sic serotina invenitur tepida et carnalis, et quasi fæx optimi vini in fundo vasis residens et persistens. Nota etiam, quod quandocumque Laban petit varia, tunc Jacob accipit uniformia pro se, et e contra. Carnales enim ex hypocrisi, aut ex sola consuetudine, aut ex aliquo schismatico aut carnali aut superstitioso vel cæremoniali affectu et ritu, suas habent varietates et uniformitates; et ideo eorum varietati spiritalis uniformitas charitatis est opponenda; eorum vero carnali unitati est discreta varietas objicienda. Nota etiam tertio, quod in fuga Jacob a Laban, designatur finalis discessus spiritualium a carnalibus, propter quorum filias sive plebes ad Deum trahendas, suaque spiritui copulandas, eis per longa tempora servierunt; sed quia in fine contra spiritales plus solito inserviunt, idcirco oportet eos redire ad terram patrum suorum; unde et in fine ad Judæos convertendos redibit prædicatio; et sicut Apostoli relicta Synagoga fuerunt missi ad Gentes; sic suo modo et isti. Quod vero Rachel inscio Jacob furatur deos sive idola patris sui, si sumatur in malo, designat quosdam muliebres contemplativos, sive potius curiosos, qui curiosam carnalium scientiam in spiritualium habitu quasi furtive acquirunt, et ideo menstrua patiuntur juxta morem sæcularium feminarum, sapientium, scilicet, mundanorum, qui sola sapiunt carnalia et terrena. Sumptum vero in bonum designat perspicaciam verorum contemplativorum, per quam in arcano suorum cordium, quasi furtive dijudicant vitia et idola Prælatorum, quos relinquunt. Quia tamen, dum carnales ob hoc inserviunt, plerumque oportet aliud exterius simulare, sic tamen, quod prædicta idola realiter conculcentur; idcirco Rachel se simulat quasi muliebria pati, tenendo tamen idola sub se, et sub sella cameli; quia quietam vitam simplicium servorum Dei, quæ est quasi sella camelorum, præferunt idolis illis; sed simulando se muliebres et simplices, fingunt se non surripuisse idola illa, et sic Laban deluditur. Per Jacob vero (licet ignorantem) designantur hic quidam patres spiritales, qui circa hujusmodi zelum non ita tunc temporis occupantur, pro eo quod suis et suorum spiritalibus negotiis toti insistunt. In fœdere vero inter Jacob et Laban initio figuratur primo quædam pax, quæ

fit ante plenum discessum, per quem a Laban adjuratur, quod alteram fidem, ne alias filias, id est vitam aliam, a prælibita introducat. Secundo figuratur quædam pax dimissoria, qua se mutuo finaliter impugnare desistunt.

CAPUT XXXII.

Fuerunt ei obviam Angeli Dei. Hic narratur, quam caute et discrete Jacob placavit iram et impetum fratris sui; et hoc per quatuor, quæ fecit : Primum est discreta missio munerum; non enim misit totum simul, nec semper eadem, aut per eosdem : imo quinque greges distinctos præter sextam legationem servorum, quam primo præmiserat. Secundum est ordinata distinctio suæ familiæ in duo, seu in duas turmas, scilicet ancillarum et liberarum facta, ita quod sibi charissima posuit in fine postremo. Tertium est attenta ac fortis et pervigil oratio et supplicatio ejus ad Deum usque ad plenam impetrationem intenti. Quartum est humillimus modus honorandi Esau, tam verbo quam gestu, tam per se, quam per omnes famulos et familias suas : quia omnes debuerant ipsum vocare dominum suum, sibique supplicare, et genu flectere tamquam domino. Ne hoc autem quasi ex solo ingenio, aut tamquam metu consternatus absque spe divini consilii, vel quasi desertus a Deo hoc fecisse credatur : ideo ante ista præmittitur, quod exercitus angelici sibi venerunt obviam, se sibi sub certa specie visibiliter ostendentes, ac si dicerent : Nos erimus tecum. Et ut ex litera conjicitur, non solum vidit eos quasi euntes, sed etiam eo modo, quo in castris exercitus militum solent stare. Unde nomen loci, in quo eos vidit, vocavit Monaim, idest castra. Quæritur autem primo, Quomodo Jacob ita timuit fratris sui adventum, quum nuntii sui non legantur dixisse ei, quod Esau veniret ad eum nocendi causa? Præterea numquid non certus erat de Dei promissionibus ad se factis, quas ipse etiam refert, dicens : Domine, qui mihi dixisti, revertere etc.? Dicendum, quod quantum ex serie hujus literæ conjicitur, Esau a principio veniebat ad eum animo nocendi. Conjicitur autem hoc primo ex hoc, quod cum quadringentis viris quasi manu armata veniebat ad eum. Secundo, quia Deus consolans super hoc Jacob, non dixit ei, ne timeas, quia non venit contra te animo irato; sed potius dixit, quod si fortitudine sua Deum vicerat, multo magis poterat hominibus prævalere. Dato autem, quod Esau non pacifice veniret, nihilominus Jacob probabiliter poterat contrarium suspicari. Ad illud autem de spe promissionis divinæ dicendum, quod spes illa nec semper nec necessario excludit timorem sensualem vel naturalem, aut timorem ex humana ratione conceptum : sed sufficit, quod excludit desperationem, et illum timendi modum, qui desperationem inducit. Alias Joseph et Christi mater ut quid timuerunt in Judæam cum Christo venire, quia Archelaus ibidem regnabat, cum certi essent Christum contra suum beneplacitum non posse aliquid pati? Præterea licet Deus promisisset Jacob suam protectionem, modum tamen non omnino explicaverat ei; et ideo dubitare poterat, an Deus permitteret uxores et liberos ejus occidi, et sic de multis damnis. Secundo quæritur de reverentia, quam exhibuit fratri suo, adorando scilicet eum, et vocando eum dominum suum, et dicendo, quod suam faciem videret ut vultum Dei. Quod verbum maximæ adulationis fuisse videtur. Dicendum, quod tam humanæ quam divinæ prudentiæ est scire se humiliare pro loco et tempore, etiam reprobis et indignis; et maxime, ubi per hoc placatur ipsorum ira, et evitatur multiplex damnum : est etiam hoc virtutis humilitatis. Præterea licet Jacob divino instinctu fratri suo subripuisset benedictionem et primogenituram, nihilominus quia modus exterior quamdam speciem doli et injuriæ contra Esau prætenderat : idcirco decens fuit, quod se illi humiliaret, et suppliciter veniam postularet. Præterea indecens non fuit, quod fratri suo ætate majori, et temporaliter præpotenti, exhibuit temporalem reverentiam operis obsequio, et comprobavit non odisse aut contemnere fratrem suum ; sed potius ipsum ex corde diligere et revereri : et præcipue cum falso contrarium putaretur. Rursus decens et expediens fuit in hoc ipso subinnui, quod vis benedictionis et primogenituræ fratri suo subtractæ potius erat intelligenda, quoad primatum gratiæ spiritualis, quam quoad primatum dominationis et præsidentiæ temporalis. Dixit autem veraciter, vidisse vultum ejus quasi vultum Dei; quia sensibiliter occurrerat ei, et admirabiliter timendus et re-

verendus. Nam quasi non designat ibi æqualitatem, sed quamdam similitudinem et hyperbolicam, qua communiter loquentes sæpe utuntur. Ex quo etiam vidit fratrem suum ad se placatum, vidit faciem ejus sibi sensibiliter valde gratiosam : ita quod ex utraque earum potuit veraciter illud dici : *Mittoque nunc legationem ad dominum meum.* Videtur quod per legationem intelligat hic non solum servos, sed etiam munera ; alias quare posset, quod servi sui ex parte sua præmitterent oves et boves etc., nisi intenderet dicere. Ecce tanta bona sunt mihi data a Deo, de quibus aliqua tibi tamquam domino meo mitto : *Minor sum cunctis*, idest ad nullam misericordiam tuam mihi impensam habeo condignam magnitudinem aut bonitatem ; imo respectu omnium sum deficiens et minor, quam esse deberem : *In baculo meo transivi Jordanem istum.* Secundum quosdam istud dicit, non quod Jordanis esset tunc sibi præsens, sed ipsum demonstrative denotat tamquam sibi propinquum et tamquam notum et famosum in terra Judææ ; et forte videbat eum, licet a longe. Alii volunt, quod ad literam esset tunc juxta Jordanem. Quod autem infra dicitur transisse vadum Jacob, inquiunt, quod nomen tale ex transitu illo pars illa Jordanis, quam transvadavit, accepit. Alii vero sequentes primum modum dicunt, quod Jacob est alveus a Jordane distans ab ipso per duo milliaria, et est in finibus Idumææ ; et inquiunt quod interpretationi nominis Jacob congruit ; Jacob enim interpretatur pulvis et meta. *Ipse vero mansit nocte illa in castris*, idest in Manaim, in loco scilicet præmisso ; *cumque mature*, idest festine et ante diem, *surrexisset, remansit solus*, causa orandi, ut puto : *Et ecce vir luctabatur cum eo.* Non puto, quod eo modo luctaretur cum eo, quo communiter luctantes ; sed potius quod Angelus sive Deus in specie hominis sibi apparens, precibus et attractivis manibus et amplexibus tenebatur a Jacob ; dumque fingebat se omnino velle discedere, impellendo se ad recessum, tunc Jacob firmius tenebat, et ad se trahebat, quasi nitens ipsum apud se retinere, usquequo preces, quas pro salvatione sui et suorum ab Esau sibi porrigebat, exaudiret. Et hoc sonant verba, quæ Deus subdit, dicens : *Dimitte me.* Et quod Jacob dicit : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Qui cum videret, quod eum superare non posset*, idest non vellet bono modo : et loquitur sicut cum dicimus, Deus non potest se negare suis amicis. Et non posse superare, sumitur pro non posse a manibus illius divelli. *Tetigit nervum femoris ejus etc.* Hoc fecit Deus, tum ut efficaciam suæ virtutis, per quam facillime potest omnibus prævalere, sensibiliter experiretur, etiam cum Deo prævalere videbatur ; tum ut visionis memoria sibi fortius infigeretur, et suis ex hoc plenius notificaretur. Nam ex tali effectu post visionem in eo relicto, clarius patuit suæ visionis excessus. Factum est etiam hoc in signum sapientale et figurale, quod scilicet carnalis concupiscentia, quæ viget in femoris imo, ad tactum Dei marcescit : et quod caro Judæorum, et carnalis sensus legis et literæ per luctam seu pugnam Christi cum eis erat exsiccanda : et ideo claudicat Judaismus, quia ima ejus pars ivit sursum ad Christum, et est benedicta ab ipso ; altera vero ivit deorsum, et ideo est ab humore gratiæ exsiccata ; propter quod veri filii Israel non comedunt nervum carnalis literæ quæ occidit, et quo vivere non potest robur potentiæ creatæ ; imo ad præsentiam divinæ potentiæ ipsa est pura passio, et quasi nihil. Si autem quæras, quare Deus sic luctabatur, quod luctantem superare nollet ? Ad hoc est prima ratio, ad monstrandum scilicet efficaciam fortis et fiducialis orationis : tam illius, quæ tunc erat in Jacob, quam consimilium. Unde et ideo Deus fingebat se omnino recessurum, ut instantia precum fortius retineretur et quasi violentaretur seu compelleretur suum rigorem flectere. Ideo enim a cordibus orantium sæpius evolat, et quasi aufugit, ut fortius quæratur et trahatur, et violenti rapiant illum. Et ut etiam doceat per hoc, quod homo non est dignus habere, nisi fortius instet, ipsumque importune propulset. Secunda est ad figurandam luctam Christi, non cum spiritu Jacob, sed cum carne brachio ejus, idest cum parte Judæorum carnalium, a qua Christus propter redemptionis nostræ pretium superandus erat ad horam. In cujus signum Scriptura vocavit hic luctam potius, quam tractum, et si ad literam speciem habuit communis modi luctandi : in cujus rei signum est factum, et per consequens ut in signum luctæ Prophetarum et Apostolorum, et consimilium, cum carnali synagoga seu Ecclesia temporum suorum. *Dimitte me, jam enim ascendit*

aurora. Nota, quod loquitur ad modum alicujus domini seu viri maturi et honesti, qui erubescit videri luctari, vel aliqua sibi non condigna agere. Vel loquitur ad modum alicujus, qui habet festinationem ad locum alium recedendi, allegans causam festinationis, quia omnino jam est hora eundi. Docens nos in hoc, quod ex quo incipit quasi usque prope diem cælestis gloriæ cordi illucescere : ex tunc se inacceptabilem esse dicit. Sed nihilominus quia iste modus loquendi quamdam humanam et socialem familiaritatem sapit, idcirco Deus ad speciales amicos suos aliquando tales modos loquendi habet, et ex hoc familiarius et socialius, et per consequens fiducialius se ingerit cordibus eorum. *Quod nomen est tibi?* Interrogat non quasi ignorans, sed ut ex responsis assumat causam benedicendi. *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Quasi dicat : non solum amodo supplantator hominum vel tuorum hostium diceris vel es : imo Princeps cum Deo. Cujus rationem subdit : *Quia si contra Deum fortis fuisti*, per violentiam scilicet detentivarum precum et importunarum pulsationum cum Deo pugnando, ejusque rigorem superando, sive flectendo : quanto magis contra homines prævalebis ? Sed forte quæres : Quid facit hoc ad benedictionem, cum bonum jam habitum potius astruatur, quam novum aliquod donum detur ? Dicendum, quod istud est benedictio commendans et confirmans donum gratiæ primo datum, et ita animum Jacob amplius lætificans et confortans ; et ultra hoc non solum respectu Esau, sed etiam respectu omnis adversarii saltem humani, prædicit fore victoriosum. Et in hoc ipso concluditur collatio efficaciæ et promissio auxilii contra hostes ; ac si diceret : Ne paveas, sed esto securus, qui tuis violentis precibus apud Deum, quamquam renitentem, obtinuisti, quod contra hostes tuos sis prævalidus et victoriosus. Potest etiam dici, quod præter hoc postmodum benedixit eum : unde paulo post dicitur: *Et benedixit ei in eodem loco.* Nota autem, quod secundum Hieronymum in hoc loco, quod interpretatio, qua in libro nominum Israel interpretatur nomen Jacob, idest vir videns Deum, et violenta : unde, secundum eum proprie interpretatur, Princeps cum Deo, idest Princeps fortis et præpotens sicut Deus. Vel fortis a Deo. Interpretatur etiam secundum eum directus Dei. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Sensus potest esse, Quod hoc dico, mirabile est nomen ejus : vel quod nomen suum est mirabile, quod non est nobis comprehensibile. Utrumque tamen realiter redit in idem ; quia semper designatur, quod Deus non potest a nobis comprehendi, nisi per admirationem et superexcessum superadmirabilis transcendentiæ suæ. Sed numquid Jacob non noverat ipsum esse Deum, quando dixit ei, *Non dimittam te, donec benedixeris mihi:* Aut quando ab ipso audivit. Si contra Deum fortis fuisti etc.? Potest dici, quod in parte noverat, sed nihilominus plenius et altius hoc scire cupiebat. Vel potest etiam dici, quod sancti in hujusmodi visionibus plus aguntur quam agant. Unde Deus ipsemet qui respondet, occulte movet eos ad interrogandum. Potuit etiam esse, quod in principio non clare distinxerit, an persona sibi apparens teneret proprie personam Angeli vel Dei. *Vocavitque nomen loci Phanuel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem.* Phanuel enim interpretatur facies Dei. *Et salva facta est anima mea*, scilicet ab omni humano nocumento et timore. Vel salva facta est in pleniori spe gloriæ et omnis boni. Quomodo autem viderit Deum, ex his quæ alibi dicta sunt, et etiam in lib. *de Angelica hierarchia* habentur, satis patet.

CAPUT XXXIII.

Adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus. Licet non dicatur, quod adoraverit Dominum aut fratrem suum, satis tamen innuitur, et etiam quod fratri suo de longe reverentiam exhibuerit : ut sic magis placaret animum ejus. *Et oves ac boves fœtas*, id est fœtu plenas, sive prægnantes vel fœtas, id est de novo parientes et a partu liberatas. Reversus itaque illo die Esau. Hæc est sexta pars historiæ Jacob ; in qua narratur, quomodo in Sichem pervenit, et quomodo ob violentam oppressionem Dinæ populus Sichem a filiis Jacob occisus fuit. Et Jacob venit in Socoth. De quo dicit Hieronymus, Socoth usque hodie est civitas trans Jordanem in parte Scitopoleos. Unde et Judicum octavo dicitur, Gedeon transisse Jordanem, quando locutus est ad viros Socoth, et inde condescendens venit in Phanuel. Ex quo vi-

detur vera opinio illa quæ dicit, quod Jacob mansit, [illegible] sed Jacob [illegible]. *Transivitque in Salem urbem Sichimorum*, id est, pertinentem ad possessionem seu regionem urbis Sichem. De hac autem urbe dictum est supra decimo quarto, cum de Melchisedech ageretur. Dicit autem Hieronymus super hoc loco, quod Salem sed nomen fuit duarum urbium, videlicet ipsius et Jerusalem; aut loci Salem quæ nunc pro Sichem nominatur. Habet accentum paululum ab usuali alterius declinatum, et tunc illa interpretatur pacifica. Hæc autem consummata atque perfecta. Unde et in statim sequentibus dicit, quod secundum literam Septuaginta viri Sichem dicuntur viri pacifici, in Hebræo legitur Salamim, quod Aquila interpretatus est consummatos atque perfectos. *Invocavit super illud Fortissimum Deum Israel.* Forte ideo vocatur hic fortissimus, quia liberaverat Jacob de manu Esau; vel quia Jacob ad magis singularem sensum divini operis per prædicta fuerat perductus. Nota pro mysteriis, quod per Esau in hoc loco designatur pugna confratrum et contribulium, de qua posterioris ad Corinthios XI dicit Apostolus: *Periculis in falsis fratribus*; quorum caput, ut ibi præmittitur, transfigurat se in Angelum lucis. Et quia nullum bellum acrius quam hostes domestici, et potissime quando pro se colorem justitiæ et majestatem prælationis videtur habere; ideirco nullum prælium legitur Jacob ita fortiter timuisse, nec in aliquo loco et exercitum Angelicorum præsidium ita sibi astitisse, sicut in isto. Quibus multa temporalia non solum semel et bis, sed sexies et ultra sunt relinquenda, imo et auferenda, cum temporali primatu, quem appetunt: ut sub circumstantiis cætus humilium quasi pacis singularis conservetur; quamvis ubi hoc præjudicat veritati, aliter sit agendum. Quod vero populum suum in duas turmas divisit, ponens liberas post ancillas, et omnium postremo Joseph cum Rachele, moraliter designat ordinatum statum mentis perfectæ: quia in loco ultimo debent esse dona superiora, et sic per ordinem usque ad inferiora et extrema. Et per hoc intellige allegorice ordinatum statum Ecclesiasticæ familiæ, qui summo opere observandus est in tempore periculosæ pugnæ. Quamvis et per hoc figuratur ordo statuum Ecclesiæ secundum diversa tempora ejus: quia primo sub lege naturæ quum scriptæ præcesserunt ancillæ cum filiis suis, deinde secuta est vita activa, et postremo erit contemplativa cum prole sua.

CAPUT XXXIV.

Egressa est autem Dina. Quomodo Jacob venit et inhabitavit circa Sichem hic subditur; et de oppressione Dinæ et de vastatione urbis Sichem ex eo subsecuta. Et nota, quod hoc non fuit factum statim post adventum Jacob: tum quia Dina non habuit tunc ultra septem annos, quando autem hoc contigit erat nubilis ætatis; tum quia Simeon et Levi qui in consilio contra Sichimitas principales fuerant, vix habebant tredecim annos; quando autem contigit, oportet eos fuisse majoris roboris et ætatis. Nota etiam quod multitudo non parva servorum erat cum Jacob, ex quibus aliqui cum Levi et Simeone contra Sichimitas fuerunt. Sed duo filii ejus in hoc facto singulariter nominantur qui facti ejusdem principes et auctores fuerant. *Augete dotem*, illam scilicet quam maritus debet dare uxori. *Responderunt filii Jacob in dolo: Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso.* Quidam aiunt, quod hoc inter cætera dicunt dolose, quia nondum hoc erat prohibitum: nisi forte de incircumcisis illius terræ Chanaan hoc ante legem scriptam a Deo ipsis prohibitum esset. Sed quæritur, An Simeon et Levi peccaverint in facto isto? et videtur quod sic; tum ex loco isto, tum ex hoc, quod Jacob penultimo capite hujus libri dicit: Simeon et Levi vasa iniquitatis bellantia, maledictus furor eorum, quia pertinax. Sed contra hoc est, quia Judith Deum in oratione sua facta sic alloquitur: Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, quia violaverunt et denudaverunt femur virginis: et dedisti eos in divisionem servis tuis, quia zelaverunt zelum tuum etc. Ad hoc est duplex responsio seu opinio. Prima est, quod peccaverunt: Primo ratione iræ. Secundo, quia in doloso pacto; qui dolus licet in omni pacto fœderis sit illicitus et proditorius, ultra hoc etiam fuit hic sacrilegus, quia fuit in tanto sacramento, scilicet circumcisionis. Tertio scilicet in interfectione non illius solius, qui crimen stupri commiserat, sed etiam totius plebis. Et hoc in puncto, in

quo valde fuerant miserandi : quia tunc ob vulnus circumcisionis urgebantur acri dolore. Ad illud autem de Judith dicitur, quod licet in illo facto habuerunt zelum Dei contra stuprum illud : tamen non habuerunt illud debitis, circumstantiis moderatum. Licet etiam Deus juverit eos in interfectione illorum, non ex hoc sequitur quod ipsi fuerunt a peccato immunes : quia Deus multis ex causis jurat temporaliter peccatores. Secunda opinio est, quod in hoc non peccaverunt, nec habuerunt dolum malum, sed potius rectum et cautelosum. Viri enim de Sichem erant facinorum participes, ideoque erant digni mori. Non enim videtur, quod familia Jacob in totam plebem illius urbis propter crimen unius solius sic exarsissent in iram, nisi sensissent, quod erant participes et defensores facinorum ejus. Quod vero Sichem consensit se et suos circumcidi, potius fecisse videtur ob carnalem amorem puellæ, quam propter fidem, aut amorem divini cultus et religionis ; populusque ejus potius ad hoc suasus esse videtur ob amorem domini sui temporalis, et ob spem commodi temporalis, quam propter aliud : et ideo nullam indulgentiam aut gratiam promeruerunt. Præterea si filia Jacob et familia ejus fecit hoc impie et dolose, tunc apud Deum et homines maxima pœna digni fuerunt : et tunc non suffecisset, quod Jacob solo simplici verbo duos principaliores eorum increpasset dicens : *Turbastis me etc.* Nec videtur, quod Deus curasset perterrere omnes urbes vicinas et non auderent persequi eos, sicut sequenti capitulo dicitur factum esse. Præterea hic dicitur, quod parvulos et uxores duxerunt captivos et deprædati sunt omnia bona eorum. Ergo si injuste hoc fecerunt, Jacob debuit restituere omnia illa : quod non legitur fecisse. Præterea Jacob infra capite quadragesimo octavo legavit Joseph urbem Sichem, quam dicit se tulisse ab eis in gladio filiorum suorum. Videtur autem, quod hoc non diceret, nisi illud bellum justum fuisset. Si dicatur quod Jacob loquitur ibi solum de parte agri, quam emerat, hoc ridiculosum videtur ; tum quia hoc esset donum quasi nullius valoris, ac per consequens non competens Joseph, et præcipue in tali statu ; tum quia partem illius agri non acquisivit in gladio, sed potius in pace et pacifico pretio. Hæc autem opinio sumpta videtur partim ex quodam libro apocripho, qui nominatur Testamentum duodecim Prophetarum, ubi Simeon et Levi in suo testamento dicunt, se hoc bono animo fecisse, ita quod de hoc non se accusant, immo potius commendant. Et secundum hoc, ad verbum Jacob respondetur, quod scilicet ibi prophetice loquitur de futuro scelere Pharisæorum et Scribarum contra Christum quasi de præterito ; et quod illud, quod pro pœna maledictionis subditur, scilicet illud : *Dividam eos* seu dispergam in Jacob, potius facit ad benedictionem saltem respectu Levi ; quia divisio illa in tribu Levi facta est per totalem mancipationem ipsius ad divinum cultum : et per hoc quod decimas et oblationes pro sorte hæreditatis accepit. Tertius modus est, qui temperat modos prædictos ; qui dicit, quod Simeon et Levi hoc partim fecerint moti a Deo, partim in impetu zeli sui. Unde Richardus dicit: « Illud sane dixerim quod Dinæ fratribus merito displicuit, merito eos placare non potuit circumcisio : quæ non tam pro Deo, quam pro Dina facta fuit. Malum tamen in eis fuit severitatis modum excedere, et in ulciscenda injuria æquitatis mensuram minime servasse. » Merito ergo Jacob inconsultam eorum audaciam redarguit : severitatemque tam indiscretam juste reprehendit. Neque mirandum, si idem opus secundum aliquid sui est rectum et ex zelo procedens, et secundum aliquid sit temerarium et excessivum : quando etiam verbum Caiphæ, pro quanto fuit ab occulto Dei instinctu, fuit Propheticum : pro quanto vero a prava intentione Caiphæ, fuit impium. Quod si dicas, neque zelum sanctum posse ad talem proditionem movere, ut scilicet sub specie fœderis et sub promissione mutuæ pacis et amicitiæ matrimonium contrahatur, et hoc per sacramentum divinæ religionis assumptum : ut sic fœderatorum occisio perpetretur : Potest dici, quod Deus viderat cor Sichimorum in hoc fœdere non intendere Deum, nec emendam scelerum, sed solum pacem et voluntatem carnalem : idcirco non ex hoc cessavit cor filiorum Jacob movere ad zelum ultionis : et simpliciter potuit esse, quod filii Jacob satis adverterent, quod Sichimitæ nihil Deum timerent, neque in his Deum intenderent ; ac per consequens, quod non erat expediens connubia cum eis inire : et pro tanto recte potuerunt perseverare in zelo exterminii illorum. Sed quod absque patris consilio et deliberatione tali

laudere hoc perficere intenderint: non video, quomodo potuit esse bonum. Pro quanto igitur hoc fuit a Deo et bonum, laudatur quidem a Judith; pro quanto vero fuit malum, increpatur a Jacob. Si quis tamen dicat, quod ipsa Judith judicio divino juste potuit simulare se velle fornicari cum Holoferne, ut haberet opportunitatem occidendi eum, et sicut populus Israel potuit petere mutuum ab Ægyptiis quasi ab amicis, absque hoc, quod intenderent reddere mutuata, sic potuit et in proposito fieri: non contradico, quamvis non sit ita mihi clarum in hoc casu, sicut in illis. *Acceptis duo filii Jacob gladiis, ingressi sunt urbem confidenter*, sive audacter. An soli ambo fuerunt, non claret omnino. Quidam volunt, quod bene potuit hoc fieri a solis duobus, propter vehementem dolorem, quem tunc ex circumcisione Sichimitæ habebant, et etiam propter spem fœderis initi, et maxime zelo iræ vehementis eos impetuose movente. Alii volunt, quod aliquos servos suos secum habuerunt. Nota pro mysteriis, quod moraliter Dina pro venusta verecundia accipitur, sicut tactum est supra, cum de tota prole Jacob moraliter ageretur. Tunc per Sichem ipsam rapientem, et pro ejus amore se et suos circumcidentem, designatur amor vanæ gloriæ, qui pro evitando detrimento potius, quam propter Deum amputavit suorum superflua pudendorum, ne, scilicet, et impudentes, et sine verecundia esse videantur. Unde recte ejus pater est Emor, qui interpretatur asinus; ipse vero Sichem labor, vel humerus, quia de amore propriæ excellentiæ, qui est stultus, ut est asinus, nascitur amor inanis gloriæ, qui humerum suum ad laborem exterioris seu pœnitentiæ subjicit, quod est proprium hypocritarum. Qui toties Dinam quasi nolentem opprimit, quoties mentem corruptionis sive confusionis erubescentem, et idcirco fortiter reluctantem etiam invitam usque ad turpem delectationem seu glorificationem trahit; quod non fieret, nisi ipsa extrinsecus evagasset, curiose videns inspicere mulieres vicinas, id est infirmas forinsecæ gentis. Ex quo plerumque contingit, quod suum decorem illorum infirmitatibus præfert, et ex hoc appetitus vanæ gloriæ ipsam vehementius pulsat: cujus impetum dum repellere non sufficit, viribus Sichem victa succumbit. Sed cum hoc ad Simeonem et Levi, id est ad doloris et spei notitiam pervenit, fit aliquando dolor excessive se ulciscendi. Neque potest Dinæ copulari, nisi masculorum, id est morum suorum fortium et consuetorum præputia circumcidat, et Sichem, id est amor gloriæ hic deficiat. Sichem sive Dina, id est gloriatio sive verecundia, est gloria imprudens: nihilominus Simeon et Levi, id est dolor et spes, sic aliquando se excedunt, quod non solum inanem gloriam abjiciunt, sed etiam opera bona ex inani gloria inchoata cum tamen in talibus non debeamus assumptam morum honestatem destruere, sed intentionem mutare. Et nota, quod tertio die circumcisionis hanc stragem faciunt: tria enim bona quasi tres dies sunt a circumcisione morum recte facta. Primum est bonitas et difficultas operis extrinseci. Secundum est puritas cordis ex hoc exquisita et exercitata. Tertium est præmium, et hoc apud Deum promeritum. In mente igitur considerante, se propter inanem gloriam consueta et amante vitiorum opera a se amputasse, surgit dolor gravis; quia non relinquitur sine gravi dolore, quod possidebatur forti cum amore. Cum vero considerat, se ex hoc non profecisse, sed potius capitale vitium incurrisse, fit dolor gravior et justior. Sed cum tertio considerat se ex hoc non promeruisse præmium apud Dominum, imo et æternum supplicium meruisse, fit dolor gravissimus: et ideo tunc insaniunt Simeon et Levi, quia nesciunt patienter dolere, neque de morum sic circumcisorum correctione sperare. Vel quia gladius Simeonis, idest doloris, est reprobatio mali commissi: gladius vero Levi est exactio pœnitentiæ rigidæ. Solet etiam spes nimium præsumens opera nimis fortia et dura exigere. Quid est enim aliud, eos acceptis gladiis Dinæ amatores interficere, quam exprobatione malorum etiam inevitabilium, vel exactione abstinentiarum, vel macerationum etiam impossibilium, non solum vires corporis, sed etiam vires mentis sic attenuare, ut postmodum nihil boni possit exercere? Vel generalius designatur hic moraliter periculum curiosæ evagationis, ex qua mens alias casta etiam invita corrumpitur ab illecebris apprehensis. Allegorice autem per Sichem significatur Christus; per Dinam autem decora Synagoga, pro qua Christus humeros suos omni labori subjicit. Et ipse est filius asini, vel quia ipse apud Deum pro nobis factus est ut jumentum,

vel quia filius est sanctorum patrum, qui se velut asinos oneribus pœnitentiæ subjecerunt. Quia vero Christus Synagogæ cum beneplacito Judæorum non poterat copulari, nisi circumcisionem et sacramenta legalia a principio observasset, ideo pro ipsius amore se circumcidit. Sed quia Scribæ et Pharisæi Synagogam æstimaverunt a Christo corruptam, ideo ipsum et ejus discipulos impie occiderunt, et Synagogam sibi funditus abstulerunt. Factumque est hoc tertio die, id est tertio anno suæ prædicationis seu persecutionis, in quo fuit suæ crucis gravissimus dolor. Considerando vero factum Simeonis et Levi in bono, tunc per ipsos designantur sancti Doctores Ecclesiæ et prælati, ut Petrus et Paulus qui contra pseudoapostolos et Christi Ecclesiæ corruptores zelum miræ severitatis exercuerunt. Consimiliter etiam contra hæreticos factum est per subsequentes doctores, et Ecclesiæ rectores; et hoc in tantum, quod apud quosdam de majoribus, qui hic per Jacob designantur, reputati fuerunt excessisse mensuram. Quia vero Ecclesiæ Doctores non essent passi cum pseudoapostolis communionem habere, nisi illi ea quæ fidei aperte repugnant, a se circumdissent, quod illi non vere sed simulate fecerunt: idcirco fuerunt in eis tres dies doloris. Fuit enim primo in eis dolor circumcidendo eloquia. Secundo fuit gravior dolor in circumcidendo sensum sive intellectum carneum. Tertio fuit in eis gravissimus dolor circumcidere quæstum cupiditatum et gulositatum. Et ideo per istum et in isto Paulus invenit aditum ad detegendum errores eorum, et ad ipsos exterminandos de Ecclesia Dei.

CAPUT XXXV.

Interea loquutus est Deus ad Jacob. Hæc est septima pars gestorum Jacob: in qua primo narratur recessus ejus de Sichem. Secundo adventus in Bethel. Tertio in Bethleem. Quarto trans turrim gregis. Quinto in Hebron ad patrem suum. Et in qualibet harum contigit notabile aliquid. In prima, scilicet abjectio et sepelitio idolorum et territicatio Gentium eis convicinarum. In secunda altaris ædificatio, et Delboræ mors et sepelitio, Deique ad Jacob apparitio. In tertia Benjamin parturitio a Rachel, morsque illius et sepelitio. In quarta Balæ a Ruben incestatio, post quod et subditur duodecim filiorum Jacob enumeratio. In quinta vero Isaac mors et sepelitio. *Interea locutus est Deus ad Jacob.* Hic est notandum, quam sollicite regebat Deus patres istos. Quia enim nunc erat Jacob necessarium speciale consilium et auxilium Dei propter stragem Sichimorum, quæ omnes civitates vicinas concitaverat contra ipsum, idcirco Deus nunc quinto apparet ei. *Abjicite deos alienos.* Quidam putant, quod hoc dicitur pro idolis Laban a Rachel furatis, sed quia non est verisimile, quod tanto tempore perduraverint apud Rachelem, utpote fere per septem annos vel amplius, quibus steterant circa Sichem: idcirco videtur magis de idolis raptis cum præda Sichimorum. *Et mundamini,* scilicet corde et veritate. *Vestimenta vestra.* Hoc jussit fieri in expressius signum totalis rejectionis idololatriæ, ritusque gentilis, et pristinæ conversationis, quantum ad minus bene acta: ut sit quasi altera innovatio divini cultus. *Qui exaudivit me in die tribulationis meæ.* Ex hoc patet, quod prima visio Dei facta sibi in Bethel fuit facta sibi primitus petenti auxilium Dei in fuga sua. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos.* Ex hoc patet, quod alii præter Rachelem sibi idola dederunt. *Et inaures, quæ erant in auribus eorum,* scilicet idolorum. Voluit enim, quod non solum idola, sed etiam ornamenta idolorum a se abjicerent. Vel forte inaures, quas a Sichimitis acceperant in detestationem gentilis lasciviæ et superbiæ abjici fecit. *At ille infodit,* id est infra foveam sepelivit. Nota, quod noluit ea fundere, et materiam eorum conflatam retinere: sed potius omnino rejicere et sepelire, subter terebinthum, quæ secundum Isidorum, est arbor generans resinam omnium præstantiorem, et secundum Papiam habet fructus modicos, qui mandi possunt. *Mortua est Delbora.* Nota, quod nisi Scriptura mysteria intenderet in narrationibus suis, non est verisimile, quod mortem Delboræ plus quam mortem Rebeccæ curasset. *Ad radicem Bethel,* id est ad pedem urbis illius. *Et appellavit eum Israel.* Supra prius promiserat ipsum sic appellandum; hic vero sibi de facto nomen istud imposuit; vel hoc nomen sibi ante impositum hic plenius confirmat. Fecitque hoc in signum perfectioris virtutis et principatus Jacob, et in signum majoris assistentiæ Dei ad eum, et etiam in signum, quod supplantatione hostium ingeniosa ascenditur et

nat ascensionem ad Dei visionem seu contemplationem, et ad Dei insuperabilem principatum. *Terramque quam dedi Abraham*, scilicet promissione, vel dedi in mea prædestinatione æterna. *Libans*, id est fundens, vel sacrificaturus super illud libamina. Libamina erant proprie liquidorum sacrificia, scilicet vini vel olei; sed aliquando sumitur pro sacrificio de pane vel de simila .... *Quæ ducit Ephratam*, id est Bethleem: non quod jam tunc sic vocaretur, postmodum enim sic vocata est ex nomine uxoris Caleb. *Pater vero appellavit eum Benjamin, id est filium dextræ*, id est virtutis, secundum Hieronymum. Errant, qui putant Benjamin filium dierum interpretari: quia cum hic sit jamin interminatum, significat dextram vel virtutem. Dum vero terminatur in m, est idem quod dies. *Erexitque Jacob titulum*, id est lapidem vel lapides in insigne memoriale. *Trans turrim gregis*. Hieronymus dicit Hebræos velle hunc esse locum, ubi postea fuit ædificatum templum Salomonis; de quo Michæas dicit: Et tu turris gregis nebulosa filia Sion etc. Et dicitur turris gregis, id est congregationis et cœtus; et subdit: Sed si sequamur ordinem viæ, potius est locus pastorum juxta Bethleem, ubi vel grex Angelorum in ortu Domini, vel Jacob pecora sua pavit loco nomen imponens; vel, quod verius est, quodam vaticinio futurum jam tunc mysterium in hoc monstrabatur, et ob illud sic prius erat locus ille vocatus. *Abiit Ruben, et dormivit cum Bala*. An illa consentiente, aut dormiente, aut reluctante, hoc Ruben fecerit, non claret. *Erant autem filii Jacob duodecim*. Quia nunc Benjamin fuit ortus, et duodenarius numerus filiorum Jacob completus; idcirco nunc repetit numerum filiorum ejus. *Et filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia*, scilicet pro majori parte: nam Benjamin non fuit ibi natus. Unde more Scripturæ synecdochice loquitur. *Venit etiam ad Isaac*. Si de primo adventu personalis visitationis loquitur, satis est mirabile, quod tanto tempore distulerit visitare patrem senem et cæcum. Propterea videtur, quod solum loquatur de illo adventu, quo cum tota familia et gregibus suis venit mansurus cum patre suo in Hebron. Nota pro mysteriis, quod deleta synagoga et idololatria Gentilium sub fervida fide et devotione fidelium, qui post destructam synagogam fuerunt sepulti: erectus est cultus Dei in sede Ecclesiæ, quæ est vere Bethel, id est domus Dei. Tuncque Delbora, id est loquax prophetia Judæorum, est ad plenum mortua, et sub radicali fide Ecclesiæ, ut sub quercu, id est sub robore Christiani imperii, quod est quercus fletus seu desolationis, sepulta; quamvis sit nutrix Rebeccæ, id est Ecclesiæ. Nam ex quo Romanum imperium fuit ubique subjectum jugo Christi, non apparuit locus prophetandi alterum Christum. Tuncque tam Christus quam christianus populus est dictus Israel, id est Dominus participans et videns Deum. Post hoc autem sequitur tempus vernale et floridum, ut veniatur ad Ephratam, id est ad frugiferam terram, seu ad Bethleem, id est ad domum panis, ubi virgo peperit Christum; et post hoc Rachel, id est contemplativa Ecclesia, pariet filium postremum, scilicet contemplationis superexcessum, seu statum extaticum qui propter dolorem partus dicitur a matre Benoni, id est filius doloris, sed a Deo filius dextræ sive jubili et gloriæ. Et nota, quod tam moraliter quam allegorice Rachel moritur in hoc: tum quia non intratur ad supermundanos superexcessus, nisi cum Christo tota crucifigatur et sepeliatur; tum quia in matre, id est in mente vel Ecclesia, ante istum partum est aliquod corpus carneum, quod in hoc partu est necessario moriturum, sicut obiit synagoga in partu Christi et populi christiani. Tunc igitur trans turrim gregis, id est vitæ gregalis seu animalis ibitur. Sed sicut in exitu christiani populi de gregali vitæ synagogæ primogenitus, scilicet populus pro parte ad ipsum conversus, incestavit Balam concubinam ejus, et pro eo zelo corrupto legis cæremonias adamavit: sic et in partu extremo quidam primogeniti cum ancilla evangelici status concumbent, temporalia sub typo perfectionis evangelicæ, instar pseudoapostolorum quærentes et amantes. De hoc autem tangetur etiam infra ultimo, ubi de Ruben sermo fiet. Postremo autem redibit Christus, scilicet per gratiam ad patres, id est ad Judæorum populum, unde exivit, moraturus cum eis usque ad finem ut per mortem extremi judicii ducat eos in cœlum.

CAPUT XXXVI.

Hæ autem generationes Esau. Hic incidenter hæc pars interseritur, ut sciatur benedictio supra scripta etiam in Esau temporaliter fuisse impleta; et sciamus, quod etiam malis Deus plerumque dat temporalia bona: tum propter merita patrum, tum propter aliqua bona, quæ ipsi fecerunt. Et primo narrat generationem Esau factam in terra Chanaan. Secundo, quomodo inde recesserit, et mansit in monte Seir, ibi, *Tulit autem Esau.* Tertio repetit breviter generationes ejus, ut referat generationes filiorum ejus, ibi, *Hæ autem sunt generationes Esau.* Quarto narrat quod quatuordecim filii filiorum ejus prænominati fuerunt duces, ibi, *Hi duces filiorum Esau.* Quinto ibi, *Isti filii Seir Horræi,* ponit genealogiam patris Horræorum, qui dona miserat Esau in terra Edom. Quod secundum Hieronymum in parte facit, quia Channa, concubina Eliphatæ primogeniti Esau, fuit filia istius Seir Horræi. Potest etiam dici, quod facit hoc, ut sciatur, quam potentem gentem expulit Esau de terra illa. Sexto enumerat Reges de genere Esau, qui regnaverunt in terra illa, antequam filii Israel haberent regem, ibi, *reges autem.* Septimo enumerat duces et ducatus stirpis Esau, quos post præfatos reges habuerunt, ibi, *Hæc ergo nomina ducum Esau.* Aliter nominat ibi, quam prius: nam quas supra XXVI nominavit Judith et Basemath, hic vocat Ada et Olibama. Filiam vero Ismael supra nominatam Melat, hic vocat Basemath. *Tulit autem Esau etc.* Nota, quod licet ante mortem patris recesserit, et manserit in terra Seir, unde supra decimotertio dicitur, quod reversus est Esau itinere, quo venerat in Seir: hic tamen refertur, quod hoc post mortem patris plenius fecit: et hoc magis sonat verbum quod subditur, scilicet quod recessit a fratre suo. *Esau patris Edom*, id est Idumæorum populus, qui ex eo genitus dictus est Edom, sicut et ipse dux *Theman.* Secundum Hieronymum, ex nominibus istorum sunt interposita nomina regionibus et gentibus Idumæorum: quia sicut fecerant diversas familias, sic sibi diviserunt terras illas. *Isti filii Seir Horræi.* Secundum Augustinum in libro *Quæstionum super Genesim*, quidam putant, quod Seir fuit pater Horræorum, qui eos genuit. Hieronymus vero incipit versum ibi, *Horræi habitatores terræ fuerunt*, scilicet, *Lotan et Zobal etc.* et legit illud, *isti filii Seir*, cum præcedentibus. Postea enim dixerat, *Iste est Edom, et hi filii Seir.* Et subdit Hieronymus, Esau, et Edom, et Seir unius est nomen hominis. Quod autem sequitur: *Et Horræi habitantes terram et reliqua.* Postquam enumeravit filios Esau, altius repetit; et exponit, qui ante Esau in terra Edom principes fuerint ex genere Horræorum. Hæc Hieronymus. Sed pro primo facit, quia postea subditur: Hi duces Horræi filii Seir. Quod autem filii Esau deleverint Horræos, habetur Deuteronomii II. *Iste est Ana, qui invenit aquas in solitudine.* Hieronymus dicit, quod apud Hebræos sunt de hoc variæ opiniones. Ubi autem nos habemus, qui invenit aquas calidas, Septuaginta legunt, qui invenit ton iamin. Et quidam putant, per Iamin maria significari, quia iisdem litteris maria scribunt: et tunc dicunt, quod invenit maria, id est congregationes aquarum, quæ juxta idioma Hebrææ linguæ maria nuncupantur, quod scilicet stagnum in deserto reperit, cujus rei inventio rara est in eremo. Alii vero putant aquas calidas hoc nomine significari, sicut fit in lingua Punica, quæ vicina et conjuncta est Hebrææ. Et forte pro magno est habitum, quod fontem aquæ calidæ ibi invenerit. Linguam autem Punicam videtur Hieronymus hic vocare linguam Phœniceam, id est provinciæ Phœnicis, in qua sunt Tyrus et Sidon: licet alibi sæpe sumatur pro terra Africana et Mauritana. Alii putant, onagros ab isto primo admissos esse ad asinas, et ipsum primo hujusmodi concubitum invenisse, ut ex his nascerentur velocissimi asini, qui vocantur Iamin. Alii vero putant, quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecit primus ascendi, ut muli inde contra naturam nascerentur; et secundum istos Iamin, idem est quod associatio. *Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi etc.* Quidam volunt, quod totum illud, quod de regibus et ducibus Edom subditur, fuerit additum ab Esdra, vel ab eo, qui librum Paralipomenon edidit, tum quia Moyses non potuit historice omnia ista ita narrare, quia duces, qui post reges hic subduntur, fuerunt post omnes istos reges, sicut supra

nes Paralipomenon dicitur. Non est autem verisimile, quod Moyses prophetice per modum historiæ prædixerit futura, tamquam præterita historice narrans: tum etiam quia recte de Paralipomenon primo videtur assumpta. *Habitavit autem Jacob* etc. *Hæ sunt generationes*, supple, quæ supra sunt generationes Esau præmissæ sunt. Hoc auctor subjunxit, tum ad, quod dixerat quod Esau de Chanaan recessit in terram Edom, ordinate subjungeret, quod Jacob instar patrum habitavit in terra Chanaan; tum etiam ut quasi incidenter generationibus Esau insertis, rediret ad Jacob, de quo et cujus filiis est ulterius prosequuturus; quia de Ana hic signanter dicitur, quod invenit aquas calidas in deserto etc. Nota de hoc breve mysterium. Horræi enim, de quorum genere est Sobal, liberi vel iracundi interpretantur; Sebeon vero pater ejus interpretatur stans dolens, aut eloquentia inutilis. Ana vero donum et gratificatio. Nota igitur, quod de iracundia et libertate mundanorum nascitur dolor cordi iracundia inflans, et eloquentia sterilis, ampullosa et verbosa: quæ tamen sic placet mundanis, quod complacentiam ex ipsa genitam vocant donum aut gratiam. Unde de eloquentia fastuosa donum sæcularis gratiæ dicunt nasci; quæ tantam habet vim, ut etiam in desertis cordium agrestium et ferocium, aquas calidas et sulphureas, fervidi scilicet et sulphurei amoris, inveniat: quando hujusmodi gratia pascit non agnos quidem, sed asinos patris sui.

CAPUT XXXVII.

Joseph cum sedecim esset annorum. Hic narratur venditio Joseph, et primo refertur hujus occasio sive causa. Secundo refertur modus ipsius, ibi, *Cumque fratres illum.* Tertio palliatio hujus criminis facta Jacob patri ejus, ibi, *Tulerunt autem.* Quarto patris dolor implacabilis, ibi, *Quem cum agnovisset pater.* Quinto Joseph secundario a primis emptoribus facta, ibi, *[illegible] in Ægypto.* Dicit ergo, *Cum sedecim esset annorum.* Ergo post hoc factum vixit Isaac tredecim annos; quia Jacob post decem annos a morte Isaac intravit Ægyptum, et tunc erat Joseph triginta novem annorum, sicut ex subsequentibus patet. Nota, quod in hac parte triplex causa injusti odii contra Joseph ponitur. Prima est accusatio, quæ utique fuit justa et pia, quia dixit hoc patri, cujus erat corrigere, et qui præsumendus erat prodesse potius quam obesse. Secunda est Joseph a patre prædilectio major, et in speciali tunicæ et consimilium præhonoratio. In quo est notandum, quod etiam in sanctis sunt plerumque quædam amoris teneritudines ad minores et innocentiores, etiam ad delicatius eos secundum corpus fovendos. Nota etiam quod in hoc ipso, quamquam isti sancti patres essent divites, communiter tamen induebant filios suos satis rusticane; alias non referretur hic tunica prædilecto specialiter data Joseph. Tertia causa odii fratrum est relatio somniorum de sua prælatione super fratres et super totam domum patris sui futura. Nota etiam, quod horribile est odium invidiæ, quia omnia motiva amoris præcipua summe vertit in oppositum. Accipit enim ut sibi contrariissima, quæ amantissima sunt. Unde naturalis fraternitas Joseph, et ejus justitia et innocentia et omnimoda gratiositas apud Deum et apud patrem, et apud alios, fortius incitabat fratres ad invidiam; et in tantum, quod non poterant illud celare in corde; immo compellebat eos ad loquendum ei indignanter et æmulatorie, et hoc non in uno verbo, vel in duobus; sed in omnibus. Unde hic signanter subditur, quod *non poterant ei quicquam pacifice loqui. Accusavitque fratres apud patrem crimine pessimo.* An omnes fratres, an solum filios ancillarum, cum quibus pascebant gregem, accusaverit, non claret; nec etiam de quo crimine accusavit eos. Quidam tamen dicunt, quod hoc synecdochice dicitur propter Ruben, cujus incestum patri denuntiavit; sed hoc non patet ex textu: et nihilominus contra hoc facit, quia solus Ruben legitur restitisse proditioni fratrum contra Joseph, et multum doluisse de hoc facto. Quidam autem dicunt, quod filios ancillarum accusavit de peccato contra naturam. Sed neque hoc scitur. Unde nobis sufficit, quod veraciter de aliquo verissimo crimine eos accusaverit. *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios, eo quod in senectute sua genuisset eum.* Satis est mirabile de causa prædilectionis hic reddita: tum quia Joseph satis cito post alios fuit genitus: omnes enim præter Benjamin infra septem annos sunt nati; tum quia in tam sancto patre non videtur fuisse

ratio sufficiens ista ad prædiligendum : tum quia secundum hoc Benjamin fuisset amplius prædilectus. Videtur ergo quod hoc sit secundum litteram sic positum pro causa aliqualiter indulgente ; sed quod hic mystice innuatur alia causa principalior et spiritualior. Verum est quidem, quod senes ceteris prædiligunt filios in senectute genitos, quia omni homini absolute rememoratio seu imaginatio præstantis adhuc virtutis in seipso est delectabilis : et ideo seni est delectabile, quod videt se habuisse virtutem ad procreandam prolem ; et novitas prolis opposita vetustati quamdam recompensationem jocunditatis affert menti ex vetustate languenti. Principalis tamen causa prædilectionis Joseph fuit æstimatio præcellentioris bonitatis ejus, et prææelectionis ejus a Deo. Et ad hoc æstimandum inducebatur Jacob ex eo, quod post omnes genuerat eum, et de uxore prima facta postrema. Ipse autem tam in Isaac quam in seipso probaverat Deum frequenter præeligere posteriores ; sciebatque Christum ex se in novissimo temporum nasciturum, esse omnibus prioribus filiis præferendum. *Fecitque ei tunicam polymitam.* Hieronymus habet variam ; dicens, quod pro varia, Aquila habet talarem, id est usque ad talos descendentem. Symmachus vero manicatam. Aut quia manibus artificis erat mira varietate distincta, aut quia habebat manicas. Antiqui enim magis utebantur colobiis. Est autem colobium vestis longa sine manicis. Dicitur autem polymita a polis, quod est pluralitas, et mitas, quod est gutta ; quasi pluribus guttis vel coloribus tincta. *Audite somnium meum quod vidi.* Sed numquid male faciebat talia somnia referendo, et maxime, quibus portenderetur eum esse debere caput fratrum suorum, et etiam parentum ? Dicendum, quod sicut hujusmodi somnia sibi divinitus mittebantur a Deo, ut futura ipsius sublimatio plenius in posterum cognosceretur a Deo fuisse prævisa et præordinata : sic ex eadem causa impellebatur a Deo ad referendum fratribus illa. Unde et signanter Scriptura subdit, *quod pater hoc audiens rem tacitus considerabat* ; tamquam aliquid sentiens, quod aliquod magnum prætendebant. Dato etiam quod ex quadam pura et innocenti simplicitate hujusmodi referret, non ideo male faciebat : unde bene poterat hoc fieri absque peccato. *Et odii fomitem,* id est nutrimentum odii. *Numquid ego et mater tua et fratres tui adorabimus te super terram ?* Quidam dicunt, quod mater Joseph adhuc tempore suæ venditionis vivebat. Sed contra hoc arguitur ab aliis, quia paulo post dicitur, quod pater misit eum de valle Hebron in Sichem. Ex quo patet, quod Jacob jam tunc venerat et stabat in Hebron. Supra autem dictum est, quod inter recessum ejus de Sichem, et adventum ejus in Hebron, mortua est Rachel, dum veniret in Bethlehem. Præterea Dina erat adhuc satis puella, quando oppressa est in Sichem ; et constat, quod ipsa erat antiquior quam Joseph, Joseph autem erat sex annorum ad minus, quando venditus fuit. Ex quo satis apparet, quod hoc de Joseph fuerit post destructionem Sichem. Bene tamen potuit esse, quod somnia ista viderit et retulerit, matre adhuc vivente ; et ideo pater bene potuit dicere, Numquid ego et mater tua etc. Quamvis etiam ipsa jam mortua non minus rationabiliter hoc dixisset. *Pascunt oves in Sichimis*, id est in territorio seu in pascuis Sichem. *In Dothaim.* Hieronymus in libro *Locorum* dicit, quod Dothaim usque hodie duodecimo milliario a Sebaste, id est a Samaria, contra Aquilonis plagam ostenditur. *Ecce somniator venit.* Cum somniator sonet frequentiam, quasi habitum, quomodo ex solis duobus somniis supra relatis vocant ipsum somniatorem ? Potest dici, quod etiam aliqua alia habuit et retulit ; sed hæc duo specialiter narrantur, quia magis faciebant ad causam invidiæ. Vel potest dici, quod mens invida etiam pauca exaggerat, quasi multa et continua. *Et non interficiamus animam ejus*, id est ipsum : pars enim sumitur pro toto : vel animam ejus, id est vitam corporalem ejus. *Aromata*, id est species aromaticas. *Resina*, dicitur a reti, quod est, dimanare, vel dicitur a resi, addendo na, et est gutta arboris. *Stacten* vero est gutta, quæ dicitur myrrha. *Vendiderunt eum Ismaelitis.* Hos eosdem vocaverat paulo ante Madianitas ; et hoc ipsum facit in fine capituli, dicens, quod Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto. Ex quo videtur, quod Madian, qui fuerat filius Abrahæ, de Cethura fuit, sicut ex Agar Ismael ; et quod ex hoc nomen unius populi ex uno alteri attribuatur. Vel forte isti erant Ismaelitæ ex genere, Madianitæ vero habitatione : quia scilicet manebant in terra Madianitarum, vel e contra. *Viginti argenteis.* Secundum Hiero-

argenteis. Septuaginta habent, viginti aureis; et addit, quod pro aureis in Hebræo habetur argenteos. Quidam tamen non legunt hic viginti, sed triginta. *Et ego quo ibo*, id est quomodo absque puero ad patrem meum redibo? Videtur quod Ruben tanquam primogenitus, et patri pro [illegible] [illegible] jam alumnus timebat singulariter de morte Joseph accusari a patre. *Mittentes qui ferrent ad patrem, et dicerent: Hanc invenimus; vide an*. Nota, quod ipsi ad majorem criminis sui occultationem non per se portant tunicam primi, sed faciunt quod aliqui alii deferant: et etiam quod illi videntur quasi dubii, an illa tunica fuerit Joseph vel non. *Scissisque vestibus*. Mos fuit antiquorum in signum doloris scindere vestes. *Noluit consolationem accipere*, id est non potuit, vel etiam dictabat sibi magis lugendum. *Descendam ad infernum ad filium meum*, id est in limbum inferni; tunc enim animæ sanctorum illuc descendebant. Notant aliqui, quod ubi nos habemus infernum, in Hebræo sæpius legitur nomen significans foveam: et quod potest significare sepulchrum vel infernalem foveam sive lacum. *Vendiderunt Joseph Putiphari eunucho*. Secundum Hieronymum et secundum Hebræos, hic est ille, cujus filiam Joseph dicitur accepisse uxorem, infra quadragesimo primo: et dicunt, quod hic eunuchus anticipative dicitur, quia nondum erat eunuchus; immo mercatus fuerat Joseph ad turpem abusum, ob nimiam pulchritudinem ejus; sed viribus ejus arefactis a Deo, est postmodum electus ad pontificatum urbis Heliopoleos, juxta morem « ierofanton » qui, ut videtur, propter castitatem eunuchos in sacerdotes eligebant. Alii vero dicunt quod iste est alter ab illo magister militum. Secundum Hieronymum, Septuaginta habent archimagiros; et addit, quod in plerisque locis, archimagiros, id est cocorum principes pro Magistris exercitus Scriptura commemorat. Nam « mageirin » Græce interpretatur occidere. Et secundum Magistrum historiarum, apud plures nationes dapifer principis honorabilior est, et princeps militum. Nota pro mysteriis, quod allegorice Joseph in omnibus factis satis tenet expressissimum typum Christi, qui a Deo Patre missus est ad fratres suos Judæos, qui tunc erant potius filii ancillarum quam liberæ, id est plus carnales quam spirituales: propter quod Christus non quasi ad homines, sed quasi apud Deum loquens, eorum vitia fortissime arguit et publice accusavit. Insuper et se tanquam Deum ac regem et Pontificem omnium, quasi sub somniorum parabolis proponebat: in tantum quod dicebat se Dominum Legis et Sabbathi; et ideo ipsum summe oderunt et sibi inviderunt; et in cisternam veterem, id est in mortis vetustæ foveam projecerunt, dicentes, quod fera pessima, id est culpa ejus gravissima hoc fecit. Dicendo etiam, *Vah, qui destruis templum Dei et in triduo illud reædificas. Si filius Dei es, salvum fac temetipsum*: quasi tunc dicerent: Ecce somniator venit: occidamus eum, et videamus, quid illi prosint somnia sua. Quidam tamen ex majoribus, utpote **Gamaliel et Nicodemus, et Joseph ab Arimathæa, instar Ruben et Judæ pro** ipso steterunt. Quamvis Judas etiam illos possit hic designare, qui fecerunt ut traderetur **Gentilibus, id est Pilato, dicentes,** quod eis non licebat occidere quemquam ne suum Pascha contaminarent. Et secundum hoc, per cisternam veterem designatur **vetusta malitia Sacerdotum vel** Synagogæ, carens aqua pietatis: in qua **Christus tunc fuit projectus, quando ipsum ceperunt et in domo Annæ et Caiphæ** deluserunt. Pro quanto vero Judas **venditionem Joseph consuluit, designatur hic Judas qui triginta argenteis vendidit** Christum: et tunc per Ismaelitas designantur Judæi qui, juxta Apostolum et Galatas quarto, sunt allegorice filii Agar, qui de Galaad, id est de acervo testimonii **Scripturarum fragrantiam divini cul**tus et legis portabant in Ægyptum, id est Gentibus; vel in Ægyptum, ipsam scilicet incurvando ad suos carnales affectus. **Qui recte dicuntur Madianitæ, id est inclinati** ad suos carnales affectus, aut **contradicentes vel dijudicantes: et tunc per fratres Judæ designantur fratres et discipuli Christi, qui ab ipso retrocesserunt,** dicentes: *Durus est hic sermo*. Illud autem significatur per tunicam talariam et variam, quod per tunicam Christi inconsutilem, **Christi scilicet charitas et indivisibilis unitas, variis virtutibus et spiritualibus** sensibus adornata. Hæc autem Christum denudaverunt, in quantum ipsum blasphemum et impium, et legi Dei contrarium esse dixerunt. Et hoc **ipsum est intingere tunicam ejus in san**guine hœdi; et ex hoc populo Jacob suaserunt Christum a fera pessima culpæ

propriæ devoratum. Ex hoc etiam sensus propheticus et paternus manet usque hodie desolatus, ita ut nihil spiritalis consolationis det populo illi. Deo tamen ordinante, venditus est ab eis Putiphari eunucho, qui prius quidem inclinavit os ad dissecandum fidem Christi et populum ejus. Unde interpretatur os inclinans ad dissecandum. Sed tamen ejus concupiscentia, postmodum est per Spiritum Christi castrata et castificata : qui bene dictus est princeps militiæ Pharaonis : quia etiam post conversionem Romanorum imperatorum ad fidem, plures mundi principes, qui Christi fidem antea persequebantur, receperunt. Consimilis in parte allegoria pro electis finalis Ecclesiæ Christi configurandis, potest hic formari, quæ expertis in spiritu satis patet et experientia plenius edocebit. Moraliter autem sumendo per Joseph virtutem discretionis et providentiæ prout supra fiebat cum de tota prole Jacob moraliter ageretur, tunc ille est qui a patre merito prædiligitur : quia etiam in senectute habetur, et quia nulla virtus sine hac discretione conquiritur, aut conservatur, aut perficitur. Imo sine hac omnes deficiunt vel excedunt. Hujus est cunctis imponere debitum ordinem et mensuram : et ideo qui ejus consilio non acquiescit, virtutis nomen amittit. Hic igitur est, qui fratrum suorum arguit negligentias et excessus ; et hinc oritur inter ipsum et fratres ira et discordia implacabilis, quia monita et præcepta ac consilia ejus videntur ei omnino dura et importabilia. Quid enim difficilius, quam in omni suo facto nunquam ordinem confundere, nunquam mensuram excedere, et in omni affectione sua modum servare? Quia etiam animus virtutibus fulgens, seipsum tamen per discretionem non profunde discutiens, ex adulantium acclamatoria laude usque ad crimen hypocrisis illabitur aliquando : quod teste Christo, est crimen pessimum et ab ipso fere super omnia crimina impugnatum : ideo prudentia ad patrem, id est ad animum a quo est genita rediens, accusat crimine pessimo fratres suos, quia etiam alienæ prudentiæ et consilio facilius acquiescunt, erroris sui tenebras cognoscentes, quam de sua justitia vel prudentia præsumentes. Hoc est, quod Joseph æmulantur sui, venerantur alieni : et quem Hebræi vendunt, Ægyptii emunt. Et quia etiam hic in duobus singularem habet prædominantiam super fratres, et etiam super patrem et matrem, scilicet in recollectione messium refectivarum, et illustratione præclara : hinc est, quod ejus manipulum, manipuli fratrum adorant, et ejus lucem sol et stellæ mirantur. Futura mala et pericula altius et sublimius perspicit, prævidet ac prædicit ; ideo somniator vocatur : et hoc est inter cetera intolerabile cordi, semper videlicet formidare et pavorum tonitruosis turbinibus agitari. Propterea igitur de facili in cisternam veterem, oblivionis scilicet et negligentiæ, ab eis mittitur, ubi quidem est veræ sapientiæ aqua ; tuncque fratres sedent ut comedant, quia tunc pro libito, quæcumque placent faciunt. Et quia magisterium verbi adhuc sibi retinent, ideo prudentiæ doctrinam quam odiunt, vendunt etiam mercatoribus sapientiæ sæcularis : retinentes solum superiorem tunicam ejus, quam cum sanguine suarum carnalitatum et impietatum cruentant : tuncque dicant, quod non ipsi discretionem hujus quasi bonam et utilem rejecerunt, sed potius suus ferox et crudelis excessus ipsum occidit et maculavit. Nota tamen quod absente Ruben venditur, qui et de hoc plurimum expavet et sine illo redire ad patrem renuit : quia nisi timor Dei postponeretur et absentaretur a corde, non fieret venditio tam impia et proditiosa. Per Ruben enim timor intelligitur, sicut patuit supra.

CAPUT XXXVIII.

Eodem tempore descendens Judas. Hic interseritur historia ista quæ continet quoddam singulare. Et primo ostenditur, quomodo Judas ex uxore Chananææ tres filios habuit. Secundo, quomodo Thamar duobus Judæ filiis primis successive nupsit, sed ex eis propter eorum nequitiam non concepit. Tertio, quomodo tertium filium sibi dare distulit. Quarto, quomodo Thamar ex ipso Juda concepit. Quinto, quomodo ex ipso concepisse probavit, et quomodo per hoc a morte liberata fuit. Sexto, quomodo geminos peperit. *Eodem tempore descendens*. Augustinus in libro *Quæstionum super Genesim* dicit, quod hoc necessario fuit ante venditionem Joseph : et ideo large sumendum est hoc quod dicit, *eodem tempore* ; quia a venditione Joseph usque ad ingressum Israel in Ægyptum non fuerunt nisi viginti tres anni. Constat autem, quod duo filii Judæ

erant adultæ ætatis, antequam ducerent Thamar. Et ut hinc colligit Augustinus, multi dies transierunt, antequam Thamar haberet ex Juda Phares et Zaram; et tamen infra XLVI dicitur, quod Phares ante ingressum Ægypti habuit duos filios, scilicet Esron et Amon: et ideo oportet quod Judas esset valde adolescens, quando primo duxit uxorem. *Fuitque Her nequam in conspectu Domini*, id est secundum quosdam abutens vasculo uxoris, vel alio genere nequitiæ. *Ingredere ad uxorem fratris tui, ut suscites semen fratri tuo.* Ex hoc patet quædam cæremonialia fuisse per inspirationem divinam a patribus instituta et servata. Ratio autem hujus legis triplex fuit. Prima scilicet ut in hoc doceretur, quod ex charitate fraterna seu fraternitatis dilatione conjugium erat sumendum et proles ex ipso quærenda. Secunda, secundum Chrysostomum est, quia ante Christi resurrectionem erat mors quasi desperatum et inconsolabile damnum; et præcipue, quando quis non solum in se, sed etiam in sua posteritate videbatur omnino extinctus. Et ideo in hujus consolationem cedebat, quod uxor fratris, quæ sine prole defuncta maneret, a superstite fratre duceretur, et quod filii fratri defuncto adscriberentur, ut sic quodammodo ejus nomen in eis et memoria viveret. Tertia ratio est mystica, scilicet ad figurandum, quod Christo pro nobis mortuo debemus prolem ex ejus Ecclesia suscitare potius, quam nomini nostro, et potius quam soli nostræ utilitati operose vocare. *Et Hiras opilio gregis*, id est pastor ovium ejus. Ex hoc patet, quod supra Judas divertit ad istum, tamquam ad suum pastorem, qui Odollamites erat, patria scilicet vel natione, sicut dicitur Moabita a Moab vel Ammonites ab Ammon. *Assumpsit theristrum*, id est pallium; et dicitur esse genus pallii subtilis instar veli. *Sedit in bivio itineris.* Secundum Hieronymum, pro bivio in Hebræo habetur nomen, quod sonat in oculos, quia in bivio sive in compito debet viator diligentius inspicere, quod iter gradiendi capiat. *Dimitte me ut coeam tecum.* Non mireris si filii Jacob præter Joseph et Benjamin quædam immunda et impia in sua juventute fecerunt, quamvis postmodum in parte divini populi sunt electi et instituti a Deo; quia expediens fuit posteris scire, quod sicut quidam electi sunt innocentes et in innocentia permansuri, sic quidam post criminosos lapsus erigerentur in altum, sicut in Paulo et Petro et Magdalena apparet. Et nota, quod quia ira et concupiscentia de facili abundat in juvenibus, hinc est, quod quidam ex filiis Jacob per immoderatam iram excesserunt, quidam vero per luxuriam. Et quia inter fratres de facili incidit æmulatio, quando aliquis eorum notabiliter præfertur eis, et maxime, si hic sit ætate postremus; ideo etiam contra Joseph per invidiam graviter peccaverunt. Sed valde mirum est, quomodo Thamar, quando ivit ad illud bivium, credidit, quod Judas concupisceret intrare ad eam, cum non probasset Judam hactenus aliquam præter uxorem propriam cognovisse: et quod de Juda sic intrante statim se concepturam crederet. Ex quo satis apparet, quod Thamar non ex concupiscentia, sed amore prolis ex ipso habendæ totum hoc fecerit. Potest tamen dici, quod ex desiderio hujus eventus voluit probare, si sic eveniret ei; si sic, bene quidem; sin autem quod esset occultum etiam ipsi Judæ. *Patiar, quod vis si dederis mihi arrhabonem*, id est bonam arrham, seu bonum pignus, sicut ex sequentibus patet. Vel volebat habere ab eo solum aliquod signum, ex quo si ex Juda conciperet, posset ipsi Judæ probare se concepisse ex eo. *Habeat sibi*, scilicet hanc rem, quam retinuit. Vel habeat sibi, id est sibimet imputet defectum solutionis. *Certe mendacii nos arguere non poterit*, scilicet commode. Quamvis in quibusdam sint aliqua vitia, utpote lubricitatis vel consimilium, nihilominus sunt in eis notabiliter aliquæ virtutes, quæ sunt argumentum et spes, quod adhuc illi ad magna ducentur. Unde Judæ erat tanta legalitas et veritas, quod etiam meretrici nullatenus volebat frangere fidem pretii promissi. Sed estne tale pactum meretrici servandum? nonne melius esset dare illud pauperibus, aut in aliquos utiles usus cultui Dei necessarios; et maxime cum contractus meretricius sit ex se vitiosus et contra legem Dei? Contra jus etiam naturale est, quod aliquis vel aliqua vendat corpus suum ad usum fornicarium. Dicendum, secundum Augustinum in libro *de Bono conjugali*, quod licet furtum et adulterium mala sunt, tamen pejor est, qui neque fidem servat adultero, neque furi; utpote si cum fure suo pepigit, quod omnia furta sua condividat, et postea sibi totum rapiat; longe plus peccat, quam si partem socio condi-

videret. Ulterius sciendum, quod licet contractus meretricius sit respectu suæ materiæ vitiosus, nihilominus ipsa fidelitas, quæ includitur in observantia pacti, non est vitiosa, sed bona. Licet etiam mulier corpus vendat sive locet ad usum nefarium, locat tamen rem suam; et ideo vere facit pretium locationis corporis sui: atque ita absque ejus consensu non licet illud alteri dare, imo est sibi solvendum. *Dixit Judas, Producite eam ut comburatur.* Sed quo jure et qua auctoritate Judas fieri jussit? cum ipse non esset princeps illius terræ, nec Thamar maneret tunc in domo ejus, sed in domo patris sui, neque esset tunc uxor alicujus filiorum Judæ? Dicendum, quod supposito quod Judas hoc juste fecerit, quod aliqua auctoritas civilis ibi interfuit, quamvis hoc non exprimatur. Licet autem Thamar non esset actu copulata filio Judæ, erat tamen in spe et fortiori vinculo quam sit contractus sponsalium: sicut ex præmissis in hoc capitulo satis habetur, eam, eadem lege, qua post primum fratrem secundo nupserat, fuisse ordinatum quod nuberet tertio. Præterea non oportet quod Judas jubendo dixerit quod combureretur; sed potius sic requirens justitiam ab his quorum intererat: ejus autem fuit requirere, pro quanto sibi et filiis suis videbatur Thamar injuriam fecisse. *Justior me est.* Secundum Hieronymum, in Hebræo habetur, justificata est ex me, id est ex comparatione mei ipsa est justa: et hoc modo minus malus potest dici justus, respectu pejoris. Justior enim vel minus injusta fuit illa quo ad duo. Primo secundum Hieronymum, quia ipsa non ut Judas vanam turpitudinem, sed solum liberos requisivit. Secundo quia Judas eam fraudabat conjugali copula filii sui, et in solam recompensationem ejus ipsa hoc fecit. In quantum tamen ipsa scienter concubuit cum socero, ille autem non scienter cum nuru, intantum ipsa plus peccavit. *Ligavit coccinum,* id est filum coccineum, cocco scilicet intinctum et rubricatum. Coccus autem est flos, in cujus coma invenitur vermis: ex cujus sanguine tingitur rubeus color. *Quare divisa est propter te,* id est a te est dirupta maceria. Maceria proprie est murus lapidis sine cæmento; sed hic sumitur pro quadam pellicula, in qua involvitur infans in matrice; quæ et dicitur secundina, quia sequitur puerum in partu. Quia ergo Phares nascendo divisit hanc pelliculam, cum tamen alter visus fuerit debere primo nasci et primo dividere eam: ideo vocavit eum Phares, id est divisio: alterum vero appellavit Zaram, id est Oriens, quia forte prius apparuit. Si quæratur, quare hoc capitulum de Juda inter historias de Joseph interseruit, et non potius eam præmisit, cum primo contigisse probetur? Potest ad hoc duplex ratio reddi. Prima est, quia conceptus Thamar ex Juda, propter quem conceptum, totum hoc principaliter refertur, fuit post venditionem Joseph. Secunda est, quia licet Judas fuerit natus ante Joseph, illi tamen fuerunt primogenita data. Unde primi Paralipomenon cap. V dicitur, quod primogenita Ruben data sunt filiis Joseph. Sed de Juda inter fratres fortissimo, principes germinati sunt. In signum ergo hujus primogenituræ voluit primo inchoare a Joseph. Unde et Deus primo plantavit sedem sui cultus in tribu Ephraim sicut in Silo, sicut habetur Josue decimoctavo, quam plantaverit illam in stirpe David, seu in tribu Juda. Et sicut etiam tres fuerunt tribus principales, scilicet Sacerdotalis quæ de Levi, et regalis quæ de Juda, et tribus Ephraim filii Joseph, sic Moyses de tribus istis tribubus principaliter scripsit. Neque tanta solemnitas tribus Levi usque ad electionem Moysi et Aaron apparuit. Ideo non ita solemniter nunc tangit generationem Levi, sicut facit Exodi sexto, et tandem in libro Numerorum. Tertio potest ad hoc ratio mystica dari; quia post venditionem Christi, Judas, id est Judaicus populus, ab altitudine et rectitudine fidei descendit, et divertit ad pastores seu doctores literæ suæ, qui designantur per Hiram. Hira enim interpretatur pater meus videns. Qui est Odollamites, id est testamentum, aqua scilicet, frigidæ et insipidæ literæ: ibidem Judaicus populus uxorem erroneam duxit de aqua, ex eaque filios generavit. Nota igitur pro mysteriis, quod per Thamar Gentilitas designatur, cui priores filii Judæorum commixti, propter eorum idololatriam a Deo sunt occisi, juxta illud Psalmistæ: Commixti sunt inter Gentes, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum. Quidam vero ex eis zelantes gloriam legis et suæ carnis, non curaverunt propagare in Gentibus cultum Dei, quia videbant, quod si per circumcisionem in Deum traherentur, non sibi ascriberetur fides eorum propter quod et a

fere sunt deleti; maxime quia quidam ex eis, scilicet pseudoapostoli, semen divini verbi fundebant in terram, id est in terreno sensu literæ, et in quæstu cupido terrenorum. Cum igitur Judæorum principes noluerint cæteros filios Gentilibus communicassent, et jam uxor Judæ, Synagoga scilicet, omnis gratiæ esset extincta; tunc Gentilitas spiritu Dei ducta adhæsit legi et Prophetis eorum, accipiens ab eis pro arrha annulum fidei, et armillam fortitudinis, vel fibulam pectoralis munditiæ, et baculum auctoritatis Christi. Et ex his tandem probavit se concepisse a spirituali sensu legis et Prophetarum; ac per consequens esse dignam vita non morte. Neque curavit illa de hœdo promisso et misso, id est de societate vel ritu populi legalis, in hircina pelle cæremonialium gloriantis. Bene autem dixit, *Sedere in bivio*, seu in oculis, quia optime scivit videre diversas vias literæ occidentis et gratiæ vivificantis; quamvis Judas cæcus non cognoverit eam esse nurum suam, seu de domo sua. Per Phares autem et Zaram, secundum sanctos, Judaicus et Christianus populus designantur; et hoc duobus et quasi oppositis modis. Primo quidem per Zaram, quod interpretatur Oriens, intelligitur Christus et ejus populus; de quo Zachariæ VI dicitur, *Ecce vir, Oriens nomen ejus*. Qui quidem quo ad intentionem divinæ prædestinationis et promissionis, primo visus est debere egredi, et in virtute operum in ejus fide factorum primo manum emisit; unde et devotæ animæ coccinum suæ charitatis ligaverunt manui ejus, optantes quod prior egrederetur; sed illo retrahente manum perfectæ gratiæ in fine temporum dandæ, egressus est populus Judæorum, qui per specialem ritum et zelum a germanitate Gentium est divisus. Secundo modo per Zaram designatur Judaicus populus, qui primo quasi ad fortia opera manum emisit quando ait: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, prout habetur Exodi vigesimoquarto. Et sapientia Dei vel Moysi, coccinum sacrificiorum sanguinis animalium in manu ligavit, ut per adjutorium legis, prior ad opera moralia egrederetur. Sed tandem illo ab operibus gratiæ retrahente manum, egressus est Christus pelliculam cæremonialium dividens, et medium parietem maceriæ solvens, id est carnales inimicitias, quæ inter duos populos Judæorum et Gentium erant, prout docet Apostolus ad Ephesios secundo. Post hæc autem orietur in tanto lumine gratiæ populus Judæorum, ut Oriens merito nominetur. Non autem mireris quod eumdem Judam, nunc in bono accipimus, nunc in malo; quia sicut in eodem Judæi nomine, intelligitur Judæus secundum carnem, et Judæus secundum spiritum; et sicut ab eodem Juda descenderunt Judæi carnales, et Judæi spirituales; sic gerit et mysteria diversorum. Non etiam mireris quod Thamar sumpta pro Gentilitate, alterum filiorum ejus sumpsimus pro populo Judæorum; quia alterum mysterium habet Thamar respectu Judæ et priorum virorum suorum; alterum vero respectu filiorum. Non enim oportet mysteria juxta continuationem historiæ semper sibi invicem continuari. Si tamen vis continuare, tunc Sue uxor Judæ tenet duplicem figuram. Primo scilicet humanæ naturæ, de qua Deus in duabus primis ætatibus mundi, duos nequam filios habuit; quorum primum occidit in diluvio; secundum autem in divisione linguarum tempore idololatriæ. Et tunc per Thamar designatur plebs ad cultum unius Dei parata, quæ a sanctis patribus finaliter concepit. Primo quidem Judaicum populum; et deinde Christianum. Secundo tenet Sue typum Synagogæ, juxta modum primo præmissum. Prout vero per Thamar intelligitur Ecclesia Christi, tunc ipsa ab initio concepit gemellos: quorum prior, qui fuit ex Judæis ad Christum conversis, prior manum emisit: ac deinde per plurium incredulitatem retraxit; sed tamdem in fine, cum plenitudo intraverit gratiæ, plenius nasciturus. Non mireris etiam, si aliquando ex factis malis et turpibus trahimus mysteria sancta et pulchra. Primo, quia nullum factum est ita malum, quin habeat aliquid in se de natura boni et pulchri. Et quantum ad hoc nihil inconveniens est, si sumatur in spiritale seu in figurale mysterium summi boni. Sicut etiam, licet aurum sit longe preciosius et pulchrius quam atramentum, nihilominus ad clare scribendum ac legendum et significandum Deum per hoc nomen Deus, longe plus valet Scriptura de atramento nigro, quam Scriptura de auro. Et sic etiam bene Augustinus ait, in *de Doctrina christiana*: Quid prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest quod volumus, quando nil aliud quærimus nisi aperire quod clausum est?

CAPUT XXXIX.

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum. Hic agitur de tribulatione et duplici magnificatione Joseph. Repetitur etiam venditio ejus Ægyptio viro. Secundo subditur magnificatio Joseph apud illum, ibi : *Fuit Dominus cum eo.* Tertio impetitio ab uxore domini sui, et tandem diffamatio et incarceratio, ibi : *Post multos itaque dies.* Quarto ejus magnificatio in carcere, et tamdem plenior extra carcerem, ibi : *Fuit autem Dominus cum illo.* Extra carcerem, incipit ibi : *Post duos annos vidit Pharao somnium. Nec quicquam aliud noverat nisi panem quo vescebatur* ; id est non curabat de aliqua re domus suæ, nisi solum quod haberet ad comedendum. *Apprehensa lacinia*, id est ora, vel extremitate vestis.

CAPUT XL.

Accidit ut peccarent, scilicet contra regem. *Duo eunuchi.* Pincerna et pistor. Secundum Hieronymum, ille erat princeps vinariorum, id est vini dispensator vel propinator, qui scilicet porrigit ex officio suo poculum domino suo. Et ne vile, sicut ait Hieronymus, putetur officium ; cum etiam apud reges barbaros usque hodie maximæ dignitatis sit regi poculum porrigere. *In qua erant propagines,* id est tres rami. *In gemmas,* id est in germen, quod in principio de vite procedit instar gummi, vel parvuli lapilli : qui tandem in flores et folia se expandit. *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat,* id est dies tertius celebrationis sui natalis. *Restituitque alterum in locum suum etc., alterum suspendit etc., ut conjectoris veritas probaretur. Ut*, hic non legitur causaliter, sed consecutive : id est ita hoc factum est, quod ex hoc probata seu manifestata est veritas conjectoris, id est Joseph divinitus conjicientis, seu prævidentis et interpretantis futuram veritatem somniorum illorum. *Oblitus est interpretis sui,* id est non curavit rogare regem pro ipso, nec forte aliquod speciale beneficium sibi exhibere.

CAPUT XLI.

Post duos annos, scilicet ab incarnatione Joseph. *In culmo uno.* Culmus est stipes herbæ vel spicæ : et est dictus culmus quasi calamus. *Devorantes omnem priorum pulchritudinem*, idest facientes tradi oblivioni pulchritudinem primarum. Vel forte in visione videbatur sibi, quod istæ quasi adurerent et consumerent illas. *Pavore perterritus misit ad omnes conjectores Ægypti.* Somnium hoc fuit a Deo Pharaoni immissum : et sic fuit etiam pavor et stupor admirabilis sibi ex hoc immissus et relictus. Quod factum est ut requisita a variis interpretatione, tamdem veniretur ad Joseph : et sic tam ipse quam Deus et Dei sapientia in eo magnifice monstraretur et exaltaretur. *Confiteor tibi peccatum meum*, idest quod hactenus contra regem commisi : propter quod rex iratus misit me in carcerem : *Vidi somnium*, quod scilicet, erat præsagium futurorum, idest prædictio vel prædivinatio futurorum. *absque me*, idest absque mea humana prudentia. *Deus respondebit prospera Pharaoni*, idest prosperam interpretationem et salubrem Pharaoni. *Et obesis carnibus,* idest rotundis et vehementer crassis : quasi obese educatis et impinguatis. *Vireta carpebant.* Viretum est ubi crescunt herbæ virentes, qualia sunt circa ripas aquarum. *Quæ devoratis etc.* Sensus est, quod septem boves macilentæ ex comestione priorum pinguium, non apparuerunt in aliquo impinguatæ ; imo ita macilentæ et squalidæ, sicut prius. Squalor autem est pallor, vel sordes, vel tabes, vel ariditas corporis macie confecti : *Dixit quoque rex ad Joseph : Ego sum Pharao : absque tuo imperio* ; idest ego sum rex, qui volo quod omnes obediant tibi. Est autem Pharao commune nomen regum apud Ægyptios, sicut Cæsar apud nos : *Filiam Putipharis Sacerdotis.* Secundum Augustinum, libro *quæstionum super Genesim.* Credibilius existimatur hic esse alter ab illo, cujus Joseph fuit servus. Hieronymus tamen putat quod sit idem. Eliopolis vero est urbs Egypti, et interpretatur civitas solis : nam Elios Græce idem est quod sol. *Ut arenæ maris coæquaretur.* Per hyperbolem significat grandem excessum abundantiæ tritici jam recollecti. *Manasses*, interpretatur oblivio : et Ephraim cre-

sterilitas, vel augmentum, vel fertilitas. Et ex hoc patet ratio impositionis horum nominum ad Joseph. Potest autem hic quæri, An Joseph habuit aliquod lumen habituale, per quod posset investigare et scire significationes somniorum aut visionum? Et videtur quod sic: quia in tribus somniis quæ hic interpretatus fuisse narratur, non dicitur quod Deus tunc in speciali illas interpretationes revelaverit ei; et ipse etiam antequam specificarentur ei somnia illa, videbatur confidere et sentire se habere a Deo facultatem interpretandi illa. Unde ad pincernam et pistorem dicentes sibi: Somnium vidimus, dixit, Numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi quid videritis. Pharaoni etiam secure dixit, Absque me respondebit Deus prospera Pharaoni. Præterea Danielis primo dicitur, quod Deus dedit Danieli intelligentiam omnium visionum et somniorum. Dicendum quod si quis nomine habitus aut habitualis facultatis improprie accipiat quemdam modum se habendi hominis ad Deum, seu potius Dei ad hominem, ad sibi faciliter et plenarie assistendum in omni somnio vel visione significativa sibi revelanda; sic nihil inconveniens est hoc in aliquibus sanctis fuisse. Quod autem per aliquem habitum luminis creati possent scire omnia, non videtur esse possibile. Primo, quia omnis habitus creatus est finitus et ad finita aliqua limitatus. Secundo, quia somnia sunt aut esse possunt generum et numerorum diversissimorum, ad quæ utique habitus unus non poterit se extendere. Tertio, quia species in visionibus apparentes non habent ex sua propria natura infallibiliter aut immobiliter significare omnia quæ significant: ergo habitus prædictus non poterit per illas species sufficienter juvari ad sciendum omnia significata: immo oporteret quod prius per se sciret omnia illa: et ultra hoc, quod sciret illa per tales species significari. Et etiam quando eadem veritas per diversa somnia diversarum specierum significatur, oportet illum totum hoc præscire. Quarto, quia aut iste habitus erit habitus scientiæ in se scientialiter tenentis determinatam veritatem omnium somniorum et suarum interpretationum; aut erit habitus scientiæ solum in universali illa scientia, non autem in speciali; aut erit habitus ingenii, aut ingeniosi acuminis seu luminis ad rationabiliter investigandas et probandas determinatas significationes somniorum vel visionum. Primum autem non potest dari sine actuali infinitate, æquivalente infinitis habitibus infinitarum scientiarum; et præterea tunc non juvaretur in aliquo ex relatione somniorum sibi facta; imo sciret in aliquo ita totum ante relationem sicut post. Secundus autem modus non sufficit; quamvis forte nec talis modus scientiæ universalis ad omnia de facili dari possit. Tertium autem non est possibile, tum quia futura contingentia ad utrumlibet indifferenter se habentia non possunt per rationem probari aut investigari, quia non per causas eorum, nec per effectus, nec per quæcumque antecedentia, ex quibus illa contingentia necessario concludantur. Præterea, quomodo per rationem argumentativam poterit quis pro libito penetrare et investigare omnia secreta præscientiæ Dei, et omnia proposita voluntati suæ? Ad primum autem incontra dicendum, quod Joseph non innuit nisi Deum sibi assistere ad ipsum prout expediret illustrandum: et ideo solum primum modum sibi ascribit; quamvis nec ullum nisi sub certa mensura beneplaciti Dei. Si autem quæras quomodo ipse sciebat quod Deus sic assisteret ei? Dicendum quod partim per intimum instinctum et sensum divinæ familiaritatis ad se: partim per expressam revelationem, qua Deus expresse dixit ei, quod in omnibus (scilicet pro loco et tempore) ei assisteret. Et per hoc patet etiam responsio ad secundum, scilicet de Daniele. Nam sequenti cap. subditur quod ipse nescivit somnium Nabuchodonosor, nisi quando per specialem visionem revelatum est. Sciendum est etiam, quod licet homo non habeat lumen creatum sufficiens ad omnia indaganda, potest tamen habere quamdam spiritalem munditiam et perspicaciam intellectus et gustus ad veritatem sibi propositam perspicaciter degustandam et discernendam ab omni falsitate seu falsa significatione opposita. Et hoc habent sancti per quemdam altum et supermundanum gustum et sensum divinæ æternitatis et suæ æternæ veritatis ac bonitatis: sicut videmus quod per notitiam speciei humanæ de omni sibi oblato cognoscit homo, an sit homo vel non; quamvis de absentibus hoc non possit: sic etiam peritus in discernendis vinis per habitum seu gustus discernit vinum bonum a malo et sapidum ab amaro; quamvis de non gustatis vel absentibus

hoc non possit. Hujusmodi autem sensus spiritales Deus diversimode distribuit sanctis suis. Nam quidam habent sensum ad discernendum mores hominum, quidam ad discernendum spiritus malos ab Angelis bonis : quidam ad discernendum visiones a Deo immissas et hoc habebant Daniel et Joseph, praedicto tamen modo. Notandum, quod quando Deus alicui electorum suorum daturus est aliquam gratiam et magnificentiam singularem, solet Deus praemittere disponentia et stabilientia : fundamentum autem ad bene regendum magnificentiam singularem est humilitas : ex qua habetur singularis et plena experientia status oppositi magnificentiae illi. Ex hoc enim novit illam non sibi ascribere, sed soli Deo. Ex hoc etiam novit quomodo debeat fovere abjectos et tribulatos : et novit etiam non figere se in illa, sed in solo Deo ; et sic de aliis. Et hinc est quod absque praeviis tribulationibus audivi multum sublimatos corruisse : sicut utique corruit primus Angelus ac primus homo, et Saul et Salomon reges. Quia igitur Joseph erat singulariter sublimandus, ideo primo fuit singulariter humiliandus et tribulandus : et praecipue quia discret[illegible] regiminis sibi dandi praeexigebat multimodas experientias casuum diversarum condescensionum gratiae et providentiae Dei in casibus illis. Rursus sciendum quod, licet haec talia dona Dei non cadant sub merito proprie et ad plenum, nihilominus decens est quod postrema et consummata dona praeveniantur per merita correspondentia illis : sicut labori pro quaecumque virtute correspondet felicitas habita de plena possessione virtutis illius. Et hinc est quod Deus admirabiliter hunc ordinem servavit in sanctis. Nam volens haereditare Abraham et semen ejus, voluit ipsos prius peregrinari : et quando tertium Patriarch in Jacob prae caeteris voluit fecundare in prole electa, ordinavit quod viginti annis pergrandem servitutis laborem sustineret, et pro uxoribus et liberis et grege, quod de nullo alio sanctorum Patrum legitur. Et sic intuere alia opera Dei, et invenies similia fere semper. Nota pro mysteriis, quod moraliter per uxorem eunuchi impetentem Joseph potest intelligi caro, nitens ad se trahere superioris rationis consensum. Et quia ratio saepius habet circa inferiora negotiari propter humanam necessitatem vel fraternam pietatem, ideo hujus rationis pallium est necessitas vel pietas. Et quia vix potest fieri quod in hujusmodi sit ratio cum arbitris, id est cum plena circumspectione et cautelosa deliberatione omnium periculorum vel illecebrarum : hinc est quod per extremitatem pallii aliquando tenetur a carne : sed tunc discreta ratio fugit relicto pallio, juxta consilium Christi : Si oculus tuus scandalizat te, projice eum abs te. Multa enim utilia et necessaria sunt relinquenda, ut ruinosum praecipitium evadamus. Allegorice autem per hanc dominam designatur primo Synagoga, Christum et coetum Apostolicum nitens trahere ad suum carnalem sensum et ritum : Christi vero pallium est lex divina, cujus extremitas est littera et intelligentia litteralis. Et per hanc Synagoga conata est ad se trahere Christum et ejus collegium : sed illi relicto pallio litterae, evaserunt. Secundo per hanc dominam designatur haereticorum Ecclesia, utpote Ariana vel quaecumque alia quae coetum fidelium sibi voluit erronee commisceri : quorum pallium erat ratio humana veritatem fidei exterius ornans et ab impugnationibus fortuitis tegens : cujus extremitas sunt dicta Philosophorum vel principia ex elementis seu experimentis mundi sensibilis sumpta. Ubi ergo periculum incidit, relicto pallio rationis humanae, ad solam fidem fuit confugiendum : et maxime ubi non erant arbitri, id est sufficientia discretionis ex parte auditorum. Tertio per hanc dominam designatur hypocritalis praesumptio Ecclesiae carnalis arida caeremoniarum religione tumescens et temporalium concupiscentia fervens : quae pauperes evangelicos sibi commisceri compellit instar impiae Jezabelis. Pallium autem Joseph est condescensio uniformis, per quam se charitative nititur inferioribus conformare, et ab aemulorum corrosivis insidiis se celare. Hujusmodi autem extremitas est vitatio communis offensae : quia valde impium videtur ritum communem destruere et non vereri communitatis offensam : et hoc est, per quod fortissime Jezabel compellit Eliam ad fugam, nitens ipsum occidere, quia ipse insimul occiderat totum collegium pseudoprophetarum. Secundum hoc ergo potes accipere quatuor incarcerationes Joseph : unam scilicet moralem et tres allegoricas. Nam caro sentiens se a ratione subjici, praetendit animo pallium

necessitate et argumentum, quasi calliditate vult destruere carnem et officia ejus. Ex quo sæpe tanta turbulentia tentationum surgit in corde, quod ratio remanet vilis incarcerata. Sed Dei gratia sibi assistente, etiam in ipso carcere dominatur, et duo suorum affectuum duos habet secum concaptivos : quorum unus est pincerna devotionis, alter vero est pistor carnalis consolationis : qui ubi ratio dominatur non potest non in carcere esse. Horum utique somnia recte interpretatur. Licet enim uterque apparenter sibi somniet alta, realiter tamen carnem somniat altitudo carnis quæ in interitum vadit. Oportet enim illam suspendi in cruce, non sancti latronis, sed reprobi. Et hæc post tres convivii summi regis dies : quorum primus et secundus sunt æternorum fides fervida, et spes solida et erecta : tertius vero est charitas inebrians et zelotypa : et hæc est quæ pincernam restituit et pistorem crucifixit, quamvis ratio nondum plene a carcere liberetur, quousque ad supernam gloriam assumatur. Allegorice vero juxta primum modum designat incarceratio Joseph mortem et sepulturam Christi. Pincerna vero est latro per ipsum Deo patri reconciliatus. Pistor vero alter latro damnatus. Designat etiam incarcerationem fidei Christi, quæ per tres annos, id est per tres centenarios annorum, usque ad Constantinum duravit. Pistor vero significat Doctores grossioris et materialis doctrinæ, Scribas scilicet Judæorum. Per pincernam vero Doctores sapientiæ spiritalis. Et primus quidem in primo centenario sub Tito et Vespasiano est capite truncatus : secundus vero ex tunc liberius prædicavit. Vel hæc incarceratio Joseph designat descensum Christi ad inferos, relicto pallio carnis, propter iram justitiæ Dei : et tunc pincerna designat sanctos Patres et Prophetas, qui erant in limbo : pistor vero dæmones, qui per Christum potestatem super animas amiserunt. Designat etiam pistor quoscumque curiosos et vanæ gloriæ amantes Doctores, tria canistra farinæ super caput habentes : scilicet Testamentum vetus et novum, et proprias expositiones superadjunctas : de quibus propter eorum inanem gloriam aves cœli pascuntur. Vel primum canistrum est speculativæ scientiæ philosophorum : secundum vero scientiæ practicæ eorumdem : tertium vero subtilis commixtio doctrinæ vel prædicationis formatæ ex primis. Post hæc tracta de somnio Pharaonis, quod videtur post duos annos : primus est annalis circuitus rationis ad discernenda propria intellectualia : secundus est ejus ascensus ad superintellectualia. Per primum autem somnium designatur tota Scriptura et omnis implicita seu figuralis præexistentia futurorum. Primo enim solet a Deo quasi per modum seminis involute et implicite dari : et tandem per expositionem Doctorum, aut per superinfluentiam clarioris luminis explicari. Unde et Constantino, qui quasi alter Pharao fuit, prius per sanctos Petrum et Paulum fuit aliquid præostensum : et postea per Sylvestrum plenius explicatum. Sic etiam videmus, quod circa fines priorum temporum, qui sunt quasi quædam prægnantia initia temporum futurorum, quibusdam et singularibus et petentibus fit plerumque quidam fortis instinctus, et quædam vehemens æstimatio immutationis temporum et magnalium futurorum, implicite tamen et in generali, ex qua sollicitamur a mundi sapientibus quærere quid portendat. Per septem autem boves, septemque spicas pingues literaliter designantes septem annos temporalis fertilitatis, designatur moraliter plenitudo gratiæ septiformis mentis in alta suspensæ, et super fluvium divinæ gratiæ plantatæ et pastæ. Septem vero anni oppositi designant quasdam ariditates, quas mens etiam alta pro tempore cogitur pati, ut discat humiliari : et per discretionem ex donis prægustatis se regere et pascere in tempore egestatis. Fit etiam, quod sicut terra Ægypti amplius fuit Pharaoni subjecta tempore egestatis quam fertilitatis, quo tempore magis sollicita ad consilium et auxilium Joseph recurritur : sic miro modo fit, quod mens per sensum suæ egestatis fortius se Deo subjiciat et humiliet, et ad discretionis divinæ consilium recurrat, quam tempore, quo ad votum bibit et pascitur in divinis. Nota etiam, quod quinta pars fructuum in horrea congregatur. Per quod designatur quod aspectus ac conatus nostræ virtutis ad quinque est dirigendus : scilicet ad Deum de præsenti colendum : secundo ad Deo fortiter inhærendum : tertio ad seipsum spiritualiter reficiendum : quarto ad proximum confovendum : quinto ad tempus futuri sæculi secure et absque omni periculo subeundum. Et hæc est quinta pars, in qua jam

primæ quatuor partes virtualiter continentur : et per hanc omnia bona nostra ad executionem æterni præmii et evitationem futuri supplicii ordinantur. Allegorice vero possunt ad præsens quatuor designari. Primo scilicet fertilitas hujus vitæ ad merita cumulanda, et egestas vitæ futuræ respectu iterato merendi : propter quod sancta discretio hoc prævidens docet, quod hujus vitæ fertilitas thesaurizetur pro necessitate futuræ vitæ. Secundo per hoc designatur fertilis administratio Scripturarum sanctarum quæ per septem tempora synagogæ duravit, et per Christum in horreis mentium Apostolicarum est sub ineffabili copia recollecta : ut Gentibus egestate confectis, per septem tempora Ecclesiastica dispensetur. Tertio per hoc designatur duplex tempus cujuslibet status solemnis. Nam sicut dies usque ad sui medium crescit, et exinde semper decrescit : sic status solemnes populi Dei quasi usque ad sui medium abundant in fœcunditate donorum et bonorum operum et postmodum tepiditas et ariditas semper excrescit. Et ideo volentibus se et alios salvare tempore egestatis, necesse est in thesauris memoriæ et exercitatæ seu habituatæ experientiæ recondere copias donorum et sanctorum exemplorum, quibus sancti Patres in priori tempore sunt dilati et impinguati. Quarto per hoc designatur temporalis et spiritualis et finalis ejus tentatio et adversitas futura circa tempora Antichristi : et tunc filii Jacob fame compulsi venient ad Christum quem vendiderunt. Nota autem quod licet per spicas et boves, secundum interpretationem Joseph, idem significetur : fit tamen hoc sub varia ratione. Nam prout per dona gratiæ vel sapientiæ ad fortia virtutum et sanctæ agriculturæ opera roboramur, tunc dona ipsa designantur per boves : prout vero per ipsa reficimur et satiamur, designantur per spicas. Et sicut ante spicarum messes sunt boves arantes, et visio boum fuit ante visionem spicarum : sic etiam fortia opera præcedunt messes spiritalium refectionem ; et e contra torpor acidiæ et ignaviæ septem vaccarum, est causa ariditatis septem spicarum. Unde optime per boves designantur initia temporum : et per spicas fines eorum. Sicut videmus quod in primo Ecclesiæ tempore fuerunt Apostoli et martyres quasi vaccæ pingues fortiter terras orbis arantes, et prolem Ecclesiæ cum grandi gemitu parturientes : et post hoc sub tempore doctorum et claustralium, sequutæ sunt spicæ. Nota etiam de sublimatione Joseph, quod prout per ipsum designatur singulariter Christi persona : Pharao Deum Patrem designat : prout vero per ipsum designantur Pontifices Christi, tunc per Pharaonem designatur Constantinus, et christiani imperatores, fidem Christi exaltantes ; qui quo ad temporalem seu sæcularem gloriam aliquo gradu præeunt Pontifices Christi, quamvis simpliciter subsint illis. Christus autem in ascensione sublimatus in cœlum quatuor insignia regalia a Deo patre accepit. Primum est plenitudo operativæ potestatis, de qua Matth. ult : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* : et hæc est sicut annulus in ejus manu divinæ potentiæ sumptus. Secundum est refulgentia claritatis gloriosi corporis : et hæc est stola byssina. Tertium est æterna jucunditas, et hæc est torques aurea : et in collo, in quo est vis degustativa. Quartum est ejus sublimis sessio et superambulatio : et hic est currus secundus, quamvis ipse in quantum Deus sedebat cum Patre in curru primo. Per Asseneth vero filiam sacerdotis Heliopoleos Romana Ecclesia designatur : quia et Romana facta est tunc Heliopolis, id est civitas solis : quia Christus sol sapientiæ et justitiæ sedem suam fixit in illa. De duobus autem filiis Joseph, infra capite penultimo plenius tangetur etc.

CAPUT XLII.

Audiens autem Jacob etc. Hic agitur de egressu Israel in Ægyptum. Et primo de egressu pro victualibus asportandis. Secundo pro morando, ibidem cap. XLVI : *Profectusque Israel.* In prima autem parte narrantur duo ingressus, et duo regressus filiorum Jacob : quorum primus fuit sine Benjamin, secundus vero cum ipso : et hoc incipit cap. XLIII, ibi : *Interim fames etc.* Hic primo refertur quomodo fratres a Joseph dure sunt tractati, cum quodam tamen munere gratiarum. Et post hoc narratur quomodo revelaverit se eis cap. XLV, ibi : *Non se poterat ultra.* Ait ergo : *Quasi ad alienos durius loquebatur.* Nota quod triplex ratio reddi potest ad præsens, propter quod eos a principio sic dure tractavit ? quarum duas priores ponit Augustinus in lib.

Quarto ut fiderent. Primo est ad quamdam condignam punitionem et purgationem criminis eorum in se commissi. Secundo est ut ex longa suspensione suæ revelationis subjungendæ eorum fortius exultent; ipsa revelatio pleniori gaudio cumularetur; tamquam non essent condigne punientes eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exaltationis, quæ in revelatione Joseph eis fuerat revelanda. Tertio est ut Joseph scientia et sapientia, et sui magnificentia a seipso prædicta, quam illi derisserant et quantum est in se extinxerunt, plenius magnificarentur in illis, et super eos; et ideo facit eos coram se contremiscere, et pro libito turbaverat eos, et quadam profunditate sapientiæ circumducit eos quasi stultos et maliliosos. Quod quidem voluit eis facere solum pro tempore quo Joseph revelatus non est eis. Semper enim ex hoc ejus potentiam et sapientiam habuerunt fortius admirari et vereri; et de peccato suo præterito aliquo modo confuti et perfundi. Ut autem plenius advertas Joseph in his et aliis divinitus dari, nota inter cetera, quod valde est mirabile, quod in viginti tribus annis quibus in Ægypto stetit inscio patre, nunquam per litteras vel nuncios aliquid de se patri significavit; etiam ex quo per novem annos fuerat sublimatus a Pharaone super totam terram; cum tamen bene sciret mœstitiam patris. Ex quo patet quod expectabat tempus ad hoc ordinatum a Deo; nam per spiritum Prophetiæ credebat se missum illuc pro salute domus patris sui. Quamvis etiam hæc sui occultatio non fuerit absque ratione. Nam per hoc detulit reverentiæ fratrum suorum, in eo quod noluit etiam prodere crimen eorum. Secundo placavit eorum invidiam ex qua potuissent aliqua contra ipsum machinari, si scirent illum vivere in aliqua prosperitate. Tertio providit rationabiliter tempus aptius suæ honorificæ et salubri revelationi, temporis scilicet in quo fratres sui necessitate pressi, compellerentur, et ipsis insciis venire ad eum. Longiturnitas etiam tacitæ absconsionis reddidit omnibus admirabilem gloriam suæ revelationis; ita quod ex hoc sua venditio et exaltatio plenius apparent divinitus ordinata. Præter hoc autem sicut jam dictum est, fiebat etiam hoc in mysterium futurorum. *Exploratores estis*, id est merito habemini et reputamini; vel exploratorum pœna digni estis. Quod autem esse quandoque sumatur pro haberi, patet ex tertio Regum decimo octavo capite; ubi Elias populo dicit: Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus, id est ipse habeatur pro Deo. Non enim intendebat dicere quod tunc per hoc inciperet esse Deus. *Ut videatis infirmiora terræ venistis.* Quod per modum istum prædictum a mendacio salvari potest. Et item propter hoc quod esse sumitur ibi pro videri, nota quod sæpe in Scripturis res dicitur esse, quando apparet esse; ut Matthæi ultimo: Data est mihi omnis potestas. Constat autem quod antea erat data, sed tunc clarius apparuit. Et Matth. XIII, dicitur quod de die illa et hora nemo scit, neque Angelus, neque filius hominis. Filius autem dicitur nescire, quia non ostendit se scire; et pro tanto videtur nescire. Tertio potest dici, quod Joseph in his et consimilibus non loquitur assertorie, sed solum tentative et probative; ut sic sub tali modo tentativo, occasiones accipiat capiendi eos, et veniendi ad eorum secreta, quasi ad sibi ignota. Talis autem modus loquendi potest aliquando ex rationabili causa assumi a sapiente, et præcipue a judice et potissime a viro prophetico, qualis utique Joseph erat. *Hoc est* [ait] *quod locutus sum, exploratores estis.* Id est quod dicitis vos quod estis fratres et habere unum alium fratrem minorem, innuit vos hujusmodi mendose confingere; ac per consequens quod sitis exploratores. *Donec probentur quæ dixistis utrum vera vel falsa sint. Alioquin etc.* Si, scilicet, non probatis vera esse quæ dixistis. *Per salutem Pharaonis exploratores estis*, id est exploratores probabiliter videmini et comprobamini. Hinc inter cetera patet, quod non intendit simpliciter et absolute asserere ipsos esse exploratores; alias frustra apponeret hic conditionem dicendo: Si non probatis quod dicitis, probabiliter apparet quod exploratores estis, aut pro certo vos pro talibus habeo. Jurat autem per salutem Pharaonis, tanquam in Pharaone venerans regiam potestatem sibi a Deo datam, et tanquam per quemdam notabilem Dei effectum, qualis utique erat Pharaonis vita et salus; quæ utique secundum Deum erat sibi chara et amabilis et venerabilis. Hunc autem modum jurandi signanter assumpsit, ad se magis occultandum eis, et ad magis terrendum eos per auctoritatem et familiaritatem Pharaonis, quam in hoc se

habere monstrabat. *Videntes angustias animæ illius dum deprecaretur nos et non audivimus*, id est non exaudivimus. Nota quomodo Scriptura scienter multa omittit. Nam supra narrans venditionem Joseph, nihil de hoc dixit ; facile tamen fuit per se cogitare, quod puer innocens periculo mortis, et tandem venditioni expositus, maximas cordis angustias pateretur : et quod humillime fratres suos deprecaretur, ne sibi nocerent. Ex hoc autem plenius patet fraterna impietas commissa in eum. *En sanguis ejus exquiritur*, id est ultio sanguinis ejus, nunc de nobis a Deo per ipsum expetitur. Sed quare hoc gravamen suum plus quam aliis ascribunt huic peccato? Potest dici quod hoc ideo, tum quia gravius, tum quia eorum gravamini correspondentius. Nam sicut illum gravaverunt, sic gravabantur. Tum etiam quia in fratre suo uterino probatio eorum exquirebatur : tum quia in Ægypto, ad quam Joseph vendiderant : tum quia plerumque justo Dei judicio fit, ut illud crimen pro quo pœna infertur vivaciori remorsu memoriæ cordi se ingerat. *Tollensque Simeon*. Quidam dicunt quod ipsum specialiter detinuit quia in venditione fuerat sibi magis infestus, quasi aliquam justam pœnam ipsum per hoc exsolvere faciens. Sed quia per hoc, etsi non re, tamen aliquam speciem expetitionis propriæ vindictæ habuisset : potest probabilius dici quod unum de majoribus et primogenitis voluit retinere, in signum majoris firmitatis, et justitiæ rectioris. Noluit tamen Ruben ; tum quia in eum fuerat præ omnibus pius ; tum etiam quia venerabatur in eo primatum naturalis primogenituræ. *Et reponerent pecunias singulorum in saccis suis datis supra*, id est infra prædicta. *Cibariis in via*, id est sufficientibus pro tota via. Illud autem de pecunia voluit secreto fieri, et interim sic occulte daret eis munera suo tempore reveranda et regratiando, quod tamen nondum appareret amicitia ipsius ad eos ; imo potius cum eam reperirent, deterreret eos, nam ab ipso possent de furto aut de negligentia solvendi notari. *Vel daret jumento pabulum in diversorio*, id est in stabulo, vel in compito ad quod diverterant, et ad quod viatores communiter divertebant. *Deducetis canos meos*, id est me canum et senem etc.

CAPUT XLIII.

Interim fames etc. Sub attestatione jurandi, id est juramento testificans, *In meam hoc fecistis miseriam*. Hoc non legitur causaliter, sed consecutive ; et sic fecistis hoc quod ex hoc ego consequor miseriam. *Ero peccati reus*, id est ac si te occidissem, sic semper volo reus contra te reputari. *Modicum resinæ etc*. Si vero quæris, quomodo tanto Domino de tam longinqua terra modicum munusculum solum mitteret. Dicitur quod littera Hieronymi habet, aliquid resinæ ; vel dicitur modicum non absolute, sed respectu tanti viri. Jubet autem ferri viro quatuor species cum melle et amygdalis. Stacte autem ex myrrha. Storax quædam species resinæ, et arbor etiam de qua fluit ; et vocatur storax quasi stirax. Stiria vero græce idem est quod gutta. Terebinthus vero sumitur hic pro altera specie fluente ab arbore quæ terebinthus vocatur. *Ego autem quasi orbatus absque liberis ero*. Hoc dicit simpliciter, non solum respectu filiorum Rachel, nec respectu Simeonis vel aliorum : sed forte omnes timebat amittere. *Et occidit victimas*. Victima proprie est sacrificium pro victoria hostium devictorum. Sed aliquando stat pro solemni præparatione carnium ; et sic sumitur hic. *Et instrue*, id est præpara seu ordina convivium, *ut devolvat in nos calumniam*, id est impositionem falsi criminis. *Non est in nostra conscientia*, id est nescimus, vel non sumus conscii, *quis eam posuerit in marsupiis nostris*, id est in saccis nostris. Marsupium, secundum Isidorum, sacculus est nummorum quem græci marsupia appellant. *Nam pecuniam quam dedistis mihi probatam ego habeo*, id est pro habita teneo, id est reputo me solutum ; vere enim solverant ei, et pro tanto dicit verum. *Interrogavit eos, dicens, Salvus ne est pater vester senex etc*. Nota quod in omnibus his interrogationibus per nullam viam interrogat de Rachele matre sua. Ex quo probabiliter convincitur, quod ante suam venditionem mortua fuerat : et ideo tamquam sciens eam mortuam, non curavit aliquid investigare de ea. *Et profanum*, id est immundum seu non religiosum putant hujuscemodi convivium. *Et inebriati sunt cum eo*. Augustinus libro *Quæst. super Genesim* dicit, quod hoc verbum sæpe ponitur pro

antonomastice, ut in Psalmo: Visitasti terram, et inebriasti eam; et ideo super hoc locum dicit, quod idioma est linguæ Hebrææ ut absolutum pro relativo sæpius ponat; sicut ibi: *In stillicidiis ejus lætabitur germinans terra*, scilicet, pluviis irrigata.

seph, quæ supra non leguntur dicta ab eo: sed non est inconveniens plura tunc fuisse dicta, quam superius sunt relata. *Et ipsum solum habet mater sua.* Modus est loquendi; quia constat, quod Rachel mater Benjamin tunc temporis non vivebat, imo obierat in partu.

CAPUT XLIV.

Persequere viros, id est perfecte insequere. *Scyphum quem furati estis.* Hic, furati estis, sumitur secundum rem, pro videmini furati esse; aliter esset sermo mendaciosus. Vel tentative loquitur sicut dictum est supra. *Et in quo augurari solet.* Tam hoc, quam illud quod paulo post subditur, *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* secundum Augustinum in libro *Quæstionum super Genesim*, non dicitur serio sive asseverate, sed joco. Quum autem ea quæ non sunt, joco dicuntur esse, non reputantur mendacia. Jocosum autem modum loquendi videtur hic vocare Augustinus modum loquendi tentativum. Potest etiam præter hoc dici quod loquitur secundum vulgatam opinionem gentium; ut sit sensus: ego juxta communem opinionem æstimantium etc. *Vos scitis quod duos pepererit mihi uxor mea*, id est Rachel quæ antonomastice uxor vocatur, tum quia primo et principaliter fuit Jacob desponsata, tum quia prædilecta. *Quia in meam hunc recepi fidem.* Ex hoc patet quod Jacob tradidit principaliter Benjamin, propter fidejussionem Judæ. Creditur autem plus confidisse de ipso, tum quia omnium verior et fidelior apparebat et erat: quod satis innuitur supra in facto Thamar; tum quia omnium fortissimus et constantissimus erat, prout in libro Paralipomenon v cap. dicitur; ubi etiam aliqua ratio innuitur quare de stirpe ejus principes generati sunt. Et nota quod post hanc fidelitatem Judæ et fratrum suorum, tam ad Jacob, quam ad fratrem Joseph uterinum, subditur quod *non se poterat ultra cohibere Joseph.* Ex quo patet, quod fecerit ista Joseph, ut scilicet probaret an saltem fratri suo Benjamin essent fideles et compassivi, et in hoc ipso quodam modo promererentur obtinere gratiam ejus; et etiam in parte scelus commissum in ipsum per hoc expiaretur. Nota autem quod aliqua verba refert hic Judas dicta fuisse a Jo-

CAPUT XLV.

Non poterat ultra se cohibere Joseph etc. Singulis quoque proferri jussit binas stolas. Stola, secundum Isidorum, est matronale operimentum capitis et spatularum; hic tamen secundum quosdam stat pro veste longa; et tunc, secundum eos, non dicitur a stolon, quod est missio, sed a telon, quod est longum. Et nota quod si Joseph matrem propriam æstimasset vivere, misisset ei specialia munera, sicut fecit patri. *Ne irascamini in via.* Hoc dicit eis Joseph, tamquam sciens hoc vitium in via difficulter vitari: nam concitatio corporalis motus et lassatio itineris, ac communis libertas ac verbositas itinerantium, dant sæpe occasionem corrixationum. Nota pro mysteriis partis hujus, quod moraliter designatur hic, quod afflictio egestatis spiritualis et temporalis sæpe compellunt animum et ejus affectus recurrere ad Deum pro alimonia, saltem pro pretio laboris debiti acquirenda. Sed quia decet et expedit affectus, qui hactenus contempserunt Joseph, id est Christum et discretionem divinam, ut durius pertractentur: ideo sic in principio habet se Deus ad eos ac si essent impii et insidiosi. Unde et menti incutit timorem ne forte eorum oratio sit præsumptuosa et curiosa exploratio: et maxime quando aperte ostendunt fratrem minimum non secum duxisse, id est summum excessum humilitatis, sive contemptus sui et mundi; qualis est in supermundano excessu mentis alienatæ in Deum. Primo ergo tribus diebus incarcerantur, secundum trinam coarctationem, quam tunc eos sustinere oportet: et etiam coarctari exteriorem sensum, ne etiam ad illicita evagetur, deinde sensum exteriorem. Tertio Deus seu divina regio, ad quam nituntur ascendere, occurrit eis, ut quædam impenetrabilis tenebra dura et clausa velut carcer lapideus, aut velut caverna profunda et saxea. Post hoc ergo, quia non possunt libere ascendere, redeunt ad

requirendum prædictum fratrem minimum : retento tamen seniore in vinculis. Nam, sicut supra dictum fuit, per Simeon dolor intelligitur : qui quidem quando pro libito ad sui animi defectus deplorandos libere vacat, non est ligatus : quando vero catenis fortissimæ tristitiæ augustatur, ita quod plus a Dei severitate agitur quam agat [1] : tunc quodammodo est ligatus. Et hic est qui pro infallibili obside retinetur ; isto enim sic stante ligato, non possunt illi nolle cum minimo fratre redire ; et præcipue egestate perdurante. Et quia cum perduraret, et quod ab eis exigitur, perficere non valerent sine pabulo gratiæ Dei : ideo Joseph saccos eorum tritico implet. Sed quia etiam præter dona aperta expedit eis aliqua dona dari occulte, in quo labor quem quasi pro pretio alimoniæ dederant, eis quodammodo redditus videatur : ut sic in aperta perceptione doni occulti non inflentur, sed potius terreantur, timentes quasi de latrocinio condignorum operum quæ solvere debuerant, judicari a Christo ; ideo et Joseph similia facit. Atque ut Benjamin domi retentum difficillimum est Jacob extra in longinquum emittere : sic et sui contemptum et contemptibilitatem intra cor existentem, in tantum est difficile exterius, et hoc ita remotissime pandere, quod homo se existimat moriturum et canos suæ munditiæ et reverentiæ quasi ad inferos ruituros : si abjectioni suæ munditiæ exterius proditæ aliquid accidat adversitatis. Sed premente fame, Ruben, id est Dei timor, exponit duos filios suos morti, si non reduxerit Benjamin salvum, id est gloriosum. Sunt autem hi duo timoris filii, compressio vitiorum et obedientia præceptorum. Nam per hæc duo videtur hominis contemptibilitas exterius prodita ad gloriam suam primam reduci. Nec potest noster Benjamin conculcari sine conculcatione horum duorum ; tuncque Ruben eos occisioni exponit, quando ingerit animo, quod si Benjamin non reducitur secure a se abjiciat fugam vitiorum et obedientiam præceptorum. Sed quia hoc non sufficit animo sub nullo pacto volenti a Deo recedere ; et maxime quia nihilominus adhuc vituperari veretur ; idcirco Jacob verbo Ruben non assentit. Egestate vero quasi in desperationem animum comprimente, compellitur finaliter emittere ipsum : maxime ubi Judas, id est fortissimus amor divinæ laudis, se reum paternæ mortis fidejussorie profert, nisi salvum reduxerit eum. Tunc igitur portatur pecunia duplex, id est perfecta promptitudo ad se subjiciendum, tam pro donis habitis quam pro habendis : et cum hoc mittuntur munera sex generum devotionis ad placandum faciem Christi : quæ sunt amara compunctio peccatorum, per stactem designata, et pia compassio miseriarum Christi, instantia sanctorum desideriorum seu petitionum, et affluentia dulcium meditationum ex diversis floribus instar mellis recollectarum, et fervor contumeliarum et martyriorum pro Christi fide suscipiendorum, et magnificatio divinarum laudum et præconiorum quæ sunt quasi fructus amygdalorum. *Et bene dicit, modicum resinæ etc.* Quia quantumcumque in magna quantitate Christo mittantur, nunquam gratiose mittuntur : nisi mittens se reputet modicum et quasi nihil mittere. Quo facto Joseph plus solito condescendit, dicitque se ab eis esse solutum, et thesauros in ipsis saccis Dei munere abundasse. Tuncque Simeon expeditur, daturque ei liberum irriguum lacrymarum in lavacrum pedum ; et pabulum sensualis et spiritualis lætitiæ ac fiduciæ asinis, id est sensibilibus corporalibus præbetur. Et in viso Benjamin, id est patuli et superexcessivi conceptus Jacob, Joseph, id est Christus exhilaratur et lacrymatur : quia novit hunc in utero suæ crucis fœtum esse conceptum ; fitque familiare convivium omnibus fratribus, id est omnibus spiritalibus affectibus mentis, excluso tamen carnali et alieno affectu : quia cum illo non possunt simul pati convivium istud. Quia autem humilitas quæ per Benjamin signatur est cæterorum affectuum antiquior et dignior : ideo circa illam fidelitas est plenius per experientiam comprobanda, et in ipsa probatione occulte glorificanda : idcirco scyphus superadmirabilis sapientiæ et præscientiæ Dei, in qua Christi omnia speculantur, occulte in sacco Benjamin ponitur : quia humilibus et parvulis, teste Christo, Matth. XI, revelantur abscondita Dei. Sed quid est, quod ex hoc de furto et de ingratitudine judicatur et decernitur carceri mancipandus : nisi quia quanto humilis animus altiora Dei dona lumina suscipit, tanto ex hoc se judicat magis ingratum

[1] Al. quam agat.

Dei, et tanto plus de crimine furti formidet? Timet enim ne per præsumptionem vel per inanem gloriam illa sibi usurpasse et incorporasse; ne per consequens quod ea hoc perpetuo careat mancipetur a Deo. Fit etiam hoc et alio modo; quia admirabili ordine judiciorum sapientiæ Dei, superexcessiva sapientia et doctrina humilium et abjectorum tamquam præsumptuosa et stulta condemnatur; et tamquam hæretica judicatur a superbis, etiam ab illis aliquando qui potestatem vel locum Christi videntur gerere in terris. Neque mirum; sic enim Christus ipse fuit a Caipha condemnatus. Quando igitur omnes fratrum affectus pro furto hoc libentissime omni confusioni et carceri se exponunt, imputantes hoc merito debere suæ iniquitati; et præcipue quando Judas, id est robustissimus animus et insuperabilis confessio divinæ laudis, pro hoc confidenter se exponit perpetuæ servituti: tunc non potest se cohibere Joseph, quin se ad plenum revelet fratribus suis. Et tamen revelatio ipsa appareat mere gratuita et humilitatis præfatæ superexcessum non concludens, sed augens; idcirco revelat se ut venditum ab eis, sed tamen pro eis. Ex tunc igitur ipsi cum tota domo paterna fiducialiter veniant mansuri cum eo, tuncque omnes exosculans, super omnium colla cum multa compassione recumbit; sed specialiter super Benjamin uterinum; quia ut Isaiæ LXVI, dicit Dominus, *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos?* Excelsus enim Dominus et humilia respicit; et superbos resistens, dat gratiam humilibus suis. Si vero quæras quomodo Joseph, prout per ipsum discretio providentiæ designatur, est altior quam Benjamin, prout per ipsum contemplationis excessus significatur? potest tripliciter responderi. Primo quidem, quod non oportet ubique idem secundum rem per Joseph designari: unde in hoc loco potius designat discretionem vel sapientiam Christi. Secundo potest dici quod sicut Joseph alterius est dignitatis sic et alterius conditionis est discretio viri perfecti in activa et contemplativa simul, quam solius activi, aut solius contemplativi. Sumendo igitur discretionem prout est sufficiens ad regendum dona et opera activæ vitæ et contemplativæ, sic est altior, quam excessus per Benjamin designatus, saltem quo ad regiminis gloriam et auctoritatem. Tertio potest dici, sicut in fine libri qui dicitur *Benjamin* apud Richardum, quod Scriptura divina solet circa eamdem rem nunc significationem extendere, nunc restringere vel mutare. Has autem alternationes solet determinare vel per actum, vel per locum, vel per alias circumstantias. Per locum quidem; ut cum Benjamin in Ægyptum ad Joseph dicitur descendisse; per hoc enim significatur revocatio intuitus mentalis a contemplatione æternorum ad temporalia contemplanda. Per actum vero, cum Joseph et Benjamin se mutuo amplexantur et osculantur; per hoc enim designatur mutua concordia discretionis rationabilis et contemplationis. Allegorice vero per Benjamin designatur hic primo Christus humillimus virorum novissimus, prout dicitur Isaiæ c. LIII; sine quo nullus patrum potuit videre faciem sapientiæ Dei quæ (instar Joseph) omnia regit; quin potius omnes in limbo inferni fuerunt incarcerati, usque ad veri Benjamin, id est Christi adventum. Sed isto adducto non potuit se continere sapientia Dei, quin se revelaret fratribus suis. Nec mirum; quia Christi humanitas est uterina præfatæ sapientiæ; tamquam in utero ejusdem personæ verbi æterni cum ipsa plantata. Quia vero Christus postquam homo passibilis et mortalis scyphum Joseph in ore sacci habuit, in tantum ut diceret se esse sapientiam Dei: idcirco a zelatoribus Dei, licet erroneis, accusatus de furto, addictus est morti, et dixerunt, reus est mortis. Secundo per Benjamin designatur Paulus, qui ad litteram de tribu Benjamin fuit; qui etiam novissimus fuit Apostolorum, et clamat se illorum minimum, sed maximum peccatorum. Usquequo autem iste fuit clare adductus ad Christum, non se revelavit Christus ad plenum gentibus: sed in hujus adventu, fracto cæremonialium velo, revelata est mystica sapientia Scripturarum. Nam Benjamin iste in mentis excessu raptus est usque ad tertium cœlum: et ideo ex tunc Christus non se potuit cohibere, quin per os Pauli prædicaretur orbi. Sub hoc autem mysterio quædam alia consimilia mysteria includuntur, perfecta evidentia suo tempore reseranda a Christo. Postremo autem per Benjamin designantur illi quibus Paulus, I ad Thess. c. IV, se connumerat dicens: *Deinde nos qui vivimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera.* In

illis enim, juxta ordinem temporum et operum Dei, consummabitur extremus gradus et superexcelsus contemplationis : ita ut semper adorent et quasi præsentialiter cernant adventum judicis et novissimi judicii, et gloriosæ resurrectionis novissimum diem subsequentis : et ideo non poterit ex tunc se cohibere Christus, quin in plena claritate resurrectionis omnibus electis appareat, omni tamen alieno excluso ab hac æterna ac beatissima visione. Nota etiam quod Pharao per Joseph mittit plaustra ; quæ plaustra sunt ipsa Dei virtus et voluntas, Christique meritum : in quibus portantur ad cœlum, et ad omne bonum. Possunt etiam per plaustra intelligi ordines angelici, ac exempla et merita et documenta piorum sanctorum. Per binas autem stolas singulis datas, duplex gloria intelligitur, scilicet corporis et animæ ; vel substantialis et accidentalis. Sed Benjamin, id est viri status superexcessivi, accipiunt trecentos argenteos, et quinque stolas optimas ; id est singularia præmia correspondentia trinæ supererogationi Evangelici status, et perfectioni quinque sensuum spiritualium in quibus continetur perfectio contemplativæ sapientiæ, in quinque prudentibus virginibus designatæ.

CAPUT XLVI.

Profectusque Israel. Hic agitur de ingressu Israel in Ægyptum ad morandum ibidem. Et primo narratur quomodo Jacob confortatus apparitione divina in Ægyptum pervenit. Secundo ponitur numerus prolis suæ cum ipso intrantis, ibi, *Hæc autem sunt nomina.* Tertio narratur quomodo receptus est a Joseph, et quomodo per ipsum præsentatus est Pharaoni : a quo terra Gessen est tradita sibi, ibi, *Misit autem Jacob Judam.* Quarto narratur quomodo Pharao in pecuniis, et in censibus terræ perpetuis, per Joseph providentiam est ditatus, ibi, *Et quibus omnem pecuniam congregavit.* Quinto narratur tempus mansionis et vitæ Jacob in Ægypto, ibi, *Habitavit ergo Israel in Ægypto.* Dicit igitur, *Joseph quoque ponet manum suam super etc.* idest intererit morti tuæ et exequiis. *Filii ejus, et nepotes, et filiæ.* Filias dicit pro Dina, et pro Sara filia Aser filii sui. Vel pro sola Dina, ponens plurale pro singulari. De numero stirpis Jacob intrantis in Ægyptum. Nota quod secundum Hieronymum, et secundum veritatem Hebraicam, non fuerunt nisi septuaginta : sed secundum litteram Septuaginta Interpretum fuerunt septuaginta quinque. Nam ubi littera nostra juxta Hebræum habet, filii autem Joseph qui nati sunt in terra Ægypti, animæ duæ, id est fuerunt homines duo, pars pro toto, ibi habent Septuaginta, animæ septem. Et subdunt, quod debent computari inter filios Jacob et nepotes, Manasse et Ephraim filii. Et hanc sequitur literam Lucas Actuum VII ubi refert verba beati Stephani, quibus dicitur septuaginta quinque animas esse ingressas Ægyptum. Sed contra hoc arguit Hieronymus tripliciter. Primo quia Manasses et Ephraim non potuerunt tunc habere filios : nam primus ex eis non potuit aliquo modo esse plurium quam novem annorum : quia Joseph duxit matrem eorum postquam fuit sublimatus a Pharaone ; et ex tunc usque ad ingressum in Ægyptum, non fluxerunt nisi circiter novem anni. Secundo, quia supra XLI, dicitur quod nati sunt Joseph filii duo antequam veniret fames, scilicet Manasses et Ephraim. Et infra etiam XLVIII dicit Jacob ad eum : Duo filii qui nati sunt tibi antequam ego venirem ad te, mei erunt : reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt. Ex quo videtur etiam quod tempore mortis Jacob, non habuisset Joseph nisi hos duos. Tertio quia Septuaginta Deuteronomii cap. IX habent quod in septuaginta animabus ingressus sit Israel in Ægyptum. Sed et ipsemet Hieronymus subdit, quod Septuaginta interpretes posuerunt hic septuaginta quinque animas per prolepsim, idest per anticipationem futurorum. Augustinus vero, XVI *de Civitate Dei* cap. XL, salvat hoc per alium modum, dicens, quod tempus introitus Jacob in Ægyptum fuit totum illud tempus quo vixit Joseph, per quem factum est ut intrarent. Sicut autem ex fine libri hujus patet, filii Joseph ipso vivente habuerunt filios et nepotes, idest filios filiorum suorum. Sed forte contra Augustinum aliquis arguet. Non est verisimile quin ante mortem Joseph fuerint liberi Jacob plures, quam septuaginta quinque. Unde videtur quod Septuaginta interpretes non curaverunt hic superaddere, nisi solos quinque, qui de filiis Joseph ipso vivente sunt nati. Et forte moti sunt ea ratione, qua et Moyses de sola generatione Joseph in hoc libro, in quo

agitur de ingressu in Ægyptum, mentionem fecit. Quod et in signum primatus Joseph, et propter aliqua mysteria, factum esse videtur. Si vero quæratur quare Scriptura ita diligenter computat hos numeros, scilicet, omnes insimul fuerunt septuaginta: qui vero præter Joseph et filios ejus sunt cum Jacob ingressi fuerunt sexaginta sex? Potest ad hoc duplex ratio reddi. Prima est litteralis: ut scilicet ex hoc plenius appareret mira multiplicatio ipsorum facta ante exitum de Ægypto in brevi tempore. Non enim fuerant anni ducenti: et tamen Exod. XII dicitur, quod filii Israel erant fere ducenta millia virorum absque parvulis et mulieribus, et absque vulgo, quando egressi sunt Ægyptum. Secunda ratio est mystica, propter mysterium septenarii et senarii, sive septem decadum et sex decadum, quarum mysteria ex locis aliis satis patent. Si quis vero quærat quomodo Benjamin narrentur decem filii, cum Joseph supra c. XLIII de eo dicat, Est iste frater vester minimus de quo dixeratis mihi? Et sequenti capite refert Judas eos respondisse Joseph, Est nobis pater senex et puer parvulus etc. Dicendum quod parvulus dicitur non simpliciter, sed respectu fratrum suorum. Si enim natus fuit ante venditionem Joseph, tunc ad minus fuit viginti trium annorum. Quod autem natus fuerit ante, eodem modo probatur, quo et de morte matris. *Hæc autem dicetis ut habitare possitis in terra Jesse, quia detestantur Ægyptii pastores ovium.* Hujus detestationis causa ea dicitur fuisse, quia Ægyptii adorabant idola sub specie ovium seu arietum: et ideo non comedebant oves. Unde propter hoc poterant melius impetrare terram Jesse forte, quia erat ad hoc magis apta potius quam soli agriculturæ: et ideo non curabant de illa. Vel forte quia erat remota a locis in quibus nobiliores terræ manebant: et ideo facilius concesserunt eam pastoribus, quod prope se difficulter sustinuissent. Dicit autem Hieronymus, quod nonnulli Judæorum asserunt Gessen tunc Thebaidem vocari: terram vero Ramesse de qua paulo post subditur, autumant esse pagum Arsenoitem. Et Magister Historiæ dicit, quod Gessen est post dicta Thebays, a qua Thebæi, e quorum legione fuit Beatus Mauritius. Quæ postea, cum scilicet reges fuerunt ex ea, dicta est urbs heroum. Unde et Septuaginta, refert Hieronymus, habent quod Jacob misit Judam ad Joseph, ut occurreret ei ad urbem heroum in terra Ramesse. De qua dicit Magister historiæ quod in finibus terræ illius ædificaverunt Hebræi urbem tabernaculorum quæ dicta est Ramesse, de qua habetur Exod. I, et quæ post pagus Arsenoes dicta est: quod sonat sine sexu: quia tunc sine distinctione uterque sexus cœpit imperare Ægypto etc.

CAPUT XLVII.

Ingressus est Joseph etc. Extremos quoque fratrum suorum. Extremos, scilicet in supra, idest quinque primogenitos. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt parvi*, scilicet, respectu annorum patrum meorum. *Et mali*, idest in magna afflictione transacti. Videtur eum loqui de malo pœnæ quia attribuit tempori, more loquendi satis usitato. Vel etiam forte per humilitatem loquitur de malo culpæ. Nota autem quod Magister historiæ dicit, quod in numero septuaginta intrantium cum Jacob includuntur Her et Onan filii Judæ, qui mortui erant in terra Chanaan. Dicit etiam quod oportet Benjamin tunc habuisse decem filios, alias non erit verum quod filii Israel sunt quatuordecim, quia Joseph non habebat tunc nisi duos filios. Et ideo dicit quod in hebraica veritate Roh et Numphin sunt duo nomina duorum, scilicet filiorum Benjamin: qui apud nos vitiose sunt juncta. Licet autem hoc ultimum de decem filiis Benjamin fortassis sit verum, quod apud nos vitiose sunt juncta: non tamen est verum quod Her et Onan inter septuaginta includantur. Nam Scriptura in numero liberorum Liæ numerat duas, scilicet Dinam et Saram. Et hoc est non solum in partiali enumeratione eorum: sed etiam in epilogatione summæ eorum, dicens, Omnes animæ filiorum et filiarum etc. Constat autem quod si cum his duabus filiabus inter Liæ liberos Her et Onan numerantur: tunc cum illis decem sunt plures quam triginta tres. Præterea Scriptura satis aperte rejicit eos de hoc numero, cum ait, Mortui autem Her et Onan in terra Chanaan. Magister autem videtur fuisse motus, quia in nostra litera communiter habita habetur quod liberi Liæ sunt triginta tres. Illis autem duobus exclusis non inveniuntur nisi triginta duo. Dina autem et Sara simul cum illis adjunctis sunt triginta quatuor: unde et

Magister dicit, quod si Dina numeratur inter filios et nepotes, septuaginta sunt propter Jacob. Verumtamen sciendum quod secundum hoc, ubi nos habemus sexaginta sex, deberet esse sexaginta septem. Sed illi habent sexaginta sex, quæ litera apud omnes communiter videtur. Et ubi dicitur, filii Israel sunt tredecim, debet haberi quatuordecim potius, eo quod liberi Liæ triginta duo, non autem triginta tres. Et hanc secundam regulam habet Hieronymus in libro *Hebraicarum quæstionum*, dicens : Ex quo manifestum est omnes animas de Jacob quæ ingressæ sunt Ægyptum de femoribus Jacob, fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, et repererunt in Ægypto tres animas, Joseph scilicet cum duobus filiis ejus, septuagesimus autem ipse fuerit Jacob. Hanc etiam literam sequitur Augustinus XVI *de Civitate Dei*, cap. XL, dicens, « Ingressi itaque referentur in Ægyptum simul cum ipso Jacob septuaginta quinque homines, annumerato ipso cum filiis suis. In quo numero duæ tantum feminæ connumerantur : una filia, neptis altera. » Hæc Augustinus. Ex quo patet quod præter quinque nepotes, Joseph in numero septuaginta, includit Jacob et duas filias et feminas, scilicet Dinam et Saram filiam. *E quibus omnem pecuniam congregavit etc.* Istud, secundum corticem literæ ideo subditur, ut ostendatur quantum Pharaones reges Ægypti tenebantur Joseph, ac per consequens et suis : quia non solum liberavit totam terram a periculo famis : sed etiam magnos thesauros regi congregavit, et totam terram regni sibi plenius subjecit : et quintam partem fructuum totius terræ sibi pro censu perpetuo acquisivit. Et ideo signanter ponitur immediate post collationem Jacob in terram Jesse : ut monstraretur quod Pharao plus per Joseph recepit a domo Jacob quam dederit ei. Fit etiam hoc ad monstrandum ingratitudinem novi Pharaonis persecutoris Israel et successoris : de quibus habetur in principio Exodi. Nota pro mysteriis, quod secundum diversitatem prosperitatum populi Dei, et sapientialium illuminationum ejus, potest Joseph varia mysteria sortiri. Nam respiciens prosperitatem et illuminationem externæ patriæ, tunc designat Christum a Deo patre in gloria sublimatum : per quem intramus in optimam terram. Respiciendo vero totam illuminationem Ecclesiæ militantis, designat Christum hominem in Ecclesia sub Deo patre regnantem, et electos in pinguedine Ecclesiasticæ gratiæ collocantem. Rursus nota, quod statuendo quinque priores fratres coram rege, significavit distinctionem duodecim fratrum et suarum tribuum in quinque et septem, quæ in distributione terræ promissæ fuit servata. Nam quinque tribus acceperunt primo partem : et postea septem residuis Josue distribuit partes suas, sicut patet Josue XVIII. Quod mysterium Christus in quinque et septem panibus observavit. Sicut etiam præcesserunt primo quinque patriarchales Ecclesiæ quasi quinque civitates in terra Ægypti, loquentes lingua Hebræorum. De quibus habetur Isa. XIX. Rursus nota quod tres fames notabiles fuerunt tempore trium patrum. Prima scilicet sub Abraham. Secunda sub Isaac. Tertia sub Jacob : et hæc fuit omnium major et mirabilius sublevata. Sicut enim per hos tres patres designantur tres personæ divinæ, et tres status mundi eis mystice approprientur : sic unicuique coaptantur suæ propriæ tentationes et fames, et famis sublevationes. Inter tentationes autem Ecclesiæ, singulariter prædicatur illa de qua dicitur angelo, sextæ Ecclesiæ : *Ego te servabo ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum.* Illa etiam fames singulariter exaggeratur, de qua Apoc. XIII dicitur quod bestia faciet ne quis possit emere aut vendere ; nisi habeat characterem aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus. Quarto nota quod Joseph primo congregat regi pecuniam totius Ægypti. Secundo omnia pecora. Tertio in regis servitutem emit totam gentem Ægypti et terras eorum præter terras sacerdotum a rege libertate donatas : quarto restituit eis terras sub censu perpetuo quintæ partis fructuum. In quibus mystice designatur quomodo Christus perfectissime nos et nostra omnia subjicit Deo Patri : scilicet thesauros nostræ sapientiæ, et pecorales nostros seu animales sensus, et nos totos et omnia nostra, neque aliter ad plenum possumus ab ipso spirituales cibos habere. Tunc vero regi supremo semper danda est gloria et laus de perfectione virtutum et nostræ justitiæ, seu de omnibus nobis datis in quatuor temporibus anni ; quæ quidem nulli conceduntur, nisi ad semina meritorum, et in cibum refectionis : gloria autem non nobis, sed soli Deo est danda. Terra vero sacerdotum dicitur esse libera, quia per

æternam libertatem amoris non habent partem aliquam aliam quam Deum, et terram Domino conservatam : et ideo nihil est illi reddendum pro eo, quia potius computatur cum Deo illud ipsum. Unde terra eorum non æstimatur in aliqua alienata ab cultibus Dei. *Cumque appropinquare cerneret.* Hæc est XIII pars historiæ Jacob, in qua agitur de morte ipsius, et de benedictionibus filiorum ejus. Et primo narratur quomodo firmiter ordinaverit se in sepulchro patrum suorum sepeliendum. Secundo quomodo duos filiorum Joseph benedixerit.

CAPUT XLVIII

His itaque transactis. Hic consequenter agitur de morte ipsius Jacob et benedictionibus filiorum ejus. Et primo quomodo duos filios Joseph benedixit, ibi : *His itaque transactis.* Secundo quomodo dicens se moriturum, promittit suis Dei assistentiam et reductionem eorum ad terram promissionis : legans quiddam speciale sibi, Joseph, ibi : *et ait ad Joseph filium suum : En ego morior.* Tertio prædicit futura duodecim filiorum suorum, XLIX cap., ibi : *Vocavit autem Jacob.* Quarto refertur in summa quid unicuique filiorum in specialem benedictionem dederit, ibi : *Et præcepit eis, dicens : Ego congregor.* Sexto refertur supplicatio fratrum ad Joseph pro scelere venditionis suæ : et ejus ad ipsos benignitas, ibi : *Quo mortuo timentes fratres ejus.* Septimo breviter tangitur mors Joseph et genealogia ipsius facta in ejus vita, ibi : *Vixit centum decem annis.* Dicit ergo : *Adoravit Israel conversus ad lectuli caput.* Secundum Hieronymum, Septuaginta habent et adoravit Israel Dominum contra summitatem virgæ ejus. Ex quo quidam (ut aiunt) volunt Jacob adorasse summitatem sceptri Joseph : potestatem scilicet ejus adorans. Sed secundum eum in Hebræo est, et adoravit Israel ad caput lectuli sui. Quod exponens Hieronymus subdit, quod quia filius juravit ei, securus de petitione sua : adoravit Deum contra caput lectuli sui. Sanctus quippe ibi habebat lectulum positum, ubi ipse jacentis habitus absque ulla difficultate ad adorationem esset paratus. Litteræ tamen Septuaginta et expositioni concordat verbum apostoli ad Hebr. XI dicentis : *Fide Jacob moriens per singulos filiorum Joseph benedixit, et adoravit fastigium virgæ ejus.* In quo Apostolus videtur innuere quod potestatem Christi præfiguratam in sceptro Joseph adoravit. Et verisimile est quod gaudens de Joseph tamquam de filio tanto et ita sibi benevolo, cum quadam reverentia et alacritate convertit se ad virgam Joseph adorando Deum. *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza*, id est in Bethel. Hoc videtur nunc commemorare ad demonstrandum se habere potestatem benedicendi filios Joseph, et quod quilibet habet sortem in terra sibi promissa, sicut quicumque propriorum filiorum. Unde ex hoc illative subinfert, *Duo igitur filii tui etc.*, *mei erunt*. Id est secundum Hieronymum, sic hæreditabunt promissionis terram sicut et filii mei ; et ita facient duas tribus, ut Ruben et Simeon, qui erant primogeniti. In quo etiam innuit quod non solum vult Joseph habere jus primogenituræ ; sed etiam quod hi duo filii Joseph teneant locum duorum primogenitorum suorum. *Reliqui autem tui erunt, et nomine fratrum suorum vocabuntur*, in possessionem scilicet. Id est non accipient separatim terram : sed in tribus Ephraim et Manasse quasi appendices populi commiscebuntur. *Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel.* Secundum quosdam, istud interserit, quasi excusans se quare non sepeliverit eam in spelunca duplici in qua se petebat a Joseph Rachelis filio sepeliri. Sed contra hoc duæ instantiæ dantur. Prima est, quia non est tanta distantia de Bethleem usque Hebron, quin bene potuisset eam portasse illuc : maxime cum tunc esset in via veniendi ad patrem suum in Hebron et non multo post illuc pervenerit. Ipse autem de Ægypto usque illuc se deferri volebat. Secunda est quia tunc erat tempus opportunum et valde temperatum, scilicet tempus vernale. Præterea si in prædicti excusationem hoc subjecerit, tunc hoc dixisset quando fecit jurare Joseph ut eum sepeliret in spelunca duplici, potius quam hic ubi filios Joseph benedicere volebat. Posset fortasse dici, quod interfecit ad monstrandum quamdam sensibilem rationem, quare volebat quod Joseph faceret duas tribus : quia scilicet de Rachel tamquam præventa morte paucos filios habuerat. Quia tamen de morte ejus hujus occasione egerat : subjecit et de sepultura ipsius. *Deus in*

cujus conspectu etc. Angelus qui eruit me etc. Videtur, quod Deum patrum suorum suum vocet Angelum et sui protectorem et salvatorem. Unde et postea in singulari dicit, *Benedicat pueris istis etc.* Nisi forte angelicam benedictionem tamquam comministram sive subministram adjungat. Sed modus loquendi quem tenet, si bene advertatur, magis sapit primum modum. *Et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac.* Nota quod Jacob adhuc vivens præsentiebat in spiritu quod nomen suum tamquam nomen sancti, erat invocandum super populo suo. Unde, sicut ipse cum patre et avo erat singulariter electus a Deo in patriarcham sui populi, et in hoc mysterium beatissimæ Trinitatis : sic hic ipsum per revelationem nominaverat. *Benedixitque eis in ipso dicens, In te benedicetur Israel etc.* Duplici ex causa eos in patre, scilicet in Joseph benedixit. Prima est literalis : ut scilicet ex hoc pateret quod benedicendo eos principalius intendebat benedicere patrem : sic quod ex benedictione patris subderivabatur[1] hæc benedictio ad filios. Secunda est figuralis. Sciens enim in Joseph Christum præfigurari, benedixit eos in Joseph, id est in virtute Christi : in cujus virtute etiam totus Israel erat benedicendus. *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Id est, præter partem quam sorte accipies inter fratres tuos. Secundum Hieronymum, Septuaginta habent, Et ego dedi tibi Sichimam præcipuam. Et subdit, quod Sichima juxta Græcam et Latinam consuetudinem declinata est. Et Hebraice dicitur Sichem ut Joannes testatur, licet ibi vitiose legatur Sichar, et est nunc Neapolis urbs Samaritanorum. Subdit etiam, quod quia Sichem lingua Hebræa transfertur in humerum, pulchre allusit ad nomen, dicens, Et ego dabo tibi humerum unum ; pro præcipuo enim, id est ἐξαίρετον, unum scribitur in Hebræo. Dicit etiam quod arcum et gladium Jacob vocat hic justitiam, per quam ipse peregrinus et advena meruit interfecto Sichem et Hemor de periculo liberari. Vel secundum eumdem, per arcum intelligit fortitudinem suam, id est pecuniam multo labore ac sudore acquisitam : per quam Sichimam emit. Secundum quosdam vero, ideo dicitur eam tulisse in arcu et gladio, quia post interfectionem Sichimitarum eam potenter defendit et obtinuit. Pro mysteriis nota, primo quare ita sæpe postremi primogenitis præferuntur. Et quidem supra ubi de Abel et Cain agitur, aliquæ rationes sunt datæ. Sed occasione translationis manuum Jacob super Manassen et Ephraim, notandum quod quadruplex mysticæ translationis genus in Scripturis invenitur. Primum est in primogenitura. Secundum est in sacerdotali cultura. Tertium est in regali solio sive dominio. Quartum est in nuptiali festo sive connubio. Ejus ratio est quia istæ translationes factæ sunt in commendationem electionis divinæ gratiæ ; et quadruplicem habent respectum : scilicet ad suæ originis principium : ad Dei et suæ legis cultum : ad virtualis dominationis super se et super omnia inferiora fastigium : et ad divinæ fruitionis familiare gaudium et indissolubile connubium. In primogenitura autem facta est translatio triplici ex causa. Primo scilicet ut primatus seu electio gratiæ non attribuatur naturali principio. Secundo ut non ascribatur tempori vel præcedenti merito. Tertio, ut non præsumatur de gratiæ privilegio abusive tractato ; ideo enim propter gulæ vitium est translatum ab Esau ad Jacob castissimum : a Cain ad Abel propter vitium malignitatis et duritiei indevotæ. In sacerdotali autem cultura facta est translatio ab Eli ad Samuelem, saltem quoad auctoritatem judiciariam, et ab Abiathar ad Sadoch : et tandem a Caipha ad Christum ; seu potius a sacerdotio legali et carnali ad sacerdotium gratiæ spiritalis. Et hic habet proprie locum verbum Apostoli ad Hebr. VII, Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat. In eamdem autem figuram concurrit translatio tabernaculi in templum et cultus Silo in cultum Jerusalem. De quo dicit Psalmista, quod repulit tabernaculum Silo et tribum Ephraim non elegit ; sed elegit tribum Juda, montem Sion, quem dilexit. Si autem diligenter inspexeris literales causas translationum prædictarum, de facili tam moraliter quam allegorice advertes et spiritales. In regali vero dominio facta est translatio a Saule ad David, ab Adonia ad Salomonem ; de quo III Reg. II, dicit ipse Adonias, Translatum est regnum et factum est fratris mei. Quantum vero ad principatum facta est

[1] Al. : subdirigebatur

ab Aman ad Mardochæum. In regibus etiam decem tribuum invenies plures alios. In nuptiali vero: connubio a Vasthi ad Esther, a Synagoga ad Ecclesiam; et hæc ab Ecclesia militante ad Ecclesiam triumphantem. Et de his invenies figuras in uxoribus Abrahæ et Jacob et Helcanæ patris Samuelis; et hoc quoad sponsas; quia quoad viros habes exemplum in Sara quæ post viros septem data est juniori Tobiæ; et in Ruth quæ post priorem virum nupsit Booz; et in Raab quæ post amasios nupsit Salmon. Quod utrumque vero in David et Bersabee; et quodam modo in Juda et Thamar. Et nota quod Jacob hanc translationem hic fecit sub signo crucis, brachia sua transducens: in quo simul tria significavit. Primum est quod Christus in cruce crucifigendo literam, carnalem affectum et sensum postponendum docet et aperit. Secundum est quod hic dextera dirigitur ad illum qui exterius est in ejus sinistra, et in adversitatum sufferentia pro ipso suscepta. Ejus autem sinistra ad eos qui secundum exterius sunt in dextra, id est in prosperitate temporalis primatus. Tertium quod Jacob per hoc conformavit manus suas exteriori propositioni Joseph, quia dexteram suam posuit super eum qui a sinistris erat; Joseph enim e contrario fecerat, quia sinistram respectu sui posuit ad dextram Jacob. Quod enim est ultimum respectu naturalis principii, videtur minus; quamvis respectu causæ finalis, quam Deus prædestinans præintendit, sit majus: et ideo naturalis affectus hic quodammodo renititur ordini prædestinationis divinæ. Deinde nota hic morale et anagogicum mysterium. In Manasse enim et Ephraim duæ partes beatitudinis designantur. Prima est perpetua oblivio, seu carentia omnis mali; et hæc per Manassen qui interpretatur oblivio designatur. Secunda est, consummatum augmentum omnis boni; et hoc per Ephraim qui augmentum interpretatur. Hæc autem secunda primæ in valore præfertur. Et quia per Ruben et Simeon timor et dolor, sicut supra dictum est, designantur; ideo Jacob proprie dixit, quod Ephraim et Manasses per Ruben et Simeon erunt sui. Nam securitas impassibilitatis succedit timori; plenitudo vero gaudii seu boni jucundi succedit dolori. In his etiam duobus designantur duæ perfectiones partis moralis. Prima est nullam passionem vitii experiri, quæ omnis vitii inexperientia dici potest. Et hæc est optima oblivio malorum domus patris. Secunda est exuperantia simul et gustativa experientia spiritalium fructuum et incrementorum; et hanc excrescentiam habet Joseph in terra paupertatis suæ. Nam paupertas perfecta in se includit fugam et exclusionem temporalium, et amplexum ac continentiam thesaurorum supercœlestium.

CAPUT XLIX.

Vocavit autem Jacob filios suos. Hic Jacob prophetice prædixit futura filiis suis; et primo ipsemet præmittit dicendorum proœmialem titulum seu exordium; in quo potius innuit se prædicturum eis futura novissima quam propinqua. Innuit etiam se dicturum magna et valde attendenda; quod quidem facit dicendo: *Congregamini et audite*. Talis autem modus convocandi et reddendi attentos non solet fieri nisi pro arduis rebus. Et nota quod ex hujusmodi prælibationibus seu circumlocutionibus solent Prophetæ subinnuere se principalius intendere postremos sensus quam primos. Unde per hoc quod hic dicit se dicturum ventura in novissimis diebus, aperte innuit quod ad novissima Christi Ecclesiæ tempora fertur principalior intentio sua. Secundo prædicit futura sex filiis suis Liæ; et hoc juxta ordinem suæ nativitatis; nisi quod Zabulon præmittit ante Issachar. Tertio prophetat filiis Balæ ac deinde filiis Zelphæ, ac tandem filiis Rachel: ordinans eos juxta senectutem suæ nativitatis; nisi quod filios Zelphæ, ante Nephtalim ordinat. Notandum autem quod juxta modum ceterarum prophetiarum hic intenduntur plures sensus per ordinem se habentes. Primus hic est per verba metaphorica et pro tanto mysticus. Dicitur nihilominus literalis, et hic proprie respicit statum tribuum secundum carnem descendentium a duodecim Patriarchis. Et secundum hoc, per eorum nomina hic tribus eorum aut aliqui futuri in tribubus illis intelliguntur. Ut autem sensus hic literalis aperte subserviat sensibus subsequentibus, idcirco talia secundum sensum literæ dicantur quæ quodammodo plenius et proprius exponi valeant de Christo et suis, quam de statu primi temporis, circa quem li-

teralis sensus insistit. Et hoc est quod tribus filiis prædixit improspera, omnibus aliis prædicat prospera : quia sicut infra patebit, hoc fuit valde aptum mysteriis Christi. Ne tamen literalis sensus secundum se mutilus omnino credatur : sciendum quod tam præcedentibus illa quæ hic prædicuntur, quam subsequentibus fuerunt Prophetiæ utiles et necessariæ ad fidem, ad spem ipsorum in Deo fundandam. Præcedentibus enim fuit expediens firmiter credere et sperare quod Deus sub certa distinctione tribuum eos firmiter collocaret in terra promissa, et quod tunc Dei cultus magnificaretur in eis sub strenuis regibus et judicibus. Subsequentibus vero fuit utile scire quomodo illa quæ erant in eis impleta et promissa ad tollendum etiam æmulationem et scissuram super divisione terræ et super sublimatione quarumdam tribuum super alias, fuit utile scire quod hujusmodi erant per sanctos Patres prædicta et præordinata a Deo. Fuit etiam ipsis omnibus utile scire, quod totus status eorum distinguendus et ordinandus erat secundum aliquam figuram præsignativam ad Christum et ad Christi statum, quem dispositorie præcinebant. Litteralem igitur sensum primo succincte percurrendo, sciendum est, quod primo tribus primogenitis ostendit temporalem primatum esse ablatum propter sua peccata : quamvis Simeonis et Levi aliqualiter subinnuat spiritalem primatum quem habituri erant, quia etiam ipsi in suo excessu habuerunt occulte fortem zelum Dei. Dicit ergo ad Ruben, quod ipse ordine naturæ erat primogenitus tamquam de primordiali et viriliori robore patris sui genitus : et tamquam principium laboris et sollicitudinis paternalis erga suam prolem fovendam. Ex quibus sequebatur quod erat prædiligendus et prior futurus in donis majoribus suscipiendis : et quod debebat aliis dominari et imperare. Sed quia per incestationem uxoris patris sui ejus concupiscentia effusa est, sicut aqua de vase fracto : ideo subdit, *Non crescas*, scilicet in dignitatem primogenituræ : nec in temporalem primatum. De duobus vero sequentibus dicit : *Simeon et Levi fratres*, id est in malo peragendo concordes *vasa*, id est arma seu instrumenta, *iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea* : quasi dicat : Consilium habuerunt dolosum et iniquum : et ob hoc mihi valde odiosum. *Et in cœtu illorum*, id est turba, cum qua Sichimitas destruxerunt. *Non sit gloria mea*, id est factum eorum non reputo inclytum seu gloriosum, imo potius ignominiosum. *Quia in furore suo*, id est in insano et effrenato impetu iræ, *Occiderunt virum*, scilicet Sichem ; vel virum, id est viros, singulare pro plurali. Quia vero eorum ira fuit nimis rigida et aspera in vindicta : ideo maledicendo eam dicit quod fuit pertinax et dura. Præmissa ergo eorum culpa, subdit pœnam eorum, dicens : *Divides eos in Jacob etc.* Idem enim repetit per alia verba. Tribus enim Levi non habuit hæreditatem vel mansionem et partem seorsum : sed in omnibus tribubus quasi per omnes fuit dispersa, sicut patet Josue XXI. De tribu vero Simeon dicitur Josue XIX, quod eorum sors fuit in medio possessionis filiorum Juda. Licet autem dispersio Levi principaliter fuit in gloriam eorum, ut scilicet intenderent soli cultui Dei, et ut dispersi per omnes tribus possent in his quæ ad Deum sunt plenius dirigere eos, nihilominus secundum carnem saltem carnalibus potuit hoc esse pœnale : et pro tanto ponitur hic in pœnam. Innuitur etiam in hoc quod magnis et excessivis zelatoribus etiam in bono est utilis et necessaria pœna divisionis : ut scilicet per aliorum publicam et multiplicem societatem, excessus eorum et impetus moderetur. Præmisso igitur de quibus tribubus temporaliter principatus fuit ablatus, subdit de tribu Juda, cui principatus regni fuit in David collatus, ostendens circa hæc tria. Primo scilicet gloriam et dominium ejus super totum populum Jacob : et ideo alludens ad nomen Judæ qui confessio interpretatur, dicit, *Juda, te laudabunt fratres tui :* et postea, *Adorabunt te filii patris tui*, id est omnes tribus Israel. Non enim dicit filii matris tuæ. Sumitur autem hic adorare pro reverentia prostrationis et subjectionis, quam facit servus suo domino sive regi. Secundo ostendit ejus triumphalem potentiam super hostes, dicens : *Manus tua etc.* Et ad hanc plenius monstrandam comparat eum leoni, non seni seu fracto, sed juveni et robusto, dicens : *O Juda, tu es catulus leonis.* Et quia leonis est grandem prædam de sylvis et montibus sibi venari, ideo dicit : *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, id est de præda seu cum præda jam capta ascendisti, scilicet ad cubile tuum. Quia etiam leonis post hoc est secure et absque timore in loco suo quiescere, quia potius

omnia timeant ipsum invadere et invadendo succumbere. Ideo subdit : *Requiescens accubuisti*. In quo signat, quod principatus Judæ neminem victoriarum hostium timebit, quem potius ab omnibus valde timebitur. Et hæc quidem in David et Salomone pro parte impleta fuerunt. Tertio ostendit regni ejus terminum et durabilitatem, dicens : *Non auferetur sceptrum de Juda etc., donec veniat qui mittendus est*, id est Christus, qui pro salute mundi a Deo Patre mittendus erat : et ideo subdit, quod *ipse erit expectatio Gentium*, id est Gentiles ponent in eo spem salutis suæ, et expectabunt ipsum tanquam salvatorem suum. Et per hujusmodi similitudinem metaphorice ostendit tria per ordinem se habentia, ex quibus apparet ipse mundi Salvator. Et incipit a posteriori effectu per medium tendens in effectivum principium ; et habet in se summæ puritatis decorem et munditiam, et summæ sapientiæ gratiam et perspicaciam. Et pro his dicit, quod *pulchriores sunt oculi ejus vino*. Comparat autem eos vino : quia sicut vini liquor est clarus, et nimis etiam acutus ; sic est et oculus, et præcipue oculus irradiatus a sapientia Dei. Habuit etiam doctrinam purissimam, suavissimam et efficacissimam, et ideo dicit : *Et dentes ejus lacte candidiores*. Per ista autem potest designari virtus activa, seu prædicativa et contemplativa mysteriorum suorum. Quia vero meritum suæ passionis fuit instrumentale medium nostræ salutis, et etiam gloriæ sui corporis, ideo dicit, *Lavabit in vino stolam suam*, id est sanguine suo effuso corpus ejus operietur, ac si in ipso lavaretur. Vel per hoc lavit corpus suum, quia per hoc ejus gloriam meruit et obtinuit : et per hoc etiam lavabit Ecclesiam suam, quæ est quasi vestis ejus. A duobus autem prædictis manavit salus ecclesiastici regiminis continentis fideles ex gentibus et Judæis ; et ideo dicit : *Ligans*, scilicet præceptis et sacramentis et gratiarum donis, *Pullum suum*, id est populum gentilem ad se conversum. *Ad vineam*, id est ad Ecclesiam instar vineæ plantatam et cultam. *Ad vitem*, id est ad seipsum qui est vitis vera. *Asinam suam*, id est Synagogam prius jugo legis pressam. Secundum Hieronymum pro vite in Hebræo habetur, et in Soreth, id est vitem electam seu optimam. Dicit etiam quod pro pullo in Hebræo potest legi urbem suam ; et juxta eumdem sensum ad præcedentem aliis verbis Ecclesia demonstrata est, de qua scriptum est : Non potest civitas abscondi supra montem posita. Nota autem, quod quidam legunt prædicta de principatu Judæ usque ad regnum Saulis ; dicentes, quod ubi nos habemus, donec veniat qui mittendus est : in Hebræo est, Siloh, id est donec veniat inunctio Saulis in Siloh ; et tunc dicunt, quod per sceptrum intelligitur quoddam dominium tribus Judæ, quod scilicet, primus intravit mare, et dux ejus primus obtulit in tabernaculo. Sequentia vero legunt de abundantia vini et lactis terræ illius tribus. Sed istud est ridiculosum. Primo, quia ante regem David tribus Juda nullum nobile dominium plus quam tribus ceteræ legitur habuisse, imo etiam minus. Nam Moyses de tribu Levi fuit primus dux Israelis et postmodum Josue, qui fuit de tribu Ephraim : et præter Othoniel judicem non legitur aliquis de Juda judex vel dux bellorum Israelis fuisse. Secundo, quia quod per adventum Saulis in Siloh inunctio intelligatur, non est conveniens. Nam tunc sedes divini cultus non cœpit esse in Silo, imo post ; et tunc cœpit inde transferri. Nam sub Samuele mansit arca Dei in Cariathiarim, sicut habetur primi Regum septimo ; et tandem per David translata est in Jerusalem. Unde David canit, Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda, montem Sion etc. Tertio, quia satis erat rationabile, quod Jacob prædiceret regnum fundandum esse in tribu Juda, et suo tempore scirent hoc a Deo ordinatum fuisse : et sic per consequens magis concorditer tribus aliæ subderentur imperio ejus. Quarto, quia valde necessarium erat, quod finis et finalis terminus Synagogæ ab initio prædiceretur, et quod ab initio mentio fieret de Christo venturo. Non autem potuit hoc convenientius fieri, quam loquendo de regno Judaico in tribu Juda fundando ; et maxime quia Christus de tribu Juda et de stirpe regia nasciturus erat. Quinto, quia nomen, Silo sumptum appellative potius facit ad sensum nostrum. Nam Silo est idem quod missus vel missio ; apud Dominum autem Christus sic erat mittendus, quod erat per æternam prædestinationem quasi jam missus. Prout etiam Silo interpretatur translatio, amissio vel restitutio, designat tempus translationis legis veteris in legem Christi, et tempus restaurationis

factæ per Christum. Sed contra nos quidam arguunt, quod ante adventum Christi fuit regnum de tribu Juda ablatum, scilicet a transmigratione Babylonis et ultra. Nam postmodum Pontifices tenuerunt ducatum, præter Zorobabel et Nehemiam. Præterea Herodes alienigena fuit per triginta annos rex Judæ ante Christi ortum. Ad quod dicendum primo, quod Christus non solum debebat esse finis tribus Juda, sed etiam totius status Judaici : et ideo loquendo de regno Judaico, prout erat finiendum in Christo, non solum debuit loqui de regno tribus Judæ, sed etiam de tota regali potestate totius Synagogæ : et ideo quod ait : *Non auferetur sceptrum de Juda*, intelligendum est, quod regnum fundatum in tribu Juda non auferetur populo Judaico, donec veniat Christus. Licet enim ad tempus fuerit de facto interpolatum, utpote quum fuerunt in captivitate : non tamen fuit usque ad Christum totaliter ablatum, neque unquam usque ad Christum jure perditum aut ablatum. Secundo dicendum, quod prophetiæ spiritualium et æternorum habuerunt figuralem corticem carnalium et temporalium : ideo ad quemdam aditum apertionis spiritualium pro tempore suo oportuit corticem carneum in pluribus esse defectivum. Unde videmus, quod in Psalmo, ubi David præmittit, quod Deus juravit David servo suo, usque in æternum præparabo semen ejus et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, ipse præsciens oppositum quodammodo esse futurum, subdit, Tu vero repulisti et distulisti Christum tuum, et evertisti testamentum ejus etc. : in tantum quod, ut subdit, Gentes etiam probaverunt commutationem Christi tui. Et certe isti, qui dant prædictam instantiam contra prophetiam Jacob, ita possent eam dare contra promissiones Dei factas ad David. Nam II Regum VII dicitur : Erit domus tua et regnum usque in æternum ante faciem meam, et thronus tuus erit firmus jugiter. Igitur in hujusmodi promissionibus oportet per regnum intelligi jurisdictionem catholicæ fidei, et spiritualem sedem divini cultus in electis Dei in æternum mansuram : quamvis non semper sit in hac terra vel illa : sed tunc per illud (donec) non significatur terminus desertionis hujus regni, sed potius terminus ambiguitatis ; ut sit sensus : Etiam in tempore, in quo de hujus regni ablatione dubitari posset, scilicet in tempore ante Christum, nullatenus auferetur, imo durabit usque ad ipsum, et (supple) multo magis postquam ipse venerit. Tertio posset dici, quod pro tanto usque ad Christum mansit in tribu Juda, pro quanto tribus sacerdotalis et regia fuerunt commixtæ, et per conjugia ac urbium domicilia sæpe unitæ : et maxime, quia in ipsa tribu Juda sedes regni semper ac singulariter remansit. Licet autem ad illud de Herode satis pateat ex prædictis, nihilominus potest dici, quod aliquantulum ante Christi ortum debuit aliqualis ablatio regni Judaici inchoari : ut ex hoc innueretur, quod Christi adventus jam in januis erat. Quarto potest dici, quod prophetiæ sunt aliquando conditionales, prout dicitur Jeremiæ decimooctavo. Subintelligitur enim Dei promissio implenda, si populus per peccata non reddiderit se indignum promissionibus Dei. Quia igitur reges Juda longo tempore peccaverant : idcirco non est inventa in eis conditio præsupposita et subintellecta. Post hæc igitur subdit de Zabulon, dicens, *quod ejus tribus stabit in maritima regione*, in qua est statio navium, ita quod ex una extremitate attingit regionem Sidonis. Quidam dicunt, quod hoc intelligitur de mari, id est de stagno Galilææ, juxta illud Isaiæ IX, Terra Zabulon, et terra Nephtalim maris trans Jordanem Galilææ Gentium. Hieronymus tamen hic dicit, quod Zabulon esset magna maris littora possessurus ; et hoc ipsum satis patet ex Josue decimonono. Unde et secundum litteram ideo videtur præmisisse Zabulon ante Issachar : quia voluit incipere a termino maritimo, et sic ad intermedias terras venire. Nec est inconveniens, si ex una sui parte tangit mare magnum, et ex alia parte mare seu stagnum Galilææ. Ad Issachar vero subdit, quod habebit terram mediterraneam, inter terminos scilicet Zabulon et Nephtalim, scilicet, pulcherrimam et fertilem in Galilææ regione juxta Nephtalim : et ideo tamquam superabundantes messes habens velut asinus fortis portabit res suas ad mare, ut ibi vendat eas alibi asportandas ; propter quod et ibi vectigalia solvet. Ubi autem nos habemus, asinus fortis, in Hebræo est, asinus osseus ; et secundum rem idem est. Nota, quomodo juxta litteralem sensum temporalium copia facit servum et laboriosum. Nam tribus ista dicitur servitura hominibus et tributis, propter co-

plexus suæ fortitudinis. De Dan vero (alludens more prophetico ad ejus nomen, quod interpretatur judicium) dicit, quod habebit auctoritatem judiciariam, sicut et ceteræ tribus. Quod generaliter sumptum potest intelligi de judicibus per tribus singulas distributis. Specialiter tamen prophetatur de Sampsone, qui fuit de duodecim judicibus totius Israelis, et tunc de isto subdit, quod instar colubri, *et cerastæ*, id est serpentis cornuti hostibus Israelis insidias ponet in via, et mordebit ungulas equi, ita ut hostis illum equitans cadat retro. Per ungulas autem equi intelligit fundamentale robur equorum seu hostium. Sampsonem vero comparat colubro cornuto, quia absque societate, et absque equitum et armorum apparatu solus de hostibus triumphabat, quasi diceret: Ille tam astute quam potenter hostes Israel mirabiliter solus absque amicis et sociis opprimet. Et quia iste in sua miraculosa fortitudine specialem typum Christi Salvatoris tenere debebat, ideo quasi de isto loquens transit ad Christum, cujus erat figura, dicens: *Salutare tuum*, id est Salvatorem tuum, et salutem per ipsum fiendam, *exspectabo*: quasi diceret: In illum tendit finalis spes mea. *Cerastes*, secundum Isidorum, *Etymologiarum* libro XII, est serpens, habens in capite cornua similia arietum. Cerata enim Græci cornua vocant. Est enim flexuosus plus quam alii serpentes, ita ut spinam non habere videatur, totumque corpus tegit arenis, et solum quamdam ostentationem corniculorum suorum relinquit, quasi ad escam animalibus illuc venientibus, ut sic capiat ea. Quidam tamen legunt hæc de Antichristo, quem (sed nescio an vere) de tribu Dan nasciturum putant, propter quod, ut dicitur, a Joanne in Apocalypsi de tribu Dan non ponuntur signati. Qui quidem serpenti cornuto comparatur bestiæ habenti duo cornua similia agni. Et secundum hoc per equum intelligitur cœtus electorum, quem insequetur tamquam Christus. Et quia falso dicet se esse Salvatorem et Christum, idcirco Jacob subdit, quod Dei Salvatorem exspectat. Vel secundum aliquos, per equum intelligitur Romanum imperium, et per ascensorem imperator vel Papa. Per Dan vero ideo Antichristus signatur, quia non de libertate gratiæ nascitur, sed potius de ancilla, cupiditate scilicet et ambitione, et erit judex iniquitatis. Deinde de Gad, alludens ad nomen ejus, subdit, *Gad accinctus*, id est armis et balteo militari. Vel accinctus, id est expeditus. *Præliabitur ante eum*, id est ante populum Israel, juxta quod habetur Num. XXXII, ubi tribus Gad et Ruben Moysi promittunt, Nos armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israel. *Et ipse accingetur retrorsum*, quia secundum Hieronymum, post quatuordecim annos ad possessionem suam trans Jordanem revertens reperit prælium vicinarum Gentium contra se, et victis hostibus dimicavit fortiter. *Aser pinguis panis ejus etc.*, id est terra ejus erit fertilis et affluens deliciis. *Nephthalim cervus emissus*, id est terra ejus erit velocis fertilitatis, et in suis pullulationibus quasi cervus. Secundum Hieronymum, Hebræa vox potest transferri, vel in cervum emissum, vel in agrum irriguum; significans, quod aquæ calidæ in ipsa nascantur tribu: sive quod super lacum Genesareth et fluenta Jordanis irrigatur. *Dans eloquia pulchritudinis*, id est dans pulchros flores et fructus; sicut os eloquens dat pulchra eloquia. Unde Septuaginta habent, Dans in generatione pulchritudinem. Vel secundum quosdam, hoc dictum est propter Prophetas, qui ibi manserunt in monte Thabor. Vel secundum Hieronymum, propter Christum, qui ibi maxime docuit. De Joseph autem tamquam de sanctiori et prædilectiori, et jure primogenituræ digno, tangit primo ejus prærogativam et meritum, ibi, *Deus patris tui etc.* Deinde prædicit ejus tribui bona, ibi: *Benedictiones patris tui etc.* Et postmodum ipsum tamquam primogenitum specialiter benedicit. Alludens autem ad nomen Joseph quod interpretatur augmentum, dicit, quod est filius accrescens, quia quasi in regiam dignitatem super omnes fratres suos crevit, et etiam quia crevit in duas magnas tribus. *Et decorus aspectu*, propter quod *filiæ*, id est feminæ, *discurrerunt super murum*, ad ipsum, scilicet videndum; id est, secundum Hieronymum, qui tam pulcher es, ut te tota de muris et turribus ac fenestris turba puellarum Ægypti prospectet. Sed et fratres ejus *habentes jacula*, scilicet livoris et invidiæ, vel Ægyptii illum incarcerantes, *exasperaverunt eum*, scilicet verbis et factis duris et injuriosis. *Et jurgati sunt*, scilicet contra illum. *Sedit in forti*, id est in Deo omnipotenti. *Arcus ejus*, id est fiducia et virtus fuit firmata in Deo; et ideo *vincula brachiorum et manuum dis-*

soluta sunt per manum potentis Jacob, id est Dei, qui est potens protector et defensor populi Jacob. *Inde*, scilicet de vinculis illis, *Pastor egressus est etc.*, scilicet Joseph factus tunc rector et pastor Egyptiorum, et domus patris sui, qui est *lapis Israel*, id est, fortis protector, et quasi lapideum fundamentum populi Israel. Vel inde, id est de Joseph egressa est tribus Ephraim, fortis et stabilis et invincibilis, instar lapidis durissimi : et sub Jeroboam imperans decem tribubus Israelis, sicut pastor ovibus suis. *Et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli*, id est tam ex influentiis cœli, quam irrigua pinguedine terræ. Habebis terram fertilem et feracem, tam animalium, quam hominum. *Uberum etc.* id est habebunt vulvam fœcundam ad concipiendum, ubera plena lacte ad nutriendum. *Benedictiones patris tui*, id est patri tuo a Deo datæ. *Confortatæ sunt*, id est fortiores effectæ, *benedictionibus*, id est propter merita benedictionum paternarum, confortatæ, inquam, ad perdurandum. *Donec veniret desiderium collium æternorum*, id est vita æterna supernorum civium, vel æternarum mansionum, quæ sunt quasi colles vel montes. Sumitur enim desiderium pro re desiderata : eo modo, quo fides, vel spes, vel scientia, frequenter sumuntur pro re credita, vel sperata, vel scita. Hæ, inquam, benedictiones tales ac tantæ, *Fiant in capite Joseph et in verticem Nazaræi*, id est ipsius Joseph. *Inter fratres suos*, seu respectu fratrum suorum, singulariter sancti, et consecrati, et floridi. Et nota, quod occasione regni Judæ egit de regno Christi æterno : sic occasione benedictionis seu gratiæ patrum consummandorum in Joseph, egit de ultimo fine gratiæ, qui est finis omnis desiderii sancti. *Benjamin lupus rapax*, id est tribus ejus erit valde bellicosa, et ideo instar bellantium. *Mane comedet*, id est rapiet *prædam*, *et vespere spolia*, scilicet rapta, *dividet*, militibus suis. Vel per mane et vespere, intelligit multam continuationem bellorum. More tamen Scripturæ duo, quæ triumphantes faciunt, per quamdam appropriationem eis distinxit : attribuens unum uni tempori, et alterum alteri. Vel mane et vespere significant idem quod prius et posterius, ut sumatur speciale pro generali. Hieronymus dicit quod Hebræi exponunt hoc de altari holocaustorum, quia templum in parte Benjamin fuit. Ibi enim sacerdotes mane hostias immolabant et ad vesperam sibi dividebant partem hostiarum sibi debitam. *Omnes hi in tribubus Israe. duodecim*, id est isti facient duodecim tribus Israelis. Est enim hoc verbum Jacob adhuc prophetantis de eis. *Benedixitque singulis benedictionibus propriis*, addendo, scilicet, alia præter verba superiora : quia tribus primis non videtur superius benedixisse. Nisi forte dicatur, quod quando dixerit Ruben, *Non crescas*, id est esto amodo humilis et moderatus : ei quodammodo benedixit ; quasi diceret, Ex tua culpa, licet per accidens, bonum humilitatis et moderantiæ consequeris. Nota autem, quod cum benedictiones hæ per viam spiritus essent dandæ et diffundendæ, quod proprie vadunt ad spirituales successores istorum. Unde benedictio Joseph currit magis proprie super eos, qui in gratia sanctitatis et regiminis ipsum erant imitaturi. Viso igitur qualicumque sensu litterali, tangendum est aliquid breviter de allegorico. Et primo prout omnia referuntur ad caput, scilicet Christum, scias, quod ejus primogenitus fuit populus ex Judæis conversus, qui in carnali sensu legalium per præsumptuosum zelum effusus est, sicut aqua inundans et in ampullas inflatas mirum intumescens : et ideo primogenituram datam sibi amittit, quia totam legem et totum sensum legis, totamque Synagogam turpi errore fœdavit. Hinc vero adjuncti sunt Simeon et Levi, id est Scribæ et Pharisæi, impiis conciliis et furibunda invidia Christum occidentes, et murum veritatis suæ doctrinæ pro posse diruentes et suffodientes : et ideo maledicti sunt a Deo, et per universum orbem in captivitatem dispersi. Tunc igitur Judas a fratribus, id est ab Apostolis laudatus et adoratus est, scilicet Christus qui dæmonum potestatem oppressit : et velut leo junior ab inferis prædam electorum traxit et cum illa in cœlum ascendit : et etiam ab infernali statu infidelium multam prædam electorum traxit et trahet. Hic igitur per mortem dormivit et resurrexit ut Leo. Quam suscitationem non potuit facere Deus alter ab ipso. Et de hujusmodi regno et sceptro est bene verum, quod potestas ejus est potestas æterna quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur, prout scribitur Danielis septimo. Ipse est Zabulon, habitaculum scilicet fortitudinis, naves

Ecclesiæ regnum, et cujus similis est porcus similis. Et sic de sequentibus, quorum particularitatem omitto, eo quod ex superioribus et sequentibus satis pateat. Referendo vero hæc ad Christi membra, possunt inde trahi plures allegoriæ. Nam possunt hæc referri ad duodecim Ecclesias, a duodecim Apostolis fundatas, vel ad ipsosmet. Nam Judas Petrum principem Apostolorum designat ; Joseph vero Joannem Evangelistam ; Benjamin vero Paulum, qui et ad litteram fuit de tribu sua, qui tanquam lupi rapacis prædam Gentilium comedit, et attulit Christo, et spolia gratiæ et sapientiæ Christi sub mira discretione distribuit et distribuit Ecclesiæ Dei et discipulis suis. Potest etiam et hic textus de Ecclesia ; ut videlicet in Ruben intelligatur, sicut dictum est, prima Ecclesia de Judæis conversis ad Christum. Per Simeonem vero et Levi, doctores et Episcopi Ariani, vel alterius hæresis. Per Judam, Romani Pontifices in fide Christi constantes, quorum primatui omnes filii Christi subduntur, et in quibus regimen fidei usque ad Christum Judicem durat. Quamvis etiam hic consimilis sit quæstio et responsio, qualis supra in sensu litterali est facta. Per Zabulon vero intelliguntur rustici zelatores Ecclesiæ et religiosorum. Per Issachar vero anachoritæ et monachi qui pro amore cœlestis præmii sua corpora maceraverunt, pœnitentiæ et servituti subjecerunt. Ne autem defectum regnum temporalium in Ecclesia Christi crederetur omnino inutile aut nocivum : ideirco et idem filius sensualis ancillæ designat populum suum, sicut et tribus superiores. Nam utile est pro tempore malis insistere, et nolam eorum cautelose mordere. Quia tamen in his temporalibus non est finis ultimus noster ; ideo præter hoc Christum Salvatorem expectare oportet. Rursus, quia administratio temporalium de facili cedit in dolum et laqueum : ideirco coluber serpensque cornutus tentationis finalis ex his manabit. Sicut autem bonum est judicare intra prudenter, sic etiam et extra contra hostes pacem tueri viriliter ; et ideo Gad fortiter prœliatur. Verumtamen quia hæc temporalia sunt, nisi ad opera vitæ ordinentur ; ideo pinguis panis Aser subditur, favens scilicet pauperes, qui, teste Christo, sunt regni cœlestis cives. Neque hoc sufficit, nisi ex his temporalibus Deus laudetur ; et ideo sequitur Nephtalim dans eloquia pulchra : ejus enim est eloquentiam exteriorem instar cervi salientis emittere in altum. Post hunc ergo sequitur Joseph gratiosissimus, benedictissimus, et præ ceteris Domino consecratus ; status scilicet evangelicus in novissimo tempore suscitandus ; ut non super arenam temporalium, sed super petram solidam æternorum pastorale regnum Ecclesiæ statuatur ; ut sic postmodum ex utero Evangelicæ vitæ et oriatur contemplationis supercxcessus, id est Benjamin adolescentulus in mentis excessu, qui desiderio quasi effrenato instar lupi rapacis prædam cœlestium ferculorum jugiter comedat, et spolia cœlestium thesaurorum non solum sibi assumat, sed triumphator aliis distribuat. Nam, teste Christo, eorum est alios recipere in æterna tabernacula tanquam in sua. Moraliter possunt hæc omnia exponi de prole virtutum superius tradita, cum de generatione prolis Jacob ageretur. Nam et amor divinæ laudis significatur, et hujus regnum non auferetur, quia secundum Apostolum, charitas nunquam excidit ; imo in adventu Christi, quem semper expectat, debet sibi immobiliter alligari, et ejus vino inebriari, ut habeat oculos pulchros et amorosos : et dentes, id est virtutes divinas etc. Timor autem per Ruben designatus, et primogenitus (qui si mensuram teneret, prior esset in donis, quia Ecclesiastici vigesimotertio dicitur, quod nihil melius quam timor Dei ; et capite vigesimoquinto dicitur, quod Deus timorem super omnia superposuit), si excedat, effunditur sicut aqua, et incestat cubile paternum. Reperitur autem impedire duobus modis : scilicet aut desperative, et sic Judam Apostolum dissipavit : aut nimis sollicitative, et hoc modo plures etiam Prælatos nimium distraxit ad curas inferiorum, quia illic trepidaverunt timore ubi non erat timor : et hic est, qui causat diffidentiam de Dei providentia et promissis : propter quod cadit a primatu constantiæ et veritatis. Hic etiam Balam, id est imaginationem, horribiliter prostituit et corrupit, quia promptissime facit semper imaginari et revolvere omnia illa, de quibus formidat et sollicitatur : et etiam vias varias et innumeras, quibus illa, quæ insipienter timet, evadere possit. Gad autem retrorsum accinctus et strenue bellans, designat, quod sic pro veritate Christi, quæ ante nos est, constanter pugnare debemus, quod nihilominus contra occultas insidias dæmonum, ad ea,

quæ retro sunt, amplectenda, fallaciter inducentes, viriliter ac sagaciter dimicemus. De reliquis autem fratribus ex præcedentibus satis patet. *Et præcepit eis, dicens : Sepelite me*, etc. Nota quod tantam curam suæ sepulturæ in loco patrum non habuit ex aliqua carnali cura, sive post mortem gloriæ temporalis : sed potius ex devotione ad sanctos Patres suos, et ad Christum in terra illa venturum, ad cultum Dei ibi in suo populo faciendum ; et ad firmius monstrandum et testificandum, quam certus erat de terra illa in brevi danda stirpi suæ. Hoc etiam valebat ad hoc, quod fortius animarentur redire ad illam tempore suo, et ad illam semper majori devotione flagrarent. *Finitisque mandatis, quibus filios instruebat.* Nota ex his et consimilibus, quod Scriptura fere majorem partem moralis et spiritalis doctrinæ patrum, quam suas familias instruebant, non nisi implicite tradit : ut servet proprietatem veteris Testamenti, et doctrinæ pedagogicæ, et breviloquii moderati.

CAPUT L.

Quod cernens Joseph ruit, etc. *In sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan.* Jacob illud fodisse dicitur, non quia per ipsum primo fuerit fossum : sed quia tam per ipsum, quam per Patres suos fuit melius præparatum. *Venerunt ad aream Adar, quæ sita est trans Jordanem.* Secundum aliquos, hic est locus, ubi postea populus contra Dominum murmurans igne consumptus est : de quo habetur Numerorum decimo sexto. Et secundum Hieronymum, est trans Jordanem in orientali parte a Jordane ad duo milliaria : et distat a spelunci duplici per quinquaginta milliaria. Unde prætergressi sunt locum in quo debebant eum sepelire, et postea redierunt ad illum. Quare autem hoc fecerint, non patet ratio literalis ex textu. Et forte fuit hoc propter aliqua prælia, vel pericula, quæ in recta via timebant : et ideo forte illuc declinaverunt ad horam. Quacumque autem ex causa hoc fuerit, hic a Moyse non refertur : tum ut ostendat, planctum istum ibi tunc factum fuisse præsagium mali, quod postmodum contigit ibi ; tum etiam propter alia mysteria. Si vero quæratur, quare Joseph sanctus tantum plangebat patrem mortuum et sanctum ? Dicendum, quod primo ad conformandum se moribus illius temporis. Secundo in signum reverentiæ et pietatis ad patrem. Tertio ad docendum plangere miseriam hujus vitæ et generalis infectionis nostræ, propter quam omnes morimur. Quarto ad docendum, quod rememoratio mortis est valde utilis nobis, juxta illud Ecclesiastici septimo : *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Quinto ad docendum, quod licet mors sanctorum patrum sanctis morientibus sit salubris, nobis tamen hic remanentibus in pluribus est damnosa. Unde et sancti sæpe subtrahuntur propter peccata nostra. Sexto ut doceat, quod pro mortuis est cum luctu orandum et supplicandum ad Dominum. Mystice autem per sepulturam carnis Jacob, a qua jam spiritus abscesserat, potest significari sepultura synagogæ et cæremonialium ejus, quæ facta est a Christo et Apostolis quasi a Joseph et fratribus ejus : et a gentibus eis per fidem associatis, qui hic per Ægyptios designantur. Fuit enim lex cæremonialium tamquam divinitus data, reverenter sepelienda ; et mors synagogæ fuit Apostolis valde lamentabilis et dolorosa. Planctus autem iste durat per septem dies, et per septem decadas dierum, id est per septem tempora ecclesiastica ; in fine tamen planctus iste recompensabitur, quando omnis Israel salvus fiet : tunc enim Joseph pleniorem fiduciam amicitiæ dabit fratribus suis merito patrum suorum. *Filii quoque Machir nati sunt in genibus Joseph ;* id est postquam jam nati sunt, steterunt aliquando in genibus ejus. Vult enim in istis ostendere, quomodo clarum fuit, quod tertiam generationem suam ipse viderit : quia utique in genibus suis eam tenuit. Et nota, quod ter legitur bajulatio puerorum in genibus. Primo scilicet, a Rachele supra trigesimo capite, dicente ad Jacob, ut ingrederetur ad famulam suam, ut pareret super genua Rachelis. Secundo in hoc loco. Tertio, quarti Regum quarto, de Sunamite ponente puerum super genua sua usque ad meridiem, et mortuus est, et tandem ab Elisæo Propheta suscitatus ; quia Isaiæ ultimo promittit Deus electis, quod ad ubera portabuntur et super genua blandietur eis. Contra quod triplex ratio diffidentiæ poterat provenire. Prima scilicet ex conditione nostræ naturæ servilis relatæ ad majestatem Dei. Secunda ex corruptione culpæ tam originalis quam actualis relatæ ad sanctitatem Dei. Tertia ex inter-

mediatione vel præposteratione propagationis temporalis, relatæ ad immediatam visionem et possessionem Dei. Idcirco in typicum remedium triplex figura præcessit. Quod enim non impediat conditio naturæ servilis, est exemplum Rachelis volentis ancillam parere in genibus suis. Quod vero nec corruptio culpæ mortalis, est exemplum in Sunamite. Quod vero neque intermediatio successivæ propagationis, est exemplum in filiis Machir, qui nati sunt in genibus Joseph proavi sui. Dei enim Filius factus pro nobis servus et in nostra servili natura passus et mortuus est, ut a generatione carnali, de qua in hoc libro Genesis agitur, per regenerationis lavacrum nos purgatos redderet, et sic ad suæ generationis æternæ fastigium sublevaret, ut in genibus majestatis paternæ bajulemur cum blanditiis familiaritatis et gloriæ excessivis : Cui est laus et gloria. Amen.

S. THOMÆ AQUINATIS

IN DANIELEM PROPHETAM EXPOSITIO

PROŒMIUM.

Intelligentia opus est in visione, Daniel. x capite. Ad perstringendum breviter sapientiam Danielis prophetæ, assumitur verbum istud, in quo tangitur reseratio figuralis signaculi, pertinens ad apertionem omnium prophetarum in generali sub intellectionis opere, cum præmittitur : *Intelligentia opus est.* De hac intelligentia dicitur Job cap. XXXII : *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Et revelatio prophetalis oraculi pertinens ad apparitionem Danielis in speciali sub intuitionis nomine, cum additur : *In visione.* Hæc est enim visio, de qua Prov. XXX : *Visio quam locutus est vir cum quo Deus erat.* Quantum ad reserationem figuralis signaculi, quæ tangitur sub opere intelligentiæ, cum dicitur : *Intelligentia opus est* : notandum et intelligendum, quod juxta septem sigilla libri vitæ, de quo dicitur Apocalypsis V : *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum intus et foris signatum sigillis septem*, sunt necessarii septem gradus intelligentiæ ad apertionem cujuslibet prophetiæ : qui sunt scilicet septem lumina et regulæ directivæ.

Primus autem intelligentiæ gradus respicit ostensionis intentum. Secundus inspectionis objectum. Tertius prædicationis modum. Quartus locutionis subjectum. Quintus impletionis terminum. Sextus expositionis processum. Septimus narrationis intellectum.

Primus (dico) gradus respicit ostensionis intentum ; et est quod in omni prophetia intentio Dei ore prophetico loquentis est nobis regnum suæ providentiæ ostendere magnifice, occulte, sancte et pie ordinatum. Ad quod innuendum et intelligendum, invenies eos quatuor mysteriorum genera assumentes. Inducunt enim interdum aliqua stupenda et mira, ad ostendendum ejus imperialem magnificentiam ; interdum aliqua arcana et obcura, ad ostendendum ejus sapientialem providentiam, et abyssalem sapientiam : interdum aliqua rigida et dura, ad ostendendum ejus judicialem sententiam : interdum aliqua placida et dulcia, ad ostendendum ejus præcordialem clementiam. Et per hæc quatuor, mysteria omnium prophetarum variantur. Quia omnis prophetia intendit ostendere, vel Dei magnificentiam imperialem, vel Dei providentiam sapientialem, vel Dei sententiam judicialem, vel Dei clementiam præcordialem. Omnium autem horum dedit Deus intelligentiam Danieli : et ideo dicitur Daniel I cap. : *Danieli autem intelligentiam* supple, *dedit Deus omnium visionum.*

Secundus gradus intelligentiæ respicit inspectionis objectum, quasi secundum sigillum prædicti libri ; et est illud quod omnis prophetiæ finis principalis est honor divinæ majestatis ; quia tam in vitiis quam in suppliciis, tam meritis quam in præmiis semper aspectus prophetalis vaticinii intuetur, ut principale objectum, honorem divinæ majestatis. Ad quod intelligendum et innuendum,

quemdam assumentes generaliter omnes prophetæ quadruplicem proponendi modum: nunc quidem vivum et exaggeratum, in increpatione vitiorum; nunc quidem durum in imprecatione tormentorum; nunc quidem blandum et lenitum in commendatione meritorum; nunc quidem altum et suspirativum in repromissione præmiorum. Ad intelligentiam horum aspirans Salomon, II Paralip. I, dicit: *Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo.*

Tertius gradus intelligentiæ respicit prædicationis modum, quasi tertium sigillum; et est, quod quia omnes prophetæ intendebant per suam prædicationem populum ad meliora reducere; ideo ut facilior esset omnibus intelligentia divinorum, tenebant in prædicando modum vulgarem, modum popularem, modum historialem, modum nihilominus prophetalem; ita quod propter modum vulgarem, quem vulgus communiter, solum habent verba simplicia vulgaribus assueta; propter modum popularem illi terræ assuetum habent verba parabolica, quia consuetudo fuit terræ Palæstinæ parabolice loqui, ut plura significarent et magna persuaderent, sicut nos frequenter facimus prædicando; propter modum historialem et narrativum, quod est prædicatorum, habent verba discontinua, sicut propter aliquod incidens solet fieri transitus in narrationibus de una materia ad aliam, et postea redire ad propositum; propter modum prophetalem habent verba dissonantia; et hoc vel propter varium tactum affectus et aspectus quo mutant personas, vel propter varium motum, quantum ad tempus, quo frequenter futura pronunciant quasi præterita, ut sic caveantur certa, sicut illa præsciuntur impleta. De talibus qui sic loquitur, potest dici quod locutus est Ezechias, quod interpretatur auxilium Domini, vel confortavit me Dominus; quia cor talium prædicatorum confortat Deus et eis auxiliatur; locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum qui habebant intelligentiam bonam coram Deo, ut dicitur II Paralip. xxx cap.

Quartus gradus intelligentiæ respicit locutionis subjectum, quasi quartum sigillum; et est, quod tota materia et subjectum cujuslibet prophetiæ est sub mira certitudine perlustrare humanorum cordium secretum statum, futurorum contingentium occultum eventum, Angelicorum mysteriorum præstitum auxilium, divini auxilii præfixum consilium. In his enim omnis salutaris veritas continetur.

Quintus gradus intelligentiæ respicit impletionis terminum quasi quintum sigillum; et est quod quia secundum varietatem temporum, variantur dona gratiarum, ideo prophetalia aliquando feruntur ad legis impletionem, et tunc respiciunt Judæorum cultum; aliquando ad fidei revelationem, et tunc respiciunt Christi adventum et plenitudinem gratiarum; aliquando ad populi Israelitici finalem introductionem, et tunc respiciunt excessum contemplativum; aliquando ad æterni gaudii jubilationem, et tunc respiciunt consummatum statum regnantium; et loquendo de uno tempore interseruntur frequenter aliqua de alio, ad quod respicit prophetiæ perfecta adimpletio. Hæc tamen diversitas est secundum Gregorium, *super principium Ezechielis*, quia non semper eodem modo animum propheticum tangit spiritus prophetiæ; quia aliquando tangitur de præterito tantum; aliquando de futuro tantum; aliquando de duobus vel tribus simul; et ideo de tempore ad tempus frequenter transeunt in loquendo; quod attendens Job xxviii cap. dicebat de hoc spiritu tangente sic diversimode animum prophetarum: *Profunda fluviorum scrutatus est et abscondita produxit in lucem. Sapientia enim ubi habitat et quis est locus?* quasi diceret: non aliud, nisi animus prophetarum.

Sextus gradus intelligentiæ respicit expositionis processum quasi sextum sigillum; ubi intelligendum est, quod prophetia non potest exponi in eodem spiritu quo condita est, nisi cum ipsa exponit seipsam. Sic frequenter fit in Daniele; unde aliquando prophetia exponenda est impersonaliter solum, ut illud Danielis vii, quod *Minimum regnum divisum est in etc.*, exponendum est, quod futurum est aliquando, quod regnum Romanorum, quod est quartum secundum eumdem, dividatur in decem regna ex quorum conflatione exeat Antichristus, non tamen nominando seu determinando personas; et hæc expositio est certissima, sed non satis specificata. Aliquando vero exponenda est personaliter; quod ita hoc vel illud, quod dicitur in tali prophetia, potest esse impletum in tali rege seu tali

populo, non asserendo tamen de una singulari persona: et hæc expositio est magis specifica, sed minus certa, quia non constat de quo illorum sit vera. Aliquando exponenda est singulariter: et hoc quia vel ipsa se exponit, ut illud III Reg. XIII: *Ecce filius nascetur domui David nomine Josias;* certa est enim persona de qua loquitur, quia de Josia; item quia verba prophetiæ ostendunt conditiones singularis personæ licet ipsam non exprimant, ut illud Isaiæ XI cap.: *Egredietur virga etc.*: conditiones enim ibi positæ ostendunt id dictum esse de Christo. Ubi autem absolute loquitur prophetia, non potest exponi de signato seu determinato tempore, seu singulari, nisi fallibiliter et conjecturando, vel spiritu prophetico, quia taliter volenti exponere non dedit Deus intelligentiam, Job. XXXIX.

Septimus gradus intelligentiæ respicit narrationis intellectum principalem, quem ostendunt finis et medium, modus et supplementum. Finis enim prophetiæ ostendit interdum mentem et intellectum prophetæ, secundum Hieronymum *super Isaiam,* quia semper in fine cujuslibet prophetiæ subnectuntur aliqua, in quibus declaratur intentio prophetalis; ut de lapide abscisso sine manibus, in fine visionis statuæ magnæ, Daniel. II. Medium vero ostendit interdum prophetæ mentem; quia texendo veritatem historiæ de præterito vel futuro vel præsenti, interseruntur quædam quæ necessario coguntur intelligi de tempore, anno, vel facto; ut Isaiæ XIV, loquens de rege Babylonis, interserit de Lucifero. Modus etiam prophetalis ostendit mentem prophetæ. Loquebantur sicut a spiritu tangebantur; et ideo secundum varium tactum, mutant personas et tempus; sic in oratione fieri consuevit. Verbi gratia, secundum verba Canticor. I, loquebatur Magdalena ad sepulchrum: *Osculetur me osculo oris sui,* id est consoletur me præsentia sua, vel nunquam consolabor; cum autem sic de absente loqueretur in tertia persona, vidit præsentem Jesum; et tenens pedes ejus, dixit, quia *meliora sunt ubera tua vino etc.*, et mutavit tertiam personam in secundam. Per supplementum etiam ostenditur mens prophetæ; frequenter enim apparet processus esse sine ordine, qui tamen uno verbo superaddito optime ordinatur et pulcherrime, ut illud Isaiæ XXXIX, cum ad verba prophetæ populo futura prædicenti respondeat Ezechias, Fiat tantum pax et veritas in diebus meis: quasi non curans, propheta convertit se ad populum dicens, Consolamini, consolamini, popule meus, ut appareret inordinate loqui. Quod si suppleamus, ex quo rex vester parum curat de verbis, consolamini in Domino, tunc erit pulcherrime ordinatum: et de tali qui sic supplet intellectum propheticum, dicitur Ecclesiast. XXXIX, spiritu intelligentiæ replebit illum, et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.

Quantum ad revelationem prophetalis oraculi pertinens ad prophetiæ Danielis apertionem in speciali quæ tangitur sub visionis nomine cum dicitur *In visione,* intelligendum est, quod in visione ista Danielis occurrit septuplex aspectus considerationis ex quatuor causis juxta septem regulas; quarum duæ sumuntur ex causa materiali, duæ ex causa finali; duæ ex causa formali; una ex causa efficiente.

Prima regula est, quod tota materia prophetiæ hujus est regnum divinæ sapientiæ; ostendit enim modo prophetico per totum regnum Christi et justorum, quod est capitis et membrorum præeminere regno Antichristi et reproborum, quia Christus finaliter omnia regna obtinebit, sicut patet cap. XII: et hæ sunt visiones, de quibus dicit Nabuchodonosor Daniel. IV: *Visiones capitis conturbaverunt me:* et sequitur in fine capituli, loquens de imperio Christi: *Potestas ejus potestas sempiterna et regnum ejus in generatione et generationem.* Secunda regula est quo ad materiam moralem quodlibet factum prætendit similitudinem moralem in abstractum sumptum secundum triplicem abstractionis gradum. Primus ergo gradus est abstrahendo personam et accipiendo factum; ut Danieli jejunanti collata est sapientia; abstrahe ergo personam, et dic, quod jejunantibus et orantibus confertur sapientia divinitus. Secundus gradus est abstrahendo totum factum singulariter, sumpta ejus specie; ut II cap. pro Nabuchodonosor sumi quemlibet regem, pro statua quamlibet fictionem, pro destructione statuæ quamlibet destructionem: et dic, quod reges fictionum inventores finaliter destruentur; et sic poterit applicari cuilibet regi, cuilibet fictioni, cuilibet destructioni. Tertius gradus est magis universalis, qui fit abstrahendo speciem, sumendo genus, ut pro rege quemlibet præsidentem vel eminentem auctoritate vel doctrina, pro fictione

quamlibet vanitatem in facto vel dicto vel scientia; pro destructione siliquam a Deo inflictam: et sic dicatur quod omnis novitas a quocumque habente auctoritatem inventa judicabitur divina ultione sua; et tale esset altissimus et reconditissimus modus moralizandi omnes. Tales moralizationes ignorantibus gradus moralizandi sunt sicut verba libri signati, de quo dicitur Isaiæ xxix: *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati.*

Quantum ad causam finalem, est prima regula quod finis ultimus et universalis hujusmodi Prophetiæ est, qui est totius sacræ Scripturæ, quod est totale et completum bonum rationalis creaturæ, quod consistit in notitia veritatis quoad rationalem, et robore virtutis quoad concupiscibilem, et honore dignitatis quoad irascibilem, per quod convenit homini regnum Dei. Et hoc est quod dicitur Daniel. viii: *In tempore finis adimplebitur visio.* Secunda regula est quod finis hujus prophetiæ proprius et intrinsecus per totum est in omnibus visionibus: primo magnificatio Dei, quoad gentiles; secundo quoad Judæos, consolatio populi; tertio prænuntiatio Christi, quoad utrosque: et ideo semper invenitur morale, historicum et propheticum. Unde dicitur Oseæ xii: *Et ego visionem eorum multiplicavi*, id est multiplicem sensum dedi.

Quantum ad causam formalem, prima regula est, quod totus iste liber currit per partem proœmialem in qua ostenditur Danieli collata divinitus sapientia, i cap. Per partem incidentalem, in qua ponitur Susannæ, Draconis et Beli historia, cap. xiii. Et ultra per partem principalem, in qua ostenditur præeminentia regni Christi ad regnum diaboli de jure, et aliquando de facto futura, per decem visiones probata in undecim capitulis ordinata; licet quinque primæ respiciunt primum adventum Christi, et aliæ quinque ultimum.

Prima ergo visio est de statua grandi cujus caput aureum etc., et de lapide absque manibus abscisso, Daniel. ii, in qua notatur Christi conceptio Diabolum invadentis.

Secunda visio est de Angelo in fornacem descendente, Daniel. iii, Filio Dei assimilato, in qua notatur Christi nativitas ad nostras pœnalitates descendentis.

Tertia visio est de arbore magna in medio terræ posita et vigili sancto voce magna clamante: Succidite arborem, cap. iv, in qua designatur Christi prædicatio vitia recidentis.

Quarta visio est de fine regis Balthasar et manu describente digito in pariete, cap. v, in qua designatur Christi passio regnum diaboli exterminantis, per quem princeps mundi hujus ejectus est foras, Joan. xii.

Quinta visio est de missione Danielis in lacum Leonum, vi cap., per Angelum liberati, in qua designatur Christi resurrectio infernum exspoliantis.

Quantum autem ad secundum adventum est prima visio de animalibus monstruosis et de adventu judicis, cap. vii, quæ designat ultimæ tribulationis totalem processum. Secunda visio est de pugna Persarum et Græcorum sub specie seu similitudine hirci et arietis, cap. viii, quæ designat ejusdem tribulationis principalem conflictum. Tertia visio est de hebdomadibus abbreviatis usque ad mortem Christi, ix cap., quæ designat ejusdem tribulationis solatium. Quarta visio est de apparitione viri liberationem populi nuntiantis, x cap., quæ designat ejusdem tribulationis terminum. Quinta visio est de pugna Antichristi et servorum Christi et victoria finali sub similitudine regis Aquilonis et Austri, quæ designat ejusdem tribulationis triumphum, xi et xii cap. Secunda vero regula est quoad causam formalem, quod quælibet visio continet distincte materiam de qua est, finem propter quem est, formam secundum quam acta est, principium et causam a quibus habita est, ut patebit in qualibet prosequendo.

Quoad causam efficientem est tantum una regula: quod est principalis auctor hujus prophetiæ spiritus sapientiæ, qui est omnium fundator et dispositor. Verum animadvertendum quod ubicumque est specialis visio, semper ponitur alius gradus virtutis specialiter dispositivus ad promerendum spiritum prophetiæ; sicut patet i cap. quod ad intelligentiam somnii dispositivum fuit devotio et sobrietas Danielis: est tamen ibi diversitas quædam: quod in primis quinque visionibus est modus historicus simul et propheticus, sed ex significatione historiæ sumptus: est enim narratio rei gestæ quæ sub Nabuchodonosor, Balthasar et Dario accidit, licet aliud designetur: sed in ultimis quinque visionibus modus est solum propheticus narrans visiones et somnia, quorum solus propheta fuit certus,

nilque de eis manifestum est barbaris secundum Hieronymum. Quia ergo intelligentia opus est pro visione, adaperiat nobis Dominus intelligentiam visionis ad percurrendum oraculum Danielis.

CAPUT I.

Anno tertio regni Joakim, etc. Iste liber qui Daniel dicitur, dividitur in tres partes; scilicet in partem proœmialem, in qua ostenditur Danieli collata sapientia, primo capitulo; partem principalem, in qua ostenditur regni Christi ad regnum Antichristi præeminentia, a secundo capitulo usque ad decimum tertium: partem incidentalem, in qua ponitur Suzannæ, Beli et Draconis historia, capitulo decimo tertio. *Erat enim in Babylone*.

Prima igitur pars habet quatuor partes, seu quatuor conditiones, quas habuit Daniel, cui fuit divinitus collata sapientia; habuit enim servilitatem in statu, quod ostenditur in principio, celebritatem in ortu, ibi : *Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda*; sobrietatem in victu, ibi : *Posuit ergo Daniel in corde suo*; subtilitatem in sensu, ibi : *Pueris autem his dedit Deus scientiam*.

Quantum ad primam partem, nota quadruplicem causam servilitatis. Prima fuit regis Hierosolymorum transgressio, quæ tangitur in principio. Secunda regis Babyloniæ ambitio, ibi : *Venit Nabuchodonosor*. Tertia Dei universorum permissio, ibi, *Et tradidit Dominus*. Quarta thesauri ac vasorum sublatio, ibi, *Et partem vasorum*. Quantum ad primam partem, nota motivum invasionis terræ Judæorum, in principio; motivum electionis dictorum quatuor puerorum, ibi : *Et ait rex Asphenez*; mandatum instructionis jam electorum, ibi : *Et qui possent stare*: mandatum ministrationis ad modum seu ritum Chaldæorum, ibi : *Et constituit eis rex annonam*. Quoad primum nota, quod motivum invasionis terræ Judæorum fuit regis Hierosolymorum transgressio, quæ tangitur in principio; regis Babyloniorum ambitio, ibi : *Venit Nabuchodosor*. Dei universorum permissio, ibi : *Et tradidit Dominus in manu ejus Joakim*, thesauri ac vasorum sublatio, ibi, *Et partem vasorum domus Dei*. Primum (dico) motivum, quare rex Babylonis invasit regnum Judæorum fuit regis Jerosolymorum transgressio, seu rebellio : ideo dicitur, quod *Anno tertio regni Joakim regis Judæorum*. Iste est Joakim Josiæ filius, de quo IV Reg. XXIII legitur, quod Pharao Necao rex Ægyptiorum, postquam occidit patrem suum Josiam, amoto fratre ipsius Joakim, quem populus Juda constituerat regem loco patris sui Josiæ, qui Joachaz minor erat ætate ipso Joakim duobus annis, quia Joachaz erat tantum vigini trium annorum, et ideo, moto scilicet Joachaz, constituit regem Joakim, et condemnavit terram in centum talentis argenti et uno auri, ut dicitur II Paralip. XXXVI. Joakim tamen primo nominatus est Eliakim; sed rex Ægypti vertit nomen ipsius in Joakim, in signum servitutis et subjectionis, ut dicitur ibidem. Hic autem fecit malum coram Domino, ut dicitur IV Reg. XXIII, et II Paralip. XXXVI; et ideo, traditus est in manus regis Babylonis, juxta vaticinium Jeremiæ Prophetæ. Intelligendum tamen, quod non est traditus in manus ipsius anno tertio, quo regnare cœpit, quia regnavit annis undecim, secundum historiam prædictorum librorum; sed tertio anno, quo tributarius factus fuerat prædicti regis Babylonis; anno enim octavo factus est ei tributarius, et anno undecimo ab ipso recessit : ab octavo autem usque ad undecimum sunt tres : unde dicitur IV Reg. XXIV : In diebus illis ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, et factus est ei Joakim servus tribus annis, et rursum rebellavit contra eum. Hoc autem fecit, audito, quod rex Ægypti quem prius Nabuchodonosor debellaverat, jam adversus Nabuchodonosor rebellaret. Rex autem Babylonis intravit sub jure fœderis Jerusalem et despoliatus est eam, et regem Joakim captivum duxit : unde IV Reg. XXIV vocantur Latrunculi Chaldæorum et Latrunculi Syriæ etc. Secundum fuit regis Babyloniorum seu Chaldæorum ambitio : et ideo *Venit Nabuchodonosor*.

[1] . . . .
. . . .
. . . .

Tertium fuit Dei universorum permissio, ibi : *Et tradidit Dominus in manus ejus Joakim*, hoc autem permisit Dominus ut traderetur in manus regis Babylonis, quia non acquievit verbis Jeremiæ pro-

[1] Hic propter antiquitatem et obscuritatem litterarum in originali, quinque lineæ desiderantur

phetæ xxxv, cap. cum tamen acquierint Rechabitæ verbis Jonadab de non bibendo vino usque in æternum : propter quod dixit Dominus contra Joakim regem Juda, Jeremiæ xxxvi : *Non erit ex eo qui sedeat super solium David, et cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, et ad gelu per noctem* ; quod impletum est, quia a Nabuchodonosor est obsessa Jerusalem. Quartum fuit thesauri ac vasorum sublatio ; et ideo dicitur : *Et partem vasorum domus Dei*. Ista est pars eorum vasorum, quæ non asportaverat secum in prima obsidione, anno scilicet octavo regis Joakim, et quarto anni regni sui : nam anno octavo regis Joakim ascendit Nabuchodonosor, et fecit eum sibi tributarium, et duxit captivos Danielem et socios ejus, et partem vasorum transtulit, et posuit ea in templo suo, sicut dicitur II Paralip. xxxvi. Undecimo autem anno regni sui rebellavit ; et tunc Nabuchodonosor sustulit reliquam partem vasorum, de quibus nunc dicitur. Habes igitur quod fuerit motivum invasionis regni Judæorum, a rege Chaldæorum : quia regis Judæorum transgressio et rebellio ; regis Chaldæorum ambitio ; Dei universorum permissio ; thesauri et vasorum sublatio. Quantum ad secundum, scilicet motivum electionis quatuor puerorum fuit quædam scilicet nobilitas generis, ibi : *Et ait rex Asphenez præposito Eunuchorum* : venustas corporis, ibi : *In quibus nulla esset macula, decoros forma* ; docilitas mentis ibi : *Eruditos omni sapientia, cautos scientia etc.* ; firmitas corporis, ibi : *Et qui possent stare* ; peritia sermonis ibi : *Ut doceret eos litteras, et linguam Chaldæorum*. Quia fuit quintuplex, scilicet generis nobilitas, et ideo *Ait rex Asphenez ut introduceret de filiis Israel, et de semine regio, et tyrannorum pueros* ; venustas corporis seu formositas, et ideo *In quibus nulla esset macula, decoros forma* ; mentis et cordis docilitas, et ideo *Eruditos omni sapientia, cautos scientia etc.* ; firmitas corporis et membrorum, et ideo *Qui possent stare in palatio regis* ; peritia sermonis, et ideo *Ut doceret eos litteras et linguam Chaldæorum* : ista enim præcipue requirunt reges, et requirere antiquitus solebant, præcipue scilicet dignitatem generis ; et ideo *De genere et semine regis* seu tyrannorum eos eligi præcepit. Reges enim olim, quia plures habebant uxores, ministros earum castrari faciebant, ut omnis suspicio adulterii tolleretur, et ut mulieres nobiles vilitatem sibi ministrantium non fastidirent, vel ruditatem morum ipsorum corporumque fœditatem, et mentium ruditatem non abhorrerent, eligebantur juvenes inclyti, ingenerati, formosi, et eruditi seu industrii, ad quos regendos eligebatur unus peritus, qui super hos esset doctus ad eorum ministerium, qui eis cibos ministraret, et eorum ruditatem informaret, qualis erat Asphenez præpositus Eunuchorum.

Quantum ad mandatum instructionis jam electorum, nota, quia ad hoc, quod quis regibus gratiose valeat ministrare, exigitur virtus corpulentiæ ; et ideo dicitur *Qui possent stare* ; habitus scientiæ, et ideo *Eruditos omni sapientia* ; actus eloquentiæ, et ideo *Et linguam Chaldæorum*, ut tam sapientiam, quam scientiam, qua instituti erant, lingua Chaldæa possent exprimere. Talis fuit David, de quo dicitur I Reg. xvi, quod venit ad Saul, et stetit coram eo, de quo dictum fuit eodem cap. : *Vidi filium Isai Bethlehemitem bene psallere scientem*, ecce habitus scientiæ, *et fortissimum robore*, ecce virtus corpulentiæ, *et prudentem verbis*, ecce actus eloquentiæ. Et ideo dicitur ibidem, *Misit Saul ad Isai dicens : Stet David in conspectu meo, invenit enim gratiam in oculis meis.*

Quantum ad mandatum ministrationis secundum ritum Chaldæorum, nota ea quæ faciunt ad ministrationis solemnitatem : quæ sunt regis institutio, et ideo *Constituit eis rex annonam*, quia non alius nisi rex eis victum instituit, ut major cura de eis haberetur ; ciborum taxatio, et ideo *De cibis suis*, scilicet ne nobilitas naturæ ipsorum cibis vilioribus corrumperetur, vel ingenii ipsorum subtilitas hebetaretur ; temporum dilatio, et ideo *Sic enutriti tribus annis*, non enim per parva temporum curricula potest acquiri magna scientia seu industria ; et ideo ut melius instruerentur, eis annorum trium spatium assignatur.

Quantum ad totam nostram lectionem, nota quatuor moralizationes, a sensu litterali proposito elicitas. Prima est, quantum ad primam partem, in qua ostenditur regis Judæorum a rege Chaldæorum invasio ; tunc enim regnum Judæorum, hoc est anima, quæ regnum est omnium virtutum Dominum laudantium et confitentium, a rege Chaldæorum, seu Babylonis, id est confusionis seu ambitionis,

obsidetur, cum rex Joakim, qui interpretatur Dei exaltatio, hoc est voluntas, super omnes potentias animæ depravatur; depravatur autem per hunc modum, quia primo prætenditur regalis religio per Joakim regem Judæorum, sed tamen legi divinæ regulariter non subjicitur, sicut nec Joakim, qui verba Jeremiæ audire contempsit; confestim subsequitur mundialis ambitio, et sic venit Nabuchodonosor, et obsidet regnum Juda, indeque sequitur direptio omnium virtutum; hinc fœtores vitiorum asportantur, et ita, ut hypocrita, apparens religiosus fit primo ambitiosus, ad laudes humanas aspirando, sed confestim ex hoc fit Deo odiosus, ipsius gratiam contemnendo, et per consequens, totus calamitosus, nullam virtutem penitus retinendo.

Secunda moralitas est, quantum ad secundam partem capituli, in qua ostenditur quatuor puerorum electio; tunc eligitur quis ad ministrandum regi magno ab Asphenez, quod interpretatur securitas gratiæ, cum invenitur in ipso dignitas prælationis, quantum ad perfectionem; puritas intentionis, quantum ad professionem; honestas religionis, quantum ad correctionem; claritas inspectionis, quantum ad institutionem; et cum quis habet ista, securus potest esse de electione divina. Cum enim quis habet dignitatem prælationis, quantum ad perfectionem in qua dignus est, ut aliis præferatur, ac si esset de semine regio, de numero eorum qui vestiti erant cultu regio, II Reg. XXII, et iterum habet puritatem intentionis, quantum ad professionem, ut sit absque omni macula et omni vitio, sicut quos elegerunt I Machab IV: *Elegit enim sacerdotes sine macula*; et iterum habet honestatem religionis, quantum ad correctionem, ut sit in ipso correctionis informatio et decoratio, sicut in illo qui est speciosus forma præ filiis hominum, et sicut in Davide correctore vitiorum, qui fuit *pulcher aspectu, et decora facie*, I Reg. XVI: et iterum habet claritatem inspectionis, quantum ad instructionem, ut vere sit in ipso sapientiæ eruditio, quantum ad virtutem naturalem, ut sic sit vere sapiens, qui plebem suam erudit Eccles. XXXVII: sit etiam in ipso scientiæ discretio, quantum ad rationalem, ut discernere valeat inter verum et falsum, quia correctio requirit scientiam, ut dicitur Prov. XXVI: sit etiam in ipso disciplinæ informatio, quoad moralem, ut bonum eligat, et malum fugiat, dicens: Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit: tunc vere securus est sub Asphenez, id est sub gratiæ protectione.

Tertia moralitas est, quoad tertiam partem, in qua præcipitur electorum institutio; tunc autem quilibet bene instituitur, cum habet studii assiduitatem et perseverantiam, in qua sit assiduus in studio, et est quasi regis palatium, hoc est palatium quod studiosus Salomon II Paralip. III, ædificare sibi decrevit; habet etiam disciplinæ humilitatem et obedientiæ, ut semper sit obediens suo magistro, ut sic possit eum docere diligenter, et semper clamet cum psalmista, Psal. CXVIII: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi*: habet etiam eloquii suavitatem in qua sit suavis et parcus in verbo; talis enim habet linguam Chaldaicam, hoc est ferocem et extraneam quæ parum loquitur, talis est enim lingua sapientium quæ ornat scientiam, Proverb. XV.

Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda etc. Hæc est secunda pars principalis hujus capituli: in qua tangitur celebritas puerorum electorum in ortu; et sequitur tertia pars in qua tangitur sobrietas in victu, quæ ambo pertinent ad præsentem lectionem. In prima parte tanguntur quatuor ostendentia celebritatem ortus, quorum duo conveniunt omnibus quatuor in generali: quæ sunt sublimitas generis in principio. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Juda*: genus enim Judæ fuit nobilissimum, cui promissum est sceptrum regni et expectatio totius generis humani. *Juda*, inquit Jacob Patriarcha, *te laudabunt fratres tui*: et sequitur: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium*, Genes. XLIX. Celebritas nominis, quia *imposuit princeps eunuchorum ipsis nomina, Danieli Balthasar*; ad judicium enim majoris nobilitatis mutata sunt eis nobilitantia nomina quæ solum Chaldæorum nobilibus debebantur seu congruebant; Daniel enim dictus est Balthasar, quod interpretatur capillus capitis, quia sicut capillus fluit ex capite, sic ipse de genere regio, quod caput sui regni est, fluxit. Quod autem nobilibus hoc nomen quadret, ibidem cap. V habetur: *Balthasar rex fecit grande convivium*. Ananias autem dictus est Sidrach, quod interpretatur decor meus seu decus

mentum; quia tales in quibus decorus est aspectus digni sunt regio palatio: unde de David legitur I Reg. xvi, quod erat pulcher aspectu, decorusque facie, qui Sauli regi ministrabat. Misael autem dictus est Misach, quod interpretatur risus seu gaudium, quia jucundos ministros requirit regalis aspectus: hic est risus quo risit Sara nato Isaac, a quo descendit Misach, tam natione quam nominatione. Genes. xxi dicens: *Risum fecit mihi Dominus et quicumque audierit, corridebit mihi.* Azarias autem dictus est Abdenago, quod interpretatur auxilium Domini, quia tales cum quibus est auxilium Dei, sunt digni regna gubernare, ut possint dicere: Auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram. Psalm. cxx, ubi et David, cum quo auxilium Dei fuit. Et sic patet, quod mutatio nominum istorum ostendit eorum celebritatem in ortu quia *nomen eorum erat a generatione in generationem.* Eccles. xliv. Ista duo dicta sunt communia omnibus quatuor. Duo sequentia sunt propria Danieli: alterum est comitatus virtutis quia habuit socios virtuosos, ut prædictum est, scilicet Ananiam, Misael et Azariam; talis enim comitatus decebat Danielem qui interpretatur Dei judicium in quo prudentia. Ipse enim judicium fecit de senibus qui accusaverant Susannam cap. xiii dicens: *Revertimini ad judicium*, scilicet Ananiam in quo scientia, quod interpretatur donum gratiæ Domini, quia solus dono gratiæ Dei habuit, quod verum judicium proferret, quia Danieli dedit gratiam et misericordiam Deus in eodem capite. Misaelem, quod interpretatur populus Dei, in quo justitia, quia judicium debet concomitari justitia, quia *justitia et judicium præparatio sedis tuæ*, Psalmista Psalm. lxxxviii. Azariam quod interpretatur Dei auxilium, in quo constantia, quia scriptum est: *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Eccles. vii. Et sic patet, quod celebritatem ortus Danielis, quod interpretatur judicium in quo prudentia, quia prudentia dat vocem, secundum illud Proverb. viii: *In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii.* Ostenditur comitatus virtutis continentiæ designatæ per Ananiam quod interpretatur donum gratiæ, quia continentia donum Dei est. Sapientiæ viii: *Et ut scivi, quod aliter non possum esse continens nisi Deus det.* Comitatus virtutis justitiæ designatur per Misaelem, quod interpretatur auxilium Domini, quia absque auxilio Domini nemo potest esse constans, quia nemo auxiliatur ei, Daniel. xi. Alterum quod Danieli proprie convenit, est gradus nobilitatis seu dignitatis: quia Danieli imposuit nomen Balthasar quod est nomen regium, sicut patet infra v cap. Et sequitur tertia pars principalis hujus capituli, cum dicitur, *Proposuit autem Daniel in corde suo*, in qua notatur sobrietas in victu: et illa signatur per quatuor: quia primo ostenditur habuisse Danielem constantiam in proposito cordis seu mente, in principio, *Proposuit ergo Daniel*, hoc est firmiter et constanter statuit, ne transgrederetur patrum mandatum, sicut etiam Rechabitæ non bibebant vinum, quia fuerat eis a Jonadab filio Rechab patre eorum imperatum, Jeremiæ xxxv. Vel forte alimentum et vinum erat idolis immolatum, quia scriptum est Ezech. xx: *In idolis Ægypti nolite pollui.* Secundo instantiam in sermone verborum, ibi, *Et rogavit Eunuchorum præpositum.* Tertio confidentiam in facto, ibi, *Tenta nos, obsecro, diebus decem*, vel ibi ante, *Et dixit Daniel ad Malasar.* Quarto evidentiam in signo, *Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores et corpulentiores.* Quantum ad primam partem, scilicet constantiam quam habuit in corde, nota quod duo impediunt parcitatem seu temperantiam: scilicet opulentia ferculorum et abundantia seu inundantia poculorum: et ideo: *Proposuit ne pollueretur de mensa regis* contra ferculorum opulentiam. Consueverunt enim in mensa regum fercula in magna opulentia ministrari: quibus imprecatur propheta dicens, Psalm. lxviii: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Item quod non pollueretur *de vino potus ejus*, contra poculorum affluentiam, quia luxuriosa res est vinum et tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur non erit sapiens, Proverb. xx. Quantum ad instantiam, quam habuit in sermone, nota primo Danielis petitionem, ibi, *Et rogavit*; secundo principis responsionem, ibi, *Et ait princeps:* Danielis petitio procedebat ex amore religionis, quod patet, quia vitabat transgressionem, et ideo *Rogabat Eunuchorum præpositum ne contaminaretur*, hoc est, ne dehonestaretur, ne corrumperetur, ne diceretur de numero eorum, contra quos loquitur, *Contaminaverunt Testamentum ejus, divisi sunt*, Psalm. liv. Quia habebat perfectio-

nem. *Qua dedit illi Deus gratiam et misericordiam*, ita ut posset dicere cum Apostolo : *Gratia Dei sum id quod sum et gratia Dei in me vacua non fuit*. I Corinth. xv. Responsio tamen principis procedebat ex timore damnationis : quod patet quia allegat regis institutionem dicens : *Timeo enim Dominum meum regem qui constituit vobis cibum*, de hoc supra eodem capitulo. Et constituit eis rex annonam ; formidat condemnationem, et ideo infert *Condemnabitis caput meum regi*, et sic *os meum condemnabit me*, Job. ix : Quantum ad confidentiam quam habuit de facto, notandum quod primo supplicat humiliter, *Tenta*, inquit, *nos obsecro servos tuos*. Ecce magna humilitas, quia de semine regio erat, ut dicitur supra eodem capitulo ; et tamen ut servus servum principis eunuchorum implorat humiliter, recolens illud Threnorum cap. v : Servi dominati sunt nostri. Tenax vero propositi, cupidus quod perficeret, quod a majore magistratu obtinere non poterat, a minori impetrare contendit, *Tenta nos*, inquit, *servos tuos*. Non temeritati hoc ascribendum est, sed fidei et credulitati, quod esu cibi vilioris, non tantum corpulentiam pollicetur, sed etiam tempus statuere fatetur. *Diebus*, inquit, *decem*. Postulat viriliter, *Dentur*, inquit, *legumina ad vescendum ; et aqua ab bibendum :* ecce virtus mirabilis omnem cibum eorum sibi amoveri, pro pulmento legumina, et pro vino postulat aquam sibi dari, dicens : *Dentur nobis legumina ad vescendum ;* nam *qui vescebantur voluptuose interierunt in viis*. Threnorum iv. Tunc quarto implorat hilariter. *Contemplare*, inquit, *vultus nostros*. Ecce quod ante blanditiis cum humilitate, nunc vero serenitate persuadere tentat ; quasi diceret : Vultus nostri non apparebunt macilentiores vultibus aliorum vescentium cibo regio, de quo supra eodem capitulo timuit princeps Eunuchorum, dicens : Timeo ego Dominum meum regem, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ ceteris etc. *Contemplare ergo vultus nostros quia vere apparebunt meliores et corpulentiores præ omnibus pueris qui vescuntur cibo regio*, sicut infra dicitur, eodem capitulo. Attentat opus et ita invenit finaliter : *qui audito sermone hujuscemodi tentavit eos diebus decem*, audita enim ista Malasar humili imploratione, vili postulatione, hilari supplicatione, confestim aggreditur probationem et *tentavit eos* juxta eorum petitionem *diebus decem* : sed Deus fecit cum tentatione proventum, I Corinth. x, quia *potens est, et eis qui tentatur auxiliari*, ut dicitur Hebræorum ii. Et ideo sequitur quarta pars, qua ostenditur evidentia in signo, cum dicitur : *Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores* quantum ad apparentiam decoris, *et corpulentiores* quantum ad existentiam virtutis et vigoris.

Pueris autem his dedit Deus scientiam. Ista est quarta pars principalis totius capituli, in qua ostenditur Danielem et ejus socios habuisse subtilitatem. *Pueris autem his*. Hoc habet tres principales, qui primo ostenditur prophetalis instructio ; secundo interseritur eorum regalis præsentatio seu intromissio, ibi, *completis* ; tertio concluditur eorum finalis terminatio in fine capituli, *fuit autem Daniel*. Prima habet quatuor partes. In prima enim ostendit Scriptura fuisse spiritum prophetiæ et intelligentiæ in ipsis, et præcipue in Daniele, quantum ad scientiam humanorum, in principio. In secunda quantum ad sapientiam divinorum, ibi, *In omni libro et scientia*. In tertia, quantum ad intelligentiam occultorum, ibi, *Danieli autem dedit Deus*. In quarta, quantum ad eloquentiam singulorum, ibi, *Cum eis locutus fuisset rex*. Quantum ad primam partem, nota quod scientia humanorum consistit in discretione materiali ; et quia hi habuerunt summam discretionem ad vitandum quicquid poterat eos impellere ad transgressionem legis divinæ ; præposuerunt enim luxuriæ continentiam, quia constituti sub principe Eunuchorum, ut supra eodem capitulo ; gulæ abstinentiam, quia proposuit in corde suo ne pollueretur de mensa regis, nec de vino potus ejus, ibidem supra : delitiis extollentiæ, legis custodiam, supra eodem capitulo. Rogavit principem Eunuchorum ne contaminaretur. *Dedit Deus pueris scientiam*, ut impletur illud Proverb. i. Detur parvulis astutia quantum ad tres, et adolescenti scientia et intellectus quantum ad Danielem. Hæc autem obtinuerunt, quia legis præceptum servaverunt. Levitici x : *Vinum et omne quod inebriare potest non bibetis, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et prophanum*. Disciplina vero consistit in promotione boni : et quia ipsi executi sunt quicquid faciebat ad promotionem boni, tam per orationem quam per affli-

nibus suis, ideo *Dedit eis Deus disciplinam* similiter cum David, quod in oratione petebat dicens, Psalm. cxviii : *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Bonitatem quantum ad affectum, disciplinam quantum ad effectum. Quantum ad secundam partem, nota quod sapientia divinorum consistit in eruditione puerorum ; et quia isti specialiter Daniel intendebat, ad eruditionem pervenit, sicut patet in prosecutione somniorum et etiam visionum. Ideo *data est ei sapientia in omni libro*, scilicet in Chaldæorum Scriptura, in qua eorum sapientia continebatur, ut et lecta intelligerent et intellecta de eorum scientia eos erudirent, quia libri isti pueris aperti sunt, infra cap. vii : *Judicium sedit et libri aperti sunt* in degustatione æternorum. Et quia Daniel summe affectabat degustare æterna, eo quod *vir desideriorum* erat, infra cap. x, ideo collata est ei sapientia divinitus juxta illud, *Optavi et datus est mihi sensus, et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ*, Sapient. vii. Quantum ad tertiam partem, nota quod intelligentia occultorum consistit in revelationum divinarum reseratione ; et ideo, quia Daniel revelationes divinas ostensas per ænigmata et signatas reserabat, sicut patet Danielis vii de quatuor ventis et de quatuor animalibus monstruosis, dicitur quod dedit *Danieli intelligentiam omnium visionum* : cui dictum est infra x capitulo : *Daniel vir desideriorum, intellige verba quæ ego loquor ad te* ; cui ipse respondet eodem capitulo : *Domine, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ* ; et consistit in humanarum cogitationum perscrutatione. Et quia Daniel secreta cogitationum humanarum manifestabat, sicut patet infra ii cap., cum dixit regi : *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo* ; et etiam rerum futurarum eventum prævidebat ; ideo dicitur, quia *dedit illi Deus intelligentiam somniorum* : propter quod narrato somnio Nabuchodonosor, infra ii cap. ait : *Hoc est somnium, interpretationem quoque ejus dicemus coram te rex.* Quantum ad secundam partem principalem, in qua notatur eorum ad regem intromissio, quæ incipit ibi : *Completis itaque diebus*, repetitur temporis nutritionis ipsorum taxatio, cum dicitur *completis itaque diebus*, hoc est completo spatio triennii temporis (supra, eodem capitulo, ut enutriti tribus annis) ; concluditur regalis præsentatio, cum dicitur *introduxit eos præpositus Eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor* ; quia sic enutriti et eruditi stare debebant in palatio regis ; sic habetur supra in eodem cap. ; et infra : *et steterunt in conspectu regis*. Quantum ad quartam partem, nota quod eloquentia singulorum, de quibus homo requiritur, consistit in sagaci verborum expressione. Et quia isti sagaciter, quicquid rex sciscitatus est ab eis, exprimebant, ideo dicitur, quod *omne verbum sapientiæ*, ut possent dicere : *Eructavit cor meum verbum bonum*, Psal. xliv. In vivaci expressione ; et quia isti vivaciter exprimebant, ideo dicitur, et quod non tantum *Verbum sapientiæ, sed et intellectus* ; quia *Dominus intellectum dat parvulis*, Psal. cxviii, quales isti erant. Quantum ad finalem terminationem Danielis, quod notatur, cum dicitur : *Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis*, intelligendum, quod fuit usque ad primum annum, qui regnavit tribus annis ; anno scilicet tertio, quo una regnavit cum Dario, sicut patet in principio capituli decimi, ubi dicitur quod anno tertio regni Cyri regis Persarum verbum revelatum est Danieli.

Pro moralitate personæ potes notare, et si vis scientiam acquirere, oportet te habere continentiam castimoniæ, quia tali dicitur, Proverb. ii : *Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea quæ mollit sermones suos* : abstinentiam parcimoniæ, quia talibus dicitur, Levit. ix : *Vinum, et omne quod inebriare potest, non bibetis, ut habeatis scientiam discernendi.* Observantiam legis divinæ, quia de tali dicitur Malachiæ ii, *labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Habeas ergo continentiam ob amorem castitatis, quia talis est castimoniæ : abstinentiam per rigorem austeritatis, quia talis est parcimoniæ : observantiam per fervorem charitatis, quia talis est legis divinæ : et sic scientiam a Deo finaliter obtinebis, ut possis dicere cum sapiente, Sapient. vii : *Dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram.*

Notandum, quia solet dubitari, quis Joakim fuit iste, sub quo facta est captivitas. Sed dicendum, quod fuit filius Josiæ, sicut patet in explicatione litteræ,

in principio capituli. Item de vasis similiter dicendum, quod pars vasorum remanserat in prima captivitate, et illa nunc asportaverat. Item quod pueri apparuerunt corpulentiores ; dicendum quod hoc fuit factum miraculose ; quod innuit facta intentio puerorum.

CAPUT II.

In anno secundo regni Nabuchodonosor. In hoc secundo capitulo ponitur secunda facies, et pars secunda totius libri principalis, quæ est pars executiva ; in qua ostenditur præeminentia regni Christi et justorum, ad regnum Antichristi et reproborum, per decursum decem visionum, quarum numerus et significatio habita est in principio, sicut ante fuit dictum.

Circa primam visionem, quæ est de statua illa magna, per lapidem abscissum de monte sine manibus communita etc., quatuor sunt notanda ; scilicet causa originalis, finalis, materialis, formalis. Causa autem efficiens seu originalis principalis hujus visionis fuit instinctus Spiritus sancti ; sed causa impetrativa fuit puerorum oratio seu devotio, et concors humiliatio. Causa finalis fuit, ut Dei potentia panderetur , ut Daniel sublimaretur, rex humiliaretur, et Dei populus consolaretur ; ita quod est ibi finis sub fine. Causa autem materialis est statua ex diversis metallis et testa composita : per quæ omnia significatur totius mundi transitus et mutatio, seu successio quatuor regnorum, principatuum scilicet Chaldæorum, Medorum, Græcorum et Romanorum, usque ad tempora Christi, qui per lapidem abscissum sine manibus significatur. Ita quod per caput aureum illius statuæ significabatur regnum primum Assyriorum, quod fuit ditissimum ; per cubitos vero regnum secundum, quod studio sapientiæ et eloquentiæ insistebat plurimum, et conjunctum erat ex Medis et Persis, quasi duobus brachiis. Per ventrem vero et femora, regnum Græcorum, quod in loquendo habuit sonoritatem, æs enim inter omnia metalla est sonorius. Per ferrum vero regnum Romanorum, quod destruxit omnia alia regna, sicut ferrum domat omnia. Pedum vero erat quædam pars ferrea, quædam fictilis, quia imperium Romanorum in orientale et occidentale fuit divisum. Forma vero consistit in divisione capituli, quod in quinque partes dividitur ; quia primo narratur revelatio somnii in principio ; secundo mysterii requisitio ibi, *Præcepit ergo rex ;* tertio reseratio mysterii, ibi : *Tunc Daniel requisivit de lege ;* quarto repetitio verbi, ibi : *Et post hoc Daniel ingressus est :* quinto revelatio populi, ibi, *Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam.*

Quantum ad primam partem, in qua tangitur revelatio somnii, tanguntur quatuor : scilicet honor prælationis, in principio ; tenor ostensionis, ibi : *Vidit Nabuchodonosor ;* tenor confusionis, seu afflictionis, ibi : *Conterritus est spiritus ejus :* error oblivionis, ibi : *Et somnium ejus fugit ab eo.* Quantum ad primam partem, dicit, quod *anno secundo Nabuchodonosor*, majoris filii magni Nabuchodonosor : quod non est intelligendum quantum ad originem, quia, quando interfecit Joakim regem Juda, jam regnaverat septem annis ; quia anno quarto regis Joakim super Judam cœpit regnare Nabuchodonosor in Babylone, et anno octavo regni Joakim eum tributarium sibi fecit, et undecimo anno, quia rebellatum, ipsum interfecit, ut dicit historia IV Reg. XXIV et II Paralip. XXXVI ; et ideo, quod dicitur hic, non potest intelligi de secundo anno regni ejus quo ad originem, sed quo ad omnium regnorum subjugationem, qui secundum Andream, fuit tertius a captivitate Ægypti et transmigratione Judæ. Et ideo dicit ei infra Daniel, Tu rex regum es. Dicto igitur secundo anno *Vidit Nabuchodonosor somnium ;* ubi ostenditur tenor ostensionis. Dicitur autem *Vidit* quia visio fuit, qua res, quæ postea evenit, in somnio ostensa fuit. Somnium autem dicitur, quia sub tegmine et velamine figurarum fuit ei, quod futurum erat, ostensum. Unde dicitur infra, eodem capitulo : somnium tuum, et visiones capitis tui in cubili tuo hujuscemodi sunt etc. Et sequitur tertia pars, in qua notatur tenor confusionis, *Et conterritus est Spiritus ejus ;* quia forte intellexit destructionem regni sui in somnio futuram : et ideo dicit infra confestim : *Vidi somnium et mente confusus ignoro quid viderim ;* et ideo statim sequitur error oblivionis ; *Et somnium ejus fugit ab eo*, quia ad terrorem sequitur error et oblivio, ut homo non habeat etiam verbum loquendi : unde infra dicit rex : sermo recessit a me, nisi indicaveritis mihi somnium etc.

Quantum autem ad secundam partem

principalem, in qua notatur requisitio mentalis, notantur tria; quia primo ponitur somnii inquisitio, ibi: *Præcepit ergo rex*; secundo sapientum increpatio, ibi: *Certe scio quod tempus redimitis*; tertio eorumdem sapientum condemnatio, ibi: *Quo audito rex in furore etc.* Quantum ad primum, primo nota, quod ad somnii interpretationem vocavit convocari sapientes, ibi: *Præcepit ergo rex ut convocarentur harioli etc.* Qui quadruplicis generis sunt: scilicet harioli in aris vaticinantes, sicut Balaam de quo legitur Num. xxiii, qui dixit Balac, ædifica mihi septem aras. Magi præcipui astronomi in astris conjecturantes inter Chaldæos. Matth. ii, dicunt Magi: *Vidimus stellam ejus in oriente*. Malefici idem sunt quod venefici mentes hominum alterantes, formas rerum immutantes, sicut dicitur Exod. vii, quod cum virga Aaron versa fuit in colubrum, vocavit Pharao sapientes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per incantationes suas Ægyptiacas et arcana quædam similiter: et Chaldæi, qui sunt generaliter omnes de Angelis sermocinantes seu eloquentes, seu in aliqua facultate instructi, de quibus dicitur supra i cap.: *Ut doceret eos litteras et linguam Chaldæorum*. Secundo nota regis allocutionem, ibi: *Et dixit rex ad eos*; in qua continetur triplex interrogatorium, et triplex responsorium una conclusione conclusum. Ita quod rex primo quærit cum simplici confessione, et abnegatione scientiæ, ibi: *Vidi somnium*; secundo addita eorum responsione cum feroce comminatione sævitiæ, ibi: *Nisi indicaveritis*; tertio cum multiplici promissione substantiæ, ibi: *Si autem somnium et conjecturam*; et juxta hoc interponitur sapientum primum responsorium: quia primo respondent se ignorare visionem regis, ibi: *Responderunt regi Syriace*; secundo respondent se ignorare interpretationem visionis, ibi: *Responderunt*; tertio impletionem facti, ibi: *Respondentes Chaldæi coram rege*. Quantum ergo ad primum interrogatorium, quo rex quærit cum simplici abnegatione scientiæ, dicit: *Vidi somnium et mente confusus ignoro quid viderim*: confitetur enim se ignorare visionem, ut tamen audiret ab alio quid esset id quod viderit, cognosceret verum esse ejus interpretationem; quia sicut Gregorius *Homil.* i *super Ezech.* cum Daniel somnio regis ordinem diceret, quidquid ex eo venturum sequebatur apparuit: et ideo ad hoc aperiendum vocari fecit plurimos, ut quod per se non possent singuli, juvantes complerent universi: et ideo vocari fecit supradictos sapientes, quibus dixit: *Vidi somnium*. Et confestim subjungitur eorum responsio in qua se confitentur ignorare visionem regis, cum dicitur: *Responderunt regi Syriace*, id est more Syriaco; primo bona regi imprecando, cum dicitur: *Rex in sempiternum vive*, quia hic est modus bona imprecandi regibus dicendo, Vivat rex, juxta id, III Reg. i: *Et dixit omnis populus, Vivat rex Salomon*; secundo ad interrogata per modum investigatorum respondendo, cum dicitur: *Dic somnium servis tuis, et interpretationem ejus indicabimus*, cum tamen somnii relatio esset veritatis interpretativæ probatio; quia sicut dicit Gregorius *Homil.* i *super Ezech.*, non solum ab eis interpretationem somnii, sed etiam somnium quæsivit, ut nimirum ex præterito colligeret quid in eorum responsionibus de futuro etiam constaret. Et sequitur secundum interrogatorium, in quo rex quærit cum feroci comminatione sævitiæ, cum dicitur: *Et respondit rex et ait: sermo recessit a me*. Sermo, inquit, recessit a me; et hoc dicit quia somnium ejus fugit ab eo, ut dicitur supra eodem capitulo. Secundo sævam sententiam comminatur: *Nisi*, inquit, *indicaveritis mihi somnium*; in quo ponitur sævitiæ titulus, cum dicitur: *Nisi indicaveritis mihi somnium*, qui titulus includit scilicet somnii repetitionem, cum dicitur: *Nisi indicaveritis mihi somnium*, ut dictum est supra, vidi somnium et mentem confusus ignoro quid viderim: et somnii expositionem, cum dicitur *conjecturam ejus*, pro qua conjectura spondet immediate infra dicens: *Si autem somnium et conjecturam narraveritis, præmia et dona et honorem multum accipietis a me*. Secundo sævitiæ effectus, cum dicitur: *Peribitis vos et domus vestræ publicabuntur*. Nunc ostenditur duplex effectus; quia primo comminatur corporum destructionem, cum dicit, *peribitis vos*; de quo dicitur infra eodem capitulo, quod ad hanc sævitiam quærebantur Daniel et socii ejus ut perirent; secundo comminatur rerum direptionem seu confiscationem, cum dicitur *et domus vestræ publicabuntur*, id est confiscabuntur, hoc est in potestatem regiam redigentur, quia fiscus est bursa regia in defensionem reipubli-

cæ a quo bona ipsi tradita publice per præconem venalia exponuntur, et inde recte publicari dicuntur, juxta illud Esdræ VI : *Dixit rex Darius : A me decretum est ut omnis homo, qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo sua, et erigatur et configatur in eo, et domus ejus publicetur.* Et sequitur tertium interrogatorium in quo quærit cum multiplici promissione substantiæ, cum dicitur : *Si autem somnium et conjecturam ejus narraveritis*, de quo supra dixi vobis, quod nisi somnium et conjecturam ejus indicaveritis, peribitis, et domus vestræ publicabuntur ; si tamen narraveritis *Præmia*, id est pro præmio, *et dona et honorem multum accipietis a me.* Nota quod promittit eis duplex præmium pro duplici certificatione qua certificari petebat; nam quærebat certificari de somnio, et pro hac certificatione promittit præmium opulentiæ seu affluentiæ divitiarum, cum dicit, *præmia*, id est pro præmio, *et dona.* Talia sunt dona, de quibus Eccles. XX : *Xenia et dona excæcant oculos judicum.* Item quærebat certificari de conjectura ipsius somnii, et ipsius interpretatione et probatione ; et pro hac certificatione promittit excellentiam prælationum, cum dicit, quod non tantum pro præmio accipietis dona, sed etiam honorem multum, id est excellentiam qua aliis prælati eritis. Et quod hoc ita intelligatur, patet per effectum consequentem Danielem pro somnii revelatione, et ipsius interpretatione, infra eodem capitulo in fine ; ubi dicitur, quod tunc post interpretationem somnii rex Danielem in sublime extulit, et munera multa et magna dedit ei ; quantum ad honorem et excellentiam prælationis eo quod ei dedit Dominus honorem servitutis, ut dicitur infra XIII cap. Item munera multa et magna dedit ei, quantum ad dona et opulentiam divitiarum : pro earum receptione, inf. V cap., respondit Daniel Balthasar regi : *Munera tua sint tibi et dona domus tuæ alteri da.* Et sequitur secundum responsorium sapientum, in quo ostendunt se ignorare interpretationem visionis, cum dicitur : *Responderunt secundo atque dixerunt, rex somnium dicat servis Suis ;* ubi notandum, quod primo responsorio tenuerunt modum imprecationis dicentes. *Rex in sempiternum vive :* Nunc vero tenent modum sublimationis et humiliationis dicentes : *Rex somnium dicat servis suis*, ut qui placare non poterant bona imprecando, placarent saltem ipsum extollendo, et se ipsos humiliando, humiliter respondendo. *Responsio mollis frangit iram*, ut dicitur Prov. XV. Ubi duo faciunt ; primo quia petunt veri revelationem, cum dicunt : *Rex somnium dicat servis suis ;* in quo manifeste confitentur se ignorare somnium visum, de quo infra ; dicunt enim regi, *Non est homo rex super terram qui sermonem tuum possit implere.* Secundo promittunt veri expositionem, quando dicunt : *Et interpretationem ejus indicabimus :* cum tamen, sicut dixi supra, somnii revelatio esset veritatis interpretativæ probatio : et ideo, secundum Gregorium, non solum ab eis interpretationem somnii, sed etiam somnium quæsivit, ut nimirum ex præterito colligeret, si quid verum in eorum responsionibus de venturo certum tenerent. Posita autem sapientium vocatione, et regis allocutione, per quam quæritur somnii reseratio et ipsius interpretatio, sequitur pars in qua ponitur, habita duplici responsione, Regis increpatio, cum dicitur : *Certe scio quod tempus :* in qua facit duo ; quia primo increpat eos imponendo eis quod quærant temporis dilationem, ibi : *Certe scio quod tempus redimitis*, id est dilationem quæritis, facientes juxta illud Apostoli Ephes V : *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Hoc autem imponitur, quod faciebant propter duo ; scilicet quærebant dilationem, utrum reciperet somnii recordationem ; et ideo dicit : *Scientes quod sermo recessit a me*, hoc tamen non scitis per propriam investigationem seu divinam revelationem, sed per meam relationem, qui vobis dixi supra, sermo recessit a me, et jam quæritis dilationem, ut veniam ad ejus recordationem. Secundum autem, propter quod quærebant dilationem, ut eis impositum fuit, est : tum quia intendebant ad ipsius deceptionem componendo falsam somnii expositionem. Propter quod dicit : *Si ergo somnium non indicaveritis mihi*; de quo dixi vobis, quod si non indicaveritis mihi, peribitis vos et domus vestræ publicabuntur : *Una est de vobis sententia*, hoc est unum sciendum de vobis : *quod interpretationem fallacem* quantum ad oris prolationem, quia *lingua fallax non amat veritatem*, Prov. XXVI, *et deceptione plenam* quantum ad mentis conceptionem, quia *hæc est humanæ vitæ deceptio*, Sapient. XIV, *composueritis*, id est finxeritis : unde infra XIII

cap. Dan. de Susanna et de ipsis senibus qui tenuerunt falsam relationem : [illegible] Secundo inducit eos ad somnii relationem, cum dicit : *Somnium itaque dicite mihi*. Ubi facit duo ; quia primo petitionem scilicet proponit, cum dicit : *Somnium itaque dicite mihi*, de quo supra dixi vobis. Vidi somnium et mente confusus ignoro quam viderim ; secundo rationem petitionis exponit, *ut sciam quod interpretationem quoque ejus veram loquamini* ; quia prioris relatio est sequentis probatio. *Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quod interpretationem ejus quoque veram loquamini*, ut cum dixeritis somnium dicere possim : *Verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus*, infra eodem capitulo. Sequitur secunda pars : in qua ponitur sapientum tertia responsio, in qua ostendunt se ignorare impletionem facti, cum dicitur : *Respondentes ergo Chaldæi coram rege dixerunt*. Ostendunt autem se ignorare impletionem facti, quod rex exigit ab eis, tum quia est supra facultatem humanæ conditionis, propter quod dicunt : *Non est homo, rex, super terram qui sermonem tuum possit implere*, quia res sunt difficiles quas tu quæris, et ideo non potest homo eas explicare sermone, quia *cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*, Ecclesiast. I, tum quia est contra consuetudinem regiæ inquisitionis ; propter quod addunt : *Sed neque regum quisquam magnus et potens, verbum hujuscemodi sciscitatur ab omni hariolo, et Mago, et Chaldæo*, quia gloria Dei est celare hoc verbum, licet *gloria regum sit investigare sermonem*, Proverb. XXV ; tum quia est contra ordinem mundanæ cognitionis ; et ideo subjungunt : *Sermo quem tu quæris, rex, gravis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis* : ac si dicant, non est hoc secundum ordinem fabricæ mundanæ quod sermo iste gravis, sicut tu quæris, per hominem indicetur ; quia *sermo quem tu quæris potestate plenus est*, ut dicit Eccles. VIII, quia id est proprium divinæ cognitionis : et ideo adjungunt : *Exceptis diis quorum non est cum hominibus conversatio*. Attribuebant autem dæmonibus divinitatem, de quibus Psal. XCV : *Omnes dii gentium dæmonia*. Et sic patet quod ipsi excusando se, accusant regem quasi reprehendendo ipsum de calliditate, eo quod quærit ab eis quod est supra facultatem conditionis humanæ, quod est contra consuetudinem inquisitionis regiæ, quod est contra communem ordinem potestatis mundanæ, cum sit cognitionis divinæ, ac per hoc impossibile. Et sic confestim procedit ad prolationem crudelis sententiæ, cum dicitur : *Quo audito rex in furorem versus*, ubi ponitur sapientum condemnatio. Ubi notanda sæva indignatio, cum dicitur : *Quo audito rex in furorem versus in ira magna*. Hæc est ira et furor seu indignatio de qua Proverb. XVI : *Indignatio regis nuncii mortis* ; et ideo ex indignatione in furorem versus, et in ira magna propter duram responsionem eorum, quia *sermo durus suscitat furorem*, Prov. XV, et quia *ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*, Prov. XXVII ; ideo confestim sequitur sæva promulgatio, cum dicitur : *Præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis*, sicut supra dixerat eodem capitulo, *Peribitis vos, et domus vestræ publicabuntur* ; et ideo statim sequitur sæva executio, cum dicitur : *Et egressa sententia sapientes interficiebantur*. Hæc est promulgata sententia regis, unde quærebantur juxta edictum regis ut interficerentur : de qua sententia infra quærit Daniel eodem capitulo, ob quam causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa.

Et sequitur pars tertia principalis totius capituli. In quo notanda reseratio totius mysterii, cum dicitur, *Nunc Daniel requisivit de lege*. Ubi Daniel facit quatuor ; quia primo requirit regem differre pœnam. Ubi tangitur Danielis diligens requisitio, cum dicitur : *Tunc Daniel requisivit de lege atque sententia*, id est quæ conditio esset posita sapientibus, ob quam novo impetu mortem subirent. Requisivit ipse Daniel, quia *qui requirunt Dominum animadvertunt omnia*, Prover. XXVIII ; et ideo ipse hæc omnia diligenter quæsivit : et sermonis propalatio, cum dicitur, *Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli*, cui Danieli dixit rex infra eodem, Putasne vere potest mihi indicare somnium quod vidi, et interpretationem ejus ? Humilis supplicatio, cum dicitur : *Daniel ingressus rogavit regem* : ex consuetudine enim habebat ut se humiliaret, sicut supra cap. I habetur quod rogavit Eunuchorum principem. Secundo recurrit ad mentis devotionem, cum dicitur : *Et ingressus est domum*. Ubi primo tangitur secreta recollectio, cum dicitur : *Et ingressus est*

domum suam : nam qui vult recurrere ad mentis devotionem, habet ingredi domum per secretam recollectionem. De tali dicitur Eccles. IV : *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Secundo discreta consultatio, cum dicitur, *Indicavit Ananiæ, Misaeli et Azariæ sociis suis negotium*, ut scilicet commune periculum communis oratio amoveret, qua tres, infra III capite, orantes a fornace ignea sunt liberati : ubi Ananias stans oravit sic, *Benedictus es Domine etc.* Tertio aperitur postulatio, cum dicitur, *Ut quærerent misericordiam a facie Dei :* quia scriptum est, Ps. CIV : *Quærite et confirmamini, quærite faciem ejus, Ut quærerent,* inquam, *misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto*, id est sententiæ revelationem, quia quærebatur Daniel et socii ejus, ut perirent. Quarto recipit divinam inspirationem, cum dicitur, *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est*, ubi tangitur primo status principalis ipsius conditionis, cui facta est inspiratio, quia tum Daniel de se loquitur tamquam ero more Hebraico, sicut Moyses dicebat, Exod. XXXVI, et dixit Dominus ad Moysen. Hic est Daniel cui dedit Deus intelligentiam omnium visionum et somniorum, ut dicit I capite supra. Secundo modus et tempus revelationis ipsius visionis, quia, *Mysterium per visionem nocte revelatum est :* qui dicit infra regi eodem capitulo : *sed est Deus in cœlo revelans mysteria.* Quinto assurgit ad gratiarum actionem, cum dicitur, *Et benedixit Dominum cœli, et ait.* Hoc enim consuetum erat a sanctis patribus, scilicet referre gratiam de receptis beneficiis. In gratiarum autem actione primo recognoscit Dei magnificentiam, cum dicitur : *Sit nomen Domini benedictum a sæculo, et usque in sæculum*, id est a tempore, quod non est æternum, magnificetur, juxta illud : *Et nomen Domini benedictum ex hoc nunc, et usque in sæculum*, Ps. CXII. Recognoscit autem Dei magnificentiam attribuendo ei quicquid attribuitur humanæ industriæ : et ideo dicit, *quia sapientia et fortitudo ejus sunt*, quia omnis sapientia a Domino Deo, et cum ipso fuit semper, Eccl. I. *Et fortitudo*, quia de cœlo fortitudo est, I Mach. III. Quicquid attribuitur mundanæ influentiæ et ideo dicit, *Ipse mutat tempora et ætates*, quia *ab Omnipotente non sunt abscondita tempora*, Job XXXIII. Quicquid attribuitur casui seu fortunæ, cum dicit : *Transfert regna et constituit*, quia ei inclinata sunt regna, juxta illud, Psal. XLV : *Conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna.* Secundo recognoscit Dei munificentiam, quia largitur ne ea quæ in mundo fiunt, industriæ humanæ vel influentiæ mundanæ vel casui seu fortunæ attribuantur. Quicquid fit sapienter et fortiter ab omnibus, quod videtur esse industriæ : quicquid mutatur in naturalibus, quod videtur esse influentiæ : quicquid variatur in regnis et rebus, quod videtur esse casus seu fortunæ, totum attribuit divinæ providentiæ humanorum, et sapientium divinorum ; et ideo dicit etiam, *Dat sapientiam sapientibus :* et ideo dicit Eccles. LI : *Danti mihi sapientiam dabo gloriam* ; scientiam humanorum ; et ideo dicit, *Scientiam intelligentibus disciplinam*, supra I cap. Pueris autem his dedit scientiam et disciplinam in omni libro et scientia ; intelligentiam occultorum, et ideo dicit, *Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est.* Revelat, inquam, profunda et abscondita humanæ industriæ ; ipse enim revelat profunda de tenebris, Job XII : *Novit in tenebris constituta.* Humanæ intelligentiæ, quia ipse novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt ; et lux cum eo est divinæ sapientiæ, quia *ipse lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ*, I Joan. I. Eloquentiam singulorum, et ideo dicit, *Tibi Deus patrum nostrorum confiteor etc.*, et ideo confitebor Domino nimis in ore meo, in medio multorum laudabo eum, Psal. CVIII, quare te laudo quia dedisti mihi *sapientiam*, in elucidatione ænigmatum, visionum, et somniorum, quia tu sapientiam præstas parvulis : et ideo confiteor tibi Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis, Matth. VII ; *fortitudinem*, in perpessione laborum et periculorum, et ideo fortitudinem meam ad te custodiam, Psalm. LVIII. *Et sermonem regis aperuisti mihi*, de quo ejus sapientes responderant quod non esset homo super terram, qui sermonem ejus posset implere, supra eodem cap.

Et sequitur quarta pars principalis totius capituli, in qua tangitur repetitio seu relatio visionis, cum dicitur : *Et post hæc Daniel ingressus ad Arioch.* Ubi facit quatuor per ordinem ; nam primo reprimit regis indignationem in principio ; secundo allicit ad mentis attentionem, cum dicit, *Et respondens Daniel coram re-*

est; tertio aperit regi visionem, ibi, *Somnium tuum*; quarto disserit ejus interpretationem, ibi, *Interpretationem quoque ejus dicemus coram te rex*.

In prima parte facit quatuor; quia primo Daniel ad eum, cui data fuerat crudelis sententia fiducialiter ingreditur, cum dicitur, *Et post hæc Daniel ingressus est ad Arioch*, hoc est post gratiarum actionem, ut petitio ejus in gratiarum actione innotesceret apud Deum, secundum Apostoli præceptum, Philipp. iv. Ingressus est ad principem, ad Arioch principem quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis. Secundo eumdem prudenter alloquitur, cum dicitur: *Sapientes Babylonis ne perdas*, de quibus dictum est supra, quod præcepit rex ut perirent omnes sapientes Babylonis etc. Tertium facit, quia primo tegit mali ipsius malitiam, cum dicitur *sapientes Babylonis*. Deinde præcepit rex ut dictum est, quod perirent. Captat benevolentiam, cum dicit, *introduc me*, nam principem eum facit gratiæ quam solus habere poterat, ut ejus benevolentiam captet, de quo dicitur, *Confestimque eum introduxit ad regem*. Promittit veram interpretationem, ibi, *et solutionem*. Quarto festinanter ad regem introducitur, ibi, *Tunc Arioch festinus introduxit Danielem*. Ubi primo notanda Danielis præsentatio, cum dicitur, *Tunc introduxit Danielem*; secundo introducitur status, seu conditio, ibi, *quia inveni hominem de filiis transmigrationis Juda*, de quibus præceperat rex supra cap. i quod introducerentur de filiis Israel, inter quos interfuerunt de filiis Juda Daniel et cæteri. Tertio causa introducendi et ratio, quia *qui solutionem regi annuntiet*, sicut promisit supra eodem cap.: *Et solutionem regi narrabo*. Quarto audacter a rege requiritur, ut dicitur, *respondit rex, et dixit Danieli cujus nomen erat Balthasar*. Supra i cap. habemus quod princeps Eunuchorum imposuit eis nomina Danieli Balthasar etc. Dixit autem ei *putasne potes mihi indicare somnium?* de quo supra eodem cap. dixit frequenter sapientibus Babylonis, somnium igitur et interpretationem ejus indicate mihi. Quia ergo Daniel per dictam promissionem, quod scilicet diceret somnii solutionem, repressit regis indignationem, confestim conatur ipsum allicere ad mentis attentionem, cum dicitur, *Respondit Daniel coram rege*. Reddidit autem ipsum attentum propter tria; tum quia id de quo quæritur certificari, est occultum humanæ sapientiæ; et ideo dicit, *Mysterium quod rex interrogat*. Sic autem explicat, ut se et alios excuset, quia de hoc humanæ sapientiæ sit impossibile respondere, et ideo *mysterium*, id est occultum. *Vobis*, ait Christus, *datum est nosse mysterium*, Matth. xiii. Tum quia est arduum et absonum eloquentiæ mundanæ, et ideo *Sapientes magi et harioli et haruspices*, non sapientes ut cæteri, quia scriptum est Isaiæ xxix: *Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur*, quia *sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, eo quod Deus fecit stultam sapientiam hujus mundi*, I Corinth. i. Nomina alia exposita sunt superius, excepto haruspices, qui inter certa spatia in aere designata, quæ ipsi vocant templa, ex volatu avium in sapientia illa facta futura cognoverunt. Tamen quia hoc est proprium divinæ providentiæ, ideo dicit, *Sed est Deus in cælo revelans mysteria* de quo dixi supra, quod ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est. *Hic autem indicavit tibi rex Nabuchodonosor quæ ventura sunt in novissimis temporibus*; quæ cum sapientes tui tibi nequeunt indicare, sicut dixit supra immediate, ista tria multum debebant ipsum reddere attentum. Et quia indicaturus erat ei Daniel quod erat humanæ sapientiæ occultum, et mundanæ eloquentiæ absonum, et divinæ providentiæ proprium, ideo confestim aperit regi suam visionem cum dicitur: *Somnium tuum et visiones capitis tui*, ubi sic procedit; quia primo narrat ei secretum suæ cogitationis, cum dicit, *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo quid esset futurum post hæc*, quia cogitando videt homo quid agendum sit vel non: cogitavi, ait postea, dies antiquos. Secundo narrat instinctum divinæ inspirationis, cum dicit, *Mihi quoque non in sapientia quæ est in me plus quam in cunctis viventibus sacramentum hoc revelatum est*, quia *sapientia hominum non est mecum*, Proverb. xxx. Tertio refert ei visionis ordinem cum dicit, *Tu rex videbas*. In revelatione autem visionis sic procedit; quia primo dicit quod visio ipsa incussit regi terrorem: et ideo dicit: *Tu rex videbas et ecce quasi statua una grandis, statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis*, nam ejus magnitudo erat, quia *grandis*; ejus altitudo quia

sublimis ; ejus fortitudo, quia *contra te* qui fortis es inter reges ; ejus pulchritudo, quia *terribilis* incussit tibi terrorem grandem, quia visio ostensa opus grande videbatur, I Paralip. XXIX. Opus enim grande est, neque homini præparatur habitatio. Secundo quod præostendit ei quemdam honorem, quia *hujus statuæ caput erat ex auro etc.* cujus expositio patet. Tertio incussit stuporem, quia *videbas ita donec lapis abscissus*, cujus expositio patet. Quarto concludit rigorem, quia *lapis iste factus est mons magnus et implevit universam terram*, cujus expositio patet etiam.

Sequitur secunda pars : et ponitur somnii interpretatio seu explicatio, cum dicitur : *Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex.* Ubi primo laudat ejus prælationem, dicens, *Tu rex regum es*, hyperbolice loquitur, quia in sola orientali mundi plaga regnabat. Secundo explicat ejus defectionem. *Tu es caput aureum, et post te consurget regnum aliud*, ergo tu deficies, sed erit *minus te*, idest minus dignitate, sicut argentum indignius auro. *Tertium, vero, aliud regnum æreum*, quantum ad dignitatem sed latius, *imperabit universæ terræ*, minus tuo regno quantum ad dignitatem, sed latius imperabit ; sic patet quod tempore Alexandri regnum græcorum latius imperavit ; quod fuit significatum per æs sonorum, quia Græci in eloquentia multum claruerunt ; postea consurget quartum regnum, quod reget in virga ferrea, domando omnia, sicut patet de regno Romanorum ; sed regnum illud habebit quamdam partem debilem, quamdam fortem ; utraque tamen surget ex virtute dominantium, sicut ex plantario ferreo, pedes fictiles et ferreos exire vidisti. Tertio manifestat regni Christi promotionem, cum dicitur : *In diebus illis suscitabit Deus cœli regnum*, quia hoc regnum omnium sæculorum cujus dominatio in omni generatione et generationem. Quarto indicat regni Christi permansionem, quia *consumet universa hæc et ipsum stabit in æternum*, quia in æternum non dissipabitur, ut dicitur supra immediate.

Et sequitur quinta pars principalis totius capituli, in qua tangitur revelatio populi : in qua primo regis superbia reprimitur et humiliatur, ibi, *Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam.* Secundo divina potentia panditur seu manifestatur, ibi, *Loquens ergo rex.* Tertio pauperis sapientia erigitur seu exaltatur, ibi, *Tunc rex Danielem sublime extulit.* Quarto mœstitia populi solatur seu consolatur, ibi, *Daniel autem postulavit a rege.*

Quantum ad totum capitulum, nota quatuor argumenta litteralia. Et est primum, quod menti curiosæ ingerunt se gratis somnia, sicut patet hic de Nabuchodonosor, quod ex vehementi imaginatione eorum, quæ post ipsum erant futura, somniavit exterminium sui regni, quia *multas curas sequuntur somnia*, Eccles. V. Secundum est quod omnis humana sapientia confitetur se ignorare futura, sicut patet hic de sapientibus Babylonis, dicentibus, Non est homo, rex, super terram qui sermonem tuum possit implere : et Daniel ait, Mihi quoque non inest sapientia quæ in me est plus, quam in cunctis viventibus ; sed sacramentum hoc revelatum est : et infra, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt, nec ego, supple, nec alius homo. Tertium est, quod modus est nunciorum, quod quicquid fortunæ aut prosperitatis casu se offert, sibi attribuant, ut eorum industriæ imputetur : quia sicut patet hic de Arioch, qui dicit se Danielem reperisse, qui regi solutionem somnii indicaret, cum tamen ipse Daniel per sese obtulerit non vocatus. Quartum est, quod dona et honores possunt recipi ab infidelibus, si tamen aliqui fructus spirituales sperantur inde sequi ; ut patet hic quod Daniel permisit se a rege honorari, et etiam munera ab eo receperit.

Dubia possunt esse tria. Primo cum dicat, quod anno secundo regni sui vidit Nabuchodonosor hoc somnium, cum tamen anno ad minus tertio fuerint pueri introducti. Respondetur, quod anno secundo subjugaturæ, qua subjugaverat sibi tam Judæos quam Gentiles, et fuit monarchia totius partis orientalis, vidit hoc somnium ; pueri autem fuerant anno tertio, regni scilicet, introducti. Secundum dubium est, quomodo poterat certus esse de somnio, cum nihil de ejus memoria remansisset. Dicendum, quod in hoc differt memoria a reminiscentia : quia in memoria est plena retentio specierum : reminiscentia autem est, quando specie deleta, retinetur aliquod vestigium speciei, per quod homo venit in recordationem rei pristinæ, per aliqua ab aliquo audita, et ex hoc recordatur se audivisse, et tale vestigium in ipso remanserat

Tertium dubium est. Utrum fides sit somniis adhibenda; quia ubi multa sunt somnia, multæ sunt vanitates. Dicendum, quod somnia contingunt quinque modis : aliquando ex nimia evacuatione, sicut in infirmis; aliquando ex nimia repletione, sicut in crapulosis; aliquando ex vehementi imaginatione, sicut in phantasticis; aliquando ex diabolica illusione, sicut in luxuriosis; et nulli istorum modorum fides est adhibenda. Quinto autem fit, seu contingit somnium ex Spiritus sancti revelatione, et tunc aliquid significat; et iste modo ultimo habet quinque differentias secundum Augustinum *de Spiritu et Anima*; quia aliquando in somno apparet aliqua persona sacra, indicans somnianti aliquod futurum, et tunc oraculum; aliquando in somnio est vera rei species, quæ postea est futura; et tunc dicitur visio; aliquando est res futura sub aliquo tegmine et velamine figurarum, sicut spicæ pro hordeis, et tunc dicitur somnium; aliquando ex magna attentione videntur in somniis aliqua divina, quæ postea eveniunt, et dicitur tunc insomnium; aliquando partim dormiens et partim vigilans homo aliqua intuetur, et tunc dicitur apparitio; quando aliquo istorum modorum fit, si tamen interpretatio sit a Deo, illi tunc fides est adhibenda.

Moralitates sunt tres de statua. Prima est, quod per statuam intelligatur quæcumque fictio humanæ simulationis, idest vita simulata, in qua caput aureum est operatio bona, de quo dicitur Ezech. c. vii. *Aurum eorum in sterquilinium erit*. Pectus argenteum, locutio sancta, de qua Isaiæ i. *Argentum tuum versum est in scoriam*. Venter æreus similitudo facta : æs enim compositum est ex auricalco, quod est simile auro, quod non est aurum sed metallum fœtidum, et ex stanno, quod est simile argento; per quod vita fœtida designatur; et de tali qui talem vitam ducit, dicitur Daniel. c. xiv. *Quod est intrinsecus luteum, foris autem æreum*; crura ferrea, obduratio ficta : quia quod fingit in corde suo, vult omnino tenere. Talium peccatum ut peccatum Judæ, *scriptum est stylo ferreo*, ut dicitur Jerem. xvii. Pedes qui partim erant ferrei, partim fictiles, sunt signum delectationis, quæ significatur per partem fictilem et luteam; et de talibus dicitur in Psal. ii. *Et tanquam vas figuli confringes eos*; et signum pertinacis excusationis designata per partem ferream, quia suam carnalitatem semper excusat pallio alicujus simulationis; contra quam dicitur Deut. xxviii : *Sit cœlum quod supra te est, æneum, et terra quam calcas ferrea*. Talis ergo est statua, per quam designatur vita ficta seu simulata, et de tali dicitur Genes. xix, quod versa est cum uxore Loth in statuam salis.

Secunda moralitas est, quod per caput intelligatur vanitas mundana, per pectus popularis fama, per ventrem temporalis vita, per crura sæcularis potentia, per pedes vero clericalis avaritia simul cum luxuria.

Tertia moralitas est de his qui non possunt cognoscere hujus statuæ fictionem; quia non harioli, per quos designantur sacerdotes simoniaci, et ideo *nec ab hariolis aliquid sciscitemini*, dicitur Levit. xix. Non Magi, per quos designantur vani philosophi; et ideo *non declinetis ad Magos*, Levit. xix. Non Chaldæi, per quos designantur collegia superborum, quia *non est solium filiæ Chaldæorum*, Isaiæ xlvii. Non malefici, per quos designantur jurisperiti, contra quos Salvator, Matth. xxiii. *Væ vobis jurisperiti qui tulistis clavem scientiæ : ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis*. Sed hanc cognitionem habet Daniel, per quem designatur confidentia veritatis; quia *qui confidunt in illum intelligent veritatem*, Sapient. iii. Et ideo Danieli data est intelligentia sermonum Daniel i. Sydrach, per quem designatur continentia puritatis; quia *qui continens est justitiæ, apprehendet illam et obviabit illi quasi mater honorificata*, Eccl. xv : et ideo Sydrach data est scientia et disciplina in omni libro et sapientia, Daniel i. Misach, per quem designatur consistentia æquitatis, quia *stabunt justi in magna constantia*, Sapient. v : et ideo Misach data est sapientia sicut ceteris ut supra : Abdenago, per quem designatur assiduitas humilitatis, quia *assidentem illam sororibus suis inveniet*, Sapient. vi : et ideo Abdenago obtinuit sicut et ceteri, ut supra.

CAPUT III.

Nabuchodonosor rex fecit statuam auream. Hic ponitur secunda visio quæ una post aliam ordinatur, secundum Hieronymum, ut sicut barbari per primam inducti sunt ad cognoscendum Dei poten-

tiam, ita cognoscerent per istam secundam alium Dominum non esse adorandum etiam metu mortis, per puerorum constantiam. Et licet hæc visio sit de se historica, et tamen prophetica propter finem; scilicet propter apparitionem Angeli Filio Dei assimilati, qui descendit ad liberandum pueros de fornace, in quo visio tangit personam Christi. Et ostenditur in totali hac visione præeminentia regni Christi et justorum ad regnum Antichristi et reproborum.

Causa autem efficiens seu originalis hujus visionis est instinctus Spiritus sancti, sicut in prima visione, habitus ex humilitate puerorum, patientia et tribulatione. Causa finalis est, ut Dei magnalia promulgarentur : unde dicitur circa finem, quod Nabuchodonosor dixit : *Signa et mirabilia fecit apud me Deus*, ut Sidrach, Misach et Abdenago exaltarentur : unde dicitur infra ibidem, quod *tunc rex promovit Sidrach, Misach et Abdenago in provincia Babylonis*, et per consequens Dei populus consolaretur. Causa materialis est statua aurea, puerorum constantia, ardens fornax et Angelus liberans. Notandum tamen quod licet hoc factum fuerit totum reale, corporale seu visibile, quantum ad erectionem statuæ aureæ et puerorum punitionem, ac per hoc historicum; fuit tamen visio etiam quid propheticum propter apparitionem ad puerorum liberationem. Causa vero formalis tangitur in modo describendi et dividendi hanc visionem; quæ talis est. Nam hæc visio describitur ad modum cujusdam judicialis sententiæ; et habet tres facies seu tres partes; quia primo ponitur puerorum condemnatio maligna in principio. Secundo eorum liberatio benigna, ibi, *Et ambulabant in medio flammæ*. Tertio eorum exaltatio condigna, ibi, *Tunc rex Nabuchodonosor obstupuit*.

Circa condemnationem malignam et indignam, tria facit Scriptura; quia primo notat causam litigii in principio. Secundo formam judicii, ibi, *Statim in ipso tempore ascendentes*. Tertio pœnam supplicii, ibi, *Tunc Nabuchodonosor repletus furore*. Circa primum, scilicet causam litigii quæ fuit, quia pueri noluerunt statuam erectam seu factam a Nabuchodonosor adorare, facit Scriptura quatuor. Primo ponit statuæ constitutionem seu constructionem in principio. Secundo statuæ promulgationem, ibi, *Itaque Nabuchodonosor misit*. Tertio statuæ dedicationem, ibi, *Tunc congregati sunt Satrapæ*. Quarto statuæ adorationem, ibi, *Post hoc igitur statim ut audierunt*. Circa constitutionem seu constructionem statuæ notandum primo quæ causa principalis, fuit enim humana celebritas, quia dicitur, quod *Rex Nabuchodonosor fecit*; hic est enim Nabuchodonosor qui summum prosperitatis locum inter homines assecutus, quia *rex regum*, ut dicitur supra II cap. Et cui dedit Deus cœli regnum et fortitudinem, imperium et gloriam et omnia in quibus habitant filii hominum. Improbe autem speciale divinitatis amplexus est initium, quod supra, Omne id quod Deus est extolletur, ut dicitur infra eodem cap., dicens : Et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea? quasi diceret, nullus hujusmodi est; ergo humana celebritas fuit causa principalis. Secundo notandum quæ causa materialis, quæ fuit mundana prosperitas; et ideo dicitur, quod *Fecit statuam auream*; nam quia ipse *magnis superfluitatibus abundabat*, quia, ut dicitur supra II cap., sub ditione ejus, idest potestate, tunc universa constituit, et ideo ipse significatur per caput statuæ aureæ, ut ait Daniel supra II cap., *Tu es, rex, caput aureum*, eo quod regnum ejus fuit affluentissimum : volens ostendere suæ affluentiæ abundantiam, statuam fecit auream. Tertio nota quæ causa formalis; quæ fuit sublimitas hujus statuæ. Et quantum ad proceritatem, quia altitudine sexaginta cubitorum; et quantum ad capacitatem, quia latitudine cubitorum sex, ut perfectionem Deitatis habere videretur, voluit quod ejus proceritas decies sex et capacitas sex haberet, quia senarius est numerus perfectus constans ex suis partibus aliquotis, quia ex uno duobus et tribus, quæ unitas sexies sumpta reddit senarium, dualitas ter sumpta similiter, ternarius bis sumptus similiter, unum duo tria sumpta simul similiter. Eodem modo denarius est primus numerus in quo status est, et ideo dicit perfectionem; propter quod sub his duobus numeris ipsius formam voluit terminari. Quarto nota quæ causa finalis, quæ fuit immanis solemnitas : et ideo, *Statuit eam*, idest erexit, *In campo Duram provinciæ Babylonis*. Duram est fluvius juxta quem Gigantes ædificaverunt turrim, ubi est campus Sennaar, de quo legitur Genes. XI, quod *invenerunt campum Sennaar*; et sequitur, Et dixerunt : *Faciamus nobis civitatem et turrim cujus culmen pertingat usque ad cœlum*

In campo ergo isto statuit dictam statuam per idololatriam adorandam, sicut dicitur infra eodem cap.: *In hora qua audieritis etc. Cadentes adorate statuam auream quam constituit Nabuchodonosor rex.* Quantum ad promulgationem ipsius statuæ, nota regis celsitudinem; quia cum dicitur, *Itaque Nabuchodonosor misit etc.* Hic est Nabuchodonosor rex Babylonis, qui venit Jerusalem et obsedit eam, ut dicitur supra I cap.; quia in eo ostenditur ejus valitudo, celsitudo seu fortitudo: plebis multitudo, quia *Misit ad congregandos Satrapas*, idest consiliarios, quia Satrapæ sunt personæ sapientes, sicut dicit Papias. De istis dicitur Esther III, quod scriptum est ut miserat Aman ad omnes Satrapas. *Magistratus*, qui sunt consules, quorum nutibus ordinantur communitates; de quibus dicitur Nehem. VII: *Congregavi optimates et magistratus*. *Judices*, quibus judiciaria potestas erat commissa ad puniendum maleficos, infra VIII cap.: *Constituti sunt duo senes judices*. *Optimates*, magna super omnes prædictos præditi potestate, sicut senesquallus vel senescallamus; unde dicitur III Reg. II, quod Jezabel scripsit literas et misit eos ad optimates qui erant in civitate. *Duces*, qui præsunt potissime exercitibus; unde dicitur Jud. primo: *Quis ascendet ante nos contra Chananæum et erit dux belli? Tyrannos*, idem quod rex, nisi quod tyrannus sævit voluntate, rex justitia æquitate et necessitate: unde dicitur Job XXXV: *Propter multitudinem calumniatorum clamabunt et ejulabunt propter vim brachii tyrannorum. Præfectos*, sunt tribuni vel qui prætoria præsunt potestate, ut dicit Papias, vel inter principes provinciarum primus. Unde dicitur supra II cap. quod rex Danielem in sublime extulit, et constituit eum super omnes provincias Babyloniæ principem et præfectum. *Principes*, sunt ratione dignitatis seu ordinis, quia primo loco seu dignitatem vel substantiam capiunt, ut dicit Papias: unde dicitur Prover. XXVIII, quod propter peccata populi multi principes, idest multi substantiam populi capientes. Omnis autem ista multitudo convocata est, *ut convenirent*, idest simul in unum venirent. Psalm. II: *Convenerunt in unum. Ad dedicationem*, idest ad strenationem; quod idem est, quod initiatio. In qua notatur statuæ adoratio: unde nos habemus dedicationem, Hebræi habent strenationem, quia prosternebantur coram ipsa statua ante adorationem, sicut dicitur infra eodem cap., si quis non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem. Quantum ad statuæ dedicationem, ponitur adunatio vocatorum, ibi, *Tunc congregati sunt Satrapæ*, quorum expositio dicta est supra. Promulgatio præceptorum, ibi, *Et præco clamabat valenter*, idest potenter vel fortiter; sicut enim invalidus dicitur debilis, ita valens dicitur fortis. Ordinatio agendorum, ibi, *Vobis dicitur populis*, idest commorantibus in civitatibus, *tribubus*, idest diversis familiis ejusdem populi, unde dicuntur duodecim tribus populi Israel; *linguis*, idest commorantibus in diversis terris. Comminatio tormentorum, ibi, *In hora qua audieritis sonum tubæ*. Ponitur tuba primo, quia instrumentum judiciale I Thess. IV: *Et in tuba Dei descendet de cælo*, loquens de die judicii; *fistula*, instrumentum pastorale; *cythara*, instrumentum est quod plectro tangitur; *sambucæ*, instrumentum de bucca a rusticis dicitur, et fit ut in pluribus de sambuco, quod est lignum aptum ad perforandum, colligatum tamen in utre. *Psalterium*, instrumentum est magnatorum quod plectro tangitur, et est ut in pluribus decem chordarum, Psalm. CXLIII: *In Psalterio decachordo psallam tibi. Simphonia* instrumentum utraque parte concavum pelle tectum, quod virgulis ferreis ducitur. *Si quis autem his omnibus supradictis auditis, non prostratus adoraverit*, idest cadens in faciem super terram, *mittetur in fornacem ignis ardentis*. Quantum ad statuæ adorationem ponitur instrumentorum sonitus, cum dicitur: *Post hoc igitur statim ut audierunt*; adorantium strepitus, cum dicitur, *Cadentes omnes populi*, sicut præceptum erat supra eodem cap., *Vobis dicitur populi etc.* Patet ergo quæ fuit causa litigii inter regem et inter pueros; quia statuæ aureæ constitutio, promulgatio, dedicatio et adoratio.

Et sequitur pars in qua habita et posita causa litigii, ostenditur forma judicii, cum dicitur: *Statimque in ipso tempore*. Ubi primo ponitur Chaldæorum accusatio, ibi, *Statimque in ipso tempore*. Secundo accusatorum citatio, ibi, *Tunc Nabuchodonosor in furore*. Tertio citatorum responsio, ibi, *Respondentesque Sidrach, Misach et Abdenago*. Circa accusationem Chaldæorum nota primo eorum conspirationem insidiosam, cum dicitur:

Statimque in ipso tempore; nam invidia tempus et opportunitatem quærit nocendi, et tunc nec nocte, nec somno, nec inertia retardatur si tempus nocendi se offerat. Et ideo Scriptura hæc duo posuit, scilicet statim et in ipso tempore, cum tamen unum sufficere posset ad exprimendam festinantiam: *accedentes*, ad regem subaudi. *Chaldæi*, hoc est indigneæ, accusaverunt Judæos indigne ferentes sibi fuisse præpositos advenas et captivos, quos constituerat rex super omnia opera Babylonis Sidrach, Misach et Abdenago, ut dicitur supra II cap., contra quos ipsi nunc insidiose conspirabant. Secundo nota eorum supplicationem malitiosam, cum dicitur: *Dixeruntque regi, rex in æternum vive*, bona regi imprecantur ut eum facilius ad vota sua inclinent, quia hæc est supplicatio malignatorum, scilicet vivat rex, ut patet III Reg. I, ubi dicitur; *vivat rex Salomon*. Tertio nota eorum repetitionem perniciosam, cum dicitur: *Tu rex posuisti decretum*: ubi repetunt regi omnia quæ jusserat fieri ad solemnitatem statuæ dedicandæ, sicut patuit supra. Quarto nota eorum allegationem calumniosam, cum dicitur: *Sunt ergo viri Judæi quos constituisti super opera Babylonis*: et ex hoc apparet eorum calumnia, quia allegant ipsorum promotionem, quia eos constituit rex super opera Babylonis. Et in hoc concluditur Chaldæorum accusatio.

Et confestim sequitur accusatorum citatio, cum dicitur: *Nabuchodonosor in furore*, qui contemnebant ipsius cultum, quia, deos tuos non colunt, et ipsius jussum, quia, statuam erexisti, allegant ipsorum punitionem, quia aliis prælati; rebellionem, qui ingrati erant et rebelles. Circa citationem autem ipsorum, nota primo ipsorum advocationem, cum dicitur: *Tunc Nabuchodonosor in furore et ira*, hic succensus ira cum voce clamosa et anhelo spiritu, ut dicitur supra quod auditis sermonibus sapientum Babylonis rex in furore versus et in ira magna præcepit, ut perirent omnes sapientes Babylonis, ita et in furore et ira præcepit, *Ut adducerentur Sidrach, Misach et Abdenago*. Secundo nota ipsorum allocutionem, cum dicitur: *Pronuncians que Nabuchodonosor rex ait, Verene, Sidrach etc.*, quasi diceret, estne hoc verum quod hos, scilicet *Deos meos non colitis*, nec secundum id scilicet facitis, quod *statuam auream*, quam adorandam statui, sicut præcepi supra, quod si quis prostratus non adoraverit mittetur in fornacem ignis ardentis, hanc *Non adoratis?* Et ideo statim sequitur tertio, et notanda eorum admonitio, cum dicitur: *Nunc ergo sitis parati*, idest ex nunc ego oretenus vobis præcipio, sicut vobis per præconem fuerat promulgatum, sitis ergo parati, *Quacumque hora audieritis*, expositum est. Et post admonitionem concluditur quarto condemnatio, cum dicitur: *Quod si non adoraveritis, mittemini in fornacem*, sicut supra fuit cautum lege et decreto est de potestate mea sancitum. *Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea?* quasi diceret, nullus. Et ideo id solum debetis colere in cujus totaliter estis potestate. Et in hoc concluditur accusatorum citatio.

Et ideo statim sequitur eorum responsio, cum dicitur, *Respondentesque Sidrach, Misach et Abdenago*. In qua responsione ostenditur primo ipsorum prudentia, cum præmittitur, *Non oportet nos de hac respondere etc.*, quia scriptum est: Non respondeas stulto juxta stultitiam suam. Secundo ostenditur eorum confidentia, cum dicitur: *Ecce Deus noster*. Dicunt, licet nobis non sit necessitas respondendi, tamen respondemus tibi: *Ecce Deus quem colimus potest nos eripere*, quia hic est Deus noster et non æstimabitur alius adversus eum, Baruch III. Tertio notanda eorum constantia, cum dicitur: *Quod si noluerit*, hoc est, si Deus noster propter peccata nostra nos liberare noluerit, scias nos esse ita constantes, *quod Deos tuos non colimus*; quia ex præcepto Dei nostri habemus, *Non habebis Deos alienos*, Exod. XX. Et in hoc concluditur citatorum responsio.

Et sequitur pars in qua tangitur pœna supplicii, cum dicitur: *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore*, in qua Scriptura notat quatuor. Primo regis indignationem, cum dicitur: *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore*, sicut adversus contumaces et rebelles regiæ jussioni: *Et aspectus faciei immutatus est*, ut priori dissimilis appareret, quia *cor hominis immutat faciem ejus, sive in bono sive in malo*, Eccles. XIII. Secundo legis promulgationem, cum dicitur: *Et præcepit ut succenderetur septuplum*, idest multo plus, ut excessu pœnali fornacis terrerentur. *Et viris fortissimis*, qui resistentes vel de auxilio Dei confidentes, quem potentem ad liberandum assere-

bant figuræ facilius possent, ita ut possent dicere, irruerunt in nos fortes (Psal. lviii) : *Juncti et ligatis pedibus*, ut nec fugere nec resilire valerent. Hic dicit Josephus quod Daniel fuit in fornace cum tribus pueris positus ; quod patet expresse esse contra textum, quia Nabuchodonosor non nisi tres alloquitur, infra eodem cap., cum dicit, Nonne tres viros ? Tertio legis executionem, cum dicitur : *Et confestim viri illi vincti cum bracis*, ita ut nullam in spoliando moram facerent, quia *jussio regis urgebat*, hoc est, jubebat : *Braca* genus est pallioli quo Persarum Chaldæorumque gens utitur. Quarto Dei miserationem seu vindicationem, cum dicitur : *Porro viros illos*, viros inquam fortissimos quibus jusserat, ut eos in fornace ponerent, *Interfecit flamma ignis*, ut non solum miraculo rex pertimesceret, sed et sui exercitus damnarentur, quia Fortis ultor Dominus reddens retribuit, Jer. li. *Viri autem hi tres*, gratia Dei mirabilis : ardent vincula, incombusta manent eorum corpora, et ambulant in medio ignis compediti.

Sequitur secunda pars principalis totius cap., in qua tangitur liberatio benigna, cum dicitur : *Et ambulabant in medio flammæ* ; ubi nota quod divinitus præservati ambulabant illæsi in medio flammæ et ardentis fornacis : unde dicere poterant : Si ambulavero in medio tui Jerusalem, et super iram inimicorum meorum extendes manum, Psal. xxxvii. *Laudantes Deum et benedicentes Dominum*. In quo Scriptura tangit tria, quæ solent recognoscere a tribulationibus liberati ; scilicet commendationem supernæ æquitatis in principio : Condescendentiam paternæ bonitatis, ibi, *Et non cessabant qui miserant eos* ; collaudationem æternæ majestatis, ibi, *Tunc hi tres quasi ex uno ore*.

Circa commendationem supernæ æquitatis notat Scriptura quatuor : quia Azarias commendat supernam æquitatem dans Deo honorem, ut facilius et efficacius impetret veniam. Et ideo primo exaltat Dei justitiam in principio. Secundo implorat ejus clementiam, cum dicitur : *Ne quæsumus tradas nos*. Tertio allegat Dei misericordiam, ibi, *Et nunc sequimur te*. Quarto invocat ejus liberatricem potentiam, cum dicitur : *Et erue nos in mirabilibus tuis*. Primo autem extollit ipsius justitiam quantum ad evidentiam nominum : quia in commendationem supernæ æquitatis ponit tria nomina, scilicet, *Benedictus, laudabilis, gloriosus*, quia ab his tribus commendandus est a creaturis ; nam quia creator est benedicendus, et ideo dicit, *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum*, Lucæ primo, Benedictus Dominus Deus Israel, quantum ad creationem ; quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ, quantum ad recreationem. Quia gubernator et conservator, est laudandus ; et ideo, *laudabilis*, quantum ad conservationem ; magnitudinis ejus non est finis ; quantum ab gubernationem. Quia consummator et remunerator, est glorificandus : et ideo, *Gloriosum nomen ejus*, quia nomen ejus gloriosum quantum ad consummationem ; et terribile, quantum ad remunerationem, Deut. xxviii, Nomen ejus gloriosum et terribile. Secundo extollit ipsius justitiam, quantum ad efficaciam operum, asserens Dei justitiam exercitatam in ipso et sociis suis justo affectu ; et ideo dicit, *Justus es in omnibus quæ fecisti in nobis*, quia justus Dominus et justitiam dilexit, Psal. x. Justo effectu, quia *Universa tua opera vera*, quia *opera manuum ejus veritas et judicium*, Psal. cx. Justo aspectu, et ideo, *Omnia judicia tua vera*, quia *judicia Domini vera justificata in semetipsa*, Psal. xviii. Eorum despectu, quia *Induxisti hæc omnia propter peccata nostra*, quia, *Peccavimus cum patribus nostris et inique egimus, iniquitatem fecimus*, Psal. cv. Ad despectum autem eorum tria pertinent. Primo ipsorum transgressio ; ideo, *Peccavimus enim et inique egimus recedentes a te*, de quo Levitic. xx, *Custodite præcepta mea*. Secundo punitio commissorum ; et ideo, *Omnia ergo quæ induxisti, in vero judicio etc.* ; unde, induxisti nos in laqueum, Psal. lxv. *Et tradidisti nos in manibus inimicorum*, quia aliquando bonos per malos Deus affligere consuevit. *Et regi injusto*, Nabuchodonosor scilicet qui iniqua sententia innocentes pueros crudelissimæ morti adjudicaverat, *Et pessimo*, idest impiissimo, qui non solum idololatra, sed et alios ad idololatriam acerbarum pœnarum minis compellebat : si quis enim prostratus non adoraverit statuam, in eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis, supra eodem cap. Tertio confusio ; et ideo, *Confusio et opprobrium facti sumus*, confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium, operuit ignominia facies nostras, quia *venerunt*

alieni super sanctificationem domus Domini, Jer. LXXXI.

Cum autem secundo implorat Dei clementiam, ostendit quatuor Scriptura, cum dicitur : *Ne quæsumus tradas nos* ; quia primo allegat divinam indignationem, cum dicitur : *Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum*, sed *exurge Domine adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum*, Psal. XLIII. Secundo allegat antiquam fœderationem, cum dicitur : *Et ne dissipes testamentum tuum* ; testamentum, inquam, quod disposuit ad Abraham, et juramentum scilicet ad Isaac, et statuit illud Jacob in præceptum et Israel in testamentum æternum, Psal. CIV. Tertio inflictam vexationem, cum dicitur : *Quia, Domine, imminuti sumus plus quam omnes gentes*, quia, *Domine, omnes gentes venient coram te, et glorificabunt nomen tuum*, Psal. LXXXV. *Et nobis non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum. Holocaustum pro peccato non postulasti*, Psal. XXXV. *Neque sacrificium neque oblatio*, quia *sacrificium et oblationem noluisti*, Psal. XXXIX. *Neque incensum*, quia *incensum abominatio est tibi*, Isaiæ I. Quarto etiam propriam contritionem, cum dicitur : *Sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur*, quia, *sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies*, Psal. L.

Cum autem tertio allegat Dei misericordiam, cum dicitur : *Et nunc sequimur te*, quatuor facit : quia primo allegat cordis affectum, cum dicit, *Et nunc sequimur te in toto corde*, dicentes (supple) *in toto corde meo exquisivi te*, Psal. CXVIII. Secundo mentis aspectum, cum dicit, *Et quærimus faciem tuam*, sicut dicit, Psal. CIV. *Quærite faciem ejus semper*. Tertio suum defectum, cum dicitur : *Ne confundas nos*, sed confundantur qui ostendunt servis tuis mala, infra confestim. Quarto Dei misericordiam, cum dicitur : *Sed fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam*, ut possimus dicere, *vere supervenit mansuetudo et corripiemur*, Psal. LXXXIX.

Cum autem quarto invocat liberatricem Dei potentiam, ibi : *Erue nos*, tria facit ; quia primo petit divinorum operum ostensionem, cum dicitur : *Erue nos in mirabilibus tuis*, ut unusquisque dicat, *Mirabilia opera tua et anima mea cognoscet nimis*, Psal. CXXXVIII. Secundo petit persecutorum correctionem, cum dicitur : *Confundantur qui ostendunt servis tuis mala. Confundantur ergo omnes inique agentes supervacue*, Psal. XXIV. Tertio petit inimicorum conversionem, cum dicitur : *Et robur eorum conteratur, et sciant quia tu es Dominus Deus solus*, et scient quia vere tu Dominus, *tu solus altissimus super omnem terram*, Psal. LXXXII. Et sic patet in liberatione benigna istorum puerorum commendatio supernæ æquitatis ; quia ab ipsis exaltatur Dei justitia, imploratur ejus clementia, allegatur ejus misericordia, invocatur ejus potentia. Posita ergo commendatione supernæ æquitatis.

Sequitur condescensio paternæ bonitatis, cum dicitur : *Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem* : ubi Scriptura notat quatuor. Primo ministrorum incendium, ibi : *Et non cessabant qui miserant eos succendere fornacem*, quia rex præcepit ut succenderetur fornax septuplum quam succendi consueverat, supra eodem cap. : et ideo non cessabant ut jussionem regis implerent : *naphta*, idest ossibus olivarum, in quibus remanserat aliquid pinguedinis, ut essent ad fomentum igneum magis apta ; naphta enim, ut dicit Papias, est genus fomenti quo incendia nutriuntur apud Persas, vel ossa olivarum qui projiciuntur cum amurca. Secundo notat Chaldæorum excidium, ibi : *Et effundebatur flamma cubitis quadraginta novem*, ut erumperet, vehementi enim ministratione fomenti ignis flamma effusa est super fornacem cubitis quadraginta novem ; *incendit, enim, quod reperit juxta fornacem de Chaldæis*, quia, *Ipsi incendebant sanctuarium Dei, polluebant templum*. Psal. LXXVIII. Tertio Angelorum præsidium, ibi : *Angelus autem Domini descendit cum Azaria* ; quia secundum Hieronymum, oppressa variis molestiis anima hominis desperans de auxilio, et ad Dominum tota mente conversa præsidio angelico liberatur, quia, *Immittet Angelus in circuitu timentium eum et eripiet eos*, Psal. XLIII. *Et excussit flammam ignis et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, idest ventum refrigerantem, ut ardorem ignis refrigeraret eos, juxta illud Eccles. XVIII. *Nonne ardorem refrigerabit ros?* quasi diceret, imo, sicut patuit in istis. Quarto puerorum remedium, ibi : *Et non tetigit eos ignis*, juxta illud Isaiæ XLIII, *Cum ambulaveris in igne non combureris, et flamma non ardebit in te*. Et per hoc patet quod in liberatione benigna

paternum fuit condescensio paternæ bonitatis, propter ministrorum incendium, Chaldæorum excidium, Angelorum præsidium, Puerorum remedium. Et ideo ostendit condescensionem paternæ bonitatis.

Sequitur pars in qua tangitur exaltatio æternæ majestatis, quæ est laudis confessio, et gratiarum actio, cum dicitur: *Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant Dominum*. In qua Scriptura notat tria; quia, Primo laudant pueri liberati ipsum Deum quoad suam essentiam æternalem, ibi: *Tunc hi tres*. Secundo commendant ipsum quoad creaturam vitæ spiritualis, ibi: *Benedictus es qui intueris abyssos et sedes super Cherubim*. Tertio instigant ad ipsius laudem creaturam universalem ibi: *Benedicite omnia opera Domini Domino*.

Quantum ad laudem, quia laudant Dei essentiam æternalem, primo laudant ipsum in generali, cum dicitur: *Tunc hi tres quasi ex uno ore*, juxta id: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, Psal. XXXIII. Idest concorditer laudabant, scilicet ut conservatorem et gubernatorem, quia *laus ejus in Ecclesia sanctorum*, Psal. CXLIX. Benedicebant ut creatorem et recreatorem, quia *Benedictio et claritas et sapientia*, etc., Apocal. VII. Secundo laudant ipsum in speciali, ibi: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum*; et ibi Scriptura tangit quatuor, a quibus divina majestas laudatur, glorificatur et benedicitur. Primo ejus dominationis excellentiam, ibi: *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum*, quia tu es de quo dixit Moyses patribus nostris Deuter. X. *Deus Dominus noster ipse est Deus deorum et Dominus dominantium*. Secundo ejus nominationis præeminentiam, ibi: *Et benedictum nomen gloriæ tuæ quod est sanctum*, quia hoc est nomen de quo pater noster David canit: *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra*, Psal. VIII. Ergo *nomini tuo da gloriam, super misericordia tua et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum*, Psal. CXXXVII. Tertio ejus habitationis refulgentiam, ibi: *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ*, de quo templo iterum cantat Pater noster David: *In templo ejus omnes dicent gloriam*, Psal. XXVIII. Quarto ejus gubernationis providentiam, ibi: *Benedictus es in throno regni tui*, quia de hoc throno iterum cantat idem David, *Thronus tuus in sæculum sæculi; virga directionis, virga regni tui*, Psal. XLIV.

Quantum vero ad laudem quam commendant, quoad creaturam vitæ spiritualis, quæ ibi incipit, *Benedictus es qui intueris abyssos*, commendant primo ejus discretionis providentiam, quia scilicet discernit bonos a malis, cum dicitur: *Benedictus es qui intueris abyssos*, et hoc quoad dimissionem culparum et inflictionem pœnarum, quia *judicia tua abyssus multa*, Psal. XXXV. *Et sedes super Cherubim*; et hoc quoad intuitionem meritorum et retributionem præmiorum; propter quod David petebat, Psal. LXXIX: *Qui sedes super Cherubim veni et manifestare, excita potentiam tuam et veni ut salvos facias nos*. Secundo commendant ejus prælationis præeminentiam, cum dicitur: *Benedictus es in firmamento cœli*; et quia *altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est species cœli in visione gloriæ*, Eccl. XLV.

Quantum ad laudem ad quam provocant creaturam universalem, notandum, quod omnia invitantur ad tria; scilicet ad benedicendum ut creatorem, ad laudandum ut conservatorem, ad semper exaltandum ut consummatorem, sed aliter et aliter: quoad membra corporalia et bruta propter speciem, modum et ordinem; quoad hominem propter sensum, verbum et operationem; quoad mentem spiritualem propter memoriam, intelligentiam et voluntatem.

Primo autem præmittitur laus generalis omnium creaturarum, cum dicitur: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, quia scriptum est, Psal. CIII: *Quia magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti*. Secundo sequitur laus creatorum singularis seu specialis, cum dicitur: *Benedicite Angeli Domini Domino*; ubi hortantur ad laudem Dei omnia, a nobilioribus ad ignobiliora, a superioribus ad inferiora descendendo: et primo hortantur ad laudem creaturam mentem spiritualem, cum dicitur: *Benedicite Angeli Domini Domino*, quia scriptum est, Psalm. CII, *Benedicite Domino omnes Angeli ejus potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus*. Secundo mundum corporalem, cum dicitur: *Benedicite cœli Domino*. Et primo creaturas superiores in principio, *Benedicite cœli Domino*; secundo intermedias et inferiores, ibi, *Benedicite imber et ros*. Primo invitant ad laudes

creaturas cœlestes immobiles, sicuti cœlum Empyreum; et ideo dicitur : *Benedicite cœli Domino*, quia cœlum cœli Domino, et ideo *laudate Dominum de cœlis*, Psalm. CXLVIII. Et cœlum crystallinum, cum dicitur : *Benedicite aquæ quæ super cœlos sunt*, quia scriptum est : *aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*, Psalm. CXLVIII. Secundo creaturas cœlestes motrices, cum dicitur : *Benedicite omnes virtutes*; quia scriptum est, *Laudate eum omnes virtutes ejus*, Psalm. CXLVIII. Tertio creaturas cœlestes mobiles, cum dicitur : *Benedicite sol et luna Domino*. Circa quod primo tangit Scriptura earum ornatum, cum dicitur : *Benedicite sol et luna, benedicite stellæ*. Et secundo earum subjectum in hoc quod dicit, *cœli*; quia scriptum est, *laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum sol et luna; laudate eum omnes stellæ et lumen*, Psalm. CXLVIII. Tertio earum effectum, cum dicitur : *Benedicite imber et ros Domino; Benedicite omnes spiritus Dei Domino :* qui est triplex : quia primus provenit ex vaporum elevatorum a terra virtute solis abundanti humiditate; et hic est imber, quia cœli possunt dare imbres, Jerem. XIV. Secundum provenit ex vaporum elevatorum virtute solis abundante subtilitate, et hic est ros. Aggæi primo, prohibiti sunt cœli ne darent rorem. Tertius provenit ex vaporum elevatorum virtute solis abundanti siccitate, et hic est ventus vel spiritus; propter hoc dicit : *Benedicite omnes spiritus Domini Domino*, quia *spiritus procellarum faciunt verbum ejus*, Psalm. CXLVIII.

Quantum ad creaturas intermedias corporales, dicit Scriptura, *Benedicite ignis et æstus Domino :* ubi Scriptura ostendit, quod primo provocant ad Dei laudem duo elementa superiora et eorum impressiones, ibi, *Benedicite ignis*; secundo duo elementa inferiora et emissiones, ibi, *Benedicat terra Dominum*. Prima habet duas partes; quia primo provocant ad Dei laudem superius elementum et ejus effectum, cum dicitur : *Benedicite ignis et æstus*; secundo in medio elemento, scilicet aere multiplicem expressum effectum, ibi, *Benedicite frigus et æstas Domino*. Et quantum ad hoc primo tangit Scriptura impressiones factas in medio interstitio aeris virtute corporum supra cœlestium, habentes efficaciam, cum dicitur : *Benedicite frigus et æstas Domino :* et differt æstus et æstas : quia æstus est aer ignitus, juxta illud Apoc. VII. *Non cadet super illos sol neque ullus æstus*. Sed æstas est aer virtute solis inflammatus, et dicit differentiam temporis sicut hyems; æstus autem dicit differentiam impressionis; unde Genes. VIII : *Frigus et æstus, æstas et hyems, nox et dies, non requiescent*. Secundo tangit impressiones quæ non nisi infra nos sunt, cum dicitur : *Benedicite gelu et frigus Domino*. Tertio tangit impressiones quæ non nisi circa nos resident, cum dicitur : *Benedicite gelu et frigus Domino. Benedicite glacies et nives, nix, glacies quæ faciunt verbum ejus*, Psalm. CXLVIII. Quarto ponit temporis differentias, causas et effectum, cum dicitur : *Benedicite noctes et dies*. Ecce temporis differentias. *Benedicite lux et tenebræ*. Ecce differentiarum causas. *Benedicite fulgura et nubes*. Ecce duplicem effectum, quorum fulgur de nocte potissimum causatur, sed nubes potissimum de die elevantur.

Et sequitur pars in qua invitant duo elementa inferiora et eorum emissiones, cum dicitur *Benedicat terra*; et primo invitant terram et ejus germinationes in principio; secundo aquam et ejus derivationes, ibi, *Benedicite maria*. Primo provocant terram quantum ad situationem, cum dicitur, *Benedicite montes*; secundo quantum ad scaturitionem, cum dicitur : *Benedicite fontes*. Postea invitant mare et ejus derivationes cum dicitur : *Benedicite maria et flumina*, quia *omnia flumina intrant mare, et mare non redundat ad locum unde exeunt flumina*, Eccle. I.

Et sequitur pars in qua invitant ad Dei laudem creaturam sensibilem, cum dicitur, *Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis*. Primo invitant aquea animalia in principio, *Benedicite cete*, quia *creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerunt aquæ in species suas*, Gen. V, et ideo tenentur ad laudem. Secundo invitant aerea, ibi, *Benedicite omnes volucres cœli*, *volucres cœli et pisces maris*, Psalm. VIII. Conjungunt autem volucres, quia licet diversa capiant loca, tamen eamdem habent materiam, sicut patet Genes. I, quia materia utrorumque est aqua. Tertio invocant terrestria, ibi, *Benedicite omnes bestiæ et pecora*; et quia omnia sunt subjecta rationali creaturæ, juxta illud Psalm. VIII : *Omnia subjecisti sub pedi*

bus ejus, opus et homo universaliter, semper et per ejus tempus, valuerunt cæli et gratia naturæ, ideo immediate proveniunt ad Dei laudem creaturam rationalem, cum dicitur: *Benedicite filii hominum Domino*: et hoc habet duas partes: quia primo invitant omne genus hominum in generali cum dicitur: *Benedicite filii hominum*; sed quia homo cum in honore esset, non intellexit, descendit ad genus hominum electum in speciali, cum dicitur: *Benedicat Israel Dominum*, quia *Israel facta est potestas ejus*, Psalm. cxiii. Sed in populo electo sunt Prælati et subditi: ideo primo invitant immediate Prælatos, cum dicitur: *Benedicite Sacerdotes*, quia scriptum est Psalm. cxxxi: *Sacerdotes ejus induantur justitiam*. Secundo invitant subditos, cum dicitur: *Benedicite servi*: quia scriptum est: *Servite Domino in lætitia*, Psalm. xcix. Sed quia servitium Deo placere non potest nisi sit cum spiritus fervore, ideo statim adjungunt, *Benedicite spiritus et animæ justorum*; ut possint dicere cum Apostolo, I Corinth. xiv: *Psallam spiritu, psallam et mente*; sed quia fervor non potest esse sine reverentia et honore, ideo addunt, *Benedicite sancti et humiles*; quia *humilibus dat gratiam*, ut dicitur Jacobi iv. Sed quia tunc perfectum est opus cum redit ad suum principium, ideo quia a seipsis inceperant in seipsis finierunt, cum dicitur: *Benedicite Anania*; ubi benedicunt ipsum ut creatorem, laudant ut conservatorem, superexaltant[1] ut consummatorem, et finaliter recognoscunt ut liberatorem, quia liberavit eos de periculo pœnarum infernalium; et ideo dicunt: *Qui eripuit nos de inferno*: de periculo culparum mortalium, et ideo dicunt: *Et salvos fecit de manu mortis*, et ideo dicitur, *eripuit animam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu*, Psalm. cxiv; de periculo pœnarum corporalium, et ideo dicunt: *Et liberavit nos de medio ardentis flammæ, et de medio ignis*, ita quod *liberasti me a pressura flammæ quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus*, Eccles. ult.

Et sequitur pars in qua ponitur puerorum exaltatio condigna, quæ est pars tertia principalis totius cap., cum dicitur: *Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit*. In qua Scriptura notat quatuor: scilicet apparitionem Angeli in principio, approbationem miraculi, ibi, *Et Satrapæ congregati sunt*, acclamationem Dei, ibi, *Et erumpens Nabuchodonosor*, promotionem populi, ibi, *Tunc rex promovit Sidrach*.

Quantum ad apparitionem Angeli, nota primo regis admirationem cum dicitur, *Tunc rex obstupuit*: quia dicitur, *adducit consiliarios ejus in stultum finem et judices ejus in stuporem*, Job xii. *Et surrexit propere*, idest festinanter, ut videret miraculum. Secundo nota regis inquisitionem, cum dicitur: *Et ait optimatibus suis* illos interrogat quorum accusatione eos damnaverat, ut ex responsione eorum subjungitur. Tertio infert affirmationem ibi, *Ecce ego video quatuor viros solutos et ambulantes in medio ignis et species quarti similis filio Dei*. Hic autem soli Nabuchodonosor forte ostensus est, ut non sua potestate, sed divina virtute sciret esse pueros liberatos; et ideo quarto profert Dei commendationem cum dicitur, *Tunc accessit rex Nabuchodonosor*, qui infra dicit, ergo positum est hoc decretum.

Quantum ad approbationem, nota primo quod fuit ibi sapientium admiratio: et ideo præmittitur, *Et Satrapæ congregati sunt*, ut hi testes essent miraculi qui vocati fuerant ad puerorum promotionem supra eodem, Nabuchodonosor misit ad congregandos Satrapas. Secundo puerorum contemplatio; et ideo dicitur: *Contemplabantur viros istos*, scilicet de quibus rex dicit, nonne tres viros misimus in medio ignis? Tertio eorumdem illæsio; et ideo dicitur: *Quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum*. Sarabala sunt cruralia seu braccæ in lingua Chaldaica, secundum Hieronymum. Nec una pœnæ apparitio; et ideo dicitur, *Odor ignis*, idest vestigium aliquod in ipsis vel in eorum vestimentis non apparebat.

Quantum ad acclamationem Dei, nota regis exaltationem, cum dicitur: *Et erumpens Nabuchodonosor*, idest clamabat, *erumpe et clama*, ut dicitur ad Galat. iv. Dei benignitatem, cum dicitur: *Benedictus Deus Deorum Sidrach, Misach et Abdenago qui misit Angelum suum*. Ecce quem dixit supra similem Dei filio, nunc dicit esse Dei Angelum, de quo dictum supra quod fuit Angelus Domini cum Azaria. Regis constitutionem, cum dicitur: *A me ergo positum est hoc decretum*. Ecce viso miraculo vertitur decretum ado-

[1] Al.: « semper exaltant ».

rationis statuæ aureæ in decretum adorationis divinæ. Dei commendationem cum dicitur, *Neque enim est alius Deus qui ita possit salvare* : in quo approbat responsionem datam ei a pueris supra, cum ait eis : Et quis est Deus qui eripiat vos de manu mea ? qui responderunt : *Ecce enim Deus noster quem colimus potest nos eripere de camino ignis.*

Quantum ad promotionem populi tangitur primo puerorum prælatio, cum dicitur : *Tunc rex promovit Sidrach etc.* : ut supra fuerant super opera provinciæ constituti, nunc vero ad principalia sunt promoti. Secundo literarum delatio cum dicitur : *Nabuchodonosor rex omnibus populis :* hanc autem literam interserit, quia oportet habere testimonium ab his qui foris sunt. Tertio signorum promulgatio, cum dicitur : *Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus*, quia hic est Deus qui exaltatus est super omnes Deos.

Nota moralitatem ex statua ficta, aurea, alta, lata, erecta, dedicata, adorata ; in qua designatur nota simulationis, vitæ vel doctrinæ ; nam vita vel doctrina simulata est ficta, quia habet falsam puritatem ; est alta, quia habet falsam dignitatem ; est sita, quia habet falsam potestatem ; est lata, quia habet falsam pietatem seu charitatem ; est dedicata, quia habet falsam celebritatem ; est adorata, quia habet falsam majestatem. Simulatio ergo vitæ vel doctrinæ fictionem habet in his omnibus ; et ideo talis vita vel doctrina, non hominem, sed statuam et imaginem reddit : Psalm. LXXII. *Imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* In adorantibus notatur æmulatio ; adorant enim Satrapæ, idest nobiles aspirantes ad nobilitatem generis. Magistratus, idest consiliarii aspirantes ad familiaritatem principis, judices aspirantes ad auctoritatem judicis, duces aspirantes ad celebritatem nominis. Tyranni aspirantes ad cupiditatem muneris, quia principes dicuntur primo capientes. Hi omnes adorant sæcularem dignitatem seu imperialem potestatem, ne honores amittant, quorum exemplo subditi ad adorandam statuam faciliter inducuntur. Nam majores impellunt subditos per potentiam, doctores per falsam eloquentiam, regulantes per simulatam vitam.

In instrumentis notatur adulatio ; quia omnes prædicti sunt adulatores, et adulantes potentibus, secundum septem genera musicorum ; et quidam adulantur ratione timoris, qui significantur per tubam quæ incutit terrorem ; quibus dicitur Amos II, Morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ. Quidam ratione honoris, ut ambitiosi qui significantur per fistulam. Quidam ratione favoris, qui designantur per cytharam, ut simplices. Quidam ratione temporalis valoris, qui designantur per sambucam, ut simplices seu populares. Quidam ratione proprii amoris, ut propria diligentes, qui designantur per psalterium. Quidam ratione decoris, ut carnaliter viventes, qui significantur per symphoniam. Quidam ratione livoris, ut vindicare de hostibus appetentes, qui designantur per omne genus musicorum ; isti adulantur per omne genus musicorum principibus solum quod possint de hostibus vindicare.

In fornace et pueris notatur quæcumque tribulatio seu tentatio ; in fornace autem active, in pueris vero passive, quælibet autem, istarum duarum, tam fornax tribulationis quam tentationis, succenditur septuplum contra justos, priusquam eos Deus eripiat. Fornacem tribulationis succendentia sunt septem. Primum est adversitas in insidiis, idest de hostibus ; et de hac erepti sunt filii Israel, cum educti sunt de terra Ægypti : de quibus dicit Salomon, III Reg. VIII : *Populus enim tuus est, et hæreditas tua, quos eduxisti de terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.* Secundum est, asperitas in afflictionibus exterioribus : et de hac dicitur, Sap. III : *Tanquam aurum in fornace probavit illos.* Tertium est anxietas in vexationibus interioribus ; et de hac, Prov. XXVII : *Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ex ore laudantium.* Quartum est arduitas in difficilibus operibus. Quintum est auctoritas in præceptis fortioribus, Eccles. XXVII : *Vasa figuli probat fornax.* Sextum est austeritas in victu et aliis virtutibus. Jer. IX : *Maledictus vir qui non audierit verba pacti hujus, quod præcepi patribus vestris in die, quo eduxi eos de terra Ægypti, et de fornace ferrea.* Septimum est ferocitas in seditionibus, Eccl. XXVII : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* De tentatione Dan. III, *Præcepit ut succenderetur fornax septuplum.* Fornax vero tentationis succenditur septuplum contra justos, quia secundum septem capita septem sunt differentiæ tentationum. Prima est dubia de qua nescit homo quam eligat ; ex hac vidit Abraham ascenden

sam favillam de terra, quasi fornacis fumum. Gen. XIX; quia sicut de favilla terræ ignorat homo ad quam partem vadat, sic de tali tentatione. Secunda est occulta, de qua ignorat homo unde veniat; et de hac ascendit *fumus putei abyssi, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei.* Apoc. IX. Ne scilicet homo possit percipere, unde procedat. Tertia est fraudulenta, quæ hominem allicit per blanditias, atque laudat; de qua, Prov. XXVII : *Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantium.* Quarta est subita, quæ hominem percutit, terret et subvertit; de qua Eccl. XXVII : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Quinta est importuna, quæ hominem infestat; de qua Eccles. XXXVIII : *Vapor ignis urit carnes ejus, et in calore fornacis concertatur.* Sexta est perplexa, de qua homo vacillat; et circa talem debet homo multum vigilare, juxta illud Eccl. XXXVIII. *Cor suum dabit ut consummet linitionem, et vigilia sua mundabit fornacem.* Septima est violenta, quæ, nisi homo sit cautus, hominem præcipitat; de qua Eccl. XLIII. *In meridiano exurit terram, et in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere*; et respondens Sapiens ait : *Fornacem custodiens in operibus ardoris.* Utraque autem istarum, tam fornax tribulationis quam tentationis, succenditur in Naphta, hoc est, concupiscentia originalis corruptionis. Stupa, hoc est concupiscentia ambitionis. Pice, idest concupiscentia carnalis delectationis; malleolis et sarmentis desiccatis, hoc est concupiscentia acquisitionis.

Notandum tamen, quod de hac fornace eripiuntur soli parvi, idest innocentes, in quibus sola macula consumitur, scilicet pronitas ad malum et difficultas; alia autem non consumuntur, scilicet saraballa, idest braccæ seu cruralia. Hæc bona quæ honestant. Et tiaræ, quod est genus pilleoli, quo Persæ ornantur; hæc bona quæ delectant. Calceamenta non consumuntur, et remanent intacta. Flamma vero quæ usque ad quadraginta novem cubitos geometricales ascendit et malos consumit, pœnæ sunt infernales, quæ nunquam ad numerum quinquaginta, qui est numerus remissionis, ascendunt, idest ad numerum Jubilæi.

Notandum, quod sola prudentia designata in Daniele, temperantia significata per Anariam, justitia designata per Misaelem, consignata constantia in Abdenago, liberant justos a tribulationibus tormentorum.

CAPUT IV

Ego Nabuchodonosor quietus eram etc. Hæc est tertia visio, in qua significatur Christi prædicatio vitia rescindentis, sicuti in prima, conceptio Christi Diabolum invadentis et expellentis, et in secunda Christi nativitas ad nostras pœnalitates descendentis. Et hæc visio est per modum cujusdam divini judicii futuri contra humanam prosperitatem in somnii præostensi prophetica interpretatione reserati, voce divina comminati et culpa promerente inflicti, ad ostendendum præeminentiam regni Christi et justorum, ad regnum Antichristi et reproborum.

In hac autem visione sicut in præmissis, causa efficiens seu originalis, est instinctus Spiritus sancti, quem habuit Daniel, ut devotus et sobrius, humilis et subjectus, et interpretationibus assuetus.

Causa vero finalis est pronunciatio Christi clamantis, trepidatio Dei omnipotentis, emendatio seu humilatio superbientis, exaltatio interpretantis ; et ex hoc consolatio populi servientis.

Continentia vero seu causa materialis est, quod Nabuchodonosor Dei offensam septem annis versus fuerit in amentiam herbarum radicibus inter animalia nutritus, ac post Dei misericordia ad regnum restitutus regem cœli laudavit, cujus opera justa sunt, et potestas eximia, quæ superbos humiliare potest, et cum humiliati fuerint, iterum exaltare : in quo ostenditur mysterium dominicæ prædicationis, humanæ prosperitatis finem damnabile ostendentis.

Causa vero formalis consistit in divisione cap. quod prima sui divisione dividitur in quatuor partes ; quia primo ponitur continentia visionis, in principio. Secundo eminentia seu sapientia interpretationis, ibi : *Tunc Daniel.* Tertio evidentia adimpletionis, ibi : *Omnia hæc venerunt.* Quarto efficacia correctionis, ibi ; *Igitur post finem.*

Circa continentiam visionis notat Scriptura quatuor. Primo conceptum inspirationis internæ, in principio. Secundo defectum expositionis humanæ , ibi : *Et per me propositum est decretum.* Tertio processum ostensæ apparitionis, ibi : *Vi-*

sio capitis mei in cubili meo. Quarto excessum illustrationis supernæ ibi : *Tu ergo Balthasar.*

Quantum ad conceptum internæ inspirationis, notat Scriptura regis soporem, cum dicitur : *Ego Nabuchodonosor eram quietus in domo mea.* Hic est Nabuchodonosor de quo supra III dicitur, *Tunc rex Nabuchodonosor obstupuit :* nunc vero absque omni stupore quietus erat, idest a nullo inquietatus, qui monarchiam absque omni contradictione tenebat, et ideo *rex regum* dictus, supra II, *Tu rex regum es.* Hic ergo quietus in domo sua, hoc est in hæreditate propria, quasi in hæreditaria mansione, ita ut posset dicere illud Sapient. VIII, *intrans in domum meam quiescam in aula.* Regis decorem, quia, *Florens in palatio meo,* idest omnibus quæ ad decorem humanum faciunt, ad nutum affluentibus, ac per hoc caducus, quia *homo natus de muliere quasi flos egreditur et conteritur,* Job XIV. Regis terrorem, quia *somnium vidi quod perterruit me.* Sicut supra II cap. per somnium quod vidit Nabuchodonosor, *conterritus est spiritus ejus,* sic modo eum perterruit somnium, quia forte in somnio, sui regni exterminium tenebat regis stuporem : et ideo *cogitationes,* quæ somnium sunt secutæ, *conturbaverunt me,* idest prioris quietis soporem a me amoverunt, quia ex somno ipso *in me turbatum est cor meum,* Psal. XLII.

Quantum ad defectum humanæ expositionis quæ tangitur, ibi : *Et per me propositum est decretum,* notat Scriptura sapientum citationem, cum dicitur : *Et per me propositum.* Litera patet. Somnii relationem, cum dicitur : *Tunc ingrediebantur harioli,* exposita sunt supra hæc vocabula ; solutionis absconsionem seu privationem, ibi, *Et solutionem ejus non indicaverunt mihi,* quia *qui talis ut sapiens, et quis novit solutionem verbi?* quasi dicerent, nullus, Eccles. VII. Danielis prælationem, ibi : *Donec collega,* idest par mihi in honore, quia primum ipsum post se in toto regno constituerat, supra II cap. Tunc rex Danielem in sublime extulit, *Daniel cui nomen Balthasar secundum nomen Dei mei,* quia Deum quem colebat Balthasar nominabat, et illo nomine nominabat Danielem. Danielis commendationem, ibi : *Qui habet spiritum sanctorum Deorum in semetipso ;* quia sensus ejus et sapientia, sensus humanos et humanam sapientiam excellebat, et ideo in ipso aliquid majus esse credebat : propter quod Spiritum Deorum ipsum habere dicebat, et ultra, sacramentum id est secretum non esse ei impossibile ad disserendum asserit, infra confestim eodem cap. regis allocutionem, ibi : *Balthasar princeps hariolorum etc.,* ut supra, immediate, hæc omnia exposita sunt.

Quo ad processum ostensæ apparitionis, quæ tangitur, ibi : *Visio capitis mei in cubili meo,* notat Scriptura conditionem arboris visæ, cum dicitur : *Videbam et ecce arbor et altitudo ejus magna,* id est supra aliarum mensuram elevata, *magna,* quantum ad omnem dimensionem, *fortis,* robore scilicet, quantum ad valetudinem, omni vento et tempestati resistere potentem, *proceritas,* id est longitudo ejus in altum protensa, *contingens cœlum,* parabolica locutio est, id est usque ad nubes. *Aspectus illius usque ad terminos universæ terræ,* quia tantæ erat altitudinis, quod umbra ejus terminos terræ obumbrare posset, et ab omnibus terminis terræ videri poterat, ita erant rami ejus expansi, *folia ejus pulcherrima,* viridia scilicet et condensa, *et esca universorum in ea,* hyperbolica locutio est, *subter eam cuncta animalia,* domestica scilicet, *et bestiæ,* indomita quæcumque, *et ex ea vescebatur omnis caro,* id est omne genus animalium. Sic *Videbam et visione,* id est sic contuebar sicut per somnium videri poterat. Secundo arboris contritionem, cum dicitur : *Et ecce vigil et sanctus de cœlo,* id est Angelus, qui vigiles Angeli dicuntur, quia custodiæ invigilant cui præficiuntur : unde infra dicitur, in sententia vigilum decretum est. Tertio arboris subversionem, ibi : *Succidite arborem,* id est abscindite arborem. Quarto ramorum præcisionem, ibi : *Et præcidite ramos ejus.* Quinto arboris excussionem, ibi : *Excutite folia ejus.* Sexto fructuum dispersionem, ibi : *Et dispergite fructus ejus. Septimo germinis relictionem, ibi : Verumtamen germen radicum ejus,* id est radicem ad germinandum. *In terra sinite,* id est relinquite. *Et alligetur vinculo ferreo et æreo,* id est forti et durabili, *In herbis quæ foris sunt et rore cœli,* id est in saltibus et silvis. *Pars ejus in herba terræ,* quia herbas sicut feræ in cibum sumet : *Cor ejus ab humano commutetur,* nam intelligentiam per amentiam perdet, *et cor feræ detur ei,* id est sensus bruti. Octavo notat temporum mutationem, cum dicitur : *Et*

septem tempora, id est septem anni, totidem ponitur pro parte: *mutentur super eum*, hoc est succedant; quia, *in sententia vigilum*, hoc est, ad petitionem sanctorum, qui in terra sunt, *decretum est*, in sermo Angelorum, sic exequi contra eum, juxta imperium Dei, ut ipse solus rex potens cognoscatur.

Quantum ad extremum superius illustrationis, quæ tangitur, cum dicitur: *Tu ergo Balthasar*, notat Scriptura sapientum Babylonis ignorantiam, in principio, et Danielis sapientiam, ibi: *Tu autem potes quia spiritus sanctorum Deorum est in te*, supra eodem, Balthasar princeps hariolorum.

Et sic terminata est prima pars totius capituli. Et sequitur pars secunda principalis totius cap. in qua Scriptura notat interpretationis eminentiam seu sapientiam; quæ ibi incipit: *Tunc Daniel cujus nomen Balthasar*. Et quia visio tangebat regis personam, fortunam, vindictam et gratiam, ideo Scriptura notat quatuor. Primo in Daniele pœnalem anxietatem propter gradum pœnæ in principio. Secundo regalem prosperitatem propter statum fortunæ, ibi: *Arborem quam vidisti*. Tertio legalem severitatem propter casum vindictæ seu sententiæ, ibi: *Quod autem vidit rex vigilem*. Quarto finalem benignitatem propter fructum pœnitentiæ, ibi: *Quod autem præcepit ut relinqueret germen radicum*. Pœnalem autem anxietatem ostendit anxia cogitatio, cum dicitur: *Tunc Daniel cui nomen Balthasar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare*, intellexit enim contra regem esse somnium, dolens scilicet pro eo, quod sibi plurimum honoris impenderat: timorem seu dolorem cordis, vultus pallore significabat, quod difficile est, non prodere vultu, cum dolore tangitur animus: et ideo *cogitationes ejus conturbabant eum*, ita ut posset dicere, *cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum*, Job xvii. Hinc sequitur regia exhortatio, cum dicitur: *Respondens autem rex ait: Balthasar etc.*; hoc est rex respondet intelligens tacitum, per signum expressi palloris assecuratur eum, ut audeat proferre quod sentit dicens, *Balthasar*: quasi diceret, ne timeas dicere interpretationem, nec conturberis in prolatione, quia tibi data est *interpretatio sermonum*, I Corinth. xii, et intelligentia visionum supra cæteros. Benigna interpretatio, cum dicitur: *Domine mi etc.* Ne contra regem sinistrum quid dicere videatur, in adversitatem hostium sermonem vertit, dicens, *interpretatio ejus hostibus tuis*, quia *in talibus interpretationibus mentes sunt turbidæ*. Eccl. xxvii. Quantum ad regalem prosperitatem propter gradum fortunæ, quæ tangitur, cum dicitur: *Arborem quam vidisti*, notat Scriptura primo somnii replicationem, in principio, ut patet; secundo somnii explicationem, cum dicitur: *Tu es rex*: ubi absque regia injuria explicat veritatem, ut non ipsum superbiæ videatur arguere, sed potentiam attribuere: et ideo ait: *Tu es rex qui magnificatus es etc.* quia, ut dicitur sup. ii: *Tu es rex regum, et Dominus cœli regnum et fortitudinem dedit tibi etc.* quæ ibi dicuntur: in quo satis patet, quod tu per visam arborem designaris.

Quantum ad legalem severitatem propter casum vindictæ seu sententiæ, quæ tangitur, cum dicitur: *Quod autem vidit rex*, notat Scriptura primo sententiæ prædictæ replicationem, sicut prius de somno, cum dicitur: *Quod autem vidit rex vigilem descendentem succidite arborem et vinciatur ferro*, ut solent furiosi ne se ipsos præcipitent, vel alios invadant; minatur autem ferro ad crudelitatem suam domandam, quia *ferrum domat omnia*, supra ii cap., et aere ad carnalitatem suam ostendendam, vel reprimendam, quia in aere ministrantur carnalia. Secundo sententiæ applicationem, cum dicitur: *Hæc est interpretatio quæ pervenit super dominum meum regem*, austeritatem sententiæ verborum temperat blandimentis.

Quantum ad finalem benignitatem propter fructum pœnitentiæ, notat Scriptura primo regis assecurationem, cum dicitur: *Quod autem præcepit ut germen radicum ejus relinqueretur, idest arboris, regnum tuum tibi manebit*; cum dura præcesserant, relevat animum contriti mitioribus repromissis. Secundo Danielis consultationem, cum dicitur: *Quamobrem, rex, consilium meum tibi placeat*, quia *qui agunt omnia cum consilio reguntur sapientia*, Proverb., xiii. *Et peccata tua eleemosynis redime*, quia Deus non hominibus sed vitiis irascitur. *Et iniquitates tuas misericordiis pauperum etc.*; nam operatur misericordia impunitatem, quia *eleemosyna ab omni peccato et morte liberat*, Tob. xii. Et sic terminatur pars secunda totius cap. principalis.

Et sequitur tertia pars principalis to-

tius cap., in qua tangitur adimpletionis evidentia, cum dicitur : *Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor post finem duodecim*, id est a viso somnio quod audiveram, vel secundum Hieronymum, quia consilio Danielis fecit eleemosynas, dilata est sententia usque ad unum annum. Ubi scriptura facit tria : primo notat superbam regis cogitationem, cum dicitur : *Nonne est hæc Babylon?* cogitans enim somnium et ipsius interpretationem, de quibus forte tum actu cogitabat, ait, *Nonne hæc est*, quasi diceret talem ædificavi civitatem, habentem tantam spatiositatem, quia, *Babylon magna*, quia per quatuor quadras, habebat decem leucas, et ita quadraginta per gyrum : Tantam nobilitatem, quia, *In domum regni mei*, quia regnum, id est *fortitudo data est mihi*, supra II cap. Tantam stabilitatem, quia, *In robore fortitudinis meæ*, quia *fortitudinem et imperium habeo*, supra II cap. Tantam speciositatem, quia, *In gloria decoris mei*. Glorianter locutus est, et quia gloriabatur, bonum misericordiæ adeptæ perdidit malo superbiæ. Nota quod non dicit, quam ego ædificavi simpliciter, sed in domum regni mei, quia antequam ipse regnaret erat ædificata, sed ipse fecit eam caput monarchiæ. Secundo notat Scriptura supernam comminationem, cum dicitur : *Cumque sermo adhuc esset in ore regis etc.* Non definitur sententia, ne videatur non profuisse eleemosyna : et ideo statim per superbiam perdidit, quod misericordia conservavit : *Vox de cœlo ruit*, potius quam venit, quia cum nimia festinatione vix facto regis sermone. *Tibi dicitur Nabuchodonosor, etc.*, sicut supra interpretatus est Daniel. *Donec scias.* Magna Dei misericordia consolatio data, dum in tormentis ponitur pro spe secutura. Tertio notat festinam executionem, cum dicitur : *Eadem hora sermo impletus est super Nabuchodonosor*, quia sermo illius Dei, scilicet dantis sententiam contra ipsum, potestate plenus est. Eccles. VIII : *Et ex hominibus abjectus est etc.*, quia statim in furorem conversus ligatus est et de regni solio expulsus : *Donec capilli etc.*, non solum capitis, sed et totius corporis sicut pili crescentes inter plumas aquilarum, secundum Andream.

Et sequitur quarta pars principalis in qua tangitur correctionis efficacia, cum dicitur : *Igitur post finem dierum.* Et quia ad efficaciam correctionis ultra pœnalitates et afflictiones concurrit contritio, confessio, et tandem continuatio, ideo primo a Scriptura ponitur humiliatio superbi, quantum ad contritionem, cum dicitur : *Igitur post finem dierum.* Sequitur, *Oculos meos levavi*, misericordiam imploravi ut vere contritus, postquam in me Deus cœli potentiam suam ostendit, dicens, *Ad te Domine levavi animam qui habitas in cœlis.* Psalm. CXLII. *Sensus meus redditus est mihi :* in hoc se ostendit formam non amisisse, sed mentem, si enim figuram humanam amisisset, ipsius restitutionem non tacuisset. Secundo ponitur magnificatio seu glorificatio Excelsi, quantum ad confessionem, cum dicitur : *Et Altissimo benedixi*, id est laudavi, *Quia potestas ejus*, quam ego in libro experientiæ legi, *potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem.* Ideo scriptum est, *gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur*, Psalm. CXLIV. *Et omnes habitatores terræ.* Littera patet : et quia potentiam et dominium Altissimi recognovit, majestatemque ipsius adeo supplex ac humilis laudavit, magnificavit et exaltavit, inde restituta sunt ei omnia bona et honores cum regno, et plus magnificatus est quam antea, cum dicitur : *In ipso tempore sensus meus reversus est ad me et figura mea*, id est decor in conspectu figuræ pristinæ, secundum Andream et Hieronymum, quoniam longa septem annorum negligentia positus fuit in formam bovinam, ut dicit Josephus. *Optimates mei et magistratus*, etc. *mei requisierunt me : et magnificentia*, id est magna gloria. Littera patet. Tertio ponitur continuatio propositi, quantum ad perdurationem, cum dicitur : *Nunc igitur ego Nabuchodonosor*, post correctionem factam, conferenti sibi beneficia gloriam tribuit) *glorifico* gloriosa opera Dei, justamque sententiam magnificat, ut ab hominibus audientibus, magnus et gloriosus habeatur, secundum Andream). *Et gradientes in superbia humiliat*, id est deponit. Ex hac propria confessione Nabuchodonosor, qui postquam septem annis pœnas sustinuerat, quia contra Deum superbierat, humiliatus est, colligitur illum vere fuisse Deo conversum, sicut Hieronymus et Andreas sentiunt.

Argumenta litteralia sunt quatuor. Primum est quod quandoque somnium æquipollet visioni manifestæ, ut patet hic. Secundum est, quod expositio som-

aliorum, nunquam haberi potest per humanam sapientiam; sicut hic patet quod sapientes nescierunt interpretationem nec potuerunt indicare. Tertium est, quod majestas divina est terribilis, quoniam semper ab omni injuria provocatur, quia aliud non habent nisi vindictam, sicut patet quod fecit Daniel. Quartum est, quod quantum inter est pietas et misericordia, tantum demovetur supplicium; ut patet hic de rege, qui propter eleemosynas, dilata fuit punitio, et propter superbiæ residuum, fuit postea punitio subsecuta.

Pro moralitate nota primo in arbore hominem positum in tali prosperitate, quia homo est arbor eversa secundum Philosophum, qui quidem est in medio terræ propter affluentiam, quia a medio fluit virtus ad extrema; sed est arbor alta propter exaltationem, quia homo excellit omnes alias creaturas. Genes. I: *Præsit piscibus maris* etc.; fortis quantum ad robustationem, quia terror vester ac tremor sit super cuncta animantia, Gen. IX; proceritas ejus contingens cœlum, quantum ad superbiam: *Cujus pulchritudo erit* ... Job XX. Aspectus ejus usque ad terminos universæ terræ, quia omnia advertit et aspicere accendit, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, Sap. XV. Folia ejus pulcherrima quantum ad eloquentiam, quia verba habet ita ornata et melliflua, ut unum verbum non cadat in terra, juxta illud: Folium ejus non defluet, Psalm. I. Fructus ejus nimius, quantum ad abundantiam, quia *fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt*, Psalm. IV. Esca universorum in ea, quantum ad redundantiam: tribuunt enim aliis non intuitu pietatis, sed potius vanitatis, ut dicatur, Tu das escam illorum in tempore opportuno. Subter eam habitant animalia et bestiæ, quantum ad appetentiam; quia tam animalibus, id est viris et simplicibus et mansuetis, quia animal dicitur, quod manu alligatum, tum bestiis, id est perversis hominibus, quia bestia quasi vastia, quæ standi volunt vastitate, ut illi hominibus bonum sequuntur. *Dominantur super bestias quæ sunt super terram*, Baruch III. Et in ramis conversabantur volucres cœli, quantum ad lasciviam: quia per volucres designantur ascensores, leves et mendosi, tales enim in avibus cœli ludunt. Baruch III. Et ex ea vescebatur omnis caro quantum ad petulantiam, quia *omnis caro corrumperat viam suam*, Genes. VI. Sententia contra talem arborem, quod succiditur per animæ separationem; quod rami ejus præciduntur, quantum ad operationem; quod folia excutiuntur, quantum ad locutionem; quod fructus dispergantur, quantum ad mutationem; quod fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, quantum ad subjectionem; quod volucres de ramis ejus, quantum ad consociationem; quod germen ejus in terra sinatur, quantum ad putrefactionem.

Nota pro moralitate secunda de arbore, quod est spiritualis prosperitas, de qua Matth. VII, *Bona arbor bonos fructus facit*; et litera accipienda est per arbores vitæ æternæ, quæ est alta per justitiam, fortis per constantiam, quanta per temperantiam, ramosa per continentiam, frondosa per eloquentiam, diffusa per misericordiam, fructifera nimis per devotionis exuberantiam; omnes pascuntur ex ea per fraternam ædificationem: subter ea bestiæ agri et volucres per omnium sensuum et motuum exteriorum et interiorum moderationem et refrenationem. Talis est arbor spiritualis prosperitatis, quæ si sinat bonum fructus facere, succidetur, id est si cadat in peccatum vel superbiam elevetur, statim adest sententia divinæ severitatis et æquitatis dicens: Præcidite ramos ejus.

Sententiæ dubiæ sunt ibidem octo. Prima est quantum ad totam visionem, utrum scilicet hæc visio possit intelligi ad literam de Nabuchodonosor rege; et arguit Porphyrius damnator scripturarum, quod non; sed quod debet intelligi de Lucifero primo; nam impossibile est quod rex jam delicatus potuisset vivere tanto tempore ad frigus, pruinam et rorem, et crudis herbis nutriri, quin moreretur.

Ad hujus dubii solutionem advertendum est secundum Hieronymum et Augustinum, quod aliquando facta quæ secundum se impossibilia videntur, ostenduntur possibilia, dum similia facta conspiciuntur: unde cum nos videamus quod homines phrenetici et amentes non commorentur in villis sed sub dio, adeo ut potius videantur bestiæ, non est mirum quod Nabuchodonosor redactus in amentiam et phrenesim, pari passu cum ceteris amentibus et phreneticis graderetur. Unde ad illud quod objicitur de delicatione, dicendum, quod phrenetici longissimo tempore vivunt, absque humano

cibo, quod forte contingit propter magnam multitudinem spirituum; tristitia enim facit hominem multa agere et pati, quæ aliter nunquam posset. Secunda dubitatio est, cum in terra illa sit multitudo leonum, ursorum, et aliarum ferarum, quomodo est verisimile, quod fuerit cum eis tanto tempore conversatus quin fuisset devoratus ab iis et dilaceratus.

Sed ad hoc dicendum, quod volens Deus suam justitiam exercere, ut humiliaretur Nabuchodonosor, ostendit suam potentiam præservando illum a leonibus cæterisque feris. Tertia dubitatio est, quomodo est credendum quod regnum tam nobile tanto tempore fuit absque rege et rectore, cum regnum esset ita magnum: quod si fuerit alius rex interim positus, quomodo est credibile, quod ille permisisset hunc iterum regnum accipere qui destiterat.

Ad hoc dicendum, quod principes et barones interim regnum gubernabant, et custodiebant ne ab alio usurparetur, exspectantes quem finem haberet infirmitas domini sui, qui regnum valde amplificaverat, et maxima bona regno conquisiverat, et principaliter monarchiam bene fortem; interim pertulerunt aliquem qui regeret consilio Danielis, et voluntas Dei fuit ne interim bella insurgerent.

Quarta dubitatio est, quomodo possit esse verum, quod dicit, quod aspectus arboris erat usque ad terminos universæ terræ, per quod potestas regis designatur: ipse enim non regnavit in Græcia, nec in occidente, et multa alia regna non fuerant ei subjecta.

Sed respondetur primo quod fuit hyperbolica locutio, sicut supra, in interpretatione litteræ, notatum fuit. Secundo respondetur secundum Hieronymum, quod hoc non fuit verum ad litteram; sed ut ostendat regis ambitionem et superbiam, qui hoc ambiebat, et putabat se dominaturum super universum orbem.

Quinta dubitatio est, quomodo Daniel posuit sub dubio, quod prius ipsemet decreverat et affirmaverat, maxime cum statim post duodecim menses fuerit secuta sententia, ipse vero pollicetur Dei sententiam per eleemosynas revocari.

Dicendum quod Daniel non dixit determinate quod Deus ignosceret regi; sed dixit, forsan ignoscet Deus. Sententia enim Dei, qua punit pro delictis, duobus modis potest intelligi: uno modo secundum exigentiam meritorum, et hanc aliquando Deus mutat, quia novit Deus mutare sententiam, si homo novit mutare delictum; alio modo secundum præfixam prædestinationem futurorum, et hanc sententiam Deus non mutat: posuit tamen sub dubio propheta ignorans, sub qua istarum caderet regia sententia.

Sexta dubitatio est, utrum rex Nabuchodonosor secundum veritatem mutatus fuerat in effigiem bestialem.

Dicendum quod non; sed hoc dicitur propter distortionem membrorum, quam forte habebat ut furiosi; amentes enim mutant aspectum et faciem, et omnia membra distorquent: vel dicendum, quod hoc dictum sit quantum ad æstimationem suam: ipse enim opinabatur, et æstimabat de se quod esset bestia; propter quod dicitur quod redditus est ei sensus ejus, scilicet quo cognovit se non esse bestiam.

Septimo dubitatur utrum hic Nabuchodonosor salvus sit. Dicendum quod Augustinus de *Prædestinatione sanctorum*, secundum aliquos, salvum eum existimat, quia ponit Nabuchodonosor sub numero prædestinatorum, Pharaonem vero sub numero præscitorum, ut dicitur XXIII, qu. V, cap. de cetero, quod incipit Nabuchodonosor: ubi dicitur, quod unus fuit flagellatus ad damnationem, alius vero ad salutem, sic dicens: Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam; nam post innumeras impietates flagellatus pœnituit, et regnum quod perdiderat rursus accepit. Pharao vero ipsis flagellis durior effectus periit. Sed quidam dicunt Augustinum intellexisse quod meruit pœnitentiam fructuosam, quoad terreni regni restitutionem; quod littera Augustini videtur sonare.

Ultimo dubitatur an idem fuerit hic Nabuchodonosor qui et ille sub quo fuit facta historia Judith?

Respondetur secundum quosdam, quod duo fuerunt Nabuchodonosor. Unus iste qui salvus est, alter sub quo facta fuit historia Judith, de quo dicitur Isaiæ XIV, sub nomine Luciferi, *quomodo cecidisti de cœlo lucifer* etc., qui damnatus est. Sed secundum Hieronymum in originali super historiam, idem fuit iste qui et ille.

CAPUT V.

Balthasar rex fecit grande convivium.

Hæc est quarta visio; in qua designatur per manum scribentem in pariete Christi

passio diximus extremitatis, sicut in prima Christi conceptio, in secunda Christi nativitas, et in tertia Christi prædicatio, ultima passio adventus. Et notatur in tota hac visione, primo præeminentia regni Christi et judicium ad regnum Antichristi ac reproborum.

Causa autem efficiens vera originalis hujus visionis fuit revelatio Spiritus sancti, in devoto et sobrio, humili et subjecto, et interpretationibus summis ... de re imminente; unde tota visio fuit simplex revelatio et non somnium.

Causa vero finalis fuit ad ostendendam Dei justitiam, ad innuendam Christi victoriam, ad extollendam Danielis prudentiam, ad mulcendam et leniendam plebis mœstitiam.

Causa vero materialis fuit Dei sententia, de destructione regni Chaldæorum per Medos et Persas, per digitos scribentes in pariete indicata, per Danielem interpretata, in qua est destructio regni diaboli, seu Antichristi et suorum membrorum, per Christi passionem significata.

Causa vero formalis in divisione cap. consistit; et dividitur hoc caput in quatuor partes. Primo tangitur videndi occasio in principio. Secundo videntis perturbatio, ibi: *Exclamavit itaque rex fortiter.* Tertio videntis reprehensio, ibi: *O rex Deus altissimus, regnum et magnificentiam.* Quarto expositio visionis, ibi: *Idcirco ab eo missus est articulus manus.*

Circa videndi occasionem notat littera quod sententia lata fuit per contemptum et contumaciam; et ideo Scriptura notat quatuor. Primo convivium lasciviæ, in principio, cum dicitur: *Balthasar rex.* Secundo contemptum blasphemiæ, ibi: *Præcepit autem jam temulentus.* Tertio conspectum sententiæ, ibi: *In eadem hora apparuerunt digiti.* Quarto consensum justitiæ, ibi: *Tunc regis facies commutata.*

Quantum ad convivium lasciviæ notat Scriptura tria, quæ induxerunt lasciviam. Primum est ferculorum abundantia: et ideo dicitur, *Balthasar rex fecit grande convivium;* ubi notandum quod Scriptura prætermittit tres reges, scilicet Evilmerodach qui a Milma captus fuit, qui, ut quidam dicunt, a Nabuchodonosor patre suo, postquam fuit in solium regnum restitutus, positus fuit in carcere eo quod fuit ei contrarius, quod tempore infirmitatis patris multa mala gessisset, et fuit in carcere cum Joachim rege Juda; et postquam regnavit sublevavit Joachim de carcere, ut dicitur IV Regum xxv. Post Evilmerodach autem regnavit Egessarus qui Neglisar dictus est. Post hunc Lamborsardacus, post hunc vero Mahar qui Balthasar cognominatus est. Neglisar et Lamborsardacus et Balthasar fratres fuerunt filii Evilmerodach. Quidam tamen tradunt Balthasar fuisse filium Lamborsardach; et ita Nabuchodonosor fuisse ipsius proavum; et quia nihil tempore scilicet Evilmerodach, Neglisar et Lamborsardach actum est propter quod Dei gloria panderetur, ideo Scriptura eos prætermittit, et incipit a Balthasar, qui, ut dicit Scriptura, *fecit grande convivium.* In quo notat Scriptura convivium lasciviæ quantum ad ferculorum abundantiam, sicut de rege Assuero Esther primo, qui fecit grande convivium cunctis principibus. Secundo notat lasciviam quantum ad sociorum assistentiam, cum dicit: *Optimatibus suis mille,* hoc est multis; millenarius enim et septenarius, et denarius pro indeterminato numero sæpe in Scriptura ponuntur, et forte mille erant exceptis aliis. Erant autem mille, inter quos melior erat unus timens Dominum, scilicet Daniel, quam mille filii impii, Eccles. xvi. Tertio notat Scriptura lasciviam quantum ad poculorum affluentiam, cum dicitur: *Et unusquisque secundum suam bibebat ætatem,* hoc est quilibet vinum poterat accipere secundum ætatem suam; barbari enim invitatos cogebant ad bibendum, et ideo ultra vires frequenter bibebant, quia melior potator erat victor ceterorum; hic autem nullus cogebatur quia hoc regis magnificentiam decebat, et ideo nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, Esther i, sed quilibet juxta suam bibebat ætatem.

Quantum vero ad contemptum blasphemiæ, ibi; *præcepit,* notat Scriptura tria; primo temeritatem præceptionis, cum dicitur: *Præcepit autem jam temulentus rex,* temulentus, id est ebrius, quia temetum est optimum genus vini, lentus autem Græce plenitudinem significat, et sic somnolentus plenus somno, vinolentus vino: et sic dicitur, temulentus temeto, id est vino optimo plenus; unde II Reg. xiii, cum temulentus fuerit Ammon vino, percutite eum. Secundo notat temeritatem allationis, cum dicitur: *Tunc allata sunt vasa aurea;* hæc sunt vasa de quibus dicitur, et reprehendit ipsum infra Daniel: vasa domus ejus allata sunt

coram te, quæ asportaverat Nabuchodonosor in terra Sennaar. Tertio notat temeritatem illusionis, cum dicitur : *Bibebant vinum et laudabant Deos suos*, insultantes Deo Judæorum quasi diis suis victoriam tribuentes, rebibebant in vasis Dei : laudabant autem, *Deos aureos et argenteos*, res stulta ! bibentes in auro, Deos lapideos, et ligneos adorabant.

Quantum ad conspectum sententiæ, cum dicitur : *In eadem hora*, notat Scriptura tria ; primo dictantis similitudinem, cum dicit : *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis*, id est forma non substantia, quia ministerio Angeli hoc fiebat, sicut dicitur Ezechielis primo. Secundo hominis aptitudinem ostendit, cum dicitur : *Contra candelabrum*, ut melius appareret aulæ regiæ, et ut rex ad se pertinere sciret. Tertio notat aptitudinem intuentis, cum dicitur : *Et rex aspiciebat articulos manus scribentis*, de quibus dicitur supra immediate, apparuerunt digiti quasi manus hominis.

Quantum ad concursum justitiæ, quod ibi notatur, cum dicitur : *Tunc facies regis commutata est*, notat Scriptura aspectus immutationem, cum dicitur : *Tunc facies regis commutata est :* cui infra regina ait : *Ne facies tua immutetur :* affectus perturbationem, cum dicitur *et cogitationes conturbabant eum*, cui infra regina ait : *Non te perturbent rex cogitationes tuæ :* effectus persecutionem, cum dicitur : *Et compages renum ipsius solvebantur ;* quia in magno timore sanguine ad cor fugiente, membris rigidis et destitutis juncturæ solvi videbantur, et corpore tremente dentes *et genua collidebantur ;* quia *genua ejus infirmata erant*, *sed non a jejunio*, sicut David Ps. CVIII.

Et sic terminatur pars prima cap. principalis, in qua tangitur videndi occasio.

Et sequitur pars secunda principalis, in qua tangitur videntis perturbatio, cum dicitur : *Exclamavit itaque rex :* et ibi tangitur ipsius perturbatio, et horrore et admiratione rei visæ, et non intellectæ : in quo notat Scriptura quatuor. Primo defectum humanæ sapientiæ in explicando, cum dicitur : *Exclamavit itaque rex*. Secundo consultum femineæ providentiæ in dirigendo, ibi : *Regina autem pro re quæ acciderat*. Tertio recursum humanæ indigentiæ, in supplicando seu consulendo, cum dicitur : *Igitur introductus est Daniel coram rege*. Quarto responsum divinæ confidentiæ in exponendo, ibi : *Ad quem respondens Daniel ait*. Quantum ad defectum humanæ sapientiæ in exponendo notat Scriptura regis exclamationem, cum dicitur : *Exclamavit itaque rex fortiter :* tunc enim exclamando quis vocem emittit, cum de humano auxilio diffidit ; sicut patet de Tobia VI, cum invaderet eum piscis, exclamavit, Domine invadit me, de auxilio desperans humano. *Ut introducerent magos,* oblitus enim eorum quæ Nabuchodonosor acciderant, juxta errorem gentis, non Dei Prophetam, sed magos convocat et Chaldæos ; regis propositionem, cum dicitur : *Et proloquens,* non alium exspectat qui causam aperiat : cum fuerint vocati, ait : *Quicumque legerit Scripturam*, de qua supra dictum est, quod apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis ; regis obligationem, cum dicitur : *Purpura vestiatur et torquem aureum habebit in collo*, et unus de tribus primis principibus regni mei erit. Rei occultationem, cum dicitur : *Tunc ingressi sunt omnes sapientes regis*, *nec potuerunt scripturam legere*, sicut nec supra IV cap. solutionem arboris visæ a Nabuchodonosor potuerunt indicare, de quibus ait Nabuchodonosor : Tunc ingrediebantur harioli, magi etc. et solutionem ejus non indicaverunt mihi. *Sed et optimates ejus turbabantur*, eo quod videbant regem turbatum et afflictum quem nullatenus juvare poterant.

Quantum ad consultum femineæ providentiæ in dirigendo, quæ tangitur cum dicitur : *Regina autem*, notat Scriptura quatuor. Primo reginæ introgressionem domus convivii, cum dicitur : *Regina autem pro re quæ acciderat regi ingressa est domum convivii*, de quo fuit supra dictum, Balthasar rex fecit grande convivium. Regina autem hæc erat avia ipsius secundum Josephum, mater secundum Origenem, unde noverat præterita quæ rex ignorabat. Secundo reginæ consolationem regis seu filii cum dicitur, *Rex in æternum vive, non te conturbent etc.* quia ut dictum est, supra eodem, rex Balthasar valde conturbatus est, et vultus ejus immutatus. Tertio reginæ recordationem primi somnii, cum dicitur : *Est vir in regno tuo qui spiritum sanctorum Deorum in se habet*, hoc enim audierat a rege Nabuchodonosor marito supra IV Daniel, inquit, cui nomen Balthasar secundum nomen Dei mei, qui spiritum

sanctorum Deorum habet in semetipso, *Et in diebus patris tui*, id est proximi, qui juxta morem Scripturæ pater dicitur, *Scientia et sapientia inventæ sunt in eo*, quia ipse de numero est eorum, quibus dedit Deus scientiam, supra primo. Mira Danielis conversatio inter barbaros, quem per virtutum magnitudinem mater regis sic extollit. Cætera patent ex declaratis in secundo cap. Quarto reginæ propositionem sumi remedii, cum dicitur : *Nunc itaque Daniel vocetur et narrabit interpretationem*, quia hic est interpretationibus assuetus ; propter quod rex pater tuus ait ei, supra IV, *Tu ergo Balthasar interpretationem narra festinus*.

Quantum ad recursum humanæ indigentiæ in supplicando seu consulendo, quæ tangitur cum dicitur : *Igitur introductus est Daniel coram rege*, notat Scriptura Danielis admissionem, cum dicitur : *Igitur introductus est Daniel etc.*, qui supra ait : *Arioch introduxit me in conspectu regis et solutionem regi narrabo* : Danielis allectionem cum dicitur : *Ad quem præfatus rex ait, tu es Daniel?* unde ipsum allicit ad lectionem Scripturæ et ipsius interpretationem, eum multipliciter commendando, sicut patet ex textu, et sapientes Babylonis vituperando, de quibus ait, quod *Nequiverunt*, id est non potuerunt sensum *sermonis edicere*, id est pronuntiare nec exponere : regis obligationem, cum dicitur : *Si vales ergo Scripturam legere, purpura vestieris et torquem auream circa collum tuum habebis* : ista torques aurea est circulus aureus in collo pendens, sicut nunc in catenis, qua antiquitus filii regum consueverant uti exempli.

Sequitur responsum divinæ confidentiæ in exponendo, cum dicitur : *Ad quæ respondens Daniel ait coram rege, munera tua sibi sint*, tristia annuncians, munera recusat et contemptis terrenis gratis prodest veritatem, quam gratis accepit, dicens : *Munera tua*, quia qui edit munera vincit, Proverb. XX. *Et dona domus*, quia *dona excæcant oculos judicum*, Eccles. XX. Exod. XXIII, *non accipies munera quæ excæcant etiam prudentes et subvertunt verba justorum*. Et sic terminatur secunda pars in qua tangitur perturbatio tremoris.

Et sequitur pars tertia principalis totius capitis in qua tangitur violentia reprehensio, cum dicitur : *O rex Deus altissimus regnum et magnificentiam* etc. Ubi notat Scriptura quatuor : inducit enim exitum excessus patris a quo ipse corrigi debuit qui propter abusum cecidit ex honore ; et ideo ex parte patris præmittit duo. Primo honorem prælationis, quantum ad usum, cum dicitur : *O rex Deus altissimus*. Secundo horrorem seu rigorem dejectionis propter abusum, ibi : *Quando autem elevatum est cor ejus*. E contra ponit alia duo ex parte filii. Primo timorem præsumptionis quantum ad applausum, ibi : *Tu quoque filius ejus Balthasar*. Secundo errorem professionis, quantum ad cultum, ibi : *Deos quoque argenteos*.

Quantum ad honorem prælationis et ipsius usum, nota in parte primo ejus excellentiam, cum dicitur : *O rex Deus altissimus regnum etc.* ut dicitur supra II, quod ideo pater tuus significatur caput statuæ, quia Deus cœli regnum, fortitudinem et imperium et gloriam dedit ei. Secundo violentiam ejus, cum dicitur : *Quos volebat interficiebat etc., et quos volebat exaltabat*, quia cor ejus nimium exaltatum, et ideo ruit, quia ante ruinam exaltatur cor hominis.

Quantum ad rigorem seu ordinem dejectionis propter abusum proponit Scriptura, seu notat alia duo. Primo regis seu Patris superbiam, cum dicitur : *Quando autem elevatum est cor ejus et spiritus ejus obfirmatus est ad superbiam*, quia *superbia eorum qui Dominum oderunt, ascendit semper*, Psalm. LXXIII. Secundo Dei justitiam, cum dicitur : *Depositus est etc.*, per eum, supple, qui deposuit potentes de sede, Lucæ primo. Cætera patent supra IV cap. ; ista autem ei reducit ad memoriam ut concludatur ipsum ex similibus similia sustinere ; et ideo post rigorem paternæ dejectionis propter abusum statim inducit præsumptionem timoris ipsius propter applausum, cum dicitur : *Tu quoque filius ejus*. Ubi primo ostendit ipsum esse participem paterni sceleris, cum dicitur : *Tu quoque filius ejus Balthasar non humiliasti cor tuum*, aperit et quare illa de Nabuchodonosor replicavit ; quasi diceret : tu talia patri tuo sciens propter ejus superbiam contigisse, contra Dominum cœli te elevare superbe, sicut quæ non debuisti, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Jacob. IV. Secundo ostendit ipsum esse municipem divini cultus, cum dicitur : *Et vasa domus Dei* : quasi dicat : vasa sacra quæ solis divinis usibus sunt dedi-

cata tuis usibus uxorumque tuarum et concubinarum indebite usurpasti; et ideo divinum cultum tibi attribuisti. Et ex hoc propheta infert errorem professionis, quantum ad cultum. *Deos quoque argenteos* : ubi primo notat Scriptura erroris occasionem et abusionem, cum dicitur : *Deos quoque argenteos qui non vident*, et in hoc apparet magna abusio : bibebat cum auro et adorabat lapides. Secundo erroris completionem, cum dicitur : *Porro ad Deum qui habet statum tuum*, idest vitam, *In manu sua*, idest in potestate, *Et omnes vias tuas*, a quo debuisti quærere ut vias tuas dirigeret, Tob. IV, *Non glorificasti* sicut patet supra quarto de Nabuchodonosor qui ait, Altissimo benedixi, et viventem in æternum laudavi et glorificavi.

Et in hoc pars tertia principalis cap. terminatur, in qua tangitur videntis reprehensio : sequitur pars quarta principalis cap. in qua tangitur visionis expositio, cum dicitur : *Idcirco missus est ab eo articulus* : ubi a Scriptura notantur quatuor. Primo occasio visi, ibi : *Idcirco*, quia Deum non glorificasti. *Missus est articulus*, diminutivum de artubus, quod est membrum : unde articulus, id est digitus manus, *Qui scripsit hoc quod exaratum est*, id est impressum. Job XIX. *Quis mihi det ut exarentur etc.* Secundo notatur intentio scripti, cum dicitur, *Hæc est autem scriptura quæ digesta est*, digesta id est seria scriptura *Mane, Thecel Phares*, tria tantum verba erant scripta, quæ nec legere sapientes Babylonis poterant, nec sensum etiam eis lectis percipere. *Hæc autem est interpretatio sermonis. Mane : numeravit Deus regnum tuum*, id est annos et dies quibus regnasti, *Et complevit illud*, hoc est finem illis imposuit : imminet enim tibi gladius qui jam te dissolvet. *Thecel : appensus es in statera et inventus es minus habens*, et est ratio quia ponderatis ejus operibus in æquitate judicii quasi in statera inventa sunt minus æquo habentia. *Phares : divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis* : et hæc est conclusio utriusque : quasi diceret, regnum quod in te unum erat, in duo divisum est, scilicet in Darium et Cyrum. Tertio notatur probatio dicti, cum dicitur : *Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura* : ubi ideo recepit honorem regium, ut futuro regi, scilicet Dario fieret notior et per militiam honoratior. *Et prædicatum est de eo*, et dum prophetam honorat sperat se veniam consecuturum, aut forte credebat longe postquam propheta dixerat, implendum : et forte magis erat sacrilegium, quam honoris judicium. Quarto notatur impletio facti, cum dicitur : *Eadem nocte interfectus est Balthasar* : scilicet eadem nocte qua lecta est scriptura.

De modo interfectionis Balthasar regis variæ sunt sententiæ : alii enim dicunt, quod Cyrus et Darius fuerunt intra civitatem, homagio facto cum Balthasar, excepti ad convivium, qui videntes regem turbatum propter scripturam et Danielis interpretationem ceterosque convivas ebrios, occiderunt eum : alii vero asserunt, quod Cyrus expugnavit civitatem et interfecit Balthasar : alii vero, quibus consentiunt Hebræi, dicunt, quod pugnando Balthazar cum Dario et Cyro, illos superavit et civitate libera ab obsidione solemne instituit convivium, attamen Cyrus et Darius simulantes fugam procul a civitate fluvium Euphratem dimiserunt per plures alveos, ita ut alveum qui fluebat per civitatem vadibilem facerent, per quem ingressi sunt civitatem latenter, ceperuntque illam et regem interfecerunt.

Notandum quod causa convivii fuit, secundum aliquos, quod rex legerat in Jeremia, quod populus Israeliticus, qui tum erat in Babylone captivus, septuagesimo primo anno debebat liberari de manu ipsius ; et credebat quod illa die jam fluxissent illi anni, et tamen nondum erant liberati ; et ideo gaudebat cum principibus et fecit aptari vasa quæ pater ejus asportaverat de templo Dei in Jerusalem ad mensam suam. Nota etiam quod sacrilegium et blasphemia plus displicuit Deo de uxoribus et concubinis quam de aliis. Et insuper in toto hoc blasphemavit Deum viventem.

Argumenta literalia sunt quatuor. Primum est quod inter omnia divinam iram provocantia est sacra vasa divinis usibus dedicata humanis usibus seu quibusvis applicare. Secundum est quod interdum non est contemnenda feminea providentia, maxime si sic antiqua ; sic patet in hac regina, Judith et Esther, licet de communi lege parum habeant discretionis. Tertium est, quod pro nulla revelatione divina est ex pacto aliquid accipiendum pro mercede. Quartum est, quod aliquando ex causa, maxime pro utilitate animi, potest aliquid accipi ab infideli.

surgit hoc in loco Daniel, postquam interpretatus est Scripturam, ut postea glorificaretur Deus per finem regni, in cujus rei memoriam quæ [illegible] accepit et scriptum [illegible].

Dubitationes quæ super hoc caput moveri poterant, ex dictis in litteræ expositione sunt solutæ; restat tamen una: scilicet quare ponitur Darius plus succedere Balthasar in regno quam Cyrus, cum ambo simul obsederint et ceperint civitatem.

Dicendum, quod Darius erat avunculus Cyri et erat antiquior Cyro, et ideo regnavit primo, et Cyrus nepos ejus post ipsum.

Sententiæ morales sunt quod contra vitium cupiditatis et carnalitatis datur judicium æquitatis et severitatis: ubi nota in conviviis gulam, in vino ineptam lætitiam, in uxoribus indebitam accedendi licentiam ad solemnia convivia, in concubinis manifestam luxuriam, in optimatibus applaudentiam, in vasis vero aureis superbiam: nam tales homines in superbia vilem consumunt: unde, secundum Augustinum *de Verbis Domini*, non quæritur superfluitas, seu rerum abundantia nisi propter superbiam: quia vermis (ut ait) divitiarum superbia est. Sed quantum ad vitium cupiditatis quod est idololatria, quia secundum Apostolum ad Galat. IV, avaritia est idolorum servitus; et secundum Hieronymum, unusquisque in re quam sibi in dilectione proponit Deum sibi facit: ideo in diis aureis nota opulentiam; in argenteis apparentiam, quia argentum est sonorum; in æreis fraudulentiam: æs enim aurum apparet, sed non est; in ferreis violentiam, quia ferrum domat omnia; in ligneis petulantiam; in lapideis pertinaciam.

Sed modo contra hoc nota judicium æquitatis et severitatis, et processum divinæ justitiæ seu dictationis sententiæ. Nota ergo quis scribens, quod Pater, manus; Filius, digiti; Spiritus sanctus, nam sicut digitus scribens pendet a manu et brachio, sic Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit. Promptitudo istæ imaginis sita est in manu quæ prompta est ad operandum et in Filio est radix et virtus formarum omnium rerum; in Spiritusancto sanctitudo spirat Dominus, in quo sicuti ex *digito Dei ejiciuntur Dæmonia*, Luc. XI; in aula vero pulchritudo olei virgula. Sed in Scriptura designatur accitudo extremi examinis, quod erit tale: Mane, Thecel, Phares: Mane numeratio, nam in finali examine Deus omnes actiones numerabit; Thecel, idest appensio, quia omnes circumstantias ponderabit; Phares divisio, quia omnes fictiones separabit; In candelabro limpitudo tanti luminis ad omnibus istis perscrutandis.

Ad ista autem omnia sequitur terror affectionis, quod notatur in mutatione faciei; error cognitionis, quod notatur in perturbatione cogitationis; mœror afflictionis, quod notatur in collisione genuum. Ecce quam terribile judicium contra idololatras, cupidos, avaros, et contra carnales luxuriosos, elatos seu superbos. Item nota, quod ad vitium carnalitatis impingunt affluentia terrenorum, opulentia ferculorum, applaudentia adulatorum, excellentia oculorum.

CAPUT VI

Placuit Dario, et constituit super regnum Satrapas etc. Hæc est quinta visio; quæ licet sit historialis, quia narrativa rei gestæ per principes Persarum et Medorum contra Danielem; dicitur tamen visio et prophetia propter apparitionem Angeli ad Danielis tuitionem. In qua quidem visione designatur Christi resurrectio infernum exspoliantis. Est autem causa efficiens, seu originalis, hujus visionis apparitio Angelica, hoc merente Danielis innocentia, cum devotione et patientia. Causa vero finalis fuit, ut innocentia tueretur, ut Dei justitia agnosceretur, ut Dei potentia panderetur, ut plebis molestia leniretur. Causa vero materialis est, principum æmulatio Danielis in lacum missio.

¹ . . . .

. . . .

. . . .

Sequitur autem in eodem cap. et abiit rex *in domum suam*: in quo ostenditur mœstitia quantum ad dimissionem cibi, quia *Dormivit incœnatus*, nam mente sollicitus, et corde afflictus, cibum capere non potuit, *Insuper et somnus recessit ab eo*. Nota quod paulo ante dictum est, quod rex dormivit incœnatus, et jam dicitur, quod somnus recessit ab eo: sed in hoc nulla est contradictio, quamvis appareat;

¹ [illegible]

in tantum enim dictum est quod dormivit, eo quod dormitum abiit, cubiculum intravit, lectum ascendit; sed anxietas et sollicitudo, qua mens premebatur propter Danielem, somnum non admisit. Hieronymus. Ecce quanta regis benevolentia : nec die nec nocte comedit, somnum oculis non concessit, sed cum periclitante propheta semper affectum pependit : quod si rex Deum nesciens, tantum fecit pro altero de discrimine liberando, quanto magis debet quisque facere pro seipso ?

Quantum ad quartum principale, in quo notatur ex parte Dei tenor liberationis, cum dicitur : *Tunc rex primo diluculo consurgens*, cujus erat rex sollicitus, notat Scriptura tria. Primo notat innocentiam liberari, cum dicitur : *Tunc rex primo diluculo*. Ubi primo tangitur circa Danielem sollicitudo, cum dicitur : *Tunc rex primo diluculo*, idest cum primo lucesceret, *festinus* alis portatus amoris, *ad lacum*, lacum vocat foveam depressam, vel arentem cisternam, in qua leones nutriebantur, licet lacus nunc aquarum dulcium congregatio nuncupetur. *Voce lacrymabili inclamavit* : amici compatiens injuriæ, cordis affectum indicat lacrymis, et oblitus dignitatis regiæ, victor ad captivum, dominus ad servum venit. Secundo regis contra ipsum Danielem necessitudo, cum dicitur : *Daniel, serve Dei viventis*, dicit ad differentiam idolorum, quæ sunt simulacra hominum mortuorum. *Putasne valuit te liberare Deus a leonibus ?* non dubitat de Dei potentia, ut patet supra ; senten tiam temperat, ut cum illæsus apparuerit, quanto res incredibilior, tanto contra principes justior sit indignatio. Tertio ostenditur Danielis erga regem vicissitudo, cum dicitur : *Rex in æternum vive*. Notat, quod honorat honorantem, et vitam imprecatur æternam. *Deus meus misit Angelum suum et conclusit ora leonum :* quasi diceret : non est immutata leonum feritas, sed eorum rabies ab Angelo est conclusa, quia justitia cum confidentia liberavit me. Quarto regis circa Danielem mansuetudo, cum dicitur : *Tunc vehementer rex gavisus est*. Salvatus ergo Daniel eductus est de lacu, coram rege scilicet et optimatibus suis quorum annulo erat signatus. *Et nulla læsio inventa est in eo*, quod fuit factum miraculum, *quia credidit Deo suo*, dum contra edictum scilicet regis eum adoravit, credens quod Deus suus eum ab omni periculo liberaret. Secundo notat invidentiam lacerari, cum dicitur : *Jubente autem rege*. Ubi primo Scriptura notat invidorum deprehensionem, cum dicitur : *Jubente rege adducti sunt etc.* Tradit Josephus, quod accusatores Danielis dixerunt, leones carnibus fuisse satiatos, et ideo Danielem non tetigisse ; sed rex jussit, ut quantis vellent leones carnibus ipsi satiarent ; quo facto in lacum missos a leonibus esse discerptos, ac per hoc a Deo salvatum fuisse Danielem. Secundo invidorum lacerationem, cum dicitur : *Et non pervenerunt usque ad pavimentum laci donec arriperent eos leones*, quia finis æmulationis est laceratio. Tertio notat Dei magnificentiam prædicari, cum dicitur : *Tunc Darius rex scripsit universis populis*, quia promulgatio Dei magnificentiæ fuit delata per universum regnum Darii, per modum litterarum. Ideo Scriptura primo notat litterarum salutationem, cum dicitur : *Tunc Darius rex scripsit universis populis*, id est multitudinibus ; *tribubus*, familiis ; *linguis*, diversis gentibus seu provinciis ; *Pax vobis multiplicetur*, in signum benevolentiæ. Secundo notat litterarum narrationem, cum dicitur : *A me constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo tremiscant et paveant Deum Danielis*, qui Deus misit Angelum suum, et conclusit ora leonum, supra eodem. Tertio notat litterarum conclusionem, cum dicitur : *Ipse est Deus vivens*, non ut Dii gentium qui sunt mortui. *Æternus in sæcula*, id est æternaliter perseverans, *Faciens signa et mirabilia in cœlo :* signa dicit quoad minora, mirabilia quoad majora : audierat enim, quid fecerat in cœlo per Ezechielem ; et ideo dicit, in cœlo ; et quid in terra, pro pueris quos de fornace liberavit : et ideo dicit, *Et in terra. Qui liberavit Danielem de lacu*, *vel de manu, leonum*. Vulgaris modus est loquendi, id est de unguibus. *Porro Daniel perseveravit usque ad regnum Darii, et regnum Cyri Persæ.*

Argumenta litteralia sunt hic quatuor de superna æmulatione. Primum est, quod æmulator semper quærit occasionem detrahendi. Secundum est, quod æmulator semper interpretatur omnia dicta et facta ejus, cui æmulatur in malum, ut patet in istis qui invenerunt Danielem orantem. Tertium est, quod æmulator non cessat laborare ad confusionem

fraudis quasdam usque exquireret fratris insinuationem: tunc securius est, esse inter leones, quam inter æmulatores; propter quod positus fuit lapis super lacum, cum signo seu sigillo regis. Quartum est, quod æmulator quocumque utitur ingenio et industria; etiam fictionibus et mendaciis, ut eum cui æmulatur subvertat et perimat.

Dubitabilia sunt quatuor.

Primum est: videtur quod præpostero ordine visio hujus capituli scribatur: nam quæ in proximis duobus capitulis continentur, successerunt priusquam hæc; nam illa ante mortem regis Balthasar, hæc vero post ejusdem obitum contigerunt.

Respondetur, quod Propheta in referendo visiones non servat ordinem rei gestæ; ex decem enim prædictis visionibus, quinque primæ sunt historiales, idest in quibus plus de historia miscetur; aliæ vero sunt puræ visiones; propheta autem prius omnes historiales ponit, et absque ulla intermissione ab illis se expedit, et postea meras visiones refert.

Secunda dubitatio est de hoc quod dicit textus, quod Daniel perseveravit usque ad regnum Cyri Persæ; et similiter superius in capitulo primo dictum est, quod fuit usque ad primum annum Cyri regis; sed tamen inferius in capitulo decimo dicitur, quod tertio anno Cyri regis fuit ei ostensa visio.

Respondetur, quod non est sensus in dictis locis Danielem perseverasse in vita usque ad tempus prædictum duntaxat; sed quod perseveraverit in dignitate et honore in Chaldæa, usque ad annum primum monarchiæ Darii, qui tunc Danielem transtulit ad regnum Medorum etiam cum eodem gradu dignitatis et potestatis.

Tertium dubium est, cum Darius ita nobilis rex esset, et potens, quare non eripuit Danielem de manibus æmulorum, cum multum ad eum afficeretur, et eum sciret innocentem.

Dicendum quod Darius erat tunc novus monarcha, et timens seditiones quæ solent in principio regni seu innovatione accidere, noluit resistere sententiæ consiliatorum suorum principalium, qui judicabant Danielem, ut prævaricatorem decreti regalis.

Quartum dubium est, quare Darius mulieres et natos æmulorum Danielis fecerit mitti in lacum leonum, cum illi viderentur fuisse innocentes, et scriptum sit, filius non portabit iniquitatem patris.

Dicendum quod filius non punitur propter iniquitatem patris, nisi quantum filius est res patris, et in tantum punitur in eo. Vel dicendum quod filius non punitur propter peccatum patris, nisi in quantum est imitator paterni sceleris seu criminis; et ideo illi puniti fuerunt, quia fuerunt parentibus consentientes. Filii tamen nunquam puniuntur pro parentibus morte æterna, nisi, ut dixi, fuerint paternorum scelerum imitatores.

Sententia moralis potest extrahi ex hoc textu, in quo processus æmulationis describitur; nam sic potest ex jam dictis colligi. In æmulis præcedit ambitio, et hanc sequitur elatio, et ex hac sequitur æmulatio, et ex hac oritur indagatio seu exploratio, et ex hac nascitur accusatio, deinde obstinatio, et sequitur ultimo æmulorum dejectio. Ad evitandam autem æmulationem, recurrendum est ad orationem eo modo quo Daniel oravit; dicitur enim in textu, quod Daniel ingressus domum suam, in quo notatur consideratio mortis; et apertis fenestris, orabat contra Jerusalem, in quo notatur attentio legis, in cœnaculo suo; in quo notatur prudens et cautus orandi modus. In his datur intelligi, quod homo debet se custodire ab æmulis suis, et non debet eis dare occasionem detrahendi; et propter hoc Daniel intravit domum et oravit in cœnaculo, non in publico, tribus temporibus in die, scilicet hora tertia, sexta, nona: in quo notatur ordinatio temporis; flectebat genua sua, in quo notatur humiliatio cordis; confitebatur coram Domino, in quo notatur accusatio oris. Deinde pensandus est modus liberationis, in quo notantur duo ex parte æmulorum: scilicet anxietas quam Danieli inferebant, quæ notatur in lacu; ferocitas qua sæviebant, quæ notatur in leonibus. Alia duo notantur ex parte regis; scilicet firmitas, quæ notatur in lapide; fidelitas quæ notatur in annulo. Alia duo notantur ex parte Danielis: scilicet pietas, quæ notatur ex descensu in lacum, potestas ex parte Angeli in conclusione faucium leonum. Ultimo alia duo notantur ex parte Dei: scilicet severitas et æquitas in dissipatione æmulorum.

CAPUT VII.

Anno primo Balthasar regis. Supra positæ sunt quinque visiones, quæ tangunt primum adventum Christi, quæ pro majori parte sunt historicæ : ex nunc autem ponuntur usque ad capitulum XIII quinque aliæ visiones, tangentes secundum adventum, quæ sunt mere propheticæ, quarum solus propheta conscius fuit, quæ tangunt magnificentiam regni Christi, in ultimo statu Antichristi. In quarum prima præsenti, processus tribulationis describitur : quia ostendit magnificentiam regnorum mundi per successionem et egressionem Antichristi sub similitudine unius cornu inter decem cornua orti, et tria illorum conterentis, aliis septem colla submittentibus ; et ultimo ostendit magnificentiam regni Christi comminuentis omnia illa sub similitudine judicis victoris ubi throni positi sunt, et antiquus dierum sedens, filio hominis conferens regiminis plenam potestatem.

Hujus autem visionis causa originalis fuit instinctus Spiritus sancti factus per modum somnii Danieli sollicito et desideranti, regna, facta, ac tempora mundi breviter comprehendens.

Causa finalis est cautela et providentia futurorum regnorum seu futuræ tribulationis, ut ostendatur, quod perversorum molestia est contra fideles pugnatura et justorum modestia est tamdem victura, et Antichristi potentia est finaliter peritura et Christi militia est penitus regnatura ; sicut finis visionis ostendit, loquens de judicio et Filio hominis, quod nulli alii possunt illa convenire quæ ibi dicuntur.

Causa vero materialis est de quatuor regnis principalibus, usque ad tempus Antichristi, et de divisione unius regni in decem, et de regno Antichristi subjicientis sibi septem regna de illis decem, et tria regna de illis decem comminuentis, et de regno Christi omnia regna illa finaliter destruentis.

Causa vero formalis in divisione cap. consistit : unde quia totum istud cap. est de quatuor regnorum visione et visionis interpretatione ; ideo primo dividitur in duas partes, quia primo præmittitur visionis inspiratio in principio. Secundo subjungitur visionis expositio seu interpretatio, ibi : *Horruit spiritus meus*. Circa visionis inspirationem notat Scriptura quatuor. Primo excessum somnii quasi materiam indaginis in principio. Secundo processum mundi, idest causam originis, ibi : *Videbam visionem media nocte*. Tertio egressum Antichristi quasi germen malæ propaginis, ibi : *Considerabam cornua et ecce cornu aliud parvulum ortum est*. Quarto successum regni Christi quasi finem certaminis, ibi, *Aspiciebam donec throni positi sunt*. Circa excessum somnii notat Scriptura duo : quia primo ostendit illud ut futuræ rei signum, quia visum imaginarie, cum dicitur : *Anno primo Balthasar*. Ibi nota quod hactenus seriatim prosecutus est de his quæ barbaris nota fuerunt. Ab hinc autem usque ad finem de suis agit somniis et visionibus quarum ipse solus fuit conscius : declarat tantum sub quo rege viderat, ut apud posteros eorum memoria quæ visa, sunt perseveraret, cum dicitur : *Visio autem capitis ejus in cubili suo et somnium scribens brevi sermone* : quasi diceret : ideo scripsit Daniel brevi sermone somnium et visionem hanc, quia optat, ut memoriæ commendaretur, juxta illud Job XIX : *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei ?* Circa secundum ubi ponitur processus regnorum mundi qui est origo temporis Antichristi, et sunt quatuor regna sub figura quatuor bestiarum posita diversis corruptis moribus dissona, tangit primo Scriptura causam primariam quæ est adversitas tribulationis ex instabilitate, cum dicitur : *Videbam in visione media nocte*. Hoc dicit eo quod visiones videntur aliquando de die ; huic autem hæc visio ostensa est de nocte, cum surgeret ad mediam noctem ad confitendum Domino, juxta illud, media nocte surgebam ad confitendum tibi, Psalm. CXVIII. *Et ecce quatuor venti.* Hieronymus. Hi sunt quatuor Angelicæ potestates, quatuor principalibus regnis mundi præsidentes, unusquisque pro regno sibi credito certans, secundum illud Deuteronomi XXXII cap. : *Quando dividebat Altissimus gentes. In mari magno*, id est oceano : hoc enim est *mare magnum et spatiosum manibus*, Psalm. CIII. *Et quatuor bestiæ*, quæ sunt quatuor principalia regna ferali crudelitate disposita, ut patet Angelo exponente infra, secundo formam variam quæ est cupiditas ambitionis ex insatiabilitate, ibi : *Primum quasi leæna* ; et ita describit Scriptura quatuor regna secundum figuram quatuor bestiarum. Et primo describit regnum Chaldæorum.

quantum ad ipsius notitiam, quia fuit quasi leæna propter tenacitatem rapinæ et imperturbabilitatem luxuriæ: regnum enim Babylon non leoni, sed leænæ comparatur, quia sicut leæna fortior est leone et semper avidior ad coitum, sic illa gens cæteris luxuriosior et ad libidinem pronior, ut dicit Hieronymus. Secundo describit ejus regnum quantum ad ejus progressum, cum dicitur: *Alas habebat aquilæ*, propter elationem superbiæ, quibus per superbiam elevavit se ipsum se æquaturum super astra Dei. Isaiæ xiv: *Super astra cœli exaltabo solium meum*; sed: *Si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te*, dicit Dominus in Abdiæ prophetia. Tertio describit ipsum quantum ad finalem ipsius casum, cum dicitur: *Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus*, quando Medi et Persæ, quibus duobus regnis super omnia levabatur, ab eo deleverunt, et sublata est de terra, quando gentibus repugnantibus cepit imperio, Babylon subversa corruit: evulsæ sunt alæ ejus, unde dicitur Jeremiæ ii cap.: *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentium*. Et sublata est de terra, quia corruit in terram qui vulnerabat gentes. Isai. xiv: *Et super pedes quasi homo stetit*, quia natis Babylonico imperio destructo et feritate edomita, violare per dominium desiit, et non in æternum Deum falso se jactabat, Isai. xiv: *Similis ero Altissimo*, regnare se novit. *Et cor hominis datum est ei*, quod erat prius quasi cor Dei, quia ei dicitur Ezech. xxviii: *Et dedisti cor tuum quasi cor Dei*, quod ad modum bestiæ mutatum est, ut fragilitatem propriam cognosceret quando una die venerunt super eum viduitas et sterilitas, sicut minatur ei Dominus Isai. xlvii: *Venient tibi hæc duo subito in die una, sterilitas et viduitas*. Secundo describit regnum Medorum et Persarum, cum dicitur: *Et ecce bestia alia similis urso*. Ubi primo describit Scriptura regni Medorum et Persarum initium, quod fuit ex regis Chaldæorum victoria: quia hæc bestia prioris alas evulsit, de terra eam sustulit crudelis quidem ipsa, sed tamen prior similior quanto ursus leone mansuetior: similis urso in sufferentia parcimoniæ et crudelitate: ursi enim laborum et vectorum sunt patientissimi, et sic parvo cibo contenti, quod magna parte anni nihil cibi sumere creduntur; de quorum crudelitate nemo dubitat. Sic Persæ infrangibiles laboribus et bellis insuperabiles, ut narrat Trogus Pompeius eorum historiographus, adeo parci in victu sunt, ut pene sicco pane semper alantur, nisi gratia hospitum vel festi causa: sua vero crudelitate semper sanguinem sitientes. Secundo describit regni prædicti processum qui fuit respectu primi in quadam modestia, et etiam in excellentia, cum dicitur: *In parte stetit*, hoc est singularis fuit hæc bestia ab aliis, quia principatus ejus nimius præ cæteris populo Dei crudelis extitit. *Et tres ordines*, id est tres versus dentium in ore bestiæ seriatim collocatorum, qui significabant in tres principatus regnum Persarum fuisse divisum; sicut dicitur supra vi cap., quod placuit Dario et constituit supra regnum centum et viginti Satrapas, et super eos principes tres, vel tres ordines significabant tria regna: videlicet Babyloniorum, Medorum et Persarum, vel tres principatos reges cæteris eminentiores et potentiores, scilicet Cambysen filium Cyri, qui regno patris Ægyptum addidit, et Cresum Magnum qui montes velificavit, et Darium ultimum, qui cum Alexandro pugnavit, ut dicit Andreas. Tertio describit regni prædicti finalem terminum qui fuit in malitia, cum dicitur: *Et sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas*, cuidam scilicet regi ejusdem, id est Assuero, quem septuaginta Artaxerxem vocant: quasi diceret Scriptura: subministrarunt regi arma scilicet et suis, ut totam gentem Judæorum perderet, sicut patet Esther iii. Sed quia iniquus conatus non est rei exitum consecutus, ideo non dicit Scriptura, devoravit, sed quod suadebant ei. Tertio describit regnum Græcorum, cum dicitur: *Post hæc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus*. Ubi primo describit initium quod fuit ex præcedenti: occidit scilicet Alexander, Darium et regna Persarum sibi subjugavit, sicut dicitur I Mach. i. Secundo describit processum qui fuit cum festinatione immensa, quia *Erat quasi pardus et alas habebat*, quia hoc regnum summa cum festinatione orbem terrarum occupavit. Pardus enim est bestia velox et præceps fertur in sanguinem et saltu in mortem ruit, ut dicit Hieronymus. *Et alas habebat quatuor*, quibus ad quatuor mundi partes volavit velocissime, quia pertransiit, ut dicitur I Machab. i, usque ad fines terræ. *Et quatuor capita erant in bestia*, quia

regnum Alexandri erat divisum in quatuor regna principalia, in quibus regnaverunt Alexandri successores, Ptolomæus in Ægypto, Seleucus in Syria, Philippus in Macedonia, in Asia Antiochus. Tertio describit ipsius terminum qui fuit a divina providentia quia *Potestas data est ei*, quia non sua propria virtute, sed divina potestate et voluntate in tam brevi tempore principatum obtinuit. Quarto describit Scriptura regnum Romanorum, cum dicitur : *Post hæc aspiciebam in visione noctis*. Ubi primo describit ipsius exitum, quia ipsius exitus terribilis, cum dicitur : *Et ecce bestia quarta terribilis*, quia nomen Romanorum omnibus terrorem et horrorem ac admirationem incussit. Secundo ejusdem regis processum, quia bestia ipsa fuit indomabilis, *Fortis et mirabilis et dentes ferreos habebat*, quia quanto ferrum ceteris metallis erat fortius et omnia alia domat, tanto Romanorum imperium fuit potentius aliis regnis, quia Romani in terra marique potentes, ut dicitur I Machab. VIII : *Dissimilis autem ceteris bestiis*, ex dissimilitudine cum ceteris dat ipsius similitudinem, quia propter sui ferocitatem non invenerunt bestiarum ferocitatem, cui eam assimilarent, ut quicquid ferocius cogitaveris, Romanos intelligas ; quia quicquid fuit ferocitatis in aliis, hoc fuit conjunctum isti : hunc dicunt Hebræi aprum de Sylvia. Tertio ejusdem regni describit terminum qui fuit detestabilis, cum dicitur : *Et habebat cornua decem*. Quod per cornua decem, reges decem ipsius regni accipi debeant, ipso Angelo docente instruimur, ubi dicitur : Porro decem cornua decem reges ipsius regni erunt. Quod autem regnare debeant et non per successionem quasi decem principales, litera sequens ostendit : quod autem decem in reges romanorum regnaverint, nondum visum est, ut Andreas dicit.

Circa tertium ubi ostenditur egressus Antichristi, quasi germen malæ propaginis ex decem cornibus, idest ex decem regibus tempore Antichristi futuris, ut habetur Apoc. XVII, primo ostendit Scriptura ipsum Antichristum oriri ex potestate reproborum, ibi, *Considerabam cornua*, idest diligentius cornua intuebar : *Et ecce cornu aliud*, ecce quod illud cornu parvulum aliud est a prædictis, et tamen de medio eorum exortum, ac per hoc necesse est inter illa fuisse, ut hoc sit undecimum. *Et tria de cornibus primis*. Ne forte diceres, ideo dictum est de medio eorum, quia quibusdam transactis, quibusdam nondum exortis, illud undecimum inter prima et ultima, ac per hoc de medio eorum emerserit : Audi, quod tria principalia ex decem ab isto parvulo sint evulsa : erant ergo ista decem quando et illud erat : ac per hoc regnum in decem similia divisum erit. Ostendit ejus malitiam oriri, et ex pravitate et petulantia peccatorum cum dicitur : *Et ecce oculi quasi oculi hominis erant* : quasi diceret : licet multa mira ex multis artibus acturus vel facturus sit Antichristus, ut ex hoc ut Deus habeatur, homo tamen et non Deus erit, quia oculos, idest aspectum hominis habebit ; oculos tamen sublimes, quod Deus odit, Prov. VI : *Et os loquens magnalia*, promittens mirabiliter se multa facturum, quæ nunquam faciet, quia sedebit in templo Dei ostendens se quasi sit Deus.

Quantum ad quartum ubi ostenditur successus regni Christi quasi finis certaminis, cum dicitur : *Aspiciebam donec throni positi sunt*. Scriptura notat duo. Primo Christi judicialem sententiam ex parte dictantis, cum dicitur : *Aspiciebam donec throni positi sunt*. Secundo Christi receptam potestatem, cum dicitur : *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce in nubibus cœli filius hominis*. Quantum ad judicialem Christi sententiam, notat primo Scriptura judicis auctoritatem, cum dicitur : *Aspiciebam donec throni positi sunt et Antiquus dierum sedit*. Apoc. XV : Vidi thronum magnum et candidum et sedentem super eum judicis majestatem : quia *Vestimentum ejus candidum*, quantum ad innocentiam, quia in candore vestis bonitas et innocentia designatur, et ideo in transfiguratione *vestimenta* Christi *facta sunt candida velut nix*, Marc. IX. *Et capilli capitis quasi lana munda*, quia vestimentum dixerat candidum, ut innocentia in judice ostenderetur ; ideo ut maturitas sententiæ comprobaretur, consequenter capillos albos habere adjungit, idest canos, Ecclesiast. XXV : *Quia speciosum canitiei judicium est*. Secundo judicii severitatem, quia, *thronus ejus flammæ ignis*, quia Dei judicia flammea sunt, nam *Deus ignis consumens*, Deut. IV. Et peccatores tormentis ignis torquentur, et justi quasi per ignem salventur, juxta sententiam Apostoli I Corinth. III. Flamma ergo in throno severitas judicii est.

Rotæ ejus ignis accensus; ignis vero in-pulsa divina justitia et ultrix est, quibus [illegible] Dei ad puniendos malos; *Fluvius vero igneus egrediens a facie ejus*, sed communicatur sententiæ, [illegible] peccatorum [illegible] in infernum. Tertio Judicis sublimitatem, quia millia millium ministrabant ei. Vindictam et potestatem judicis describit; non quod hoc definitum numerum ad numerum, qui si [illegible] non [illegible], sed majorem multitudinem numerus nomine explicare nequeunt, sicut dicitur in Psal. LXVII, currus Dei decem millibus *multiplex*, *millia lætantium*, *et decies millies centena millia assistebant ei*; quia dum Dei alii ministrant, alii assistunt. Hieronymus: alii partes proprias recitant, alii singulis [illegible]. Quarto judicis seditatem, quia *judicium sedit et libri aperti sunt*; judicium sedit dicit quia ad eam qui [illegible] in judicio; quibus dictum est Matth. XIX: *Sedebitis et vos super sedes, judicantes duodecim tribus Israel*. *Et libri aperti sunt*, quia peccata peccatorum [illegible] quæ [illegible] occulta sunt, omnibus [illegible], ut [illegible] quid pro [illegible] culpæ ad futuram [illegible]. Quinto judicis [illegible]tem, cum dicitur: *Aspiciebam propter vocem sermonum*. Ubi primo tangitur contra Antichristum sententiæ latio, cum dicitur: *Aspiciebam*, idest attendebam quæ sententia daretur in illam horribilem bestiam, idest in regnum Romanorum, propter sermones superbiæ, quorum ille per undecimum loquebatur: *Et vidi quod interfecta esset*, hoc est ad interficiendum judicata, et sic sententia contra ipsum lata, quia scilicet in isto Romano imperio, propter Antichristum blasphemantem, omnia regna simul deleta sunt, et nequaquam ultra Romanum erit imperium, sed sanctorum conversatio, et postea adventus filii hominis triumphantis, Apoc. 1. Secundo tangitur sententiæ executio, cum dicitur: *Et periisset corpus ejus et traditum esset ad comburendum igni*. Malleus traditur primo executionis, quia cum [illegible] ille [illegible] ad gehennam. Tertio ostenditur aliquibus ad pœnitendum data dilatio, cum dicitur: *Aliarum quoque bestiarum esset ablata potestas*; non quod penitus deleta sint, sed potestatem principandi amiserunt. *Et tempora vitæ constituta*, quia cum Antichristo et sibi parentibus non omnia regna peritura sunt, sed potius aliquod spatium pœnitendi conceditur a Judice [illegible], ut dicit Andreas.

Quantum ad præcipuam auctoritatem seu potestatem ex parte humanitatis, quæ sequitur, cum dicitur: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce*. Notat primo Scriptura ipsius cui tradita est potestas, immensitatem, cum dicitur: *Aspiciebam*, et scilicet [illegible], cui potestas regia, quæ ab istis ablata est, traderetur; *et ecce*, quia hactenus de quatuor regnis in quatuor bestiis actum est, quarum erat potestas, modo agit de regno, quod non peribit in æternum. *Quasi filius hominis veniebat*: quia quantum distat a bestiali feritate mansuetudo, tantum regnum Christi a prioribus distare innuit. *In nubibus cœli*, quia priores regna terrena cœlestibus, hic vero terrenis cœlestia præponit. *Et usque ad antiquum dierum pervenit*. Ubi bestiis propter perversam conscientiam accessum denegat, ibi homini pura innocentia accedendi propius fiduciam præstat. *Et in conspectu ejus obtulerunt eum*, scilicet Angeli eum exhibuerunt. Secundo notat et traditam potestatem, cum dicitur: *Et dedit ei potestatem*, scilicet isti homini: *Potestatem, honorem, et regnum*, ecce potentiæ magnitudo: *Et omnes populi, tribus etc.*, ecce potentiæ latitudo: *quæ non auferetur*, sicut ab istis ablata est, ecce potentiæ certitudo: *Non corrumpetur*, ecce potentiæ valetudo, quæ nullam boni status patitur vastitatem. Si enim esset longa et arcta, vel si ampla et curta, vel si magna et dubia, vel secura et invalida, possidentis animum non repleret.

Sequitur secunda pars principalis totius capituli ubi ponitur visionis interpretatio: in qua notat Scriptura quatuor, quæ comprehendit eodem ordine, quo visionis inspirationem: quia primo exponit mysterium, quantum ad excessum somnii, ibi: *Horruit spiritus meus*. Secundo quantum ad processum mundi, ibi: *Accessit ad unum*. Tertio quantum ad excessum Antichristi, ibi: *Post hæc volui diligenter discere*. Quarto quantum ad successum Christi, ibi: *Et judicium sedebit, ut auferatur potentia ejus*. Circa primum in quo ponitur visionis expositio, quantum ad excessum somnii, quæ incipit, *Horruit spiritus meus*, notat Scriptura tria: quia primo incurrit Daniel horrorem propter judicii discretionem, ibi: *Horruit spiritus meus*, idest visam divini ju-

dicii discretionem : quia de terra horribili visio dura nunciata est mihi, Isaiæ XXI. Secundo tremorem propter judicii executionem, ibi : *Ego Daniel territus sum in his*, quia *terrores tui turbaverunt me*, Psal. LXXXVII. Tertio timorem propter judicii dilationem, ibi : *Et visiones capitis mei conturbaverunt me*, quia nondum didiceram Angelo exponente, quibus confusio, et quibus exaltatio divino judicio adveniret : et ideo *horrui cum audirem, et turbatus sum cum viderem*, Isaiæ XXI : et in his tribus ostenditur altitudo hujus somnii. Circa secundum ubi notatur expositio mysterii, quantum ad processum mundi, ibi : *Accessi ad unum*, notat Scriptura tria : quia primo Daniel requirit spiritualem sensum, ibi : *Accessi ad unum*, non de administrantibus, sed de assistentibus : veritatem quærit, quia sapientia tempore otii, non turbationis invenitur; *Et veritatem quærebam*, idest veram non fictam interpretationem desiderabam. Secundo Angelus describit temporalem decursum, cum dicitur : *Hæ quatuor bestiæ ;* quasi digito demonstrans sententiam : et visionem exponit ; *magnæ* mystica rerum significatione, sicut et quantitate, *Quatuor regna sunt ;* idest significant, sicut petra est Christus quia significat Christum ; Petra autem erat Christus, I Cor. x. *Quæ consurgent de terra*, idest terrena amplectentur : quasi diceret : regna terrena deficient, sicut illæ quatuor bestiæ. Tertio subjungit earum finalem casum, cum dicitur : *Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi*, hoc est, regnis terrenis sublatis, de quibus dicitur infra, regnum obtinuerunt sancti ; regnum enim alterum non terrenum, sed cœleste est sanctorum, in quo Dei cultores regnaturi sunt ; sicut terrenum fuit, in quo cultores terrenorum dominati sunt. Circa tertium autem, ubi notatur expositio mysterii quantum ad egressum Antichristi, ibi : *Post hoc volui etc.*, notat Scriptura tria. Primo præmittit, quid interpretandum : *Post hoc volui diligenter discere de bestia quarta*, idest diligentius propter dissimilitudinem quam cum aliis habebat, scire volebam : *ungues ferrei*, hæc supra non expresserat, de cornu illo apertius exprimit, de quo cornu scire voluit, quia ista sunt interpretanda. Secundo interpretandum, cum dicitur : *Aspiciebam*, idest attente illud cornu intuebar : *Et ecce illud faciebat bellum :* hoc supplet quia nec hæc prædixerat ; *et prævalebat eis*, scilicet sanctis, scilicet bellum datum a bestia ; *Donec venit antiquus dierum*, idest donec judiciaria sententia eo succiso regnum sanctis advenit. Tertio subjungit quid interpretatum, cum dicitur : *Et sic ait*, scilicet Angelus exponens : *Bestia quarta regnum quartum erit in terra*, quia terrena concupiscet ; quia qui de terra est, de terra loquitur, Joan. III. *Quod majus erit omnibus regnis*, præmissis (supple) seu præteritis ; *Et devorabit universam terram*, idest universa suo subdi volens imperio ; et conculcabit scilicet pedibus ferreis, idest potentia, violentia, et ferali aliarum omnium dignitatem. *Porro cornua*, supple ipsius bestiæ ; *Decem reges erunt*, simul supple regnantes : undecimus vero in cornu parvulo designatus, quasi regno in terra partito in decem regna. Sed eis transactis undecimus potentior est futurus, et ideo dicitur ; *Et ipse potentior erit prioribus, et tres reges humiliabit ;* secundum Hieronymum regem Ægypti, Æthiopiæ et Africæ ; *Et sermones contra excelsum loquetur*, cujus potentiam sibi usurpabit sedens in templo Dei, II Thess. II. *Et sanctos Altissimi conteret ;* quia Antichristus pugnabit contra sanctos, et superabit eos, secundum Hieronymum. *Et putabit quod possit mutare tempora ;* in tantam superbiam erigetur, ut leges Dei et cæremonias ejus mutare conetur ; *Et tradentur in manu ejus, usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis :* idest regnabit ad tres annos et dimidium, juxta proprietatem Hebraici sermonis. Circa quartum, ubi ponitur expositio mysterii quantum ad successum Christi, ibi : *Et judicium sedebit ;* notat Scriptura tria : quia primo ponitur condemnatio seu exterminatio reproborum, cum dicitur : *Et judicium sedebit ut auferatur potentia ;* transacto prædicto tempore : *judicium*, id est sancti quos illud parvulum cornu oppressit, *sedebit, super sedes judicantes duodecim tribus Israel*, Math. XIX, ut per eorum sententiam auferatur Antichristi potentia ; *ut dispereat usque in finem*, id est æternaliter. Secundo ponitur exaltatio electorum, cum dicitur : *Regnum autem et potestas ;* quia regia potestas semper se altum et amplum regnum dabitur Christo et populo ejus ; quia tota terra et omnes reges subdentur ecclesiasticæ potestati, et forte omnes Prælati et religiosi sancti erunt, sicut primo Apostoli Christi. Tertio ponitur excitatio viatorum,

rum mearum: *Hucusque finis verbi*, idest hujus visionis intimatæ. *Ego Daniel multum cogitationibus conturbabar*; scilicet quia visionem istam debebam; *verbum autem in corde meo conservavi*, quia scripsi: visum est mihi esse retinendum; vel forte ut indicaret hic regnorum subversionibus et rerum mutationibus conturbabatur cogitans, quanta mala temporibus illis populum Dei opprimerent.

Argumenta litteralia sunt quatuor. Primum est, quod causa discessionis et perturbationis causa est ambitio et cupiditas cum superbia; quod notatur in depictione et pugna animalium. Secundum est, quod necesse est dare personam distinctam, scilicet Filium hominis ab Antiquo dierum, id est a Patre, sibi consubstantialem et in gloria coæqualem, ut patet per textum. Tertium est, quod regnum Antichristi non durabit nisi per tres annos cum dimidio.

Sententiæ dubiæ sunt quatuor. Prima est, an visio de cornu parvulo intelligatur de Antichristo, ut communis interpretatio est, an vero de Antiocho Epiphane. Porphyrius autem depravator Scripturarum existimat de Antiocho Epiphane, qui fuit acerrimus et singularis persecutor populi Judaici, esse intelligendam. Ad fundandum autem suum propositum Porphyrius duo asserit. Unum est, quod per tertiam et quartam bestiam non designantur duo regna ut communiter exponitur, nempe regnum Græcorum et Romanorum: sed hoc expresse est contra textum ubi in eodem capite ab Angelo visionem exponente dicitur: Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor erunt regna; item bestia quarta regnum quartum erit in terra quod majus erit omnibus regnis. Secundum quod dicit Porphyrius est, quod decem reges per decem cornua significatos, inter quos distributum est regnum per ultimam bestiam designatum, sunt computandi ut ipse computat, nempe ab Alexandro usque ad Antiochum Epiphanem: in quo manifeste Porphyrius supponit falsum, decem scilicet reges tantum fuisse ab Alexandro usque ad Antiochum Epiphanem, ut patet per Hieronymum qui continuatim computat.

Secunda dubitatio est, an quod hic dicitur de filio hominis intelligendum sit de Christo, ut communiter exponitur, an vero de Juda Machabæo; idem enim Porphyrius de Juda Machabæo intelligendum putat. Sed hæc interpretatio fatua est adeo, ut responsionem non mereatur.

Tertia dubitatio est, an omnes Angeli sint assistentes, et omnes ministrantes. Dicendum quod ex cœlestibus spiritibus alii sunt, qui per claram Dei visionem divina mandata circa gubernationem rerum corporalium in divina essentia immediate percipiunt, et hos duntaxat proprie vocamus Angelos assistentes: alii vero qui per superiores Angelos de divinis mandatis instructi, illa executioni mandant, et hos tantum proprie vocamus Angelos ministrantes: possunt nihilominus inferiores Angeli etiam assistentes vocari, largo tamen modo, eo quod Deo etiam assistunt per claram divinæ essentiæ contemplationem; et in hoc sensu accepit Gregorius, cum in *Moralium* ait, quod « semper assistere aut videre faciem Patris possunt, qui ad ministerium exterius mittuntur pro nostra salute. » Superiores quoque Angeli possunt etiam largo modo appellari ministrantes qua parte exequuntur divinum mandatum illuminando inferiores Angelos; et sic intelligitur illud ad Hebræos I cap.: *Omnes sunt administratorii spiritus*.

Quarta dubitatio est, an plures ex Angelis sint assistentes, quam ministrantes. Dicendum quod sex sunt ordines ministrantium, et tres dumtaxat ordines assistentium: nihilominus in majori numero sunt assistentes quam ministrantes, quia superiora in entibus sine comparatione excedunt inferiora: et hæc est sententia Dionysii in libro de *cœlesti Hierarchia*, quæ est conformior huic textui Danielis.

Sententiæ morales sunt duæ. Una est de bestiarum pugna; alia est de antiquo dierum palma et victoria; ubi notandum quod quatuor sunt bestiæ. Prima est leæna; secunda ursus; tertia pardus; quarta est dissimilis omnibus. Per primam leænam intellige sævitiam tyrannorum, de qua Job X: *Propter superbiam quasi leænam capies me*. Per ursum perfidiam hæreticorum, de qua Thren. III cap.: *Ursus insidians factus est mihi*. Per pardum fallaciam simulatorum, de qua Eccl. VIII: *Quasi pardus lædes eos lingua*. Per bestiam dissimilem aliis, malitiam æmulatorum. Per primam quæ est leæna, designatur sævitia tyrannorum; et describitur habere corpus leonis: in quo notatur

crudelitas hominis: et habebat duas alas: quarum una designat nobilitatem sanguinis, altera auctoritatem regiminis; hæc enim duo maxime ad crudelitatem hominis viam parant: de quibus Jerem. II: *In alis tuis inventus est sanguis*: sed si alæ avellantur, stat supra pedes suos, quasi homo humanus et humilis. *Quia universa vanitas hominis homo vivens*, Psal. XXXVIII, et cor ejus datum est ei per cognitionem sui seu dilectionem proximi; nam cum ablata sunt ab eo nobilitas et auctoritas, quæ fecerant eum quasi *cor* habere *Dei*, Ezech. XXVIII cap., fuit humilis et humanus, qui erat superbus et crudelis, et *fit cor fortium Moab, sicut cor mulieris*, Jerem. XLVIII. Secunda bestia est quasi ursus: in qua notatur perfidia hæreticorum: quia sicut ursus habet caput debile, sic hæreticus fundamentum debile. Ista a parte stetit, quia hæretici stant ad partem, eo quod semper ab Ecclesia separati et præcisi per excommunicationem, de qua Thren. III: In prima Ecclesia, *ursus insidians factus est mihi*. Describitur autem habere tres ordines dentium, quia licet hæretici debile habeant fundamentum, habent tres modos, quibus se muniunt, quasi tres spiritus immundos, *ad modum ranarum*, Apoc. XVI. Nam aliquando suum fulciunt errorem auctoritatibus Canonicis, male tamen intellectis. Aliquando articulis philosophicis et sophisticis: aliquando rationibus scientificis sed falso applicatis: et cum istis devorant quidquid possunt: quibus dicitur: *Surge, comede, quia tales comederunt, et locum ejus desolaverunt*, Ps. LXXVIII. Tertia bestia est pardus, qui est totus varius, in quo signatur fallacia simulatorum, quia simulator semper est varius et diversus; est enim alter in ore, alter in corde, alter in verbo, alter in facto, alter in via, alter in foro: de quo Eccles. XXVIII: *Pardus lædens eos*. Dicitur autem habere quatuor alas quibus ascendere et promoveri nititur: prima ala est amicitia seu sapientia parturiens; qua quantum possunt faciunt, ut habeant intentum; et ista est ala Cherub, quæ tangit parietem, III Reg. VI. Secunda ala est abundantia largiens; quia si non possunt prima via obtinere quod volunt, statim vertunt se ad munera; et est similitudo manus sub alis eorum, Ezech. X. Tertia ala est apparentia mentiens, quia fingunt et prætendunt externus mirabilem sanctitatem, quasi sit aquila grandis per contemplationem magnarum aquarum, Ezech. XVII. Quarta est applaudentia blandiens: applaudunt enim majoribus ut desiderata adipiscantur; quod summe debet cavere prælatus, quia tali dicitur Isa. XVIII: *Væ terræ Cymbalo alarum, quæ est trans flumen Æthiopiæ, quæ mittit mare legatos, et in vasis papyri super aquas*; et ideo dixit quidam per hunc cuidam adulanti et laudanti se: Quid me mihi laudas? numquid tu me mihi vendere vis? Sed hæc bestia describitur habere quatuor capita: in capite vero intentio designatur: quia tales ad quatuor principaliter intendunt: scilicet vel a nativitate superbire, ut præ aliis exaltentur: talis fuit Absalon cujus caput adhæsit quercui, II Reg. XVIII; vel ad voluptatem luxuriæ, ut in ipsa volutentur, Eccl. XXV: *Non est caput nequius super caput colubri*; vel ad voluptatem lasciviæ, ut in ipsa recreentur, contra quos Psal. VII: *Convertetur dolor ejus in caput ipsius*: vel ad voluntatem maledicentiæ, seu duritiæ, ut in ipsa firmentur, contra quos Psal. CXXXIX: *Caput circuitus eorum*. Quarta bestia est innominabilis, et terribilis, et aliis dominatrix, habens dentes ferreos etc., in qua designatur æmulatorum malitia: ista est bestia de qua Genes. XXXVII: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph*; in hac enim bestia, omnes malitiæ præcedentium includuntur, quia æmulator omnia mala aliorum comprehendit. Unde et habet sævitiam tyrannorum, et ideo dicitur bestia terribilis, et ideo terribilem habet sessorem, II Machab. III: et perfidiam hæreticorum, et ideo dicitur mirabilis, Psal. XCII, *Mirabiles elationes maris*, quia sola elatio facit hæreticos a catholicis discrepare; et fallaciam simulatorum, et ideo dicitur fortis nimis, de quibus Ps. LIII: *Fortes quæsierunt animam meam, et non proposuerunt etc.* Describitur autem quod dentibus devorat, pedibus calcat, cornibus pugnat. Per dentes designantur seductores; per pedes, saltatores; per cornua, certatores: habent enim æmulatores suos seductores, a quibus alii seducuntur, et hi dentes ipsorum, Ps. LVI: *Filii hominum dentes eorum*: habent suos sectatores, qui eos imitantur, et hi pedes eorum Prov. I: *Pedes eorum ad malum currunt*: habent suos certatores qui pro ipsis prælientur, et hi cornua eorum: hæc sunt cornua ferrea quæ fecit sibi Sedechias Chanaan dicens: his ventilabo

Syriam, III Reg. xxii. Sed nota quod cornua erant decem, ex quibus tribus evulsis septem remanserunt : quia decem sunt modi detractionis, quibus æmulatores detrahunt, et septem diabolo subjiciuntur, tria vero diriguntur. Primum cornu est in absentia male loqui, et detrahere. Secundum est, modis quibus potest malum inquirere. Tertium est, malum quod scit, divulgare. Quartum est despectio : si audit malum de aliquo, despicit, et movet caput, nec loquitur ore sed nutu, dicens : bene scimus quis et qualis est ille ; et facit pejus quam si dictis loqueretur ; ingerendo aliis suspicionem. Quintum est denegatio. Si enim audit, audet confessum contra denegare dicens : non fecit, non fecit ista intentione. Sextum est adulatio : quia si non potest aliter detrahere, adulatur Prælato, ut possit eum confundere. Septimum est accusatio quia innocentem semper accusat. Et hæc septem cornua in ortu cornu parvuli destruuntur : per quod intelligitur Diabolus cui detractores hujusmodi subjiciuntur cum quibus pugnat contra innocentes, de quo scribitur Daniel. vii : *Et ecce aliud cornu faciebat bellum contra sanctos* : sic tria alia cornua destruuntur, scilicet conscientia sui, amicitia proximi, reverentia seu honore Prælati. Æmulator enim quando vult detrahere, dicit quod conscientia illum movet vel amicitia proximi, dicendo : Ego diligo eum ; vel reverentia Prælati, dicendo prælato : Ego dico hoc propter reverentiam vel honorem vestrum, ne ullum malum possit sub regimine vestro fieri vel vos latere ; et tunc ista non dicit nisi ut possit solum detrahere, seu voluntate detrahendi ; et sic nec est conscientia sui, nec amicitia proximi, nec reverentia Prælati. Propter quod Psal. lxxiv, dicitur, *omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi.*

Secunda moralitas est, quantum ad palmam seu victoriam : unde nota quod omnia prædicta destruuntur per judicem quem describit sic dicens : quod erat antiquus dierum, et vestimentum ejus quasi nix, et capilli ejus quasi lana etc. In antiquitate notatur sapientia Job. xii, in vestimenti candore seu venustate, pudicitia, de quo Eccles. ix : *Omni tempore vestimenta tua sint candida* ; in capillorum albedine seu canitie, reverentia ; quia capilli ejus ad cujus pedes cecidit Joannes, Apocal. i, et cui viginti quatuor seniores honorem exhibebant, erant candidi tanquam lana alba : in throno justitia. Ps. xliv : *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis virga regni tui* ; in rotarum velocitate, strenuitas, quia *sagittæ equorum ejus ut silex, et rotæ ejus quasi impetus tempestatis*, Is. v. In fluvii rapiditate, celeritas, Isa. lix : *Timebunt qui ab occidente, nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit.* In assistentia Angelorum, celebritas, qui *ipsi assistunt Dominatori universæ terræ.* Zach. iv. In ministerio eorumdem, nobilitas, quia *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*, Hebr. i. In millenario multiplicato perfectio gloriæ, Apocal. v : *Numerus eorum millium, dicentium voce magna, dignus es Agnus etc.* In centenario, perfectio gratiæ : quia qui sunt in gratia *centuplum accipient, et vitam æternam possidebunt*, Matth. xix. In denario autem perfectio naturæ angelicæ designatur.

Quantum ad victoriam Christi nota, quod venit in nubibus per humanæ naturæ assumptionem, Luc. xxi : *Videbunt filium hominis venientem in nubibus* ; pervenit ad antiquum dierum per æternam durationem, unde Sapientia increata dicit Prov. viii : *Ab æterno ordinata sum et ex antiquis antequam terra fieret* : et in conspectu ejus oblatus est ad nostram redemptionem, per mortalem et crudelem passionem, Is. liii : *Oblatus est quia ipse voluit.* Hebr. x : *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et dedit ei potestatem ad perversorum correctionem, Math. ultimo : *Data est potestas in cœlo et in terra.* Et honorem et regnum ad electorum promotionem, Apoc. v : *Dignus es, Domine, accipere librum* ; sequitur : *fecisti nos Deo nostro regnum.* Et omnes populi, quantum ad activos dicentes : *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus, confitebimur ei in sæculum.* Psalm. xcix ; tribus, quantum ad Prælatos ; quia *illuc ascenderunt tribus, Domini testimonium Israel ad confitendum nomini Domini*, Psal. cxxi : linguæ, quantum ad devotos seu contemplativos : servient ei dicentes, *lingua mea exultabit in justitiam tuam*, Psal. xv. Et potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur per violentiam, quia *non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore, donec veniat qui mittendus est*, Gen. xlix. Et regnum ejus

quod non corrumpetur per indeficientiam, quia *regnum meum non est de hoc mundo*, Joan. XVIII. Regi ergo huic sæculorum immortali et invisibili soli semper honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VIII.

Anno tertio regni Balthasar etc. Hic ponitur septima visio, quæ facta est post duos annos ab altera. In visione autem præcedenti habitus est principalis processus ultimæ tribulationis; in ista autem et sequentibus excitatur conflictus, præcedens ultimam tribulationem. Causa autem originalis hujus visionis fuit instinctus Spiritus sancti factus propter affectum devotionis, et conatum attentionis. Causa autem finalis est expositio initii præcedentis visionis. Causa vero materialis est de pugna regni Medorum et Græcorum, sub similitudine arietis et hirci inter Antiochum exorti, pugnantis contra Judæos quasi cornu modicum. Ex significatione vero principali historiæ notatur de pugna Ecclesiæ et Christianorum contra Antichristum, sicut patet infra per verba Gabrielis, quia in novissimo, id est in fine temporum dicit eam esse implendam. Et ideo verba addita cogunt eam intelligendam esse quantum ad aliud tempus, secundum unam regulam in principio datam, quæ est regula septima in qua dictum est, quod secundum Hieronymum *super Isaiam*, semper in fine cujuslibet prophetiæ subnectentur aliqua, in quibus declaratur attentio prophetalis : unde hæc visio est de præliis futurorum regum in fine temporum, seu tempore Antichristi. Quantum ad formam vero visionis primo notanda est historia. Forma autem visionis talis. Quia primo ponitur visionis apparitio in principio. Secundo visionis expositio, ibi : *Factum est autem cum viderem ego Daniel.* Circa primum notat Scriptura tria. Primo decursum arietis seu regni Medorum, in principio. Secundo occursum hirci seu regni Græcorum, ibi : *Ecce autem hircus caprarum veniebat.* Tertio occursum cornu modici seu Antiochi Epiphanis contra populum Judæorum, ibi : *De uno autem ex iis egressum est cornu modicum.* Per simile autem cogit expositio intelligi visionem de tempore Antichristi, quia ponet oves a dextris, hædos autem a sinistris. In ariete enim intelligitur potentia ritus Ecclesiæ sanctorum : in hirco vero potentia Ecclesiæ malignorum : in cornu vero modico exterminium potentiæ Antichristianorum.

Quantum ad decursum regni Medorum significatum per arietem, notat primo Scriptura statum ejus initialem, cum dicitur : *Anno tertio regni Balthasar.* Hactenus de quatuor regnis in somno Nabuchodonosor in sua visione Propheta disseruit : quod enim hic significatur per bestiam, illic per statuæ membra : quod hic per filium hominis veniente in nubibus, ibi per lapidem abscissum sine manibus : quod hic facit judiciaria condemnatio, ut subderet sibi omnia, ibi, contritio statuæ, quia comminuta sunt omnia : hic populus sanctorum totum occupat orbem sicut ibi, lapis totam terram occupat, crescens in magnum montem. Hæc autem dicta sunt hic quamquam pertineant ad præcedentem, quia hæ et sequentes sunt quasi expositio præcedentis. *Anno ergo tertio regni Balthasar*, id est post duos annos præcedentis visionis, *Visio apparuit mihi*, quasi subito, ut inferatur, *Post id quod videram in principio*, id est in primo anno regni Balthasar, *Cum essem in Susis castro*, hæc est metropolis regionis Ælamitarum : et dicitur castrum propter fortalitii firmitatem, ubi Daniel turrim excelsam in quadro ædificavit ex marmore, secundum Josephum. *Super portam Ulai*, nomen proprium est portæ civitatis Susis, supra quam propheta se esse vidit, sicut Romæ dicitur porta Tiburtina. *Et levavi oculos meos*, primo in cœlum ad Dominum levavit, et deinde quæ inferius erant vidit, scilicet arietem et paludem : aliter magis esset demittere quam levare. Vel levavi, id est aperui, ideo quia ut in somniis non videmus aliud nisi oculis elevatis. *Et ecce aries ante paludem habens cornua excelsa.* Cornua excelsa arietis sunt duo reges excelsi, scilicet Darius et Cyrus, rex Medorum et Persarum, *Unum autem excelsius altero*, quia Cyrus majoris gloriæ fuit quam Darius ; et adeo, *succrescens*, ut in brevi totam sibi Asiam subjugaret. Secundo notat statum ipsius seu decursum linealem medium seu principalem, cum dicitur : *Postea vidi arietem*, scilicet ipsum regnum Medorum, licet per alium regem, quia per ultimum Darium qui pugnavit contra Alexandrum, ut dicitur I Machab. I, a quo fuit victus, *ventilantem*.

id est septentrionem, capitis moventem orientem. *Contra occidentem et contra aquilonem et contra meridiem*, quia potestas Persarum in crudelitate præcipua fuit, contra cunctas mundi partes quasi cornibus ventilabat. *Et omnes bestiæ*, id est nulli feroces terræ reges contra Persarum potuerunt suis viribus resistere. *Neque de manu ejus*, propriis laboribus liberari. Tertio notat ipsius statum finalem, cum dicitur: *Fecitque secundum voluntatem suam*, supple de regnis aliis, usque ad regnum Alexandri filii Philippi, de quo dicitur primo quod obtinuit regnum Medorum. *Et ego intelligebam*, ex superioribus designari regnum per superbiam et ampliari ipsum per magnificentiam, secundum quod regnum hoc exposuit Danieli infra Gabriel, seu docuit eum.

Quantum ad decursum regni Græcorum significati per hircum, cum dicitur: *Ecce autem hircus caprarum*, notat primo Scriptura regni Græcorum sicut in præcedenti statum initialem, cum dicitur: *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente*, quia ab occidente in orientem erat præcipua potestas Persarum. *Super faciem totius terræ et non tangebat terram*, quia Alexander contra ultimum Darium regem Persarum, cum tanta festinatione venit, ut potius volasse quam venisse videretur. *Porro hircus habebat cornu insigne*, id est Alexander fortitudinem magnam habebat, quo in toto orbe nullus fortior. *Et venit usque ad arietem cornutum in porta*, quem supra dixerat ante paludem: ubi contra Persas irruit, quia circa vicinum fluvium Darii duces superavit. *Et efferatus est in eum*, id est fervidiore more impegit in eum. *Et percussit*, id est occidit, sicut patet I Machab. I, ad extremum Darium. *Et comminuit duo cornua*, id est duas partes principales, scilicet Medos et Persas subjugavit, totum regnum sibi subjecit. Secundo notat ipsius decursum linealem, cum dicitur: *Cumque misisset eum in terram*, scilicet arietem, *conculcavit*, id est humiliavit ejus superbiam, quia super omnes orbis partes levabatur. *Et nemo quibat liberare eum de manu ejus*, quia nemo ei auxiliatus est. Tertio notat ipsius terminum finalem, cum dicitur: *Hircus autem caprarum magnus factus est*, quia Alexander cunctis regionibus imperavit, ut dicitur I Mach. I. *Cumque crevisset, fractum est cornu magnum.* Quæ sequuntur ex nunc inferius ab Angelo exponuntur. *Orta sunt quatuor cornua*, quia mortuo Alexandro in Babylone trigesimo anno ætatis suæ, quatuor duces ejus sibi imperium diviserunt, ut supra dictum. *Per quatuor ventos cœli*, id est per quatuor partes principales mundi ex quibus oriuntur principales venti.

Quantum ad decursum Antiochi Epiphanis contra populum Judæorum significati per cornu modicum, cum dicitur: *De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicum*, notat primo Scriptura statum ipsius initialem, cum dicitur: *De uno autem ex eis*, id est de regno Syriæ, de posteris Seleuci qui fuit unus ex quatuor successoribus, *egressum est cornu modicum*, quia ex illo ortus est Antiochus Epiphanes qui fuit primo modicus, postea grandis, *contra meridiem*, id est Ægyptum, *orientem*, id est Persidem, *fortitudinem*, id est Judæam, eo quod electi sunt fortes vallati custodia Angelorum. *Et ejecit de fortitudine et de stellis*, quia plurimos Judæorum idololatriæ subjecit, sicut patet I Machab. I; *Et usque ad principem fortitudinis magnificatus est*, ita ut contra Dei fortitudinem quæ in Judæa principabatur, insurgeret, et ejus cultum evacuare niteretur: nam primo contra Ptolomæum regem Ægypti dimicavit, sicut patet I Machab. II, postea res novas moliebatur, in Perside tandem contra Judæos veniens, simulacrum Jovis in templo statuit. *Et ab eo tulit juge*, id est quotidianum, *sacrificium*, ne ibi offerretur, *Et dejecit locum sanctificationis ejus*, scilicet Jerusalem, ubi templum erat sanctificatum, in quo idolis immolabant. Secundo nota decursum ipsius linealem, cum dicitur: *Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata*, quia propter peccata Israelitarum in Jerusalem permisit regnare hypocritam super eos. *Et prosternetur veritas in terra*, id est verus Dei cultus et lex cultu idolorum prævalente. *Et prosperabitur*, supple idololatria, *et faciet*, idololatria quidquid voluerit contra Jerusalem et templum prosperis successibus. Tertio notat ipsius statum seu terminum finalem, cum dicitur: *Et audivi unum de sanctis loquentem*, quia videbatur ei in somnis unum Angelum colloquentem uni, quæsivisse ab eo cui loquebatur, *Usquequo visio et juge sacrificium*, desolaretur, *et peccatum*, propter quod acciderat illa desolatio, expiaretur, et templum et sanctus populus conculcaretur. Visio est lex illuminans,

et lux, ut dicit Sapiens : fortitudo est populus. Angelus vates. *Et dixit ei : usque ad vesperam et mane* : quasi diceret : desolatio durabit diebus et noctibus succedentibus per duo millia et trecentos dies qui sunt anni sex et tres menses, quibus durabit vastitas Jerusalem sub Antiocho : de quibus tres fuerunt contaminationis templi, et sexto anno cum mense per Judam Machabæum templum purgatur, ut habetur II Machab. secundum Hieronymum.

Sequitur secunda pars principalis totius capitis, in qua tangitur visionis expositio, cum dicitur : *Factum est autem :* ubi notat Scriptura tria. Primo exponit mysterium arietis, quod est contra regnum Medorum et Persarum, cum dicitur : *Factum est autem cum viderem ego Daniel.* Secundo mysterium hirci quod est regnum Græcorum, ibi : *Porro hircus caprarum rex Græcorum est.* Tertio mysterium cornu modici, quod est regnum Assyriorum, id est Antichristianorum, cum dicitur : *Et post regnum eorum cum creverint iniquitates.*

Quantum ad mysterium arietis, primo Daniel intelligentiam requirit, cum dicitur : *Factum est autem etc.*, cum videret omnia supradicta et a Deo eorum quæreret intelligentiam, in forma hominis ante oculos ejus apparuit, sed quia Angeli apparent ut plurimum alati, ideo dicit : *Quasi species viri*, non omnino viro similis. Secundo Michael ei eam dari præcepit, cum dicitur : *Audivi vocem inter Ulai*, id est audivi vocem exeuntis inter muros Ulai dicentis : *Gabriel fac intelligere etc.*, quia visio hæc est de regnorum certaminibus et regnorum successibus ; ideo Gabriel præpositus prælii, huic officio mancipatur, nam Gabriel fortitudo Dei interpretatur. *Intelligere visionem.* Non ergo omnis Propheta quæ videt intelligit. Tertio Gabriel illi eam aperit, cum dicit : *Et venit et stetit.* Cum tamen venisset, *corrui*, fragilitatis meæ conscius, coram tam excellenti viro. *Et ait ad me : intellige fili hominis.* Ezechiel, Daniel, quia sæpe inter Angelos se esse noverant, ne eleventur, filii homini nuncupantur, ut homines se esse noverint. *Quoniam in tempore finis complebitur visio*, non in proximo, nec in tempore tuo, sed in fine sæculi complebitur. Ex quo patet quod id, quod sub Antiocho factum est, non cogit sub Antichristo in veritate non esse complendum. *Cumque loqueretur ad me, collapsus sum.* Prius ergo eum erexerat, et iterum his auditis perterritus in faciem corruit, ut supra hominem ea quæ dicuntur ostendat. *Et tetigit me*, id est confortando erexit, *in gradu meo*, scilicet super pedes meos, ut audirem et intelligerem quæ diceret : *Dixitque mihi ; ego ostendam tibi quæ futura sunt in novissimo maledictionis*, id est in ultimo tempore desolationis quæ indicatur Deuter. XXVII, trangressoribus legis : vel ultimo tempore illius maledicti hominis qui hoc facturus est. *Quoniam habet tempus finem suum,* id est non semper maledictio durabit. *Aries quem vidisti rex Medorum est.* Exponit visionem, ut supra dictum est.

Quantum ad mysterium hirci, cum dicitur : *Porro hircus caprarum.* Exponit primo quid significatur per hircum, in principio, *Porro hircus caprarum rex Græcorum est*, et patet. Secundo quid per cornu magnum, ibi : *Et cornu grande,* ipse est rex primus, scilicet Alexander qui primus regnavit in Græcia, I Machab. X. Tertio quid per cornu perditum et fractum, et successum aliorum quatuor, ibi : *Quod autem fracto illo*, quia per cornu fractum designatur mors Alexandri, per successum quatuor cornuum, successus quatuor regum qui diviserunt post ipsum sibi imperium ; et regnavit Ptolomæus in Ægypto, Seleucus in Syria, Philippus in Macedonia, Antiochus in Asia. Hi fuerunt de gente ejus, scilicet Macedones, vel de familiaribus, aut principibus ejus. Sed non successerum in fortitudine ejus, quia nullus æquiparatus est Alexandro in potentia et imperio.

Quantum ad mysterium cornu modici, quod est regnum Antichristianorum, cum dicitur : *Et post regnum eorum cum creverint iniquitates*, ubi ostenditur Antichristus contrarius toti Trinitati, notat Scriptura tria ; quia primo notat ipsum fore contrarium divinæ potestati, cum dicitur : *Post regnum eorum dum creverint iniquitates,* cum multiplicata fuerint mala in terra, ut dicitur I Machab. I : *Consurget rex impudens, quem nullam turpitudinem committere pudebit, Intelligens propositiones,* id est calliditates aliorum sua astutia præveniens et obscura dicta advertens, quia Antichristus omnium mores et conditiones sua astutia advertet, et secundum quod videbit unumquemque inclinatum, secundum hoc trahet ipsum

ad suum cultum, ut si quem viderit ambitiosum praebeat eum, et sic de ceteris conditionibus. *Et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis*, id est licet magna faciat et magna ostendat, non sua virtute hoc faciet, nec ei adscribendum est, sed demeritis aliorum, quia *propter peccata populi permittit Deus regnare hypocritam*, Job XXXIV. Secundo ostendit ipsum fore contrarium divinae sanctitati, cum dicitur: *Et supra quam credi potest universa vastabit et interficiet robustos*, sicut Antiochus Machabaeos et Judaeos sic Antichristus populum sanctorum, veros cultores Dei et Christianos qui ei acquiescunt. *Et dirigetur dolus in manu ejus*, quia dolose machinabitur et prospere succedit ei. Tertio ostendit contrarium fore divinae veritati, cum dicitur: *Cor suum magnificabit*, quia priori fortuna provocatus magna facere tentabit. *Et in copia rerum*, id est in stipendiis, *Occidet plurimos*, id est decipiet. *Et contra principem principum consurget*, propter copiam militum; *Et sine manu conteretur*; quia sicut Antiochus rediens de Perside infirmus morbo horribili et tristitia periit, sic Antichristus peribit non per manum hominis, sed eum *interficiet Dominus spiritu oris sui*, ut dicit Apostolus II Thess. II, et Isai. XI: *Spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et visio vespere et mane quae dicta est vera est*, id est per successionem temporum, sicut mane succedit ubique vesperi, veritas visionis apparebit, ut dicit Hieronymus. *Tu ergo visionem signa*, id est commenda memoriae aliquam enuntiationem, faciendo ne excidat; *Quia post multos dies*, id est non nisi post multa tempora complebitur; quasi diceret: obscura sunt quae dicuntur, nec intelligi poterunt, quousque rebus et operibus impleantur; *Et ego Daniel langui*, hic incitat nos ad amorem Dei, timorem et humilitatem; *langui*, terrore concussus, quia corpus meum jejunii attenuatione maceraverat; *Et faciebam opera*, a rege (supple) imperata, ut redderet omnia omnibus; *Et stupebam ad visionem*, id est super profunditate visionis; *Et non erat qui interpretaretur*; quia licet reges et regna cognoverit per Angelum, tamen personas regum singulares, et tempora quibus implenda esset visio, ignorabat; et ideo dubius fluctuabat, nullusque audiens ab eo interpretari noverat.

Argumenta litteralia sunt tria. Primum est, quod secundum Hieronymum, non possunt fieri visiones in somnis, sine aliquo aspectu mentis; et ideo dicitur: levavi oculos meos. Secundum est, quod Prophetis aliquando facta sunt visiones, absque plena revelatione significationis ipsarum, ut patet hic. Tertium est, quod aliquando Deus Prophetis revelat mysterium visionis, quoad unam partem, non quoad aliam; ut patet hic, quod Danieli facta fuit revelatio quoad personas in communi, tamen non quoad certas personas in singulari.

Sententiae dubiae sunt tres. Prima est, utrum haec visio possit intelligi de tempore Antichristi: quod non videtur, quia dicitur, quod haec tribulatio durabit per bis mille circiter dies, id est per sex annos cum tribus mensibus; sed tribulatio Antichristi non durabit nisi per tres annos cum dimidio. Dicendum quod haec visio non solum tangit tempus tribulationis Antichristi, sed etiam tempus praecedens ipsam. Secunda dubitatio est de hoc, quod dicit quod cessabit juge sacrificium. Si enim haec visio tangit tempus Antichristi, cum in Ecclesia Dei non sit aliud juge sacrificium nisi sacrificium altaris; videtur quod tunc illud deberet cessare; quod est contra illud Matth. ultimo: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*: quod intelligitur de sacramento altaris. Dicendum quod tunc cessabit, quantum ad solemnitatem solum, quia tunc missae publicae non celebrabuntur, sed occulte, sicut fuit in primitiva Ecclesia. Tertia dubitatio est de eo quod dicit, quod non erat qui ei interpretaretur visionem; contra quae statim dixerat, quod Michael dixit uni de assistentibus, fac ei cognoscere visionem, et statim Gabriel interpretatus est ei. Dicendum quod visio fuit ei interpretata quoad unam partem, et non quoad aliam; scilicet quoad personas impersonaliter sumptas, hoc est in generali; sed non in speciali, et hoc desiderabat ipse scire.

Sententia moralis. Prima est quantum ad visionis modum, in quo describitur tempus visionis, scilicet trium annorum: locus, scilicet Susis elevata super portam Ulai: qui enim vult visionem futurae tribulationis intelligere, oportet quod eam requirat tribus gradibus significatis per tres annos. Primus gradus seu annus est exercitium virtutis. Secundus gradus seu annus est exercitium meditationis. Tertius gradus seu annus est exercitium devotionis. Oportet etiam quod sit in Elam:

quod interpretatur superliminare, per considerationem divinæ potestatis : quod sit in Susis, quod interpretatur reprehensio sui per considerationem propriæ fragilitatis : quod sit super portam Ulai, quod interpretatur palus a palude, quæ modo virescit, modo desiccata albescit, per considerationem mundanæ mutabilitatis. Secunda moralitas est de ariete : in quo notatur potestas electorum ; per hircum vero potestas perversorum : unde omnes reges designati per arietem ampliaverunt cultum Dei ; designati vero per hircum impediverunt. Aries enim dux est ovium, quæ erunt a dextris : hircus vero dux eorum qui erunt a sinistris. Iste aries duo habebat cornua, quibus quatuor partes mundi ventilabat, et unum illorum erat excelsius reliquis. Per arietem intelligitur prælatus, qui debet esse dux simplicium : duo cornua sunt duæ potestates in Ecclesia, scilicet potestas divinæ corrigibilitatis et humanæ, quorum unum est excelsius reliquo, et in eo plus confidendum : vel duo cornua sunt prædicatio et correctio, et his duobus, scilicet per instantiam prædicationis, debet ventilare contra orientem humanæ lætitiæ, contra occidentem humanæ tristitiæ, contra aquilonem humanæ sævitiæ, contra meridiem humanæ astutiæ. Tertia moralitas est, de hirco habente cornu insigne inter oculos ; et frangitur inter quatuor cornua, ex quibus oritur cornu modicum. In hirco notatur perversitas malorum prælatorum seu principum iniquorum : et dicitur hircus propter fœditatem luxuriæ, hircus enim animal lubricum ; et propter facultatem superbiæ ; semper enim vult præcedere : propter voracitatem vanæ gloriæ, quia semper pascitur arborum summitates. Sed habet cornu insigne, scilicet ausum temeritatis ; semper enim credit se plus valere, et melius regere quam alii : sed in cornu, scilicet temeritas, frangitur in quatuor : scilicet in præsumptionem quia semper aspirat ad majora : secundo in machinationem, quia semper machinatur contra omnia, si quid videat sibi præesse. Tertio in æmulationem, quia semper aliis æmulatur. Quarto in defensationem, quia semper propria mala defendere conatur ; unde si arguatur, dicit, non feci ; vel si feci, bene feci ; vel si male feci, non multum male feci ; vel si multum male, non mala intentione, aut non feci solus : at si convincatur, statim aliena suasione se excusare nititur. Unde semper se defendit ; et ex istis præcipue, et ista ultima, oritur nequissima scilicet obstinatio malitiosorum ; talis enim obstinatur in sua malitia, et facit bellum, et elevatur adversus cultum Dei, et contra omne quod est honoris Dei, amoris proximi, timoris divini judicii, seu divinæ punitionis, vigoris, sanctæ operationis ; et hæc per ordinem posuit textus.

CAPUT IX.

In anno primo Darii filii Assueri etc., Hæc est octava visio, facta primo anno Darii. Habita ergo prima visione, qua describit ultimæ tribulationis decursum, et secunda qua describit ultimæ tribulationis conflictum, sequitur ista tertia, quæ describit ultimæ tribulationis solatium, ex consideratione passionis et Christi passi. Causa autem originalis hujus visionis est instinctus Spiritus sancti factus Danieli oranti, secundum affectum, et confitenti suum seu populi peccatum ac postulanti remedium. Causa autem finalis est, ut ostendatur tempus expiationis peccati, liberationis populi, occisionis Christi, desolationis templi, et consolationis temporis Antichristi. Causa autem materialis est de septuaginta hebdomadibus abbreviatis a tempore reædificationis Jerusalem, usque ad passionem Christi, ex cujus consideratione erit solatium tempore Antichristi, quo tempore erit maxime orationi et meditationi Christi insistendum. Causa autem formalis in divisione capitis consistit ; quæ talis est. Primo ponitur orationis meritum in principio. Secundo ostensionis seu revelationis terminus, infra ; *Cumque adhuc loquerer, et orarem et confiterer peccata mea.* Circa orationem notatur primo collectio seu conditio orantis in principio. Secundo, confessio peccantis, ibi : *Et oravi ad Dominum Deum meum.* Tertio, confusio petentis, seu postulantis, ibi : *Et nunc, Domine, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti.* Quantum ad collectionem, seu conditionem orantis, notatur primo a Scriptura tempus et hora, cum dicitur : *In primo anno Darii.* Ubi notandum ; quod licet Daniel intellexisset, ex verbis Jeremiæ Prophetæ, septuaginta hebdomadas, de captivitate populi sui impletas, post quas scilicet debebat populus liberari, et hoc Deus ordinasset, sicut

prædixerat Jeremias xxix cap., quia tamen propter peccata populi poterant differri; sicut in vindictam scelerum fuit diluvium per centum annos, propter peccata populi; ideo oravit Daniel, ne ultra liberatio populi differretur, et merito suæ orationis illud, et plura alia, obtinuit. *Anno primo Darii filii Assueri*, qui alio nomine dictus est Assuerus. *De semine Medorum. Qui imperavit super regnum Chaldæorum*. Signa ponit, scilicet genus Medorum, et victoriam Babyloniorum, ne propter similitudinem alium Darium esse credamus, qui imperavit, supple primus, super regnum Chaldæorum; unde eum dicit: *Ego Daniel intellexi in libris* scilicet apud Jeremiam Prophetam, cap. xxv: Et servient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis, et xxix cap.: Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos etc. Secundo tangitur motivum et causa orationis, cum dicitur: *Ut complerentur desolationes Jerusalem septuaginta anni*, sicut dictum est etc., intellexit quod jam implebantur desolationis Jerusalem septuaginta anni, sicut prædictum erat per Jeremiam xxix cap. Tertio tangitur modus et forma, cum dicitur: *Et posui faciem meam*, id est totam intentionem converti, quia ad rem cui diligenter attendimus, faciem non dorsum vertimus. *Ad Dominum meum rogare in jejunio*, id est abstinentia, quantum ad austeritatem, carnem macerans; *et cinere* quantum ad humilitatem seipsum humilians; in pulvere sedens rogat Dominum, ut suæ promissionis memor captivitatem suam in terram suam reverti faciat. Quantum ad confessionem peccantis, assumit peccatum populi per charitatis affectum quia ipse non erat talis ætatis, quando fuit ductus, ut posset talia commisisse; quod tangitur, ibi: *Et oravi Dominum Deum meum*. Ubi primo reserat malitias depravantes, scilicet omissionis et commissionis, contra fidem vel bonos mores, cum dicit: *Et oravi etc.*; non quia esset incredulus promissioni divinæ de populi liberatione, sed ne securitas negligentiam, negligentia superbiam, superbia vero pariat offensam, offensa vero retineat vel retardet, vel retrahat promissum, quod per suam Deus clementiam promisit. *Confessus sum et dixi*, et hoc debet primo in oratione fieri. *Obsecro, Domine Deus*, blanditur illi a quo impetrare intendit, ostendens eum potentem efficere quod promittit, in promisso autem veracem, quia, *custodiens pactum*, id est veritatem impletam fuisse, nisi peccata eorum quibus promiserat obstitissent; et ideo dicit, *diligentibus te*. Ergo, *Domine*, quia Dominus cui debemus servire, *Deus*, cui velle est facere, *magne*, incomprehensibilis sapientia, potentia et strenuitate, *terribilis*, et ideo captivantibus nos terrorem incutere potest, sicut olim Pharaoni et Sysaræ, ut necessario patres nostros haberent dimittere. *Custodiens pactum*, id est non retractasses promissum clementer factum, si custodissemus mandata tua, et dilexissemus te; *peccavimus*, et ideo juste pro peccatis nostris flagellamur, et offensis. Quia Daniel unus erat ex populo: propterea peccata populi enumerat quasi sua. *Peccavimus*, tuam justitiam deserendo. *Iniquitatem fecimus*, malum pro bono: *Impie egimus*, irreligiose contra divinum cultum operando. *Et recessimus* a mandatis tuis gradiendo. *Declinavimus a mandatis*, non formidando. *Ac a judiciis tuis*. Judicia sunt præcepta in quibus pro culpa certa imponitur pœna. Secundo annullat circumstantias excusantes, quæ sunt ignorantia et infirmitas, cum dicit: *Non obedivimus servis prophetis*, his qui se a te missos contestabantur. *Qui locuti sunt de nomine tuo regibus*; quidam enim solis regibus, quidam principibus, quidam populo, quidam simul omnibus prophetice loquebantur. *Tibi, Domine, justitia*: ex quo enim sic docuisti, juste patimur quod meruimus. *Nobis autem confusio faciei*; quia ut inobedientes et injusti, ad te oculos nostros levare confusi sumus. *Sicut est hodie*, id est hoc tempore. *Viro Juda*; duobus regnis nominatis, scilicet Juda et Israel, gradum sacerdotalem imposuit, scilicet habitatores Jerusalem, quia omnes communiter peccaverunt; et ideo omnes confusio involvit. *Propter iniquitates eorum*; quasi diceret: de terra nostra nos ejecisti, non tuæ crudelitati, sed eorum iniquitati attribuendum: *eorum*, dicit, non nostræ, quia parvulæ ætatis erat tempore ejectionis suæ, et ideo non poterat talia commisisse. *Tibi autem misericordia et propitiatio etc.* Superius attribuerat justitiæ, nunc attribuit clementiæ, ut animum judicis ad pietatem convertat. *Et non audivimus vocem Domini Dei nostri ut ambularemus in lege ejus, quam posuit nobis per servos suos Prophetas*. Licet decalogus proprie dicatur lex, tamen dicta prophetarum com-

muniter loquendo sunt lex, quia talis quam transgredi non licet. *Omnis Israel*, dicit quia tanta fuit paucitas legem custodientium, ut neminem exciperet. *Et declinaverunt ne custodirent vocem tuam*, quia divertebant a locis ubi prophetæ ejus prædicabant vel prædicare volebant. Tertio exaggerat conditiones aggravantes, quæ sunt obstinatio in peccatis et ingratitudo in beneficia, cum dicit : *Et stillavit super nos maledictio*, id est minutatim, sicut pluvia ruit : quasi diceret : non totam infudisti iram ad confundendum, sed misisti stillam furoris ad convertendum. Maledictio quæ legitur Deut. XXVIII contra peccatores. *Quia peccavimus ei, et statuit sermones suos supra nos*, id est verba quibus pœnam est comminatus transgressoribus vel prævaricatoribus, in nobis adimplevit. *Ut super induceret*, id est sic stabilitæ sunt super nos, ut magnum malum in eis contentum super nos induceretur. *Quale nunquam fuit sub omni cœlo*, id est sub aliqua parte cœli. *Et non rogavimus etc.* Grandis duritia, ut nec in plagis positi Dominum rogarent. Cujus ratio subditur, *Ut reverteremur ab iniquitatibus*, id est non sumus conversi ab iniquitate nostra, quod fit cogitando veritatem tuam, *Vigilavit Dominus super malitiam*, id est ad visitandum super nostram malitiam intendit : malitia enim dum inebriat, vigilando corrumpit, ut ebrios vigilare faciat, dormit vero deserendo cum dissimulat. Hoc Hieronymus. Et ideo : *Justus Dominus in omnibus operibus suis quæ fecit super nos*, id est adversus nos. *Non enim audivimus vocem ejus*, scilicet vocem legis et prophetarum.

Quantum vero ad confessionem postulantis seu petentis quæ tangitur, cum dicitur : *Et nunc, Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum*, notatur primo postulantis via quæ est amotio mali, cum dicitur : *Et nunc, Domine etc.*, quæ patent usque ibi : *Auferatur obsecro ira tua a monte sancto tuo*, scilicet Sion, ubi templum erat in Jerusalem, et patet usque ibi : *In opprobrium sunt*, id est omnes gentes exprobrant eis mala quæ patiuntur. *Nunc ergo exaudi Deus noster, etc.*, *et ostende faciem tuam*, ut appareat quod ejus memor es. Secundo postulantis fiducia, quia Dei clementiæ non nostræ justitiæ innititur : unde sequitur, *Propter temetipsum*, id est propter solam bonitatem tuam et misericordiam. *Inclina, Deus meus, aurem tuam, vide desolationem nostram et civitatis sanctæ super quam invocatum est nomen tuum.* Inclina Deus, dicit ut exaudiat; quia quando non inclinat aurem ad parcendum vel convertit oculos ad miserendum oranti, tunc non exaudire vel respicere preces, dicitur. *Neque enim in justificationibus*, id est in nostris justificationibus, sed potius de tua misericordia confisi preces fundimus. Tertio postulantis instantia quæ est collocatio boni, quia petit cum dilatione sive devotione, cum dicitur : *Exaudi, Domine, placare, Domine*, juste nobis iratus. *Ne moreris.* Cupientis animo nil satis festinatur, quia omnis mora damnosa sibi videtur. *Quia nomen tuum invocatum est super civitatem* : quasi diceret : ne moreris, quia civitas et populus tuæ ditionis sunt et te in Dominum volunt. Nota quod in qualibet istarum confessionum seipsum accusat et excusat Dominum, et hæc est nobilis confessio.

Sequitur pars secunda totius cap. principalis, in qua notat Scriptura ostensionis seu visionis et revelationis modum, cum dicitur : *Cumque adhuc loquerer et orarem.* In qua primo Scriptura notat videntis excitationem in principio. Secundo visionis Jeremiæ expositionem, ibi : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.* Tertio in futurum extensionem, ibi : *Et civitatem et sanctuarium dissipavit.* Circa excitationem notandum, quod primo Angelus juxta actus hierarchicos purgat Danielis affectum, cum dicitur : *Cumque adhuc loquerer et orarem.* Ecce magna humilitas : cum peccata non fecerit, populo peccatori se adjungit, ut ex humilitate veniam consequatur. *Confiterer.* Confessio frequenter non in pœnitentiam sed in laudem sonat; quia secundum Chrysostomum sicut est confessio criminis, ita est confessio laudis : de qua Psalm. XCV : *Et pulchritudo in conspectu ejus.* Cetera patent. *Et ecce vir Gabriel*, virum vocat, quia in forma humana apparuit : vel vocat virum et non sexum sed virtutem ostendat. *A principio*, id est in visione præcedenti, ut dicitur : Gabriel fac intelligere visionem. *Cito* : Grandis orationis effectus, quia adhuc Daniele loquente impletur. *Volans*, quia festinus uti volans. Vel volans dicitur, quia forte in specie qua communiter Angeli cum alis describi solent, ad designandam eorum cœlestem habitationem, aut promptitudinem ac agilitatem in exequendo di-

visus manifeste, ipsum accessit. *Tetigit me in tempore sacrificii vespertini.* A matutino usque ad vespertinum sacrificium in oratione perseveraverat; et ideo exauditur. *Tetigit me*, cum orationi deditus eram, non per aliud intentum. *Docuit me*, septuaginta annos desolationis nondum esse completos, ut putaverunt, et ostendit quæ populo similiter eventura erant, ut infra habetur. Secundo illuminat ejus intellectum per appositionem, cum dicitur: *Dixitque: Daniel, nunc egressus sum*, verba loquens. Scriptura enim quandoque aliter verbis, ut quando dicit, quod Angelus de thalamo Dei est egressus, ut ad Prophetam veniret, loquitur Scriptura, ut de quodam potente ministros suos ad negotia et varia loca destinare. *Egressum* ergo non regressum a Deo, sed accessum designat. *Ut docerem te*, quod per te intelligere non valeres, quia obscura est visio prophetiæ ipsius Jeremiæ de liberatione et completione desolationis populi: et ideo: *Ab exordio precum tuarum*, quia statim ut rogare cœpisti, misericordiam impetrasti, et sermo Domini injunctus est mihi referendus. *Quia tu desideriorum es*, id est magna desideria et vehementem habes desiderii ad liberationem tuorum et intelligentiam secretorum; et ideo statim meruisti exaudiri. Tertio pervenit sive excitat ejus conatum per attentionem, cum dicitur: *Tu ergo animadverte*, id est totum recollige et intellige visionem et prophetiam Jeremiæ de septuaginta annis desolationis quam nondum intellexisti. Neque enim adhuc viderat veritatem visionis, neque annos desolationis; sed quia completos credebat et captivitas laxata non erat, pro ejus laxatione anxie Dominum supplicabat; et ideo Angelus intellectum et prophetiam facilem ostendit; et quoniam captivitas in hac prophetia designata usque ad Christum laxanda non erat. Circa visionis expositionem quæ est de Christi adventu et morte, tangitur primo fructus descendentis, cum dicitur: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.* Hebdomadæ septuaginta septimanæ annorum sunt, quæ faciunt quadringentos nonaginta annos, qui sunt dispositi a Deo, ut populus et civitas molestetur. Dicit autem: *Abbreviatæ sunt*, quia hebdomadæ illæ annorum, secundum annos lunares, qui sunt minores solaribus, debent sumi, quia annus solaris habet plus undecim dies quam lunaris, et hi undecim dies dicuntur Epacta, id est adjuncta pars ad annum lunarem; unde quando annus solaris habet ex collectione illarum Epactarum unam lunam, tunc habet tredecim lunationes et illa lunatio tertia decima dicitur Embolismalis et annus ille dicitur Embolismalis, id est prævalens una lunatione. Dicit ergo: *Super populum et super urbem sanctam tuam*, populum scilicet Israeliticum et urbem nempe Jerusalem; populum tuum, sicut dicitur Exod. XXXII: *Peccavit populus tuus quasi non meus quia me deseruit. Et consummetur prævaricatio*, id est in istis septimanis solvetur captivitas, quia in illis expiabitur falsitas. *Et finem accipiat peccatum et deleatur iniquitas*, quæ causæ captivitatis extiterunt. *Et adducatur justitia sempiterna*: quia Christus nascetur qui vincet justitiam legis. *Et impleatur visio*, quia ex tunc prophetalis visio non invenietur in Israel. *Et ungatur sanctus sanctorum*, cui dicitur Psalm. XLIV: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* Secundo tangitur tempus venientis, cum dicitur: *Scito ergo et animadverte*: quasi diceret: omnia quæ dicta sunt fient in illis septimanis. Nunc autem vide per partes quo ordine complebuntur quæ modo sperantur: *animadverte*, scilicet quomodo accident per partes quæ ventura sunt. *Usque ad Christum Ducem ab exitu sermonis ut reædificetur Jerusalem*, id est vigesimo anno Artaxersis a quo data est licentia reædificandi Jerusalem, ut Nehemiæ II cap. dicitur: *Hebdomades septem et hebdomades sexaginta duæ*, id est a data licentia ab Artaxerse et septem hebdomadibus reædificabitur Jerusalem et muri ejus per Nehemiam in circuitu. *Et plateæ ejus in angustia temporum*, quia in tribulatione et angustia graviter eos opprimente magistratuum iniquitate hostium crudelitate, domesticorum etiam cupiditate, ita ut liberos suos pro victu vendere cogerentur, sicut patet Nehemiæ IV cap. Tertio tangitur modus passionis, cum dicitur: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*, id est post illas septem hebdomadas in quibus reædificabitur civitas, *Et post illas hebdomadas sexaginta duas* (supple sequentes septem postpositas), id est quadringentos quadraginta et unum annos completos, id est septima hebdomada sequenti, *Occidetur Christus et non erit ejus populus.* Exponitur a quibus occidetur, quia a populo quondam suo a

quo negabitur, nec ei credetur, cum dicturi sunt, non habemus regem nisi Cæsarem : item : tolle, tolle, crucifige eum. Unde cum dicit : *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus*, subdit pœnam prædictæ occisionis et negationis : quia populus romanus cum duce Vespasiano, *Civitatem et sanctuarium dissipabit*, scilicet populus dominans venturus, idest qui in futurum est dominaturus. *Et finis ejus vastitas*, id est finis ipsius erit romana destructio et vastatio ejus. *Et post finem belli*, id est non solum tunc per bellum devastabitur, sed durabit desolatio in æternum per divinum statutum, quia Jerusalem conculcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum, Lucæ XI. Unde cum dicit : *Confirmabit autem pactum*, addit quid ad instantiam orationis Danielis subsequetur: In quo ostendit, quare hanc hebdomadam separaverit ab aliis ; quia licet facta sunt in ea opera insignia, nam transactis tribus annis et dimidio Christus baptizatus est et Joannes in tertio cœperat baptizare, in alia autem medietate circa finem occisus est, et ita hebdomada adjuncta confirmavit pactum redemptionis nostræ. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia*, id est ultima medietate circa finem deficiet hostia, quia adveniente veritate cessabunt verba, *Et erit in templo abominatio desolationis*, id est abominanda et desolata erunt sacrificia post mortem Christi secundum quosdam. Sed hoc non concordat sententiæ Evangelii ; et ideo dicendum, quod ibi loquitur de desolatione futura post passionem, quando Ælius Adrianus idolum abominandum posuit in templo Jerosolymæ cujus funditus destructa est civitas, nunquam ulterius reædificanda. Et ideo sequitur. *Et usque ad consummationem et finem durabit hæc desolatio*, hoc est non consummabitur usque ad finem temporis.

Vocabula obscura patent in littera.

Argumenta litteralia sunt quatuor. Primum est quod in rebus a Deo promissis et ordinatis non est dimittenda oratio, propter securitatem orationis divinæ, quia magna securitas in promissis parit offensam, et sicut propter offensam patientia vel vindicta aliquando acceleratur, sicut patet de tempore Noe populo ad pœnitendum dato, quod propter securitatem et abusum fuit abbreviatum, sicut dictum est, sic et de beneficio a Deo conferendo. Unde Daniel, licet intelligeret ex prophetia Jeremiæ, quod septuaginta hebdomadæ essent præordinatæ a Deo usque ad tempus Christi, tamen adhuc non cessavit orare, ut sic fieret, nec differretur ultra.

Secundum est, quod quilibet debet deflere et confiteri peccata proximi sui, quasi sua ; et debet confitenti maxime compati. Tertium est, quod quando Deus punit malitias nostras, tunc dicitur vigilare super nos, ut patet ibi, et vigilavit Dominus : quando vero dissimulat dicitur dormire. Quartum est, quod ad preces hominis devoti, statim cum orare incipit, Deus exaudit et assistunt Angeli ; et ideo statim ab exordio precum Danielis Deus eum exaudivit et Angelus adfuit. Unde videtur secundum illud Psalm. LXVII : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus etc.* : quasi dicat quod Angeli sunt principes qui prævenerunt orantes et cantantes, scilicet devotos homines, qui in medio creaturarum excitant hominem ad laudem sui creatoris tanquam puellæ tympanistriæ ad gaudium homines excitantes, ut tales homines devoti sic laudent Dominum.

Sententiæ dubiæ sunt sex. Prima est quare Daniel et intelligens ex Scripturis tempus liberationis populi, ita ferside pro ipsa Deum orabat. Respondetur primo quod non certo et infallibiliter durationem temporis captivitatis sciebat Daniel. Vel secundo dicendum, quod Daniel orabat, timens ne propter peccata quæ in dies committebat populus, illum Deus in captivitate detineret : non enim existimabat Daniel, tempus illud esse præfixum, secundum absolutum Dei æternum decretum. Aut tertio responderi potest, secundum Hieronymum, quod Daniel oravit ne securitas pareret negligentiam, et negligentia pareret Dei offensam etc., ut in littera dictum est. Quarto respondetur quod Daniel oravit ut quod Deus misericorditer promiserat, per ipsius orationem impleret. Aut quinto dici potest, quod cum præcedenti in idem fere coincidit, quod sic erat decretum a Deo ut per orationem deberet impleri ; sub divino enim decreto non solum cadit effectus, verum etiam modus effectus. Secunda dubitatio est, utrum septuaginta hebdomadæ sint accipiendæ annorum vel dierum. Dicendum quod accipiendæ sunt hebdomadæ annorum non dierum, sicut apud Danielem IV cap. *dormies super latus tuum quadraginta diebus, diem in-*

quod, pro anno dabo tibi. Et in hoc etiam conveniunt omnes, tum Judæi, quam Græci et Latini: quia si acciperentur hebdomadæ dierum, cum nec post visionem, nec post exordium sermonis acciderit aliquid notabile, nec vixit Christus, nec fuit occisus, etiam ubicumque eas incipias computare, non fuissent completa quæ dicuntur isto cap.: quare sunt accipiendæ hebdomadæ annorum, non dierum. Tertia dubitatio est, utrum sint hebdomadæ annorum solarium vel lunarium. Dicendum quod solarium: quod patet quia dicuntur hebdomadæ abbreviatæ; quia annus qui constat ex tredecim mensibus superat lunarem, qui constat ex tredecim lunationibus, in undecim diebus; quia tredecim menses solares habent trecentos sexaginta quinque dies, anni autem lunares non habent nisi trecentos quinquaginta quatuor; ac per hoc hebdomadæ annorum lunarium in septuaginta septem diebus superantur. Item patet ex hoc, quia Scriptura computat annos lunares et menses; quia primam diem mensis vocat neomeniam, seu lunam primam; et undecimam diem mensis vocat lunam undecimam, sicut patet Exod. XII, et in multis aliis locis Scripturæ; et tamen nec prima luna prima dies est, nec undecima luna est undecimus dies mensis solaris; tum quia omnes [illegible] Hierosolymitanæ factæ secundum hebræos currunt per annos lunares et menses, ex quibus patet computum Scripturæ currere per annos lunares. Quarta dubitatio est, et quæritur, hoc supposito, ubi debeamus hebdomadas numerare: utrum scilicet a tempore quo Angelus loquebatur Danieli, sicut dicunt hebræi, quod fuit anno primo Darii, qui interfecit Balthasar, ut habetur supra v cap.: quod probant ex eo, quod dicitur hoc capite: scito ergo et animadverte ab exitu sermonis ut iterum reædificaretur Jerusalem, etc.; ac per hoc dicunt ipsas esse completas sub Ælio Adriano Imperatore, sub quo reædificata est civitas primo per Vespasianum destructa, etiam postea rebellantibus Judæis per ducem exercitus Ælii Adriani, et deinde in loco ubi Christus passus est reædificata. Sed dicendum, secundum Hieronymum et Bedam, quod sunt computandæ a vigesimo anno Artaxersis, quando Nehemias impetravit licentiam a rege reparandi muros Jerusalem, sicut habetur Nehemiæ II: quod patet ex hoc quod hic dicitur: Animadverte ab exitu sermonis ut reædificetur Jerusalem etc.: ergo a licentia reædificandi Jerusalem est numerus inchoandus hebdomadarum. Item patet per Chronicas regni Persarum, Græcorum et Romanorum, usque ad nativitatem Christi, quibus nos oportet credere in computatione temporum usque ad Christum, cum ex Scriptura clare non habeatur: regni enim Persarum supputantur anni ducenti triginta a primo anno Cyri Persarum regis, qui regnavit post dictum Darium, post illos vero Macedonum supputantur trecenti; postea vero usque ad nativitatem Christi triginta. Ergo ab initio Cyri regis Persarum usque ad nativitatem Christi sunt anni quingenti sexaginta, ex quibus quadringenti nonaginta novem faciunt septuaginta hebdomadas lunares completas, ut patet numeranti; ergo superfluunt usque ad nativitatem Christi anni septuaginta, qui faciunt hebdomadas decem, et sic falsa est præfata Judæorum computatio. Supposito autem quod computatio incipiat a vigesimo anno Artaxersis, ut dictum est, probatur de necessitate septuaginta hebdomades completas esse. Nam a vigesimo anno Artaxersis usque ad decimum octavum Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, computantur quadringenti et septuaginta quinque anni solares, ut patet per prædictas Chronicas: quadringenti autem et septuaginta quinque anni solares faciunt quadringentos et nonaginta annos lunares; hi autem faciunt hebdomadas septuaginta; ergo vere sunt completæ prædictæ hebdomadæ decimo octavo anno Tiberii Cæsaris, ac per hoc in morte Christi. Quod autem quadringenti et septuaginta quinque anni solares faciant quadringentos et nonaginta lunares, patet manifeste per computationem colligendo excrescentias tot annorum solarium ad totidem annos lunares, quia annus solaris excedit annum lunarem in undecim diebus, ut supra dictum est. Excrescentia autem quadringentorum septuaginta quinque annorum solarium facit quindecim annos præter quinque menses, qui supplentur ex decimo octavo anno Tiberii Cæsaris in quo passus est Dominus, ac per hoc quadringenti nonaginta anni lunares, qui sunt septuaginta hebdomadæ annorum completi. Quinta dubitatio est, quare distinguantur hebdomadæ in septem et sexaginta duas, et in unam hebdomadas: utrum talis modus

ponendi istum numerum designet aliquid, vel non. Dicunt autem Judæi, hic esse proprietatem Hebraici idiomatis, et antiquæ locutionis vel latinitatis, ut semper numerum minorem præponat majori: nos enim dicimus juxta morem linguæ nostræ, Abraham vixit centum et septuaginta annis. Si hæc ratio esset vera, tunc debuisset sic dixisse: post duas et septem et sexaginta hebdomadas occidetur Christus. Et ideo dic rationem quam Angelus insinuat; cum enim dixisset, usque ad Christum ducem hebdomadæ septem et sexaginta duæ erunt; subdit rationem distinctionis dicens: ideo præmisi septem, quia in illo tempore, scilicet in quadraginta novem annis, reædificabitur Jerusalem, licet cum repugnantia hostium, ut patet Nehemiæ IV cap.: ideo hoc est singulariter memoriæ tenendum: addidit vero sexaginta duas ad designandum tempus prædicationis Joannis Baptistæ, sive ad ultimum, in cujus fine occidetur Christus: ideo autem unam hebdomadam, scilicet ultimam, separavi ab aliis, quia in illa scilicet fient opera privilegiata, et singulari memoria digna, scilicet tempore prædicationis Joannis et Christi; et ideo singularis numerata est illa ultima hebdomada. Sexta dubitatio potest esse de quo tempore intelligatur id quod dicitur de abominatione desolationis quæ erit in templo. Nam aliqui existimant in tempore finali hoc esse adimplendum, per Antichristum scilicet, quem putant in templo Jerosolymitano esse adorandum tanquam Messiam: pro quorum autem opinione facit quod Christus, Matth. XXIV, illam de tempore finali exposuisse videtur. Nam postquam ibidem abominationem desolationis prædictam in hoc cap., Danielis commemorasset, subjungit immediate subsecuturas tunc magnas illas calamitates et afflictiones, signaque quæ tempore finali futura prænunciantur: ergo præfata abominatio desolationis, Christo interprete, in finali tempore subsequetur. Sed nihilominus dicendum est, quod hoc stare non potest: eo quod dicta abominatio desolationis implicet, ab Angelo in vindictam occisionis Christi parum post hebdomadum impletionem futura. Quapropter dicendum est, quod intelligatur de abominatione desolationis, quæ fuit tempore Ælii Adriani cui nulli aptius accommodari potest, nam ad litteram hoc tum impletum est. Ælius enim Adrianus dedit licentiam Judæis, qui erant Romæ captivi per Titum, quod irent Jerusalem; quod et fecerunt; et tunc mandavit eis, quod ponerent idolum in templo, et ipsi noluerunt: tunc ipse iratus ivit Jerusalem, et funditus eam destruxit. Alibi etiam manifestius loquitur Christus de hac desolatione, Lucæ nimirum XXI, dicens: *Cum videritis ab exercitu circumdari Jerusalem etc.* Pro solutione autem argumenti in oppositum advertendum est, quod postquam in allegato loco Matthæi, Christus discipulis suis designaverat templi Hierosolymitani futuram vastationem et eversionem, duas ipsi proposuerunt discipuli quæstiones: alteram scilicet de tempore destructionis dicti templi, alteram vero de tempore adventus ipsius, et consummationis sæculi. Quarum primam solvit prædicens, prius tanquam signum imminentis destructionis templi calamitates plurimas, famem scilicet, pestem etc.; postmodum declarat ipsam templi vastationem subsecuturam, tunc quando hoc Danielis vaticinium de abominatione desolationis templi implebitur; et in hoc terminat præfatæ primæ quæstionis solutionem. Quæ autem de persecutionibus et signis tempore Antichristi inferius designat, pertinent ad secundæ quæstionis solutionem.

Morales sententiæ sunt tres: prima est enunciatio hebdomadorum, seu divisio. Dividuntur enim hebdomadæ in septem et sexaginta duas et unam: significabat enim Angelus Danieli quod post septuaginta hebdomadas debebat fieri perfecta liberatio per Christum. Per septem ergo hebdomadas significatur status pœnitentiæ. Quantum ad statum pœnitentiæ sunt septem hebdomadæ: prima est horarum, secunda dierum, tertia septimanarum, quarta mensium, quinta annorum, sexta septimanarum annorum, septima septuagesimorum. Prima hebdomada, scilicet horarum, est curationis, Joan. IV: *Heri hora septima reliquit eum febris.* Secunda, scilicet dierum, est requietionis, Genes. II: *Requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat.* Tertia, scilicet septimanarum, est notitiæ et discretionis, et dilectionis. Unde post septem hebdomadas ab exitu ex Ægypto data est lex, Exod. XX. Et post septem hebdomadas a resurrectione datus est Spiritus sanctus. In lege autem significatur discretio, quia ipsa est amor. Quarta, scilicet mensium, est afflictionis et humiliationis quia

mensis septimi debebant affligere, ut Levit. xxiii: *Decima die mensis hujus septimi dies expiationum erit*, sequitur: *affligetis animas vestras.* Quinta, scilicet annorum, est compellationis et recollationis; quia anno septimo debebat terra quiescere, et omnes fructus debebant dimitti pauperibus, Levit. xxv. Sexta, scilicet septimanarum annorum, est promissionis; nam quinquagesimus annus, in quo sunt septies septem, erat jubilaeus et tunc unusquisque redibat ad propria, Levit. xxv: Numerabis tibi quoque septem hebdomadas annorum etc. Septima, scilicet annorum septuagesimorum est indulgentiae et remissionis ut Dominus respondit Petro Matth. xviii cap. quoties erat remittendum fratri ostendenti, num usque septies, respondit, *non dico tibi usque septies, sed septuagesies septies.* Est etiam haec hebdomada punitionis: unde Genes. iv, dixit Lamech: *septuplum dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies.* Et in his est perfectus status pœnitentiæ. Nam primo debet homo curari a culpa. Secundo quiescere ab ea et orare. Tertio debet legem percipere servando mandata Domini, et proximum diligere. Quarto debet se affligere et humiliare. Quinto eleemosynas facere, ad terram promissionis anhelare. Septimo in se peccantibus indulgere et seipsum punire. Quantum ad statum præstolantiæ qui designatur per sexaginta duas hebdomadas, notandum quod sexagesimus surgit ex ductu denarii in senarium vel e contrario: per denarium enim designatur informatio fidei seu disciplina morum, quæ consistit in decem præceptis. Unde Dominus requirenti adolescenti, quid faciendo vitam æternam possidebo, Matth. xix respondit: *præcepta nosti*; et finaliter concludit, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et ideo dicit Moyses Deut. iv: Decem verba quæ scripsit in tabulis lapideis, mihi quoque mandavit ut docerem vos perseverare in continuatione operis laboriosi; Levit. xxiv: *Sex diebus facietis opus.* Per dualitatem, geminatio perfectionis, seu modorum vivendi, scilicet activus et contemplativus, Matth. xviii: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo*; quia illi qui secundum hos duos modos vivendi vivunt, certitudinaliter possunt promissa Dei postulare. Denarius ergo nunc, in quo informatio fidei et morum, ductus per senarium in quo est continuatio laborum, perducit ad dualitatem in qua est contemplatio activorum et contemplativorum. Quantum ad statum patientiæ, qui notatur in hebdomada una, quia textus eam attribuit maxime passioni Christi, notandum quod hebdomada hæc habuit dies septem. Nam prima die Sabbati, hoc est Dominica præcedente suam passionem, scilicet Dominica in ramis palmarum fuit exploratus. Dicebant enim: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus etc.*, Joan. xi. Secunda die lunæ fuit interrogatus: dicebant: usquequo animas nostras tollis? *si tu es Christus dic nobis palam.* Joan., x. Tertia die, id est Martis, fuit sententiatus; dicebant enim: *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat.* Joan. xi. Quarta die Mercurii fuit venditus; dixit enim Judas, *quid mihi vultis dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos*, Matth. xxvi. Quinta die Jovis fuit traditus. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*, Matth. xxvi. Sexta die Veneris, fuit crucifixus, quia tum *Parasceve erat Judæorum, quod est prope Sabbatum.* Joan. xix. Septima die sabbati fuit sepultus. Erat in loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat: ibi ergo propter Parasceven, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. Joan. xix. Sic ergo habebimus septem hebdomadas pœnitentiæ, septuaginta duas præstolantiæ, et unam patientiæ.

CAPUT X.

Anno tertio regni Cyri regis Persarum etc. Hæc est visio nona, tertio anno Cyri Persarum regis facta: seu visio, in qua tangitur ultimæ tribulationis terminus, sub figura primæ tribulationis Babylonicæ; et causa originalis est instinctus Spiritus sancti habitus precum instantia, jejuniorum duritia, corporis angaria, affectus et desiderii vehementia. Causa finalis est consolatio tribulatorum, ostendendo in Angelo prosperitatem eorum tam temporalem quam spiritualem, in figura viri apparentis, et verbo illius; et ideo hæc visio ingerit finale solatium quoad populum, quoad Christum, quoad corpus mysticum, quoad quemlibet justum. Causa autem seu continentia materialis

ipsius est, de viro mirabiliter apparente et imminentem populi liberationem nunciante, et per consequens terminum ultimæ tribulationis, sub typo Judaici populi de captivitate Babylonica liberati ostendente. Causa vero formalis, quæ in divisione capituli consistit, talis est : quia caput ipsum habet quatuor facies. In prima ponitur videndi dispositio, in principio. In secunda visionis apparitio, ibi : *Et levavi oculos meos*. In tertia visionis expositio, ibi : *Et ecce manus Domini tetigit me*. In quarta videntis trepidatio, ibi : *Cumque loquerer hujuscemodi verba*. Quantum ad videndi dispositionem notat Scriptura modum, quia visum intellectualiter, quantum ad initium, in principio ; medium, quia impetratum lamentabiliter, quantum ad processum, ibi : *In diebus illis lugebam ego Daniel* ; terminum, quia impletum celeriter et celebriter, quantum ad tempus et locum, ibi : *Die autem vigesima quarta mensis primi*. Circa dispositionis modum notat primo Scriptura, hujus visionis a præcedenti distinctionem, cum dicitur : *Anno tertio regni Cyri regis Persarum*, id est mortuo Dario avunculo, cujus primo anno Daniel septuaginta hebdomadarum seriem cognoverat. Hic annus de quo hic agitur, tertius est, quo solus Cyrus post avunculum regnabat. *Verbum revelatum est*, id est res quædam arcana. Secundo notat Scriptura Danielis recognitionem, cum dicitur : *Danieli cognomento Balthasar*. Plures vocabantur Danieles, et ideo per cognominationem notificat de quo loquitur. Tertio, notat rei ostensæ conditionem, cum dicitur : *Et unum verbum*, verum scilicet ad intelligendum, sed, *Fortitudo magna*, ad implendum. Quæ res ista fuerit, sub silentio repressit ; subjungit tamen quod illam intellexerit, cum dicit : *Intellexitque sermonem* ; id est non solum sensibilem et imaginariam visionem habuit, verum etiam intellectuali notitia verbi revelati significationem cognovit, *Intelligentia enim opus est in visione*, supple prophetica ; frustra enim videt visionem, qui eam non intelligit : ex quo patet, quod proprie Prophetæ semper intellexerint visa : unde Pharao non fuit Propheta, quamvis visionem habuerit imaginariam Gen. XLV. Circa dispositionis medium, quia interpretatum lamentabiliter. Quantum ad processum, cum dicitur : *In diebus illis ego Daniel*, notat primo Scriptura ipsius prophetæ luctum et afflictionem, cum dicitur : *In diebus illis*, quibus verbum revelatum est, quod intellexisse se dixit. *Ego Daniel*, revelato sibi forti sermone lugentium more, cœpit se ipsum affligere viginti et uno diebus. *Panem desiderabilem*, id est a suaviori cibo se abstinens, et carne et vino, et unguentis, quibus utuntur Persæ et Indi, pro balneis, ut dicit Hieronymus : et hoc fecit ut ampliora sibi revelarentur ; ubi docemur, quod diebus jejunii a cibis delicatis debemus abstinere. Secundo notat cursum et completionem, cum dicitur : *Donec complerentur trium septimanarum dies*, ne transitoria et fortuita videretur tentatio. Circa dispositionis terminum, quæ tangitur, cum dicitur : *Die autem vigesima quarta*, notat Scriptura primo tempus revelationis, quia vigesima quarta die mensis primi, qui est Aprilis ; et inchoatur cum lunatione Martii, quia semper est lunatio istius mensis, in quo terminatur ; et ab ea mensis lunaris denominatur. Secundo notat locum habitationis, quia juxta fluvium magnum qui est Tigris : hic enim fluvius unus est de quatuor fluminibus Paradisi, Tigris vocatus ob velocitatem sui cursus a Tigride, quod est animal velocissimum. Ezechieli enim juxta fluvium, et Joanni Baptistæ juxta fluvium Jordanis aperiuntur cœli et videntur visiones.

Quantum ad visionis apparitionem quæ tangitur, cum dicitur : *Et levavi oculos meos*, primo notat Scriptura, quia visio fuit mirabilis quoad modum intuitionis, cum dicitur : *Et levavi oculos meos* : quia dimisso prius vultu in terram oraverat ; elevatione autem opus est, ut visionem mysticam cernere valeamus. *Et vidi*, non in somniis ut prius, sed vel in spiritu, quia vidit imagines, vel corporeis oculis Angelus, qui ei apparuit in forma hominis ab eo visus est ; tum etiam quoad personam apparentem, cum dicitur : *Et ecce vir unus vestitus lineis*, id est stola byssina indutus apparuit, *Et renes ejus accincti auro obrizo*, id est zona quæ erat intexta lamina rudis auri. *Corpus ejus quasi chrysolithus* : caro enim ejus erat quasi chrysolithus, qui unus est ex duodecim gemmis, quæ erant in veste summi sacerdotis, Exod. XXXIX : est autem auro similis cum quadam specie marini coloris. *Et facies ejus sicut species fulguris* : id est renitebat facies ejus, quasi ignis, cujus similitudinem et speciem habet fulgur. *Et oculi ejus ut lampas ar-*

dens, quia res clari erant oculi ejus, ut lam flammæ viderentur. *Et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis.* Genus æris est quod candens dicitur, cujus brachiis et pedes assimilabantur. *Et vox sermonum ejus ut vox multitudinis* : id est sic resonabat loquens, ac si multitudo loqueretur. Secundo notat, quod visio fuit singularis, quoad personam assistentem, cum dicitur : *Vidi autem ego Daniel solus visionem*, id est Angelum apparentem sicut Paulus Act. IX, ceteris non videntibus ; et ideo sequitur : *nam viri qui mecum erant non viderunt, sed terror nimius irruit super eos*, non ex visione, sed ex naturæ cœlestis præsentia natura fragilis concutitur. *Et fugerunt in absconditum*, id est in abditum latibulum. *Ego autem relictus solus, etc.*, ceteris præ terrore fugientibus. Tertio notatur, quod fuit terribilis, quantum ad personam apparentem. *Et non remansit in me fortitudo*, qua scilicet possem stare, sed cui in faciem meam. *Et species mea immutata est*, id est color faciei, quia pallor faciem meam cooperuit præ timore. *Et emarcui*, ex angelica visione, quia languidus effectus sum, sicut herba evulsa pristinum decorem perdit pariter et vigorem. Ita ego vigorem et colorem ex aspectu angelico perdidi : et ideo dicit : *Nec habui quidquam virium*, ad loquendum. *Et audivi vocem sermonum ejus, et audiens jacebam consternatus* : ad auditum scilicet vocis prostratus, non audebam stare juxta eum. *Et vultus meus hærebat terræ* : vultu enim et ventre hærebat terræ, nihil habens quo se valde amplius humiliaret.

Quantum ad visionis expositionem quæ tangitur, ibi : *Et ecce manus tetigit me*, quæ fuit facta illuminando intellectum, excitando affectum, et erigendo conatum, notat Scriptura quod fuit liberationis procurativa : quia oratio Danielis, cum dicitur : *Et ecce manus tetigit me*, scilicet apparentis in forma humana. Eamdem esse formam opinantur Judæi in Deo et Angelis propter id Gen. I : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. *Tetigit me*, inquit : humanam ad Prophetam mittit formam, ut sui generis corpus aspiciens, nequaquam paveat. *Et erexit me super genua mea* : non penitus erexit, sed sic ut vultu et ventre paululum a terra erectis genua et manus adhuc terræ inhærerent, et ideo dicit : *Et super articulos manuum mearum. Et dixit ad me, Daniel vir desideriorum* : quasi diceret : tu precum instantia et afflictionis duritia ostendis, quod cupis scire Dei secreta : et ideo, *Intellige verba quæ ego loquor ad te*, id est attente ausculta. *Et sta in gradu*, id est super pedes tuos. *Nunc enim missus sum ad te. Cumque mihi dixisset sermonem istum, steti tremens*, quia terribilis aspectu, et quia timebat Dominum in aliquo offendisse, quare ita tarde sit exauditus, quia alias nondum finita oratione consueverat exaudiri. *Noli metuere Daniel quia ex die primo etc.* Timorem prædictum ab eo excludens, dicit eum in conspectu Dei eo tempore statim quo cœpit se affligere, exauditum : et moræ suæ causam subjungit, cum secundo notat, quod sit liberationis retardativum, quia peccatum Israelis, cum dicitur : *Princeps autem regni Persarum restitit mihi*, id est Angelus Persis præfectus tribus hebdomadibus, quibus orare cœpisti, mihi restitit in conspectu Dei, quo propter sermones tuos veneram : et ideo dicitur. Tertio notat Scriptura quod fuerit impetrativum, quia auxilium Michaelis, cum dicitur : *Et ecce Michael unus de principibus primis* : quasi diceret : resistente illo precibus tuis, meæ legationi preces tuas offerente, ut captivitas laxaretur, Michael qui præest populo tuo Israel, juvit me offerens orationes tuas. *Et ego remansi ibi juxta regem Persarum*, et ideo tardavi tibi de indulgentia populi tui nunciare. *Veni autem ut docerem te :* et ex hoc patet quod idcirco tot diebus se afflixerat, ut sciret, quæ in novissimis temporibus in consummatione sæculi essent populo suo eventura. *Quoniam adhuc visio in dies*, id est visio de hirco et ariete et cornu modico prolongatur, et complebitur in fine post longum tempus : unde et ibi dixit : tu ergo signa visionem, quia post multos dies erit, supra VIII cap.

Quantum ad videntis trepidationem, quæ tangitur, cum dicitur : *Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis ;* notat Scriptura quod primo Daniel dejicitur ad humiliandum, ex splendore Angeli apparentis, cum dicitur : *Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verba, dejeci vultum*, ex humilitate colloquii, *et tacui*, ex stupore indicii. *Et ecce quasi similitudo hominis tetigit labia mea :* quasi diceret : persona tangens me non humana erat, sed similis humanæ. *Et aperiens os meum locutus sum :* qui prius vultu in terra dimisso loqui non

præsumpsi, locutus sum in tactu labiorum, intelligens licentiam mihi dari. *Et dixi ad eum etc., dissolutæ sunt compages meæ*, id est nervi et juncturæ membrorum. Alia littera habet, *Conversa sunt interiora mea, et in me nil remansit virium. Et quomodo poterit servus Domini mei loqui etc.* In misso mittentem honorat, servum se vocans. *Et halitus meus intercluditur*, quia ad interiora retractus, ut cum Deus sit ibi, in te præsente halitus non audet exire. Secundo notatur quod erigitur ad auscultandum, cum dicitur : *Rursum ergo tetigit me quasi manus hominis*, sicut supra, qui missus est ad me, erat similis homini. *Et confortavit me*, diffidente præ formidine præbuit mihi tactu suo ut pavor a corde recederet. *Et dixit : noli metuere vir desideriorum*, id est vir magna secreta scire desiderans, et liberationem populi tui summopere affectans, *pax tibi*, id est securitas mentis, *confortare*, ab hac turbatione qua metus te concussit, *Et esto robustus*, ad audiendum sacramentum Dei : dixerat enim quod nihil in eo remanserat virium. Et ideo subjungit, quasi ex invalido, propter sermones loquentis, fortis effectus : *cumque loqueretur mecum, convalui, et dixi : loquere Domine mi, quia confortasti me* : quasi diceret potentem me fecisti propter sermones tuos, ut sentire et audire quæ loqueris valeam. Tertio notat quod instruitur ad intelligendum, cum dicitur : *Et ait : numquid scis quare venerim ad te?* innuit se non ideo venisse, ut modo denunciet ventura populo, quæ ille desiderabat; sed ad denunciandum tantum, quod exauditæ sunt preces ejus ; et ideo sequitur, *Et nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum*, quasi diceret : nondum securus sum stante principe Persarum et populum accusante ; et ideo revertar festinus illuc ad interpellandum pro te. Praeliari enim idem est, quod precibus interpellare. *Cum enim egrederer*, supple, ut ad te venirem, *Apparuit princeps Græcorum*, ut ipse praeliaretur contra principem Persarum, ut scilicet in locum regni Persarum regnum Macedonum seu Graecorum succederet, *Verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis* : quasi diceret : quamvis festinem pugnare contra principem Persarum dum adjutores habeo, quia res adhuc in dubio est, te orante, me offerente, illo resistente, Michaele juvante, altero scilicet principe Græcorum occurrente, referam tibi quod fiet, si quæ divina veritas ordinavit referenda, *Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester*, quasi diceret : ego et princeps Græcorum communi labore adversus principem Persarum dimicamus : sed ego cum principe vestro Michaele, ut laxetur prius captivitas ; ille vero ut prius regnum Persarum in Macedones transferatur : quod factum est, quando Alexander Macedo vicit regem Persarum. *Princeps vester* dicit : in quo patet quod Michael, qui nunc est præfectus Ecclesiæ, tunc erat præfectus synagogæ.

Argumenta literalia sunt tria. Unum est quod in diebus jejuniorum non est utendum cibis delicatis ; et ideo dicitur, ibi, quod panem desiderabilem non comedit. Secundum est quod mens humana et carnalis non potest sustinere visionem Angelicam præ nimio terrore, nec etiam visionem divinam, ut patet ibi : *Porro viri qui erant*. Nota tamen secundum Bernardum, quod in hoc differt visio divina et Angelica, a visione seu apparitione diabolica, quia visio Angelica et divina fit cum quodam terrore in principio, sed in fine dimittit hominem consolatum ; apparitio autem diabolica, omnino fit in contrario : quia in principio aliquantum est consolans, sed in fine dimittit hominem plurimum desolatum. Tertium est, quod sola divina et angelica locutio habet hominem confortare, ut patet hic, *Loquere Domine mi*. Unde habet inflammare affectum, illustrare aspectum, confortare conatum.

Sententiæ dubiæ sunt tres. Prime quæritur, ex quo a principio precum oratio Danielis fuit exaudita, quare Angelus non statim venit ad eum, sed expectavit tribus diebus. Dicendum, quod duplex est causa. Una est, quod Deus non statim præstat, quod ab eo petitur, ut magis desiderium hominis inflammetur; quia secundum Gregorium desideria dilata crescunt, et ut magis homo, cum datur ei quod petit, consoletur, sicut hic fuit. Alia causa, quia princeps regni Persarum restiterat ei viginti et uno diebus, allegans secundum divinam justitiam populum adhuc non esse sufficienter purgatum.

Secundum dubium, utrum ille princeps regni Persarum fuerit bonus Angelus, an malus ; et videtur quod malus ; quia ille

contrarium exponens illud verbum Apostoli, I Corinth. II cap.: *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nemo principum hujus sæculi cognovit*, dicit hoc de dæmonibus qui non possunt Dei sapientiam cognoscere, esse intelligendum; unde iste non cognoscebat, quod iste populus deberet liberari unquam. Gregorius dicit contrarium super illo verb. *Job* XXIX cap.: *qui facit pacem in sublimibus suis*; movens de hoc specialem quæstionem; et dicit, quod fuerit Angelus bonus qui præerat populo Persarum, sicut Michael Synagogæ: quod videtur magis probabile et consonum rationi. Et ideo, dato quod fuerit Angelus bonus, est dubium tertium: Utrum inter Angelos bonos fuerit discordia, maxime inter beatos. Respondetur quod inter beatos nulla est discordia. Cuncti enim cupiunt divinæ voluntati se conformare. Unde Angeli qui a Deo diversis provinciis custodiendis et præsidendis præfecti sunt, in hoc conveniunt quod studeant divinæ voluntati placere in omnibus. Sed quia de illa dubitant in aliquibus casibus, contingit aliquando quod contraria prætendant: unde causas contrarias proponunt quilibet pro sua provincia mutuo mentaliter loquentes sub quo divinum judicium expectant; et ex hoc dicuntur pugnare, sicut factum fuit in proposito quod unus Angelus ad liberandum populum Judaicum a captivitate allegabat preces Danielis, quæ hoc promerebantur; alius vero Angelus, ut detineretur Judaicus populus in captivitate, proponebat peccata populi prædicti, nec non utilitatem quæ proveniebat in regno Persarum ex permanentia præfati populi Judaici, ibidem.

Sententia moralis potest accipi quantum ad visionis dispositionem, ubi necessarius est unus quaternarius et in qualibet unitate sunt tres, et sic sunt quatuor ternarii. Unde notat Scriptura per ordinem, quoad quaternarium, primo cultum, secundo luctum, tertio victum, quarto fructum. Quantum ad cultum ponuntur tres anni; et in his tribus videtur visio. Primus autem annus est exercitium pœnitentiæ quoad seipsum: hic est annus ad quem Isaias, LXI, missus est ad prædicandum dicens: *Spiritus Domini super me*; sequitur: *ut prædicarem annum placabilem Domino*. Secundus annus est exercitium patientiæ, quoad inimicum, ut possit dicere, *Annus retributionis meæ venit, circumspexi et non erat auxiliator*, Isaiæ LXIII. Tertius annus est exercitium providentiæ quoad proximum, ut dicatur: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, et campi tui replebuntur ubertate*, Psalm. LXIV. Quantum ad luctum qui notatur, cum dicitur: *Et ego lugebam*. Nota quod debet esse triplex luctus. Nam primo debet habere luctum justitiæ, post transgressionem peccati. I Esdr. X, *Lugebat enim transgressionem eorum qui venerant de captivitate*. Secundo luctum miseriæ propter perpessionem periculi. Dan. XIV cap.: *Venit rex die septima ut lugeret Danielem*, quia sciebat ipsum esse in periculo in lacu leonum. Tertio luctum molestiæ, propter dilationem præmii. Unde, *non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor*, Apoc. XXI cap. Quantum ad victum ponuntur tria, scilicet panis, vinum, carnes. Panis confortat, vinum lætificat, caro pinguat. In quo designatur, quod qui vult disponi ad visionem divinam, oportet eum abstinere ab his quæ sunt licentiæ, ut est panis, sicut Esdras I lib. cap. X, qui panem non gustavit, neque aquam bibit; ab his quæ sunt lætitiæ, ut est vinum, sicut Rechabitæ, qui ex præcepto Jonadad patris sui abstinuerunt a vino, Jeremiæ XXXV cap.; ab his quæ lasciviæ, sicut sunt carnes, ne flagret desiderio carnium, sicut populus Israel Num. XI.

Quantum ad fructum, notat Scriptura mensem, qui erat vernalis, diem et flumen. In mense primo notatur amœnitas, in die serenitas, in flumine Tigris celeritas. In quibus moraliter designatur, quod homo debet habere amœnitatem seu suavitatem ad degustandum divina, serenitatem ad contemplandum cœlestia, debet habere celeritatem ad laborandum et operandum utilia, quæ notatur in fluvio Tigris qui est unus qui egrediebatur de loco voluptatis, Genes. II, et vadit contra Assyrios. Qui vult ergo venire ad visionem perfectæ beatitudinis, debet habere exercitium pœnitentiæ, providentiæ, patientiæ; et debet habere luctum pro transgressione præcepti, pro perpessione periculi, pro dilatione præmii: et debet abstinere ab eo quod est licentiæ, lætitiæ, lasciviæ; debet etiam habere suavitatem ad degustandum divina, serenitatem ad contemplandum occulta et cœlestia, celeritatem ad operandum ardua et utilia; et in his omnibus cavenda sunt verba adulatoria, quod notatur in

hoc quod unguento non utebatur, quia adulatio summe debet caveri.

CAPUT XI.

Ego autem a primo anno Darii Medii etc. Hæc est visio ultima Danielis, in qua seu per quam designatur ultimæ tribulationis triumphus. Et continet hæc visio istud et sequens caput : quia in isto capite, scilicet XI, tangitur violentia perversorum : in sequenti vero, scilicet XII cap., resistentia seu victoria electorum, ibi : *In tempore autem illo consurget Michael.* Quantum autem ad personam visionis nota, quod causa originalis fuit instinctus sancti Spiritus habitus ex oratione et devotione Danielis cum charitate superna. Causa autem materialis est de processu regni Persarum usque ad regnum Græcorum, et de successu regni Græcorum usque ad Antiochum Epiphanem et tribulationem sub illius similitudine interserta. Causa autem finalis est ut ostendatur ultimæ tribulationis impetus ex parte Antichristi, defensionis conatus ex parte electorum, et liberationis modus ex parte Dei et Christi. Formalis vero modus in divisione consistit : et ideo totum istud continet quatuor : per quæ primo describitur successio regnorum usque ad tempora Darii et Alexandri in principio. Secundo dissensio bellorum regis Aquilonis et Austri, ibi : *Et confortabitur rex Austri.* Tertio successio malorum tempore Antiochi, et sub ipsius typo tempore Antichristi, ibi : *Et stabit in loco ejus vilissimus et indignus decore regio.* Quarto afflictio justorum usque ad adventum judicii et victoriam regni Christi. *Et revertetur et indignabitur contra testamentum sanctuarii.*

Quantum ad primam partem, in qua describitur regnorum Persarum seu Medorum, quod idem est, seu Græcorum successio, notatur primo casus regni Persarum et Medorum, in principio cum dicitur : *Ego autem ab anno primo.* Ubi primo propheta aperit suum affectum et attentionem, dicens : *Ego autem ab anno primo :* quasi diceret : ego non solum pro populo meo sollicitus eram, ut liberaretur ; sed etiam pro statu regni Persarum et statu regis Darii a quo honoratus fui, et etiam de manibus æmulorum liberatus sum, supra cap. VI. *Stabam*, idest instanter orabam, *Ut confortaretur.* Dicit autem, *A primo anno Darii Medi*, ut ostendatur quod hæc visio non continuatur cum præcedenti, ut quidam dicunt, quia hæc *anno primo Darii Medi*, illa vero anno tertio Cyri visa est, et ita ordine præpostero scripta propter dictam rationem supra cap. V. Nisi illud totum dicatur interpretatio verborum Danielis, et hic redire ad verba Angelica prius loquentis, *Et nunc veritatem annuntiabo tibi.* Itaque omnia sequentia sunt visa ab anno tertio Cyri, secundum Andream. Secundo subjungitur Angeli responsum seu apparitio cum dicitur, *Et nunc veritatem annuntiabo tibi*, supple me in oratione persistente. Et respondit mihi Angelus, Nosce de Persarum regibus quid futurum sit, audi rerum ordinem et ausculta quod quæris. Consuetudinis enim prophetarum est, repente mutare personas sine præfatione media : ut patet in Psalm. XXXI, cum dixisset David : *Tu es refugium meum a tribulatione etc.*, et confestim respondit ei Dominus sine præfatione, *Intellectum*, inquit, *dabo tibi.* Dedit ergo et nunc veritatem etc. *Ecce adhuc tres reges stabunt in Perside*, supple post Cyrum et Darium qui nunc regnant, quia Cyrus erat nepos Darii, ut dictum est supra. Primus regnabit Cambyses filius Darii, qui regno paterno Ægyptum adjecit. Secundus Hereneides Magus qui filiam Cambysis accepit uxorem. Tertius Darius filius Hystaspis qui illo occiso eamdem duxit uxorem. Xerses quartus filius Darii potentissimus qui adversus Græciam innumerabilem ducens exercitum, Athenas succendit, ut Græcorum narrant historiæ ; qua de causa Græcia concitata est contra Persas tempore Alexandri. Est ergo sensus iste : licet princeps Græcorum egressus fuerit ad præliandum contra principem Persarum, tamen adhuc tres reges erunt in Perside florentes divitiis, et quartus præ nimia potentia sua dabit causam sui affuturi excidii, quia Græciam concitabit adversum Persas. Et ideo sequitur secundo ortus regni Græcorum, cum dicitur : *Surget vero rex fortis*, scilicet Alexander Macedo, filius Philippi, de quo dicitur I Machab. I, quod percussit Darium regem Persarum. Hic tamen advertendum, quod quatuor regibus post Cyrum enumeratis, transit propheta ad Alexandrum novem regibus intermediis prætermissis ; quia non fuit consuetum spiritui prophetali sequi ordinem historiæ, sed solum facta per-

stringere. *Et dominabitur potestate multa*, scilicet Græcia, in qua primum regnavit in Græcia, I Machab. 1, Thessalosque sibi subjugavit, atque superatis transiit in Asiam. *Et faciet quod placuerit ei*: qui fugatis Darii ducibus, urbem Sardis cepit, Indiam captivavit, Alexandriam condidit. Et ideo sequitur tertio decursus regni Syrorum et Ægyptiorum, cum dicitur: *Et cum steterit, conteretur regnum ejus*; trigesimo enim ætatis suæ anno, imperii vero undecimo, in Babylone veneno interiit, ut dicitur I Mach. 1. et cecidit in lectum, et cognovit quod moreretur: quia cognovit se potionatum. *Et dividetur*, supple regnum ejus, *in quatuor ventos cœli*, id est in quatuor plagas terræ, super quas flant quatuor venti principales cœli. Ad orientem enim post Alexandrum in Syria et Babylone regnavit Seleucus; ad occidentem Macedoniæ Philippus frater Alexandri; ad meridiem Ægypti Ptolomæus; ad septentrionem scilicet Asiæ, regnavit Antiochus. Hæc secundum totius orbis plagas intellige; quia Syria est ad Aquilonem Judææ, ut dicit Hieronymus. *Sed non in posteros ejus*, quia Alexander liberos non habuit, sed ad alienos translatum est regnum ejus, quia regnum ejus divisum fuit, et desolatum intestinis bellis; et ideo dicitur: *Lacerabitur enim regnum ejus, etiam in externos, exceptis his*; quia præter quatuor regna prædicta, Cappadocia, Armenia, Bithynia, et aliæ provinciæ minores, a potestate Macedonum recesserunt, diversos sibi reges constituentes.

Sequitur pars in qua notatur bellorum dissensio, regis Aquilonis et Austri, cum dicitur: *Et confortabitur rex Austri*. Ostendit Scriptura quod in tribus bellis, Ægypti rex prævaluit in principio, et in tribus sequentibus rex Syriæ obtinuit, cum dicitur: *Conteretur enim rex aquilonis*. Circa primum nota, quod fuit triplex bellum regis Syriæ contra regem Ægypti. Primum fuit ex tumore ambitionis; quod notatur, cum dicitur: *Et confortabitur rex Austri*. Ubi notandum, quod dimisso regno Macedoniæ et Asiæ, de Ægypti tantum et Syriæ regibus nunc prosequitur, quia Judæa in medio eorum posita, nunc ab istis nunc ab illis regibus tenebatur. Scriptura autem istorum non texit historiam, nisi prout Israeli populo copulata. Texit ergo processum regni Græcorum per duo illa regna, et etiam reges hinc inde mutuo dimicantes, usque ad radicem peccati, scilicet Antiochum Epiphanem, qui typum tenuit Antichristi: quia sicut ille Synagogæ, sic iste infestus erit Ecclesiæ, ut patet in fine hujus cap. Intellige ergo de cetero per regem Austri regem Ægypti, qui est ad meridiem Judææ; et per regem Aquilonis regem Syriæ, qui est ad Aquilonem Judææ; inter quos etiam bella narrantur. *Confortabitur ergo rex Austri*, id est, rex Ægypti qui est ad meridiem Judææ, scilicet Ptolomæus Lagi filius, vir prudentissimus, fortissimus, ditissimus, qui primus rex fuit in Ægypto, Cyprumque, Phœnicem et Asiam populi asseclas obtinuit regiones; *et de principibus ejus prævalebit adversus eum*, id est de posteris ejus surget fortior eo, scilicet Ptolomæus Philadelphus, filius præcedentis, qui patrem in potentia et divitiis superavit, secundum Hieronymum, in exercitu et thesauro: sub quo septuaginta interpretes Scripturam in Græcum eloquium transtulerunt; *et post finem annorum fœderabuntur*, scilicet rex Ægypti et Syriæ, hoc est rex Austri et Aquilonis matrimonio commiscebuntur: unde sequitur: *Filia quoque regis Austri veniet ad regem Aquilonis*. In quo tangitur secundum bellum, quod fuit ex livore ultionis. Ptolomæus enim prædictus rex Austri seu Ægypti post plurima bella habita contra Antiochum regem tertium Syriæ seu Aquilonis, volens molestum finire certamen, dedit ei filiam suam Berenicem nomine uxorem. Primus enim rex in Syria fuit Seleucus; secundus Anthiocus cæcus; tertius Antiochus Theos dictus, qui contra Ptolomæum totis viribus pugnavit. *Et non obtinebit*. Antiochus enim de priore uxore Laodice nomine susceperat duos filios, scilicet Seleucum et Antiochum, qui Berenice consorte regni facta, Laodicen tenuit ut concubinam: sed diu post Laodices amore superatus, reduxit eam in regnum: quæ timens animum viri sui iterum ad Berenicen reverti, fecit eum veneno interfici, ac Berenicen et ejus filium sociosque illius fecit occidi; filium suum, scilicet Seleucum Galericum, in regem constituit. Et hoc est quod dicit: *Non obtinebit fortitudinem brachii*, id est regnum; *nec stabit semen ejus*, hoc est, filius; *et tradetur ipsa*, id est occidetur; *et qui adduxerunt eam*, scilicet domicelli, qui cum ea venerunt de Ægypto in Syriam; *et qui confortabant eam in temporibus*, id est vir ejus, qui

ipsam pro Laodice ad tempus duxerat et ad tempus Laodicen contristaverat, per quam solum poterat prævalere. Hic notatur livor ultionis: *et stabit de germine radicum ejus plantatio*: quia de germine Berenices successit tertius Philadelpho, ad vindicandam mortem sororis suæ; qui cum exercitu egressus est contra Seleucum, qui cum matre Laodice regnabat in Syria, et obtinuit eos, et quasi totam Asiam, et multipliciter abusus est in eis vindictam sororis. Et hoc est quod dicitur: *Stabit de germine et obtinebit. Insuper et Deos eorum etc.* quia audiens prædictus Ptolomæus seditionem in Ægypto motam, diripiens regnum Seleuci, quadringenta millia talentorum argenti, et vasa pretiosa, simulacraque Deorum tulit, festinus in terram suam reversurus. Unde hic dicitur: *Et ipse prævalebit, etc.*, obtinuit enim Syriam, Ciliciam autem tradidit Antiocho fratri Seleuci amico sibi facto gubernandam, et alteri duci provincias trans Euphratem, et reversus est in Ægyptum, quia principes Ægypti conspiraverant contra ipsum: et ideo dicitur: *Ipse prævalebit etc. et revertetur in terram suam.* Sequitur: *filii autem ipsius provocabuntur.* In quo notatur tertium bellum, quod fuit ex favore defensionis. Occiso enim Seleuco rege Syriæ a Ptolomæo Evergete, et illo interim mortuo, duo filii Seleuci, scilicet Seleucus et Antiochus, qui dictus est Magnus, contra Ptolomæum Philopatorem filium præcedentis Ptolomæi exercitu congregato arma accipiunt, spe victoriæ provocati in ultionem parentis. Et ideo dicitur: *Et veniet properans et inundans*, scilicet Antiochus Magnus, qui fratre suo iterum occiso, iterum vocatus de Babylone, venit festinus in Syriam, quæ tum tenebatur a prædicto Ptolomæo Philopatore. Et ideo dicitur: *Et revertetur et concitabitur*, quia reversus de Babylone, ut dixi, concitatus audacia propter luxuriam Ptolomæi magnam cui inserviebat, congressus est contra duces ejus et robur exercitus, et proditiose recuperavit Syriam. *Et provocatus rex Austri*, scilicet Ptolomæus Philopator amissa Syria, congregato exercitu contra Antiochum: *Et pugnavit*, adversum eum. Et ideo dicitur: *Et præparabit*, scilicet Antiochus, *multitudinem nimiam*, contra Ptolomæum; *et dabitur multitudo*, supple congregata ab Antiocho, *in manus ejus*, scilicet Ptolomæi: quia inito certamine juxta introitum Ægypti, Antiochus fuit victus, totum amisit exercitum fugiens per deserta. Et ideo dicitur: *Exaltabitur cornu ejus*, scilicet Ptolomæi, qui ita subjecit sibi Syriam, *et dejiciet multa millia*, supple exercitus Antiochi; *sed non prævalebit*, quia non potuit capere inimicum. Et sic terminatur pars in qua ostenditur, quod in tribus bellis rex Ægypti victoriam super regem Syriæ habuit. Et sequitur pars, in qua ostenditur, quod rex Syriæ super regem Ægypti victoriam obtinuit, ut dicitur: *Convertetur enim rex Aquilonis*, scilicet Antiochus, qui contempta Ptolomæi ignavia, innumerum de superioribus partibus Babylonis congregavit exercitum, et iterum mortuo Ptolomæo, contra filium ejus Epiphanem rupto fœdere movit exercitum, qui tantum tunc quatuor erat annorum. Et ideo dicit: *Et in fine temporum*, Ptolomæi scilicet Philopatoris; *multi consurgunt*, quia tunc interioribus seditionibus vexabatur Ægyptus, et Philippus rex Macedonum pace facta cum Antiocho contra Ægyptum dimicabat, hoc pacto, ut quilibet civitates suo regno viciniores de regno Ptolomæi obsideret, qui adhuc erat in ætate parva. Quia vero pugnantibus contra se Antiocho Magno, et ducibus Ptolomæi, Judæa in medio posita in contraria studia scindebatur, aliis Antiocho, aliis faventibus Ptolomæo, ita quod Onias sacerdos cum innumeris ex populo Judæorum in Ægyptum confugiens, est a Ptolomæo honorifice susceptus, suscepta terra, quæ Eliopolios dicitur, construxit templum, rege annuente, simile templo Judæorum, asserens, se implere vaticinium Isai. XIX cap. dicentis: In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum ejus. Et ideo dicitur: *filii prævaricatorum populi tui*, deserentes scilicet legem suam: Quando præceptum est a Domino immolantes; *extollentur*, supple in Ægypto: *ut impleant visionem*, id est visionem Isaiæ, ut supra dictum est, implere se jactitantes, *et tamen corruent*, quia postea civitas quæ Oniæ dicebatur, usque ad solum destructa est per Romanos post ducentos quinquaginta annos; *et veniet rex Aquilonis et comportabit aggerem, et capiet urbes munitissimas*: quia Antiochus Magnus volens recipere Judæam, quam dudum amiserat, præsidium Ptolomæi, quod erat in arce urbium, annuentibus Judæis, multo tempore oppugnavit, et

cepit etiam alias urbes Ciliciæ, Syriæ, Lyciæ, quæ a Ptolomæi ducibus tenebantur. *Et brachia Austri non sustinebunt*, id est fortitudo ducum Ptolomæi; nam Scopam ducem Ptolomæi in certamine fugavit, et Sidone cum decem millibus armatorum obsedit. *Et consurgent electi ejus ad resistendum*. Tres enim duces inclytos misit Ptolomæus ad Scopam liberandum: *et non erit fortitudo*, quia obsidionem Antiochi solvere non potuerunt; sed Scopas fame coactus, cum sociis nudus dimissus est. Et ideo sequitur: *faciet super eum juxta placitum suum, et stabit in terra inclyta*, scilicet in Judæa et Jerusalem, ubi honorifice susceptus fautores Ptolomæi persecutus est. Et ideo sequitur: *et consumetur in manu ejus, et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum universum regnum ejus*. Quia Antiochus non solum Syriam et Ciliciam, et alia quæ fuerant Ptolomæi obtinuit, sed etiam regnum Ægypti acquirere voluit. Et ideo dicitur: *Ponet faciem*, id est intentionem totam et consilium. Et in hoc terminatur pars, in qua tangitur prima victoria regis Syriæ contra regem Ægypti, quæ fuit ex violentia. Sequitur secunda pars, in qua tangitur secunda victoria, quæ fuit ex fraudulentia, cum dicitur: *Et recta faciet cum eo*, scilicet cum Ptolomæo adolescente, simulabat enim Antiochus se velle utilitati ejus providere. Et ideo sequitur: *et filiam feminarum dabit ei*; quia septimo anno regis Ptolomæi adolescentis, despondit ei Cleopatram filiam suam, et decimo tertio anno tradidit eam in feminam et uxorem, dans ei pro dote Celesyriam et Judæam: hoc autem fecit fraudulenter, ut scilicet posset acquirere regnum ejus. Et ideo sequitur, *ut everteret illud*, scilicet regnum Ptolomæi, applicando scilicet sibi. Sed quia hoc obtinere non potuit, ideo dicitur: *et non stabit, nec illius erit*, id est: non stabit ejus consilium, ut regnum Ægypti obtineat; quia Cleopatra parti favit viri, et non patris, et duces ejus fraudem scientes, dudum cautius egerunt, et sic non obtinuit. Et sic terminatur secunda pars, in qua tangitur victoria regis Syriæ contra regem Ægypti, quæ fuit ex fraudulentia. Et sequitur tertia pars, in qua tangitur victoria ejusdem, quæ fuit ex confidentia, cum dicitur: *Et convertet faciem suam ad insulas*. Frustratus enim spe sua vertit se ad Asiam, et navali bello plurimas insulas, ut Rhodum, Samum, et hujusmodi invasit. Quia vero occurrit Scipio Africanus missus a Romanis contra eum, qui regem Abegnam vicerat, eo quod invasisset Asiam: et devictus Antiochus regnum Asiæ perdidit, et sic opprobrium in caput ejus versum est: et ideo dicitur: *Et cessare faciet principem opprobrii sui, et opprobrium ejus convertetur in eum*, et fugatus a Romanis, de Asia fugiens, reversus est ad terram propriam: et ideo dicitur: *Et convertet faciem suam, ad imperium terræ suæ, et impinget et corruet et non invenietur*: nam pugnans adversus regem in Perside, cum universo exercitu deletus est, et locus ejus non est inventus. *Et stabit in loco ejus*, id est de semine ejus et germine: unde translatio septuaginta interpretum habet: *et stabit de radice ejus plantatio. Vilissimus*, de Seleuco Philopatore loquitur filio Magni Antiochi, qui nihil dignum gessit in imperio; de quo loquitur II Mach. IV cap. Et ideo sequitur: *Et indignus decore regio*, quia inglorius absque ullis præliis mortuus est. Et ideo sequitur, et in paucis diebus conteretur, scilicet absque rixa et prælio: Hebræi intelligunt hoc de Triphone. Et sic terminatur secunda pars principalis totius cap. in qua tangitur dissensio regis Aquilonis et Austri.

Tertia pars principalis, in qua tangitur successio malorum tempore Antiochi Epiphanis, et sub illius typo, tempore Antichristi, cum dicitur: *Et stabit in loco ejus despectus*: et hæc habet tres partes. In prima ostenditur quod Antichristus prævalebit per fraudulentiam, cum dicitur: *Et stabit in loco ejus despectus*. Hucusque es planus ordo historiæ: quæ vero sequuntur, interpretatur Porphyrius depravator scripturarum tantum de Antiocho Epiphane fratre Seleuci, sub quo Machabæorum bella narrantur. Sed intelligendum, quod licet de sequentibus perfecte Antiocho conveniant, more Scripturæ aliqua interseruntur, quæ soli possunt Antichristo convenire, ut patenter ostendat Antiochum Antichristi fuisse typum, et quæ in parte in illo præcesserunt, in Antichristo ex toto esse implenda, ut in quæstione infra videbitur plenius. Et ideo ex nunc advertendum, quid et quomodo verificatur in Antiocho, et similiter in Antichristo, et quid specialiter de solo Antichristo; quia quod ille fuit Synagogæ, hic erit Ecclesiæ. Sicut enim probamus ex Scriptura adventum Christi, ita et Antichristi mendacium: fi-

nis enim legis Christus est. *Stabit*, ergo, *in loco*, Antiochus Epiphanes, qui fuit ei infestissimus, *Et non tribuetur ei honor regius*, scilicet in principio ab his, qui in Syria Ptolomæo favebant, Philometori scilicet, qui sextus regnabat in Ægypto, filius Cleopatræ sororis hujus Antiochi, *Et veniet clam*, quia pura simulatione obtinebit regnum Syriæ. Et ideo dicitur: *Obtinebit regnum in fraudulentia, et brachia pugnantis*, id est Ptolomæi omnia vastantis, *Expugnabuntur a facie ejus*, scilicet Antiochi, a quo sunt contrita brachia, id est fortitudo principum, *Et conteretur insuper et dux fœderis*, id est Judas Machabæus, qui fuit ab eo contritus. *Et post amicitias :* ostendit ordinem, quia primo pace simulata cum Ptolomæo, postea molitus est insidias. Et ideo dicitur: *Faciet dolum et ascendet :* mortua enim Cleopatra et tutoribus pueri replentibus Syriam, quam fraude occupaverat Antiochus, ortum est prælium inter puerum et avunculum, ubi victi sunt duces Ptolomæi ; et tunc Antiochus puero amicitiam simulans, Memphim metropolim Ægypti ascendit. Et ideo sequitur : *Et superabit in modico populo*, quia ille rebus pueri providere se dicens, accepit regnum, et cum prælio modico omnem Ægyptum subjugavit. Et ideo dicitur : *Et abundantes et uberes urbes ingredietur*, ingressus enim civitates divitias omnes dissipavit. Et ideo sequitur : *Et faciet quæ non fecerunt patres ejus :* quia nullus regum Syriæ ita vastavit Ægyptum, et duces pueri sua fraude decepit, et eorum divitias asportavit : *Et contra firmissimas cogitationes*, scilicet legis divinæ et prophetarum inibit consilium, ut destruat divinum cultum, quia mandavit, ut omnes relinquerent legem Dei, I Mach. I. Hæc eadem per simile intelligenda sunt de Antichristo, secundum Hieronymum, qui de humili gente consurgens, sic erit despectus, ut nullus detur ei honor regius ; sed postmodum per fraudulentiam obtinebit principatum, et brachia Romani populi expugnabit, et hoc, quia simulabit se esse Ducem fœderis, id est divinæ legis, et obtinebit divitias per falsas amicitias, et faciet quæ nullus præter eum, qui in toto orbe terrarum regnabit, et contra firmissimas cogitationes sanctorum eriget se, et contra omne quod dicitur Deus ; et hoc quamdiu voluntas Dei eum facere ista permittet. Et in hoc consistit pars, in qua ostenditur, quod prævalebit Antichristus per fraudulentiam. Sequitur pars secunda in qua ostenditur, quod prævalebit per violentiam, cum dicitur : *Et concitabitur fortitudo ejus*, scilicet regis Aquilonis, seu Syriæ, et Antiochus, *Adversum regem Austri*, id est contra Ptolomæum regem Ægypti, ita quod exercitus Antiochi venit armatus contra Ptolomæum regem Ægypti, *Et rex Austri*, idest e converso Ptolomæus multis et fortibus provocatus est contra eum auxiliis. *Et non stabunt*, non enim poterunt resistere Antiocho : cujus causa subditur, *quia inibunt adversus eum consilia*, quia in consiliis fraudulentis decepit eum. Et modus subditur cum dicitur : *Et comedentes panem cum eo, conterent illum*. Simulans enim pacem cum nepote, et in commune faciens convivia cum eo, occupavit Ægyptum, et machinatione dolosa ; sed non stetit, imo contritus est ; quia nihil perfecit finaliter ; regnum enim Ægypti obtinere non potuit, sed a militibus Ptolomæi ejectus est, et plurimi de exercitu ejus trucidati sunt, Et ideo subditur : *Exercitusque ejus*, scilicet Antiochi, *Opprimetur et cadent interfecti plurimi*. Similiter intelligendum de Antichristo, qui etiam nasciturus est de Babylone ex Judæis secundum Hieronymum, primo superabit regem Ægypti forte seducendo Saracenos ; et ille, unum est de tribus cornibus de quibus est cap. VII, *Duorum quoque regum cor erit, ut malefaciant*. Duos reges vocat, qui corde fraudulento sibi loquuntur, ut sibi invicem malefaciant, *Et ad mensam unam mendacium loquantur*, id est in signum initæ pacis, in eadem mensa comedentes, verbis simulatæ amicitiæ mendacia invicem proferent, ea intentione, ut alter alterum decipiat. Hoc cogit intelligendum esse de Antiocho et rege Ægypti, quem primo superavit, ut dictum est supra ; quia Ptolomæus parvus ætate, et Antiochi fraude deceptus est, sed non prævaluit Antiochus : et ideo dicitur : *Quia adhuc finis aliud tempus*, quod scilicet ad perfectum impleantur. Quod autem ait, quod non perficient, intelligitur quod Antiochus ingressus est Ægyptum, quasi visurus sororem suam et nepotes, et inter epulas fecit occidit virum sororis, ut obtineret Ægyptum ; sed non profecit quia Ægyptii viriliter resistentes eum expulerunt, et rediit ad terram suam : et ideo subditur : *Et revertetur in terram suam*, expulsus enim ab Ægyptis venit

copiosam, spoliis elatus multis. *Et cor ejus adversus testamentum sanctum*; quia postquam expulsus est ab Aegyptiis, venit iratus in Judaeam *et faciet*, quia contra adversus Judaeam, spoliavit Aegyptum, et sustulit aurum plurimum, *et revertetur*; quia postea in terram propriam Macedonum, reversus est in terram suam. Et in hoc completur pars secunda, in qua ostenditur quod Antichristus praevalebit per violentiam. Et sequitur pars tertia, in qua ostenditur quod Antichristus praevalebit per nimiam confidentiam, cum dicitur : *Statuto tempore revertetur*; quia post biennium reversus est contra Ptolomaeum in Aegyptum et obsedit Alexandriam et duos fratres Ptolomaei, Cleopatrae filios, suos autem nepotes, interfecit. Quia vero a Romanis humiliatus est, ideo sequitur, *Non erit priori simile novissimum*; id est haec Aegypti impugnatio non erit adeo fortis sicut praecedens. Legati enim Romanorum fuerunt missi ad liberandum Aegyptios sibi foederatos. Et ideo sequitur : *Et venient Trieres et Romani super eum*, quibus Antiochus occurrens obviam cum applicuisset, dixit in littore Marcus Popilius et ait : Senatus Populusque Romanus jubent recedere ab amicis suis : quo petente inducias respondendi, fecit circulum Marcus in sabulo circa eum cum virga, et ait : Senatus Populusque Romanus jubent ne egrediaris hunc circulum, donec respondeas. Qui ait : si sit visum senatui populoque Romano, recedendum est, et statim recessit. Et ideo sequitur : *et percutietur*; non quia interierit, sed quia animum arrogantiae fastum perdidit. Hieronymus autem ait de Antichristo : Nullus ambigit quin pugnaturus sit contra regem Aegypti, Romano populo ei auxilium praebente, ut rex sceleratissimus Antiochus gesserit in his imaginem Antichristi. Et sic terminatur tertia pars principalis totius cap. in qua tangitur successio malorum tempore Antiochi.

Sequitur quarta pars principalis totius cap. in qua tangitur afflictio justorum usque ad adventum Judicis, et victoria regni Christi, cum dicitur : *Revertetur et indignabitur*; et habet tres partes. Primo notatur quod Antichristus eriget se contra Dei cultum, cum dicitur : *Et revertetur et indignabitur contra testamentum sanctuarii*. Postquam enim Antiochum repulerant de Aegypto Romani, indignatus venit contra Jerusalem, et invitatus ab his, qui dereliquerunt legem Dei, commiscuit se caeremoniis eorum. Et ideo dicitur : *Et cogitabit adversum eos qui dereliquerunt testamentum*, id est quos vult testamentum derelinquere. Unde alia translatio sic habet : *Et cogitabit ut deserant pactum sanctuarii*, ut planius habetur II Mach. VI cap. *Et brachia ex eo stabunt*, id est principes ab eo missi post biennium, ut tributa exigerent a Judaeis, et in templo Jovis ponerent statuam. Et ideo dicitur : *Et polluent sanctuarium fortitudinis*, id est templum in quo Deus qui fortis et ipsemet fortitudo est, colebatur, profanabunt, et in pessimos usus convertent, sicut factum postea fuit ; nam duces missi ab Antiocho, de ipsius mandato sacrificia legis Judaeis interdixerunt, aras Idolorum in eorum templo erexerunt, et prostibula ibidem fecerunt. *Et auferent juge sacrificium*, id est Dei holocaustum. *Et dabunt abominationem in desolationem*, id est ponent in templo Jovis Idolum, quod Judaei summe abominati sunt. Haec omnia de Antichristo et in Antichristo intellige plenius complenda : qui contra Dei cultum indignatus, cogitabit quomodo a suis cultoribus sanctuarium deseratur, et violenter opprimet, et finaliter in templo Dei stabit, et se faciet Deum. *Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter*. Tempore enim illo quidam simulantes se legum custodes, cum gentibus fecerunt pactum, aliis in lege permanentibus, ut dicitur II Mach. VI cap. ; et illi legem defenderunt et obtinuerunt : et sub Antichristo etiam idem fiet, quando refrigescet charitas multorum, ita ut vix filius hominis fidem inveniat super terram. Et ideo dicitur : *Populus autem sciens Deum obtinebit et faciet*. Unde cum dicit : *Et docti in populo docebunt plurimos*, id est in lege periti docebunt et hortabuntur alios in lege Dei permanere, et pro eadem viriliter pugnare, ut Matathias fecit, qui filios suos ad defensionem patris et legis, documenta dedit, et pro eodem vitae discrimini se exponere induxit et animavit : unde sequitur : *Et ruent in gladio et flamma etc.* Triumphus enim Machabaeorum declarat, quanti et quanta pro custodia regni passi sunt ab Antiocho : nimirum, gladium, ignem, molestias, et rapinas, ut patet ut lib. II Machab. Sub Antichristo etiam non dubitatur idem accidere, et multo fortius ; quia erit crudelior persecutor Ecclesiae quam Antiochus Synagogae. Sollicite enim totisque

viribus studebit populum Christianum a vera religione et fide Christi avertere, et variis generibus tormentorum atque pœnarum sibi consentientes premet et affliget ; aliquibus tamen resistentibus, qui doctrina et bonis exhortationibus, aliis infirmioribus subsidio erunt. Unde sequitur : *Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo*. Intelligitur fuisse tempore Matathiæ, qui tum cultum Dei servare conatus est, ut patet I Mach. II. Sed parvum fuit auxilium, eo quod rebellans paucos habuit auxiliatores et cito mortuus est, et ejus filii postea adversa fraude decepti. Cujus ratio subditur : quia hæc ideo sunt facta, ut probentur, confirmentur et eligantur sancti, qui in fornace purgantur. *Et de eruditis ruent ut conflentur et eligantur et dealbentur, usque ad tempus præfinitum*, quia in aliud tempus est dilata victoria ; quia vera victoria in adventu Christi, implebitur tempore Antichristi, cui congregati sancti parvulo resistent auxilio ; et multiplicabuntur et manifesti fient ; sed vera victoria erit in fine temporum. Et sic terminatur pars in qua tangitur Antichristi erectio contra Dei cultum. Sequitur secunda pars, in qua tangitur ipsius erectio contra Dei personam, cum dicitur : *Et faciet juxta voluntatem suam rex*. Ab hoc loco de Antichristo solum intelligenda sunt omnia, secundum Hieronymum ; quia sequitur : *Et elevabitur contra omnem Deum*, id est extolletur non solum contra verum Deum, sed etiam contra omne illud quod falso nomine Dei donatur, II Thess. II : ad litteram de Antichristo, qui adversatur et extollitur supra omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur ; ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus ; superbissimo enim spiritu elatus, non patietur aliquem supra se coli et honorari. Et sequitur : *Et adversus Deum Deorum loquetur magnifica*, quia Antichristus contumelias et blasphemias loquetur contra verum Deum ; jactabit enim se esse Messiam Judæis promissum, quod solum vero Deo convenit. *Et dirigetur donec compleatur iracundia* ; id est juxta ipsius voluntatem et intentionem prospere diabolo adjuvante succedet, ad tempus tamen ; donec scilicet compleatur Dei iracundia ; tunc enim *Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui*, ut dicitur II Thess. II ; et sic in ipso erit omnium malorum consummatio, licet in typo aliqua præcesserint ab Antiocho, et sub Juliano Apostata completa, a quo Judæi habuerunt auxilium, id est spem quietis ; amare enim eos se simulavit, et in templo eorum se immolaturum promisit, ac si esset Messias populum reducturus. Et sic eum dilexit : *Perpetrata quippe est definitio*, id est sic juxta Dei præsentiam est decretum. *Et Deum patrum suorum non reputabit*, ex quibus patet quod hoc non potest intelligi de Antiocho, quia ille idola Græciæ coluit, et ea Judæis et Samaritanis colere præcepit ; et ideo necessario intelligitur de Antichristo, qui ex Judæis natus, non solum Deum patrum suorum, ut dicitur hic, verum etiam neque ullum alium Deum colet et reputabit. *Et erit in concupiscentiis feminarum*, idest luxuriæ et lasciviæ deditus erit. Translatio vero alia habet, *Et concupiscentiis mulierum non subjacebit* : quod de Antichristo, qui simulabit castitatem, ut plurimos decipiat, intelligitur. Modus enim est hypocritarum, ut quo sunt lasciviores et luxuriæ magis addicti, eo magis castos se simulent : quod non ex amore Dei faciunt, sed ut plebs credat eos esse pudicos. Et sic de Antiocho intelligi non potest, qui fuit luxuriosissimus secundum Hieronymum, in tantum, ut luxuriam suam populo præsente compleret. *Nec quemquam Deorum curabit*, quia adversus universa consurget ; eo quod faciens se Deum, consurget contra omne quod dicitur Deus, secundum Apostolum : *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur*, Maozim præsidium sonat, eo quod Antichristus secrete diabolum, ut præsidem suum venerabitur, sed publice seipsum ut Deum adorari faciet. *Et Deum quem ignoraverunt patres ejus colet*. Hoc non intelligitur de Antiocho, ut dictum est ; sed de Antichristo qui faciet fieri statuam ex auro et argento ac rebus pretiosis, et se coli, et ipse colet diabolum in eadem. *Et faciet ut muniat Maozim*. Translatio Theodotionis habet sic, « Et « aget ut muniat præsidium cum Deo « alieno : quem cum ostenderit, multi- « plicabit honorem et dominationes eis « faciet et terram dividet gratis : » et est dictu quod faciet omnia prædicta, ut in illis et ceteris urbibus ponat præsidia, ut doceat adorare Deum alienum : quem cum ostenderit, idest adorandum suaserit, dabit deceptis honorem et gloriam et faciet eos ceteris dominari, et terram eis dividet donoque distribuet, quia quos terrore nequibit subjugabit avaritia. Hæc

Hieronymus. Et sic terminatur secunda pars hujus quartæ partis, in qua tangitur Antichristi erectio contra Dei censuram; et sequitur tertia in qua tangitur Antichristi eversio contra Dei facturam, cum dicitur: *Et in tempore præfinito prœliabitur.* Nota secundum Hieronymum, quod Antichristus primo pugnaturus est adversus regem Austri id est Ægypti, et postea Lybiam et Æthiopiam superaturus, quia de decem cornibus tria supra contrita legimus, quia forte tres regiones vel hos tres reges fraude decipiet, vel vi obtinebit, ut hic ostenditur, licet in typo præcesserit de Antiocho, qui anno undecimo regni sui, contra nepotem suum Ptolomæum scilicet dimicavit, quasi tempestas valida cum curribus et equitibus et classe magna ingressus terras plurimas pertransiens tandem dimicavit qui terram inclytam scilicet Judæam ascendit, et arcem munivit. *Hæ autem solæ salvabuntur etc.* Antichristus quidem, secundum Hieronymum, Idumæam, Moab et Ammon, id est totam Arabiam relinquet intactam, quia illuc ad deserta illius sancti confugient: sicut in typo Antiochus festinans in Ægyptum eas intactas reliquit, quia ex latere Judææ erant, ne occupatus alio prœlio Ptolomæum redderet fortiorem. *Et mittet manum suam in terras etc.*, quia cepit in illo transitu terras plurimas, inter alias, terram autem Ægypti perquirens et possidens omnes thesauros ejus et pretiosa: sic etiam Antichristus faciet, cum primo seducet Ægyptum, et revelabit thesauros ejus absconditos. *Per Lybiam quoque et Æthiopiam transibit.* Nota quod non dicit quod eas ceperit, sed quod per eas transierit; quia in ipso climate Ægypti existentes, Ægypto capta quasi vicinæ conturbatæ sunt. Africam enim et Lybiam, atque Æthiopiam Antiochus nunquam tenuit; et ideo melius de Antichristo dicitur, quod in obtentu Ægypti has quoque seducturus est. *Et fama turbabit eum ab oriente*, et ab aquilone. Tria enim cornua de decem conterens Antichristus, scilicet Ægyptios, Lybios et Æthiopes, ut statim dictum est, auditurus de orientis et aquilonis partibus contra se bella insurgere, vel potentia imperiali vel resistentia aliquorum sanctorum, quo veniens cum magna multitudine plurimos interficiet: et tunc sequitur: *Figet tabernaculum suum Apadno*, id est in Emmaus, secundum Hieronymum, ubi incipiunt montana Judææ consurgere et unde se erigens ad montem Oliveti, Jerosolymorum regionem ascendet, et usque ad summitatem montis Oliveti, unde Dominus ascendit, veniet secundum Hieronymum. *Et nemo auxiliabitur ei*, quia ibi Domino sæviente peribit, ita quod exaudietur vox de cœlo, dicens: Morieris, et statim fulminabit. Non quod Apadno interpretatur solium suum; quia, ut dictum est, figet tabernaculum suum et solium suum in Jerusalem quæ sita est inter mare Mortuum et Tyberim vel Tyberinum, et veniet usque ad summitatem montis Oliveti et peribit, secundum illud Isaiæ XXV: *Et præcipitabit Dominus in monte illo faciem vinculi colligati super omnes populos et telam quam orditus super universas nationes, præcipitabit mortem in sempiternum; et auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie, et opprobrium populi sui auferet de universa terra etc.* Hæc Hieronymus.

Nota quatuor argumenta litteralia ex dictis in hoc cap., elicita. Primum est quod modus divinæ Scripturæ est frequenter, et præcipue in prophetiis, transire de persona ad personam, de præsenti tempore ad præteritum seu futurum, vel e converso, absque aliqua continuatione intermedia: et hoc est, quod magnam difficultatem facit in Scriptura. Secundum est, quia prophetæ loquuntur prout affectus eorum a sancto Spiritu tangitur, nunc pro uno, nunc pro altero; et talis discontinuatio ponitur in principio cap., cum dicitur: *Ego autem ab anno etc.*, statim sine omni medio sequitur: *Et nunc veritatem annuntiabo tibi:* et hoc dicit Angelus Danieli, unde si fuisset additum et ait Angelus ad me, *Et nunc veritatem etc.*, cum tali supplemento fuisset clarum: idem invenies in multis locis in Scriptura. Frequenter multa intermedia omittit, accipiens solum illa quæ faciunt ad propositum suum. Unde hic omittit novem reges Persarum qui fuerunt a Xerxe usque ad Darium quem occidit Alexander Magnus, quia sub ipsis facta non fuerunt multa nobilia; et ponit tantum quatuor reges Persarum, qui faciunt ad propositum. Tertium argumentum est, quod Scriptura semper loquitur de uno sub typo alterius; ita quod historia de uno verificatur in parte, de alio vero principaliter et totaliter: sicut ista visio de Antiocho Epiphane fuit figura de Antichristo, unde

secundum partem verificatur de Antiocho: plura enim dicuntur hic quæ impossibile est vera esse de ipso, et verificantur de Antichristo. Quartum argumentum est, quod Scriptura non narrat gesta aliorum regum nisi quantum tangit adversitatem vel prosperitatem regni Judæorum; unde non facit hic mentionem, nisi de bellis regum Syriæ et Ægypti, quorum in medio erat Judæa, prætermittens bella Macedonum et aliorum regum.

Sententiæ dubiæ sunt quatuor. Prima est utrum hæc visio continuetur cum præcedenti: et videtur quod sic; quia in litera dicitur, quod Angelus qui Danieli loquebatur in præcedenti visione dixit: *Et nunc veritatem annuntiabo tibi*, et sic videtur continuare sermonem inchoatum; ergo continuatur cum præcedenti. Contra: quia præcedens fuit tertio anno Cyri, hæc anno primo Darii, ut patet ex textu. Sed Darius primus regnavit; ergo etc. Respondeo, dicendum, quod licet quidam dicere velint, quod hæc continuatur cum præcedenti, tamen hoc non videtur verum; quia præcedens fuit anno tertio Cyri, hæc autem fuit primo anno Darii; et ideo hæc præcedit magno tempore præcedentem; et ideo dicendum, quod hæc non continuatur cum præcedenti, sed præcessit ipsam tempore. Ordinatur autem post ipsam, quia ista tangit ultimæ tribulationis triumphum; et ideo ponitur ultimo. Ad id quod objicitur de textu, dicendum, quod ille Angelus, qui nunc ei loquebatur, loquebatur ei alio quoque tempore; vel forte fuit alius Angelus. Secunda dubitatio est, quare a Xerxe qui fuit quartus rex Persarum, transit Scriptura usque ad Darium, quem Alexander interfecit, qui fuit quartus, novem in medio prætermissis. Dicendum, quod illi novem nihil memorabile Scriptura dignum fecerunt, nec faciunt ad prophetiæ propositum; et ideo de ipsis non facit mentionem: facit autem mentionem de Xerxe, quia ipse fuit occasio, quare Græci postea Persas destruxerunt; nam multas gentes excitavit adversus regnum Græcorum, ut sonat textus, et Græciam pro magna parte destruxit. Tertia dubitatio est, quare non tangit Scriptura aliud de aliis regnis, sed solum regnum Syriæ et Ægypti. Dicendum, quod intentio Scripturæ est, scribere tribulationem futuram sub Antiocho Epiphane et sub Antichristo per illam designatam; et ideo non tangit nisi regnum in quo ipse regnabat, et regnum quod occupare moliebatur, ex quorum tribulatione vel prosperitate sequebatur tribulatio vel prosperitas regni Jerosolymitani seu Judæorum. Quarta dubitatio est utrum hæc visio exponi debeat de tempore Antichristi: et arguit Porphyrius depravator Scripturarum, quod non: dicens, quod exponere hanc visionem de Antichristo et transire de Antiocho usque ad finem mundi, omnibus aliis mediis prætermissis, magis videtur voluntarium quam necessarium: aliqualiter omnia exponi possunt de Antiocho, ut ipsemet exponit. Sed contra arguit Hieronymus, quod certum est, quod multa hic traduntur, quæ nullo modo exponi possunt de Antiocho, ut pote quod ille nullum Deum reputabit, neque Deum patrum suorum: Antiochus autem Deum Liberum fecit coli a Judæis; unde in libro II Machab. dicitur, quod hedera coronati cogebantur Judæi Libero circuire. Dicendum ergo, quod hæc visio, quantum ad suam totalitatem intelligitur de Antichristo, licet in parte vera sit de Antiocho. Ad illud Porphyrii, quare Scriptura transit prætermittendo novem reges et si quæ alia prætermittit: patet responsio ex prædictis.

Sententiæ morales sunt duæ hic, quæ possunt accipi ex regum catalogo et descriptione bellorum, regnorum Austri et Aquilonis, id est Syriorum et Græcorum. In principio ergo describit Scriptura processum regni Persarum: ubi intelligendum, quod per regnum Persarum designatur tentatio in tempore. Per quatuor reges quos Scriptura commemorat in prædicto regno regnasse, designantur quatuor genera hominum qui potissime tentantur exspectantes ut vincantur, quia tales *in tempore tentationis recedunt*, Luc. IV. Et talibus dicitur Act. V: *Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri in sanctum Spiritum? Et qui volunt divites fieri incidunt in tentationem:* supple, talem de qua I Corinth. VII: *Tentantur continentes ut vincantur*. Et tali tentatione petit David tentari, dicens, Psalm. XXV: *Proba me Domine et tenta me:* quasi diceret: *quoniam a te eripiar in tentatione* et dabis proventum. Tentantur periclitantes ut probentur, Psal. XXV: *Proba me Domine et tenta me*. Tentantur proficientes, ut coronentur Jacob. I: *Bea-*

fiet eis qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Secundo describit Scriptura regnum Græcorum; in quo designatur humana ostentatio, quia Græci ostentari per humanam sapientiam quærunt. Ubi intelligendum, quod sicut regnum Græcorum habuit quatuor reges principales et unum caput insigne, scilicet Alexandrum; ita moraliter humana sapientia, per quam homines mundani ostentari desiderant, dividitur in quatuor animi passiones. Habet enim humana sapientia lætitiam de prosperitate præsenti: quia *qui in carne sunt, quæ carnis sunt sapiunt*, Rom. VIII: tristitiam de adversitate imminente, contra quam ait Salvator, Matth. XVI, Petro: *Vade post me, Satana, quia non sapis ea quæ Dei sunt*, sed quæ hominum: fiduciam de prosperitate imminenti: contra quam Apostolus I Timoth. VI: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere*. Mœstitiam de adversitate præsenti, de quibus dicitur Deuteronomii XXXII: *Utinam saperent et intelligerent et novissima providerent, quomodo persequatur unus mille*. Et hæ quatuor passiones habent unum insigne caput, scilicet appetitum proprii commodi, quia *gloria ipsorum in confusione qui terrena sapiunt*, Philipp. III. Tertio describit Scriptura bella regnorum: et licet regnum Græcorum divisum in quatuor fuerit, tamen non prosequitur nisi de duobus, scilicet de regno Ægypti et Syriæ, quod est ab aquilone; et designatur adversitas, quia *ab aquilone panditur omne malum*, Jeremiæ x: Prosperitas autem et adversitas semper adversum se præliantur. Fuerunt autem sex reges ex utraque parte, quorum modo prævalet unus, modo alius in prosperitate; ergo per regnum Ægypti designatum notantur sex, in quibus mali frequenter offendunt: quæ est sospitas corporis, fœcunditas prolis, salubritas generis, sublimitas honoris, securitas hostis, copiositas rerum seu muneris. E contra similiter in adversitate designata sunt sex per regem Aquilonis, quibus frequenter offendunt, scilicet infirmitas corporis contra sospitatem, sterilitas prolis contra fœcunditatem, vilitas generis contra salubritatem, ignobilitas honoris contra nobilitatem, anxietas hostis contra securitatem, penuria rerum seu muneris contra copiositatem. Hæ invicem pugnant, sicut singula cum singulis; et aliquando unum contra aliud, seu unum ab alio subjugatur.

CAPUT XII

In illo autem tempore consurget Michael etc. Hæc est secunda pars visionis quartæ, in qua tangitur de triumphali victoria electorum: cujus causa originalis, materialis et finalis est quæ et præcedentis; formalis vero modus vel causa in divisione capituli consistit. Dividitur autem primo in duas partes: quia primo ponitur finalis intentio, cum dicitur: *Tu autem Daniel, claude sermones*. Circa finalem intentionem tangitur primo status seu nisus Angelorum electos protegentium seu custodientium, cum præmittitur, *In tempore illo etc.* Ubi intelligendum quod hoc capitulum evidenter ostendit, præcedentia oportere intelligi de finali tempore Antichristi, in quo fiet mortuorum corporalis resurrectio ad vitam vel ad mortem, et sancti erunt fulgentes, hi quasi stellæ, hi quasi firmamenti splendor, et similia. In tempore ergo illius tribulationis consurget Michael princeps Ecclesiæ, qui stat pro electis quasi adjutor, ad refrigerandum eos, ut reliquiæ salvæ fiant, contra Antichristum, et interficiet eum; Michael autem dicitur quasi fiducialiter agens, et ideo dicitur: *Qui stat pro filiis populi tui*. Secundo tangitur metus afflictorum patientium, cum dicitur: *Et veniet tempus quale non fuit ex eo quo gentes esse cœperunt usque ad tempus* Antichristi, id est majori adjutorio indigebunt electi: quod exponit Salvator de tempore Antichristi, Matth. XIV, dicens: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, nec fiet*. Hoc enim de tempore Antiochi non potest intelligi, quia major fuit quando civitas capta fuit a Babylonicis templumque subversum et populus captivatus, ut ait Jeremias III. Tertio tangitur salus electorum morientium, cum dicitur: *Et in tempore illo salvabitur populus tuus*. Antichristo enim extincto a Salvatore spiritu oris sui, salvabitur populus, qui fuit *scriptus*, vel ordinatus, *in libro*, Dei, id est qui fuit prædestinatus: de quo dicit Propheta, Job cap. I: *In libro stylo ferreo omnes scribentur*. Quarto tangitur gradus resurgentium, cum subjungit, *Et multi de his qui dormiunt in pulvere terræ*, id est multitudo omnium qui debent in pulverem reduci, *evigilabunt*, id est resurgent pro

diversitate meritorum. *Alii in vitam æternam*, id est in gloriam, ut dicere possint : *Dormivi, et soporatus sum et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me*, Psal. VIII. *Alii in opprobrium*, id est in ignominiam damnationis, *Ut videant semper ;* non ut videant bonos in gloria, sed ut sciant se æternaliter esse futuros in pœna, ut impleatur sermo David dicentis : *Opprobrium sempiternum dedit illis*, Psal. LXXVII. Quinto tangitur fructus salvandorum instruentium, *Qui autem docti fuerint, fulgebunt*. Quia autem, secundum Hieronymum, non sufficit sapientia nisi alios erudiat, tacitus sermo doctrinæ non ædificans alium mercedem non recipit : ideo dicit, quod *qui docti fuerint*. Justi tamen sive doctores justitiæ, stellarum fulgori comparantur. Hieronymus. Solet quæri utrum doctus sanctus vel simplex sanctus eamdem mercedem habeant : ideo ostendit quod tantum interest inter erudientem sanctitatem et sanctam rusticitatem quantum cœlum distat a stellis : et ideo dicit quod *qui ad justitiam erudiunt multos*, simplici scilicet verbo et vitæ exemplo, *erunt quasi stellæ :* quia hæ sunt stellæ de quibus dicetur tempore judicii, *stellæ dederunt lumen in custodiis suis*, Baruch VII. Et sic terminatur prima pars in qua tangitur finalis intentio.

Sequitur pars secunda cap. in qua tangitur salubris instructio, cum dicitur : *Tu autem Daniel claude sermones*. Circa quam primo tangitur profunditas visionis, cum dicitur : *Tu autem Daniel claude sermones, etc. :* quia enim multa revelaverat occulta esse significans, præcepit ut sermones claudat, visiones involvat, et signet librum obscuritatibus et ænigmatibus, ut legant plurimi, et quærant historiæ veritatem, et obscuritatis magnitudinem, diversa opinentur, et lugendo cum Sancto Joanne Apoc. V cap., quærant sacramenta et mysteria, parabolas et verba libri signati : quod notat obscuritatem ejus, sicut et Isaias de suo volumine ait cap. XXIX : *Et erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent, lege istum, respondebit : non possum, signatus est enim*. Unde sequitur : *Pertransibunt plurimi et multiplex erit scientia*. Hieronymus, *Pertransibunt*, id est percurrent libros ; et transient historias propter multitudinem lectionum. Vult ergo dicere Angelus Prophetæ : Scribe quidem mysteria : sed non exponas, ut posteris exercitii materiam relinquas ; ut dicit Gregorius *hom.* IV *super Ezechielem* secundæ partis : « Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur. » Secundo tangitur brevitas durationis, cum dicitur : *Et vidi ego Daniel, et ecce quasi duo alii stabant*. Vidit propheta duos Angelos stantes ex utraque parte Tigris Babylonici fluminis, in qua viderat superiorem visionem : et hi Angeli erant principes Persarum et Græcorum, quos non judicat interrogatione dignos ; vidit et alium Angelum super aquam ipsam in medio arboris stantem. Hic est Angelus qui orationes ejus obtulerat in conspectu Dei, quem supra cap. X viderat indutum lineis ; et hunc interrogat, cupiens scire, quantum duraret persecutio Antichristi, seu quo tempore implenda esset visio hæc. *Et audivi virum*, id est vocem viri exponentem in quanto, non tamen aperientem quo tempore complerentur, et levata utraque manu, significans violentiam Persarum et Græcorum comprimendam inter quorum Angelos stabat ; seu illorum in quorum typo quæ futura sunt in finali tempore designantur ; *Et jurasset per viventem in æternum*, adjecit quod duraret *per tempus et tempora et dimidium temporis*, id est per unum annum, et per duos annos et per dimidium, et hoc est per tres annos cum dimidio, quibus durabit tribulatio Antichristi, ut supra cap. VII dicitur : *Et cum completa fuerit dispersio*, id est cum dispersus fuerit populus Dei Antichristo persequente : *Complebuntur universa hæc*, idest omnia bella, regna diversa. Tertio tangitur vicinitas impletionis, cum dicitur : *Et ego audivi et non intellexi :* audierat enim futura bella multiplicia, sed non intellexerat singulorum nomina : et ideo auditor cupit agnoscere veritatem, dicens : *Domine mi, quid erit post hæc ?* cui Angelus : *vade Daniel*, scilicet universæ carnis, quia non fient quæ quæris tempore tuo, et ideo, *clausi sunt*, tibi supple, *Signatique sermones*, id est visiones supra ostensæ, multis obscuritatibus *Usque ad tempus præfinitum*, id est tempus consummationis : quo tempore, supple *eligentur*, sancti, *et dealbabuntur*, ut appareant justi. *Et quasi ignis probabuntur multi*, quia fideles in tribulatione probabuntur quasi aurum in fornace ignis. *Impii autem impie agent*, id est impietatem suam ostendent cum finis venerit, quia qui in ser-

tunc fuerint magis ardescent, juxta illud Apoc. XXII, cap.: qui in sordibus est, sordescat adhuc. Hæc autem faciunt quia *Non intelligent omnes impii*: hoc ad probationem ipsorum fieri. *Docti vero intelligent*, esse Dei disciplinam, et ideo libenter ipsam sustinebunt, secundum Hieronymum. *Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium.* Ostendit quo ordine incipiet et finietur tribulatio Antichristi: quia a tempore quo ablatus fuerit cultus Dei et desolatus, et Antichristus abominabiliter sublimaverit se adorandum: et durabit persecutio *dies mille ducentos nonaginta*, id est per tres annos cum dimidio, ut supra dictum est: quasi diceret: ex quo orbem possederit et cultum Dei interdixerit, et se adorandum præbuerit, usque ad mortem ejus tantum tempus erit. Quod dicitur tempus desolationis tam legis quam templi quam sanctorum. Quarto tangitur opportunitas conversionis, cum dicitur, *Beatus qui expectat et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Hic numerus excedit numerum statim dictum in sexaginta quinque qui post mortem Antichristi dabuntur lapsis ad pœnitentiam et sanctis ad refrigerium, quasi dies pacis et quietis. Et ideo respondens quæstioni, qua quæsierat dicens: *Domine mi quid erit post hæc*, dixit: *Beatus*, quia post dies persecutionis perveniet ad dies sexaginta quinque superadditos ad pœnitentiam: post quos dies Dominus in sua majestate venturus est, ait Hieronymus. *Tu autem Daniel vade*: quasi diceret: *tu Daniel*, interim, *Vade ad præfinitum* tempus vitæ tuæ, et mortuus *requiesces et in fine dierum stabis in sorte tua*, id est resurges in ordine tuo, secundum translationem Theodotionis, cum quo nos Deus resuscitare dignetur in ordine electorum suorum.

Argumenta litteralia sunt hæc duo. Primum est, quod hic expresse dicit Scriptura futuram esse resurrectionem mortuorum in generali judicio: unde dicit quod multi qui dormiunt in pulvere resurgent. Secundum est, quod nullus debet æstimare sibi determinare tempus adventus Antichristi seu finalis judicii: quia nec hoc tempus præfinitur Danieli, sed jubetur signare. Unde Hieronymus: Cum propheta qui habuit librum apertum, dixerit, quia audivit et nihil intellexit, quid faciet qui habet librum signatum, et usque ad tempus consummationis multis obscuritatibus involutum? Unde Augustinus *ad Marcellum Episcopum*: Pone tu tres homines: unus dixit: post viginti annos veniet Antichristus; dico ei: tu male dicis, quia non est in tua potestate, te nosse; alter dixit, adhuc sunt mille anni: et tu male dicis quia nescis quando erit: tertius dicit, scio quod Antichristus venturus est, sed nescio quando, semper stabo paratus: hic bene dicit, non determinans tempus quod Pater posuit in sua potestate; teneamus et nos cum isto.

Sententiæ duæ sunt dubiæ. Prima est de hoc quod dicitur hic, *Tu autem Daniel claude sermones etc.*, *claude librum*: videtur enim contrarium hujus dicere Joannes in Apocal., ubi dicitur Joanni loquenti de eadem materia: Noli claudere. Dicendum secundum Hieronymum, quod sermones seu liber iste est clausus humanæ inquisitioni et sapientiæ; unde solum superbis clauditur, qui tamen humilibus aperitur, quibus Deus hoc voluit revelare, juxta illud Luc. x: *Confiteor tibi Pater, etc.*: dicitur tamen Danieli quod clauderet propter superbos; Joanni quod non clauditur propter humiles. Vel dicendum quod liber ille apertus est quoad factum; clausus vero quoad modum. Secunda dubitatio est, utrum Daniel intellexerit hos sermones clausos: quod non videtur: quia hic dicitur, quod audivit et non intellexit. Sed contra: videtur claudere librum: ergo habuit apertum: quod non diceretur ei, nisi intelligeret ea quæ ibi erant. Dicendum quod Danieli fuit apertus liber, tam quoad factum quam quoad modum facti in parte, sed non quoad omnem circumstantiam facti, scilicet personarum et temporis. Verbi gratia dico quod fuit revelatus Danieli modus tribulationis, scilicet quod Antichristus maximam violentiam faciet contra sanctos, et etiam tempus fuit ei quodammodo revelatum, et ideo dicitur et liber fuisse apertus: sed quod tali tempore, et non alio, et per tales personas, non per alias, hoc non fuit ei certitudinaliter expressum; et quoad hoc dicit quod non intellexerit.

Moralis sententia est de triumphali victoria sanctorum. Ubi notandum quod quanto fortior est molestia, tanto celebrior est Angelorum custodia, et securior victoria, et solemnior corona. Quoad certitudinem habendæ victoriæ notandum quod est ibi fluvius, et duo viri in ripa,

unus hinc, et alter inde, et tertius in medio fluminis, qui erat indutus lineis ; qui levavit dexteram et sinistram in cœlum, et juravit per viventem in æternum etc. Notatur autem ibi præfinitio seu benignitas non permittentis nos ultra id quod possimus tentari vel tribulari, et ostendit hic Scriptura. *Fluvius* ergo Scriptura divina est, de quo Psal. XLV : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Duo Angeli ex utraque parte fluminis* sunt duorum testamentorum sacra eloquia : de quo dicitur. *Vir stans in medio fluminis*, est Christus calcans tribulationes vitæ præsentis, de quo dicitur, qui levat dexteram justitiæ, de quo Psal. CXVII : *Dextera Domini fecit virtutem;* et sinistram suæ clementiæ, de quo Cant. II cap. : *Læva ejus sub capite meo :* ad cœlum providentiæ, quia *a summo cœlo egressio ejus et occursus ejus usque ad summum ejus,* Psal XVIII, et jurat per certitudinem præscientiæ, de quo ? de termino nostræ miseriæ.

Nota quod quæ sequuntur usque ad finem libri non habentur in Hebræo, sed de translatione Theodotionis, quæ vocatur translatio vulgata secundum Hieronymum sumpta sunt ; apparet autem hoc esse factum recenti captivitate Danielis ; quia Daniel adhuc puer erat, ut patet infra.

CAPUT XIII.

Erat vir habitans in Babylone, et nomen ejus Joachim etc. Sicut dictum fuit in principio libri, totus liber Danielis habet tres partes principales. Prima pars continens primum capitulum, est procemialis, in qua ostenditur Danieli collata sapientia. Secunda pars est executiva, seu principalis, continens undecim sequentia capita : in qua ostenditur regni Christi et justorum, ad regnum Antichristi et reproborum præeminentia. Tertia pars est incidentalis continens duo ultima cap. in qua ponitur Susannæ historia, et Belis ac Draconis fabula. Duabus sic habitis et determinatis sequitur tertia, quæ habet duas partes principales seu duo capita.

In prima enim commendatur Daniel de justitia, in extinctione libidinis; et hoc cap. primo, vel totius libri XIII.

In secunda commendatur de constantia in extirpatione cupidinis, et id II cap. seu totius libri XIV, infra : *Erat quoque idolum nomine Bel.* Circa primam partem notandum, quod causa originalis hujus historiæ est instinctus Spiritus sancti datus Danieli per affectum justitiæ.

Causa materialis est presbyterorum impudicitia, Susannæ pudicitia, Danielis justitia.

Causa finalis est, ut ostendatur circa innocentes protectio, malitiosorum finalis casus, et damnatio. Zelantium pro innocentibus eruditio, et eorum finalis sublimatio, sicut patet de Daniele, qui zelavit pro liberatione innocentis, et fuit a Spiritu sancto eruditus, et a populo sublimatus.

Causa vero formalis in divisione historiæ consistit. Dividitur autem capitulum in quatuor partes : quia in prima notatur, tangitur seu describitur summa tentationis, in principio. Secundo causa accusationis, infra : *Et facta est crastina.* Tertio pœna damnationis, infra, *Credidit eis multitudo quasi senioribus.* Quarto forma liberationis vel exemptionis, infra : *Cumque duceretur ad mortem.* Prima pars in qua tangitur summa tentationis, habet IV partes. In prima tangitur personæ tentatæ status, cum dicitur : *Erat vir in Babylone etc.*, erat enim nobilis Susanna, sed captiva, quia uxor viri, qui *erat in Babylone cui nomen Joachim :* de hac enim dicitur infra eodem : *Mittite ad Susannam filiam Helchiæ uxorem Joachim :* erat nobilis, sed pudica ; quia *pulchra nimis et timens Deum;* de hac enim dicitur infra, quod erat *delicata nimis et pulchra facie; pulchra nimis,* sed religiosa, et ideo pulchra pulchritudine pudorata, cui dicitur Jerem. XXXI : *Benedicat tibi Dominus pulchritudinem justitiæ;* erat innocens, sed erudita, quia ; *parentes ejus cum erant justi, erudierant filiam suam juxta legem Moysi.* Docere enim debent parentes, non solum filios, sed etiam filias legem Dei, ait Hieronymus : *Quia mulier sensata et tacita, non est immutatio eruditæ animæ,* Eccles. XXVI. Erat affluens, sed non superba. *Quia Joachim vir ejus dives erat,* ita ut posset dives dici, de quo Eccles. XXXI cap. : *Beatus dives qui inventus est sine macula ; Et erat ei pomœrium vicinum etc*, et ideo locus opportunus ad concursum populi, *Pomœrium*, quod est viridarium fructuum, aquis influentibus irrigatum. *Et ad ipsum confluebant,* ad terminandum causas, sicut solent convenire in hospitiis principalioribus. In secunda tentationum gradus, ibi : *Et con-*

stituti sunt duo senes judices. Senes vocantur, quia erant in tribu Juda. *De quibus locutus est Dominus, quia iniquitas egressa est de Babylone*. Jerem. xxiii : *A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. A senioribus judicibus, qui videbantur regere populum* : quasi diceret : non regebant, sed regere videbantur, quia male præerant : qui enim male præsunt et nomen habent judicum, et injuste præsunt populo, regere magis videntur quam regunt. Ideo et istos Hebræi dicunt fuisse Achab et Sedeciam, de quibus dicit Jerem. xxix : *Ponat te Dominus sicut Sedeciam et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne propter stultitiam, quam fecerunt in Israel, et mœchati sunt*, scilicet uxores civium et amicorum suorum. Decipiebant enim mulieres, dicentes de semine suo nasciturum Christum, quod erant de stirpe David. *Isti ergo frequentabant domum Joachim*, et ex tali frequentatione exarserunt in uxorem ejus. Et hoc quantum ad secundam partem primæ partis, in qua tangitur tentantium gradus. Sequitur tertia pars in qua tangitur tentationis ortus, cum dicitur : *Cum autem populus reverteretur*. Circa quam notat Scriptura septem, quæ communiter in omni tentatione reperiuntur : scilicet tentationis objectum, cum dicitur : *Cum autem populus reverteretur post meridiem ingrediebatur Susanna*, non præsente populo, quia verecunda. *Et deambulabat*, quia spatiari licet ad corpus recreandum, ut ait *Glossa*, præcipue cum steterit homo clausus, sicut ista propter populum. Secundo tangit aspectum, cum dicitur : *Et videbant eam senes*, non enim avertebant oculos, ne viderent vanitatem. Tertio tangit affectum, cum dicitur : *Et exarserunt in concupiscentiam ejus*, perturbatio enim et cupido libidinis percussit corda eorum. Eccles. ix, quia *concupiscentia quasi ignis exardescit*. Quarto tangit consensum : ut enim jacerent tentationis fundamentum in anima, et ut desiderata complere disponerent, *Everterunt sensum suum*, oculos scilicet, quia subverso sensu eorum inclinati sunt ne cœlestia sed carnalia cogitarent : ac per hoc prius everterunt se, et non servaverunt pactum etc. qui in inconstantia concupiscentiæ transegerunt sensum. Sapient. iv. *Recordarentur judiciorum justorum*, quid scilicet Dei, quid honestatis, quid naturæ, quæ omnibus insita est ; et hoc erat, *quia erant ambo vulnerati amore ejus*: utrumque enim libido perculserat, sed adhuc verecundia retrahebat : eo quod judices et populi seniores erant ; et ideo etiam tam lævam nolebat alter ab altero sciri. *Erubescebant enim*, inquit, *indicare sibi mutuo concupiscentiam suam volentes concumbere cum ea*, sed crescente libidine, eo quod *observabant quotidie sollicitius videre eam* : in quo, quinto tangit Scriptura, eorum perversum studium : quia attente ipsam contemplabantur ; prorumpunt in impudicitiam, rupto freno verecundiæ ; et ideo quasi languidi recedentes, sui languoris causam in regressu sibi mutuo indicarunt : rumpit enim libido verecundiam, dum in alio invenit similem impudicitiam : et ideo sexto Scriptura tangit ipsorum malignum concilium, cum dicitur : *Et sciscitantes ab invicem causam*, causam supple mæroris et languoris : *Confessi sunt*, alter supple alteri : *Concupiscentiam suam*. Propter quod concludit Scriptura septimo, eorum obstinatum propositum, cum dicitur : *Et tunc in commune statuerunt tempus*, concordiæ enim libidine æstuante tempus opportunum deerat, quo possent eam ad similem libidinem invitare. Et hoc quantum ad tertiam partem, in qua tangitur tentationis ortus. Sequitur pars quarta in qua tangitur modus tentandi, cum dicitur : *Factum est autem, cum observarent diem aptum*. Ubi Scriptura tangit tentationis occasionem cum præmittitur, *Factum est autem cum observarent etc.* Ubi satis claret, et senum malitia, quia observabant *diem aptum* et Susannæ innocentia, quia *ingressa est sicut heri et nudius tertius*, suspectus neminem ibi, ut ungeretur juxta consuetudinem terræ, tempore æstivo ; *Et non erat ibi quisquam præter duos senes*, qui latuerant in pomœrio, post meridiem, ut invenirent ipsam solam ipsa ignorante ; et ideo emisit puellas ad afferendum *oleum et smigmata*, id est unguenta virginea. Est enim smigma, secundum Papiam, aqua vel decoctio ex palearum mica vel tritura frumento commixta, quæ ad refrigerium seu nitorem faciei præparatur : de quo dicitur Isa. xxx : *Pulli asinorum qui operantur terram, smigma comedent* ; ex quo patet non esse peccatum, quod fit a mulieribus pro conservanda natura, dum autem non fiat pro adulterando. *Et fecerunt sicut præceperat : clauseruntque etc. egressæ sunt*, per privatum accessum domus a pomœrio.

Surrexerunt etc. Videntes eam solam, effrena concupiscentia eruperunt absque verecundia : in quo notatur occasio : sed post occasionem statim tangit Scriptura secundo suggestionem : *Ecce ostia pomarii clausa.* Et confestim tangit tertio assecurationem, dicens : *Et nemo videt nos* : quasi diceret : quia locus secretus est, eo quod ostia clausa ; affectus magnus est : quia *In concupiscentia tui sumus*, et nullus videt nos, et ideo assentiri debes amantibus ; et confestim. Quarto ponit Scriptura comminationem, si dissentiat, dicens : *Quod si nolueris*, quia aliter dicunt se contra eam testimonium ferre : et accusationis apparens ratio est ; quia propter hoc emisit puellas, ut cum amasio posset adulterari. Et sequitur quinto Susannæ trepidatio seu perturbatio, cum dicitur : *Ingemuit ergo Susanna*, timore mortis, vel potius timore opprobrii et ignominiæ, quia illis accusantibus sola erat ; humanum enim est utrumque timere. Unde Apostolus I Cor. IX : *Bonum est mihi mori quam gloriam meam quis evacuet* : licet perfectorum sit non reputare discrimen mortis pro justitia tolere. Dicit autem : *Angustiæ sunt mihi undique,* quia, tam mortem quam ignominiam formidabat : dicit enim : *Si enim hoc egero, mors mihi est* ; peccando contra legem, quia dicit Hieronymus, omne peccatum est mors ; ac per hoc quoties peccamus morimur, et e converso quoties digna opera facimus, resurgimus et vivificamur : *Si enim non egero, non effugiam manus vestras*, quia me occidetis. Et sequitur sexto Susannæ electio, cum dicitur : *Sed melius est mihi incidere, etc.* Gregorius : Ecclesiastes, non habet melius, sed bonum, ne videatur inter peccatum et bonum, quasi inter duo bona eligere, sed bonum mihi est absolute, malum non facere absolute, et in vestras manus incidere ; *Ne peccem in conspectu Dei mei.* Et hæc fuit electio constans et firma et virtuosa, secundum Hieronymum. *In conspectu autem Domini*, dicit, quasi coram eo facta. Septimo sequitur senum accusatio, cum dicitur : *Exclamavit autem voce magna Susanna*, non clamore faucium sed pudicitiæ magnitudine. Erat enim ejus magna exclamatio, ideo, quia cordis et mentis ejus affectus, pura confessio bonæ conscientiæ, vocis ejus referunt clamorem, ait Hieronymus. « Exclamaverunt et senes ». Sed non dicit Scriptura, voce magna, quia nec Deum clamore suo magnificabant, sicut Susanna, qui *magnus est super omnes Deos*, Psalm. XCIV : cui et poterat dicere, *magna est misericordia super me*, Psal. LXXXV. *Cum autem audissent clamorem*, ad clamorem concurrentes, *famuli erubuerunt*, credentes dicto seniorum, cum tamen non solum non factum, sed nec dictum fuerat tale aliquid de Susanna ; magna ergo et fixa de ea opinio habebatur : ideo dicit : *Quia nunquam dictus fuerat sermo hujuscemodi de Susanna.* Et sic terminatur prima pars totius capituli in qua tangitur tentationis summa.

Sequitur secunda pars principalis totius capituli in qua tangitur causa accusationis, cum dicitur : *Et facta est dies crastina.* Ubi tangit Scriptura quatuor, quæ debent secundum formam juris in omni accusatione observari. Nam primo fit rei citatio : et ideo dicitur : *Facta est dies crastina, cumque venisset populus.* Populo ergo veniente, juxta morem, ut dictum est, ad domum Joachim, fecerunt eam personaliter citari ad diem statutum et certum ; ut ipsius morte satiaretur eorum irascibilis appetitus, nam ipsius vita non poterat eorum concupiscibilis satiari : et ideo dicitur : *Mittite ad Susanna.* Sequitur : *Et venit cum parentibus*, jam enim sciebant per clamorem et utrorumque relationem quod acciderat ; *Erat delicata nimis* : quasi diceret : venit cooperta, quia ita ire consueverat eo quod esset delicata : *Et pulchra*, quasi propter necessitatem, et morum honestatem : ire ergo coopertam, testimonium est, et necessitatis, et venustatis, et honestatis mulierum, unde sequitur : *At iniqui illi jusserunt ut discooperiretur*, ut vel inhonesto ejus intuitu satiarentur, et tamen sic viderentur examinare et probare factum, per verecundiam mulieris. *Flebant igitur sui, et omnes qui noverant eam* ; quia tam propinqui, quam alieni compatiebantur innocenti. Secundo fit juratio ; accusantes enim debent jurare, se dicere veritatem, et tunc est lis contestata. Et ideo sequitur : *Surgentes autem duo presbyteri in medio populi super caput ejus*, in testimonium se offerentes. *Posuerunt manus suas super caput ejus.* Modus jurandi erat juxta consuetudinem, ut dicitur Deut. XVII : *Manus testium prima interficiet eum* : contestantes se vidisse ipsam et juvenem pariter commisceri. *Quæ flens suspexit in cœlum*, juxta illud : *Ad te levavi ocu-*

manu, qui habitat in cœlis, Psalm. CXXII: *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino*, quia *benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus*, Jerem. XVII. Tertio facti assertio, cum dicitur: *Et dixerunt presbyteri*, post citationem et jurationem, sequitur assertio facti, quia dicunt se audivisse et vidisse, dicentes: *Cum deambularemus in pomario soli*, soli dicunt, ne alius testis quæratur. *Ingressa est hæc cum duabus puellis et clausit ostium pomarii et dimisit puellas*, addunt circumstantias quasi ad conjecturam facti. *Venit ad eam adolescens*, hæc est accusatio principalis. *Et concubuit cum ea*, et ex hoc lapidanda erat, juxta legis edictum. Et sic facta est per eos facti assertio: debent enim accusantes asserere se vidisse vel audisse, quod probent ratione loci, temporis, personæ vel societatis, modi et ordinis. Quarto dicitur probatio, cum dicitur: *Porro nos cum essemus*, post assertionem sequitur probatio criminis denuntiari per omnes circumstantias facti, debent enim dicere omnes circumstantias; et ideo primo probant per locum, quod erant in pomario; per adspectum, quia viderant iniquitatem; per modum, quia cognoverunt eos esse in concubitu; per personam: ne enim quæreretur ab iis quis ille erat, vel ostendatis, dicunt se nequisse eum comprehendere, quia fortior eis erat, nec eam ab eis requisitam voluisse indicare. Et in hoc terminatur pars secunda principalis totius capitis, in qua tangitur causa accusationis.

Sequitur tertia pars principalis, in qua ponitur pœna condemnationis, cum dicitur, *Credidit eis multitudo*. Ubi Scriptura tangit quatuor. Primo ex parte populi ignorantiam, cum dicitur: *Credidit eis multitudo*, sine discussione facti ex ignorantia, quia senes erant ex natura; et ideo dicit, *Quasi senioribus*, et quia judices ex officio; et ideo dicit: *Et judicibus*, cum tamen non debebat idem esse testis et judex. *Et condemnaverunt eam ad mortem*, quasi ream. Secundo ex parte Susannæ innocentiam, cum dicitur: *Exclamavit autem voce magna et dixit*, cordis affectu et conscientia bona, in quo notatur ejus innocentia et ideo quia sic clamavit, Dominus eam exaudivit, Psalm. CXIX: *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me*. *Voce magna*, hominibus tamen occulta, sed a Deo audita, ait *Glossa*: *Domine Deus æterne*; quasi diceret: tu qui scis omnia æternaliter, tam secreta quam manifesta, tam præsentia quam præterita, quamque futura, tu scis quia innocens morior. Tertio ex parte senum certam malitiam, cum dicitur: *Et ecce morior*, supple innocens, *cum nihil horum fecerim*, accusantium me malitia prævalente, *quia prævalet impius adversus justos*, Habac. I. Quarto Dei circa Susannam diligentiam, cum dicitur: *Exaudivit autem Dominus vocem ejus*, quia *aures ejus ad preces* justorum. Ubi enim desperatum est humanum auxilium, ibi solet Deus insperate clamantibus subvenire. Et sic terminatur tertia pars totius cap., principalis, in qua tangitur pœna condemnationis.

Sequitur pars quarta, in qua ponitur forma liberationis, cum dicitur: *Cumque duceretur ad mortem*. Ubi Scriptura tangit quatuor. Primo præmittit sententiæ appellationem, cum dicitur, *Cumque duceretur etc.* Secundo facti inquisitionem, cum dicitur: *Reversus est ergo populus*. Tertio veritatis intentionem, cum dicitur: *Exclamavit itaque omnis populus*. Quarto gratiarum actionem, cum dicitur: *Helchias autem et uxor ejus laudaverunt Dominum*. Quantum ad primam partem, in qua tangitur sententiæ appellatio, ponuntur seu tanguntur quatuor. Primo Danielis inspiratio, cum dicitur: *Cumque duceretur*, sequitur, *Suscitavit Dominus spiritum pueri*. Suscitatur autem spiritus propheticus pro liberatione sanctæ feminæ, non de novo intrat, qui jam in eo erat, sed propter ætatis infirmitatem quiescebat, nec sua opera demonstrabat. Secundo Danielis proclamatio, cum dicitur: *Clamavit voce magna*, Spiritu sancto suggerente (nota quod vox peccatoris vix in Scriptura dicitur magna), *Mundus ego sum etc.*, quia non consentio morti innocentis hujus. Tertio populi admiratio, cum dicitur: *Et conversus ad eum omnis populus dixit quis est iste sermo? etc.*, hoc quid sibi vult? Habebant enim jam eum in opinione magna, quia aliter verbum unius pueri non curassent. Quarto populi reprehensio, cum dicitur: *Sic fatui filii Israel*, arguit eos de indiscretione in judicio, allegans quod nec ætati, nec auctoritati fuit sine examine acquiescendum, et ideo ait, *revertimini*, quia irritum est judicium, ubi sine examine et juris ordine processum est.

Quantum ad secundam partem, in qua

tangitur facti inquisitio, cum dicitur: *Reversus est ergo populus*, tangit Scriptura quatuor, quæ debent in omni inquisitione secundum formam juris observari. Primo ponitur Susannæ seu personæ condemnatæ revocatio, cum dicitur: *Reversus ergo populus*: debet enim judex stare pro parte accusata et firmus esse ad standum pro innocentia et ad processum indebitum confirmandum. *Et dixerunt ei senes, veni et sede.* Vox ironica est, quasi dicant: corrigas tu, juvenis, quod omisimus nos senes: modus hic est seniorum, cum facta ipsorum arguuntur. Vel forte noverant sanctitatem et sapientiam; et ideo quasi timentes cum reverentia loquuntur. *Quia tibi dedit Deus honorem*, et si non ætatem. Secundo testium separatio, cum dicitur, *Separate eos*, ne scilicet mendacium simile confingant, *Dijudicabo eos*, id est examinabo. Tertio objurgatio, cum dicitur: *Cum ergo divisi essent*, et sequitur: *Inveterate.* Objurgat autem unum de injustitia, alterum de impudicitia. Objurgandus enim est testis falsus, ut ex timore veritatem dicat, maxime ubi aliter de veritate constat. Dicit autem ei, *Nunc venerunt peccata quæ operabaris prius*, quia veri judices debent veritatem reducere ad memoriam falsis accusatoribus mala similia eis opponendo quæ alias dixerunt vel fecerunt sub objurgatione gravi, *judicans*, inquit, *judicia injusta*; ideo sicut alios, ita etiam istam et privato affectu judicasti, cum tamen divina lex jubeat, ne innocens et justus condemnetur. Quarto interrogatio cum dicitur: *Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore.* Ad objurgationem sequitur prudens et humilis inquisitio veritatis, *Qui ait: sub schino*, quam latini dicunt ilicem. *Dixit autem Daniel: recte mentitus es in caput tuum*, id est contra teipsum, *Ecce enim Angelus etc., scindet te medium*: quia ille dixerat, sub schino, quasi alludens verbo ejus respondit, *Scindet te medium*, *quia tuo verbo judicasti teipsum.* Consequenter autem moto illo interrogat, alium, cum ait: *Semen Chanaan et non Juda*, quia enim mentiebatur nasciturum esse de eis Christum, eo quod erant de tribu Juda, dicit eos nunc de semine maledicto et non de electo: Genes. xix: *Maledictus puer Chanaan. Species decepit te*, id est pulchritudo decepit te ex parte objecti, *Et concupiscentia subvertit*, ex parte tui animi *Sic faciebatis filiabus Israel*, ingerit ei sicut præcedenti mala similia consueta: consueverant enim dicere mulieribus, quod Christus ex eis nasceretur, ut dictum est, et quia addebant comminationem sententiæ, sicut comminabantur (supra) Susannæ, nisi eis assentirent, timentes sententiam, assentiebant eis; et ideo dicit: *Et illæ timentes loquebantur vobiscum.* Pudice loquitur, quasi diceret, auricula-riter assentiebant vobis. *Sed filia Juda non*, quia eis perfectior, quasi filia viri Judæ, hoc est confitentis bonam confessionem coram ipso Pilato, ut dicit Apostolus: Sustinuit iniquitatem nostram, non formidans comminationem ignominiæ vel mortis. *Nunc ergo dic mihi etc. Qui ait, sub prino* quam latini lentiscum vocant: est autem arbor, cujus succus foliorum scissuras labiorum vel manuum solidat: unde Hieronymus: Schinus est arbor, quam ilicem vocant. Prinus vero est arbor, quam lentiscum vocant. *Dixit autem Daniel: recte mentitus es tu in caput tuum*, id est in damnationem capitalem: *Manet enim Angelus Dei habens gladium*: unde sequitur, *Ut secet te medium.* Alludit enim in verbo ejus: quia sicut a schino scissio, sic a prino sectio vel serratio in Hebræo dicitur secundum quosdam. *Et interficiat vos*, ambos scilicet. Et sic terminatur tertia pars, in qua tangitur facti inquisitio. Et sequitur illa, in qua tangitur veritatis inventio, cum dicitur: *Exclamavit itaque omnis populus*, Scriptura tangit quatuor. Primo populi acclamationem, *Exclamavit itaque omnis populus*, scilicet contra eos: exclamavit autem propter dissonantiam, *Et benedixerunt Deum.* Omnes debent gaudere, et gratias agere de innocentia accusatæ; alioquin ostendunt se consentire falsis accusatoribus. Secundo populi commotionem; cum dicitur: *Et consurrexerunt adversus duos presbyteros*: non enim est parcendum ætati vel auctoritati in diffamationibus. Tertio judicium seu censum, condemnationem seu punitionem, cum dicitur: *Feceruntque eis, sicut male egerant.* Infligenda est pœna accusanti, quæ accusato infligi deberet, si de crimine convictus fuisset, secundum legem talionis. *Et interfecerunt eos*, id est interficiendos regi tradiderunt, sicut dicuntur Judæi Christum interfecisse, quia interficiendum Pilato tradiderunt. Rex autem audito tanto scelere contra tantam dominam, fecit eos mitti in ignem, sicut dictum est. Quarto innocentis salvatio

tem, cum dicit: *Et salvatus est sanguis innoxius*, quia jam non erat condemnatus, [illegible] xiv capite. Et sic terminatur pars, in qua tangitur veritatis inventio; et sequitur illa, in qua tangitur gratiarum actio, cum dicitur: *Helcias autem et uxor ejus*: ubi tanguntur quatuor. Primo tangitur parentum Susannæ laudis et devota supplicatio, cum dicitur: *Helcias autem et uxor ejus*, quia post susceptum beneficium non est gratiarum actio differenda: *Laudaverunt Dominum, quia non est in ea inventa res turpis*: non enim laudaverunt Dominum quia liberata, quia hoc parum est, nec in perfectis laudabile; sed quia in ea non est inventa res turpis vel id peccatum, cujus illam seniores insimulaverant; de hoc enim valde laudandus est Deus, quod ab ejus offensa nos continet et præservet. Ex hoc etiam laudabant Deum, quod collapsa fama et honor Susannæ et suorum hoc beneficio restitueretur. Secundo Danielis sublimatio, cum dicitur: *Daniel autem factus est magnus*, scilicet in publica fama et opinione populi, *A die illa et deinceps, usque ad finem dierum suorum*. Tertio regni continuatio, quia *rex Astyages appositus est ad patres suos*. Hic apparet, quod determinat tempus liberationis Susannæ, non sequentis historiæ, quia Daniel tunc puer erat ut supra dictum est, quia in Babylone factum est, ut habetur in principio capitis; destructa autem Babylone, Darius transtulit eum in Mediam: unde hoc factum est ante subversionem Babylonis. Quarto Danielis prælatio, cum dicitur: *Erat autem conviva regis*, scilicet Babylonis Balthasar ac Nabuchodonosor, ut magis puto, sicut tractatur in quæstione sequenti.

Argumenta litteralia sunt hic quatuor. Primum, quod patres debent docere et erudire filios et filias suas in lege Dei: quod notatur ibi, *Parentes enim*.

Secundum est, quod nulla mulier debet consentire actui impudicitiæ, propter quamcumque ignominiam vel infamiam, seu propter metum mortis: quod notatur ibi: *Sed melius*.

Tertium est, quod nullius accusatio seu testimonium, quantumvis auctoritatis magnæ, sit admittendum sine diligenti examine; quod notatur ibi: *Sic fatui etc.*

Quartum est, quod si omnis accusans probatione defecerit, debet sustinere eamdem pœnam, quam accusatus sustinuisset, si convictus fuisset: quod notatur ibi: *Fecerunt eis*.

Sententiæ dubiæ sunt tres. Prima est, quomodo Judæi cum captivi essent in Babylone, poterant facere judices de eorum senioribus, et etiam aliquem condemnare ad mortem. Dicendum, secundum Hieronymum, quod duplex potest esse causa: vel quod forte data eis a rege Babylonis licentia esset ut de criminibus contra legem commissis inter se possent seipsos, scilicet Judæos, punire et condemnare. Vel aliter, quod ipsi habita licentia judicabant eos secundum legem et statim condemnatos tradebant regi qui confestim sententiam executioni dabat. Secunda dubitatio est qui sunt isti senes. Dicendum, secundum Hieronymum, quod sunt Achab et Sedecias, de quibus dicitur Jerem. XXIX, quos frixit rex Babylonis in sartagine; sed, ut dictum est, populus eos sententiavit. Tertia dubitatio, quo tempore hoc factum sit; et videtur quod tempore Astyagis, quia dicitur in fine cap. quod rex Astyages appositus ad patres: quod solum videtur esse dictum ad ostendendum quod eo tempore fuit factum. Contra: quia tempore Astyagis erat Daniel senex: quod patet quia septuaginta anni jam fluxerant, ex quo facta fuit transmigratio: et tamen textus dicit, quod suscitavit Dominus spiritum pueri minoris. Dicendum quod dicunt quidam, quod hoc fuit factum quando Daniel esset juvenis; scilicet tempore Nabuchodonosor; et quod hic de Astyage dicitur, dicunt ad certificandum tempus historiæ sequentis et non istius. Sed contra: quia iste Astyages non regnavit intus in Babylone; et ita quod dicitur de Belo et dracone sub ipso non fuit factum. Quod quidam concedunt esse verum; dicunt tamen primi, quod licet Astyages non esset immediatus rex Babylonis, tamen erat rex principalis totius regni et dominus major. Alii dicunt, quod hoc fuit factum tempore Astyagis, sicut patet ex fine capituli; et quando dicitur quod Daniel erat juvenis, respondent quod non absolute dicitur juvenis, sed respectu Judicum, quos convicit, qui erant valde provectæ ætatis. Unde signanter dicit Scriptura quod Dominus suscitavit spiritum pueri junioris, loquendo comparative.

Sententia moralis potest hic accipi de foro judiciali, de quo est totum capitulum. Ubi sunt quatuor consideranda: sci-

licet persona rei, persona testis, facti conditio, et persona judicis. Circa personam rei nota quatuor, quæ possunt reddere personam suspectam: scilicet si habet generis nobilitatem : de quo dicitur Ezech. XXII : *Polluta es*, sequitur, *sordida, nobilis, grandis interitu*. I Reg. XX : *Dixit ergo Saul, Fili mulieris ultro virum rapientis*. Si corporis venustatem : de quo dicitur II Esdræ IV. *Si viderint mulierem unam bono habitu et bona specie, omnia relinquentes aperto ore eam conspiciunt, et eam alliciunt*. Si ætatis juventutem : de quo dicitur Proverb. VII : *Ecce mulier occurrit*, scilicet juveni, *ornatu meretricio:* sequitur: *apprehensum deosculatur juvenem, et procaci vultu blanditur*. Si rerum temporalium ubertatem : de quo dicitur ibidem: *Eadem mulier aspersit cubile myrrha, aloe et cinnamomo*. E contra vero sunt quatuor, quæ eam a suspicione defendunt ; scilicet si sit nobilitas erudita ; de quo dicitur per instructionem Eccles. VII : *Noli discedere a muliere sensata ;* si venustas pudorata per religionem, de quo dicitur Eccl. XL : *Ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super hanc mulierem immaculata ;* si juventus ordinata per devotionem : de quo dicitur Eccl. XXVI : *Fundamenta æterna in corde mulieris sanctæ ;* si voluntas inclinata per compassionem: de quo dicitur Eccl. XXXVI: *Ubi non est mulier, ingemiscit egens*. Circa personam testis nota, quod quantumvis sint senes antiquitate, experti profunditate, non est acquiescendum eorum testimonio contra famam alicujus sine diligenti examine. Potest enim antiquitas depravari per concupiscentiam, sanctitas per invidiam, profunditas per fallaciam, quæ omnia fuerunt in istis senibus. Circa conditionem facti nota quod debet esse certa accusatio, ne procedat ex levitate ; contestatio seu juratio, ne procedat ex malignitate ; assertio ne procedat ex crudelitate : probatio ne procedat ex varietate. Circa judicis officium nota, quod testes sunt separandi, propter conspirationem ; objurgandi propter indiscretionem ; requirendi propter deviationem ; puniendi propter cavillationem.

CAPUT XIV.

Erat quoque Idolum apud Babylonios nomine Bel. Determinato cap., in quo Daniel commendatur ex extinctione libidinis, nunc in hoc cap., commendatur de constantia in extirpatione cupidinis. Habet autem id capitulum duas partes principales. Quia primo commendatur Daniel ob audaciam ad aggrediendum ardua, in principio. Secunda de tolerantia ad sustinendum adversa, infra : *Quod cum audivissent Babylonii*. Et hæ sunt duæ partes constantiæ seu fortitudinis ; scilicet audacia ad aggrediendum, et tolerantia ad sustinendum adversa.

Quantum ad primum commendatur primo Danielis audacia, in destructione Belis devorantis, in principio ; secundo in extinctione Draconis venenantis, infra : *Et erat Draco magnus in loco illo*. Quantum ad destructionem Belis intelligendum, quod fuit primo erroris defensatio in principio, secundo defensati disquisitio, ibi : *Et iratus rex vocavit sacerdotes*. Tertio disquisiti inventio, ibi : *Factum est igitur postquam ingressi sunt*. Quarto deprehensorum punitio, ibi : *Tunc apprehendit rex sacerdotes*. Quantum ad primam partem tangit Scriptura sex, quæ erant ratio et causa defensionis erroris. Primum fuit Belis apparentis cibatio : et ideo præmittitur, *Erat quoque Idolum nomine Bel*. Ubi notatur ex eo tempore, quo ista historia facta est, quod omnia idola derivata sunt nominibus suis ab isto idolo ; ut Baal, id est Baalim, Beelzebub, Beelphegor, etc., hujusmodi, quia Belus rex Babyloniæ primus invenit idola. Belus enim rex erat et dominus Babyloniorum, qui interpretatur vetustus, Babylon vero confusio. Huic ergo Idolo *Impendebantur*, hoc est, apponebantur, *per singulos dies*, id est omni die, *similæ*, id est farinæ, *artabæ duodecim*. Artaba apud Chaldæos eadem mensura est, quæ est Ephi, apud Judæos, trium scilicet modiorum : et ita expendebant quotidie triginta sex modios farinæ, licet modius non esset ejusdem quantitatis apud omnes. *Et oves quadraginta, vinique amphoræ sex*. Secundum fuit regis superstitio, cum dicitur : *Rex quoque colebat eum*, scilicet Nabuchodonosor, vel Balthasar devotus Beli, *Ibat quotidie adorare eum*, credens eum potentem, quia potenter comederat : omne enim, quod supra humanum posse erat, Deum credebant ipsi gentiles, quia nihil credebant esse super homines nisi Deum. Tertium religio Danielis, *Porro Daniel adorabat Deum suum :* non enim adorabat Bel ut Deum sicut

rex idololatra, quia sciebat Deum cibo vel potu non egere. Et ideo, quia non adorabat ipsum, rex ab ipso inquirit, dicens: *Quare non adoras Bel?* dubitat enim, quod Daniel se subtraheret, cum ipse iret ad orandum, cum tamen in aliis quasi familiaris jugiter assisteret. Quartum Danielis responsio, cum dicitur: *Quia non colo idola manu facta*: quasi diceret, non colo facturam, sed Deum factorem; quia contra adoratores et cultores idolorum dicitur Isaiæ XLII: *Confundantur confusione, qui adorant sculptilia, et qui dicunt conflatiles Dii nostri.* Nec colo edacem carnium ex indigentia, sed eum qui est potens super omnem carnem. Et ideo dicit: *Et habet potestatem omnis carnis*, quia omnis caro fœnum, *verbum autem Domini manet in æternum*, Isaiæ XL. Nec colo lapidem mortuum, sed eum qui est vera vita, non ergo credebat Daniel divinitatem posse lapidibus uniri. Quinto regis disquisitionem, cum dicitur: *Nonne videtur tibi Bel esse vivens Deus?* ostensis siquidem his, quæ apponebantur, ait, *Nonne etc.*: quasi diceret: per effectum manifeste videtur vivere, quia non potest comedere nisi divinitus et potenter vivens. Sexto Danielis satisfactio, cum dicitur: *Et ait Daniel arridens*, modeste, non contemnens regem, sed curialiter et placenter. *Ne erres, inquit rex.* Reverenter eum arguit; sed tamen requisitus, quia non est tacenda vel pallianda veritas fidei, ubi homo fuerit requisitus. *Iste enim est intrinsecus luteus*: quasi diceret non habet carnem nec animam, ac per hoc nec stomachum ad recipiendum, nec vim ad digerendum, et ideo non comedere potest, nec indigentia, nec potestate. Et in hoc terminatur prima pars, in qua tangitur erroris defensatio. Sequitur secunda pars, in qua tangitur defensati disquisitio, cum dicitur: *Et iratus rex.* Ubi Scriptura tangit quatuor. Primo Sacerdotum Belis citationem, cum dicitur: *Et iratus rex vocavit Sacerdotes*, volens ab eis inquirere veritatem, quia illa quæ ad cultum Dei sui magnifice expendebat, intelligebat aliter esse consumpta, secundum sententiam Danielis. Secundo mortis comminationem, cum dicitur: *Nisi dixeritis mihi*: contra inquirens, an dictum Danielis esset verum vel falsum; et ideo ait: *Nisi dixeritis etc.*, si non ostenderitis, quis comedat impensas appositas Beli, peribitis vos: *Si autem ostenderitis*, peribit Daniel ut blasphemus. Tertio sententiæ approbationem, cum dicitur: *Et dixit Daniel, fiat juxta verbum tuum*; certus enim de veritate, et securus de Dei potestate, acceptat sententiam, offerens se morti pro fide veri Dei. *Erant autem Sacerdotes Belis Septuaginta*, poterant ergo esse, cum totidem uxoribus pueris et famulis, quadringentæ circiter personæ, ac per hoc bene poterant supradicta apposita omnia devorare. *Et venit rex cum Daniele in templum Belis*, ut scilicet probaret, quod dixerat Daniel. Quarto Sacerdotum Belis deceptionem, cum dicitur: *Ecce nos egrediemur foras, et tu rex appone escas*: quasi dicant: appone consueta. *Et vinum misce*, id est propina juxta morem terræ. *Et postea claude ostium, et signa annulo tuo*, quia antiquitus solebant uti annulis pro sigillis. *Et nisi mane fuerint comesta omnia, moriamur.* Fallaciter enim arguunt ex duabus fallaciis; non enim sequitur, quod si fuerint comesta, ab alio nequiverunt comedi; neque sequitur, si per portam templi non ingrediebantur, quod alio modo intrare non possent. Quas duas fallacias notat Scriptura, ubi dicit, *Contemnebant autem.* Et sic terminatur pars, in qua tangitur disquisitio defensati; et sequitur pars, in qua ponitur disquisiti deprehensio, cum dicitur: *Factum est igitur, post quam egressi sunt.* Ubi tanguntur quatuor. Primo Danielis astutia, cum dicitur: *Factum est autem, postquam egressi sunt, rex posuit cibos ante Bel*, antequam scilicet Daniel cribraret cineres in pavimento: et in hoc fuerunt decepti, et finali morti ex dictis suis conclusi. *Et cribravit per totum templum coram rege*, ut scilicet videret nulla tunc ibi esse vestigia, sicut postea. *Et egressi sunt*, scilicet Daniel et rex, *clauserunt ostium*, sicut fuerat dictum. Secundo Sacerdotum malitia, cum dicitur: *Sacerdotes autem ingressi sunt nocte etc.*, qui fecerant sibi vias subterraneas sub mensa Belis, per quas ingressi omnia devorabant. Tertio regis diligentia, cum dicitur: *Surrexit autem rex summo diluculo*, quia ex vehementi diligentia, quam habebat, somnus recesserat ab eo. *Et ait, salvane signacula Daniel?* petit, ne postea se excuset per signa quod fuerint mutata. *Et intuitus rex mensam*, supple vacuam, ante scilicet videns quam pavimentum, *exclamavit*, volens currere ad adorandum Bel quasi Deum. *Voce magna, Magnus est Bel, et non est apud te dolus quisquam*: quasi diceret: sicut credebam

te comedere apposita, ita per indicia certa nunc comprobavi. Quarto Danielis fiducia, cum dicitur: *Et risit Daniel*, ut supra, non contemnendo regem, *et tenuit regem*, ut scilicet postquam intrasset, cerneret pavimenti vestigia, *Et ait: Ecce pavimentum, animadverte cujus vestigia sunt hæc*: quasi diceret: quorum sunt hæc vestigia, ipsi comedunt apposita. *Et dixit rex, video vestigia virorum etc.*, id est agnosco viros et mulieres intrasse, et comedisse: agnovit enim distincte, et per figuras calceamentorum diversas, juxta consuetudinem. Et sic terminatur pars, in qua tangitur disquisiti deprehensio; et sequitur pars, in qua tangitur deprehensorum punitio, cum dicitur: *Tunc apprehendit rex sacerdotes*. Ubi Scriptura tangit quatuor. Primo veritatis extorsionem, cum dicitur: *Tunc rex etc.*, cogit enim eos dicere veritatem, quia ex pavimenti conjectura potest veritas extorqueri, *Et ostenderunt ei*, coacti, *ostiuncula, per quæ ingrediebantur*, confitentes se omnia comedisse. Secundo reorum damnationem, cum dicitur: *Occidit ergo rex illos*, quasi diceret deceptores in fide: unde qui decipiunt in fide, capitali sententia sunt plectendi. Tertio idoli traditionem, cum dicitur: *Et tradidit Bel in potestatem Danielis*, approbans dictum Danielis, et cognoscens, quod non esset Deus vivens. Quarto ipsius Belis et templi subversionem, cum dicitur: *Qui subvertit*, quasi habitaculum dæmonis. Et sic terminatur pars in qua tangitur Danielis audacia in destructione idoli devorantis. Et sic sequitur pars in qua tangitur ejusdem audacia in extinctione draconis venenantis, cum dicitur: *Et erat draco magnus in loco illo*. Ubi Scriptura tangit quatuor. Primo ex parte regis erroris affectionem, cum dicitur: *Et erat draco in loco*, latens scilicet in fovea non in templo; *Et colebant eum Babylonii*. Modus colendi erat, secundum Magistrum historiarum, quod habebant vasa facta de corio vitulino plena aqua, quæ sacerdotes illius templi virgis percutiebant, ut facerent sonitum terribilem quasi tonitruum, ad quem excitatus draco, quandoque emittebat fumum, quandoque ignem, quandoque visibiliter apparebat; et ideo aliquid divinum esse credebant, ait Magister idem, *Et dixit rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere, quod iste non sit Deus vivens*. Redit ad primum actum, quod Daniel dixerat Bel non esse Deum quia non erat vivens; et ideo, *Hic Deus vivens*, quia visibiliter movebatur. Secundo ex parte Danielis erroris ostensionem, cum dicitur: *Dixitque Daniel regi; Dominum Deum meum adoro, iste autem non est Deus vivens*; quia licet sit vivens, non tamen vita immortali. Quod offert se probaturum, cum tertio tangit Scriptura erroris apparitionem, cum dicitur: *Tu autem rex, da mihi potestatem et occidam illum absque gladio et fuste*, ut non per violentiam, sed per corruptionem interiorem moriatur. Quarto erroris ambitionem, cum dicitur: *Et ait rex, do tibi. Tulit ergo Daniel, picem cum adipe*, id est pinguedine seu sævo calore stomachali dissolutis, et tamen indigestibilibus, ut simul cum pilis suffocaretur. *Dedit*, ergo ista Daniel, *In os draconis et disruptus est*, id est suffocatus crepuit, quia per massas masticatas et agglutinatas constricti sunt dentes et anhelitus interclusus, ita quod non potuit respirare, et ita crepuit, quia magnos flatus draco emittit. *Et dicit Daniel: Ecce quem colebatis serpentem*, scilicet venenatum, mortalem et corruptibilem. Et in hoc consistit prima pars principalis totius capituli, in qua commendatur audacia Danielis ad aggrediendum.

Sequitur secunda pars principalis, in qua commendatur Daniel a tolerantia ad sustinendum adversa, cum dicitur: *Cum autem audivissent Babylonii*. Circa quam tangit Scriptura duo. Primo pœnæ inflictionem seu crudelem damnationem, in principio. Secundo pœnæ celebrem liberationem infra, *Erat Habacuc Propheta in Judæa*. Quantum ad primam partem, notat Scriptura quatuor. Primo populi commotionem, cum dicitur: *Quod cum audissent Babylonii indignati sunt vehementer*, concepta enim primo indignatione in destructione Belis versi sunt in commotionem *adversus regem*, quia motus populi non sequitur rationem, sed motum. *Et dixerunt, Judæus factus est rex*. Titulum apostasiæ ipsi imponere conantur, quod probant ex his quæ sequuntur. *Bel destruxit*, quasi propter zelum legis Judæorum cultum nostrum abnegavit, quod patet, quia Deos nostros destruxit. *Et sacerdotes occidit*. Hoc autem dicebant intra se, ut populum contra regem incitarent. Quia tamen sciebant Danielem causam fuisse, addunt, *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te etc.* In quo Scriptura tangit secundo pœ-

pati seditionem, quia vel ipse morietur, ut blasphemus, vel in eum familia tua se convertet. Tertio Danielis traditionem, cum dicitur: *Vidit ergo rex, quod irruerent in eum etc.*, compulsus eum tradidit, ut seditionem populus non faceret, timore humano motus. Quarto Danielis punitionem, cum dicitur: *Qui miserunt eum in lacum leonum etc.*, ubi supra cap. VI, missus fuerat etiam, sed non steterat per sex dies: *Porro in lacu erant septem leones, et eis quotidie dabantur duo corpora*, damnatorum supple, *Et duæ oves, et tunc non data sunt eis.* Malignitas non satiatur in pœnis, quia nihil ei satis est, dum superest vita: non sufficit eum exponere leonibus, nisi exponeretur tamdiu famescentibus. Et sic terminatur pars in qua tangit Scriptura Danielis crudelem afflictionem. Et sequitur pars in qua tangit ipsius celebrem liberationem, cum dicitur: *Erat autem Habacuc*, ubi Scriptura tangit duo. Primo Danielis liberationem a pœna famis, in principio. Secundo ipsius liberationem a pœna mortis, infra, cum dicitur: *Venit ergo rex die septimo.* Circa primum tanguntur sex. Primo prophetica sollicitudo, cum dicitur: *Erat autem Habacuc Propheta in Judæa et ipse coxerat*, quia enim pro justitia patiebatur pœnam famis, ideo a justo Propheta licet ignoranter ei cibus paratur, *Et intriverat panes in alveolo*, alvus venter est, ciborumque receptaculum, inde dictus alveolus ad parvum vehiculum ciborum secundum Papiam. *Et ibat in campum*: quia etsi Propheta, tamen incola activus simul et contemplativus: an autem fuerit Habacuc de duodecim Prophetis unus, dubitant aliqui. Magister tamen historiarum non videtur dubitare. Secundo tangitur jussio angelica, cum dicitur: *Dixitque Angelus ad Habacuc: fer prandium, quod habes.* Consensum Prophetæ exigit, ut servatur. Tertio prophetica necessitudo, cum dicitur: *Domine, Babylonem non vidi*: affectus enim habet propinquitatem, sed quia in terra non fuit, ait: *Babylonem non vidi et lacum nescio*: non excusando se ex voluntate, sed potius ex mœstitia, quia propriis viribus non se existimat posse complere angelicam jussionem. Quarto angelica fortitudo, cum dicitur: *Et apprehendit eum Angelus Domini et portavit etc. Et portavit eum in impetu*, id est in virtute velociter ad speculum tempore brevi. Quinto Danielis sanctitudo, cum dicitur: *Daniel serve Dei etc.* Cum reverentia loquitur, propter Deum afflicto. *Et ait Daniel: recordatus es mei Deus et non dereliquisti diligentes te.* Prius gratias agit, deinde refectionem accipit, ut sequitur, *Surgensque Daniel comedit.* Sexto angelica vicissitudo, cum dicitur: *Porro Angelus Dei restituit Habacuc*: dixerat autem domesticis suis, ibo ad terram longinquam et cito redibo; si tardavero post dies aliquot, facite cibum messoribus, secundum Magistrum historiarum. Et sic terminatur pars, in qua Scriptura tangit liberationem Danielis a pœna famis. Et sequitur pars in qua ponit ipsius liberationem a pœna mortis, cum dicitur: *Venit ergo rex septimo die*: ubi Scriptura tangit primo regis circa Danielem compassionis affectum, cum dicitur: *Venit ergo rex septima die, ut lugeret Danielem*, etsi gentilis, tamen compatiens innocenti. *Venit autem ad lacum*, ubi scilicet inclusus erat Daniel cum leonibus. *Et introspexit*, ut scilicet videret, an ipsum leones lacerassent. Secundo circa ipsius liberationem, devotionis conatum, cum dicitur: *Exclamavit voce magna etc.*, videns enim eum vivum in medio leonum sedentem quasi in medio hominum, gavisus, prorupit in laudem Dei, dicens: *Magnus es Domine Deus Danielis*, quia tu solus potes liberare. Tertio circa ejus persecutores damnationis effectum, cum dicitur: *Porro illos qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum*: extracto scilicet Daniele, secundum legem talionis, accusatores ejus posuit in loco ejus, qui coram Daniele statim in momento sunt devorati. Quarto regis ad laudem Omnipotentis decretum, cum dicit: *Caveant habitantes terram universam Deum Danielis, quia ipse est salvator faciens signa etc.*, quorum verborum interpretatio patet ex declaratis in VI cap.

Argumenta litteralia sunt duo. Primum est, quod in nullo casu illiusque prætextu est simulanda falsa religio, sicut hic Daniel fecit, qui nec ut morem gereret regi, ejusque amicitiam conservaret, nec ut pericula, quibus se exponebat vitaret, voluit etiam apparenter idolum adorare; quinimo taliter se gessit, ut patenter fugiens idololatriam, ansam acciperet rex illum interrogandi, et inde Daniel occasionem veritatem detegendi. In quo docemur in causa fidei nullo modo esse succumbendum, quinimo procedendum intrepide, omnibusque mundanis postpositis strenue dimicandum. Secundum argu-

mentum est, quam parum vulgaris populus ducatur ratione et plurimum passione obducatur, et exinde quam ingratus ac perversus et effrenis fiat, quamque periculosum sit cum communi plebe negotium habere. Cum enim Babylonicus populus gratias agere Danieli debuerit, eo quod a venenata illa bestia eos liberaverat, falsumque cultum illos vitare docuerat, omnino mente obcæcati irati fuerunt contra ipsum, quia fecerat, et contra regem indignati, quia ad id faciendum facultatem dederat ; contra illum mortem procurarunt, et contra hunc rebellantes tumultum excitarunt. Sententiæ dubiæ sunt tres. Prima est, utrum hæc sit eadem missio Danielis in lacum leonum, cum illa de qua fuit facta mentio cap. VI. Dicendum, quod non : tum quia alia de causa fuit modo missus in lacum, quam tunc, sicut patet per textum ; tum etiam quia in prima missione non fuit ibi per sex dies. Secunda dubitatio est, an Babylonii putaverint, quod Bel comederit illa quæ illi apponebantur : non enim est credibile, quod adeo desiperent rex et populus, ut existimarent statuam comedere. Dicendum primo, quod existimabant illud, quod repræsentabatur per statuam, esse quid vivens et comedere. Vel dicendum secundo, et melius, quod populus ille existimabat, statuam illam vivere : et quia tanta videbatur quotidie comedere et vorare, putabant esse aliquid divinum ; consuetudo enim fuit gentilium illud, quod supra communem modum apparebat, Deum reputare. Tertia dubitatio, quomodo sit possibile populum Babylonicum coluisse bestiam adeo horribilem et venenosam, qualis est draco : non enim videtur credibile, quod tanta caligine populus ille involutus fuerit. Dicendum, quod sine dubio aliquid divinum in dracone inveniri sibi persuasum habebant. Sententiæ morales sunt quatuor. Prima est de idolo, quod populus Babylonicus colebat, per quod quia ut verus Deus a Babyloniis colebatur et adorabatur, eo quod multa extra consuetum modum comedere videbatur, designatur gula et luxuria ; nam hæc duo sibi plerumque conjunguntur. Dicit enim Hieronymus : Venter et genitalia sunt membra propinqua, et ex vicinitate membrorum indicatur vicinitas et concomitantia vitiorum : ita quod plerique gulosi etiam luxuriosi seu venerei sint. Idolum igitur Bel coli dicitur a gulosis et luxuriosis, sicut de iis dicit Apostolus Philip. III : *Quorum deus venter est ; et gloria in confusione illorum, qui terrena sapiunt ;* et Psalmista dicit : *Sit mensa eorum in laqueum ;* et alibi scriptum est : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* De cultu vero istius Dei sic ait Bernardus. « Deo ventri templum est coquina, altare, mensa : ministri coquinarii, immolatæ pecudes coctæ carnes ; fumus incensorum, odor saporum : et sicut cultores Belis per Danielem deprehensi fuerunt, sic ventris et Veneris cultores per Dei judicium igne æterno torquebuntur. » Secunda moralitas est de dracone qui absconditus erat in lacu ; per quem designantur homines nequam et fraudulenti. Sicut enim draco in lacu latitabat, sic in eorum cordibus nequitia et fraudulentia est abscondita, quam non ostendunt nisi excitati data occasione ad malitiam exercendam juxta illud : tange montes et fumigabunt. Dicit enim Augustinus : « Leo aperte irascitur, draco occulte insidiatur, ubi malitia et fraus occulta insinuatur : et ideo draconem colunt illi, qui veritatem fraude et nequitia evertere aut obnubilare saltem nituntur : tales sunt detractores, advocati, adulatores, procuratores et judices perversi : et sicut industria Danielis draco ille necatus est, sic Dei justo judicio malitia et fraus prædictorum æterno supplicio condemnabitur. » Tertia moralitas est de Daniele orante et dicente : *Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti quærentes te :* et designat quemlibet virum devotum qui in persona totius generis humani incarnationis divinæ beneficium recognoscere desiderat : nam sicut Daniel post liberationem suam a lacu leonum Deum deprecatus est, sic vir devotus post liberationem ab æterna morte per incarnationem divinam dicere potest : *Recordatus es mei, Domine etc.* Quarta moralitas est de Habacuc qui interpretatur fortis luctator, per quem designatur homo prudens ad interpretandum : quia quemadmodum Habacuc Danielem consolatus est qui injuste a Babyloniis in lacum leonum missus fuerat, sic homo sapiens consolabitur omnes injuste patientes, viduas et pupillos. Sicut autem Habacuc sine mora ab Angelo restitutus est ad locum suum : ita omnis defensor justitiæ et viduarum atque pupillorum consolator per Angelos Dei ad locum sibi paratum in cœlis deferetur. Et sic hujus præsentis tractatus in Danielem sit finis ad laudem omnipotentis Dei, et intemeratæ ejus Matris, totiusque curiæ cœlestis.

S. THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO IN LIBROS MACHABÆORUM

PRÆFATIO.

Nova bella elegit Dominus. Judicum v. Ad aliqualem manuductionem generalem habendam in historiam Machabæorum, convenienter assumitur verbum propositum. Ad cujus intellectum sciendum est, quod Judæi inter cæteras afflictiones, quibus olim post legis acceptionem fuerunt afflicti, quatuor inter omnes sunt præcipuæ, et magis notabiles. Prima quidem ab Assyriis, qui eos, quoad decem tribus in Assyriam transtulerunt, ubi fuerunt captivati, et numquam quoad omnes liberati, IV Reg. XVII, sub Osee rege Israel. Secunda per Babylonios, qui ipsos in Babyloniam cum rege suo Sedecia excæcato transduxerunt, quoad duas tribus, ut IV Regum ultimo habetur, ubi fuerunt captivati, sed tandem post septuaginta annos liberati, ministerialiter per Cyrum, sed virtute et potentia per Deum ipsum, ut Daniel Prophetæ cap. V, et I Esdræ c. III, et Isaiæ XLV habetur. Tertia afflictio fuit per Græcos, qui contra Judæos postea liberatos insurrexerunt, et ipsorum legem et ritus pro posse suo expugnaverunt, I et II Machab. In qua fuerunt multipliciter anxiati, sed tamen zelo fidei animati, et ideo a Deo confortati. Quarta fuit per Romanos, qui Jerusalem invaserunt, et Judæos expulerunt; de qua non habetur historice in Scriptura sacra; sed tantum prophetice. Quia hæc fuit post mortem Christi, quando omnes Scripturæ consummatæ erant; et ibi fuerunt ad extremam vilitatem redacti, et in tantum, quod ob demeritum suæ obdurationis, numquam fuerunt postea exaltati. Istæ autem quatuor afflictiones videntur fuisse expressæ Joel. I cap. ubi sub metaphora quatuor animalium describuntur quatuor isti impugnatores Judæorum, cum dicitur : Residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo etc. Illa fuerunt quatuor animalia, quæ vidit Daniel VII ; leæna, ursus, pardus, et aper ; vel etiam quatuor metalla, quæ fuerunt in statua Nabuchodonosor Dan. XI, scilicet aurum, argentum, æs, et ferrum. Quorum omnium explicationes non permittit brevitas intenta. Licet igitur omnes istæ quatuor Judæorum a Deo permissæ impugnationes sint plenæ divinis mysteriis, sicut patet per libros historiales et prophetales, ipsa tamen tertia impugnatio ipsorum, quæ in duobus libris Machab. continetur, amplioribus est digna præconiis : eo quod in omnibus aliis succubuerunt ; sed in ista quasi totaliter prævaluerunt. Et ideo merito dicitur in proposito negotio : Nova bella elegit Dominus. In quo verbo describuntur primo quoad animi firmitatem ; et hoc est nomen bellorum, eo quod ad bellandum fortiter se exposuerunt, I Mach. III : Melius est nobis mori in bello, quam videre mala gentis nostræ et sanctorum. Hæc autem firmitas consistit in tribus : primo quantum ad initium adversum et virtuosum, unde et de ipsis potest dici illud Cant. I : *En lectulum Salomonis* id est templum *septuaginta fortes ambiunt, tenentes gladium, et ad*

bella fortissimi ; uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Secundo quantum ad progressum miraculosum : ipsa enim virilitas animi meretur sibi conferri auxilium Dei, quo concurrente sequitur exitus mirabiliter vincendi, sicut fuit in proposito. Nam Deus ministerio ipsorum de se confidentium vincebat. Psal. CXXXIX : *Obumbrasti super caput meum in die belli* ; et Jerem XX : *Dominus mecum est, tamquam bellator fortis.* Tertio quantum ad exitum victoriosum et gloriosum : Hebr. XI : *Per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.* Et I Mach. III : *Surrexit Judas Machabæus, et dilatavit gloriam populo suo, et induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma sua bellica in præliis.* Secundo describuntur quoad fidei veritatem et sanctitatem : et hoc nomine novitatis. Thren. III : *Novi diluculo, magna est fides tua.* Ubi vocula, novi, non est verbum, sed nomen ; et hoc dicitur, quia animus et novitas eorum attestatur veritatem fidei in Judæis. Et hoc patet ex tribus, quæ se habent per oppositum ad antiqua bella Judæorum. Antiquitus enim pugnabant pro habitabilium locorum acquisitione, ut patet in libris Josue et Judicum ; nunc vero pugnaverunt pro sancti loci et cultus divini observatione, ut patet lib. I Mach. ; et ideo istud bellum novum est : unde lib. I Mach. IV dicitur : *Acceperunt lapides, et ædificaverunt altare novum* ; et ideo Isaiæ XLI, dicitur : *Posui te sicut plaustrum triturans novum.* Secundo pugnabant alias pro suorum demeritorum punitione. Unde frequenter Deus providebat eis pugnas, in quibus succumbebant, propter sua demerita ; sicut patet, quando pugnaverunt contra Gabaonitas, quando ex utraque parte multi corruerunt, ut patet Jud. XX. Sed modo pugnaverunt ad vitandam idololatriam et legis transgressionem, atque ideo novo animo bellabant. I Mach. XIII, dicitur : Jonathas misit exercitum novum in Joppen. Unde et de eis dici potest illud Ezech. XXXVI : *Dabo vobis cor novum, et spiritum,* id est animum, *novum dabo in medio vestri.* Tertio alias leguntur pugnasse pro illatæ injuriæ punitione et vindicatione : sicut eo tempore, quo pugnaverunt contra Amalec, Exod. VII et alibi frequenter : sed modo pugnaverunt quasi zelotypia, pro tuenda justitia et inferendæ injuriæ repressione. I Mach. II : *Nunc ergo filii æmulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum. Ecce Judas Machabæus fortis viribus a juventute sua erit vobis princeps militiæ, et ipse aget bellum.* Et ideo etiam dicitur Isaiæ LXII, *vocabitur tibi nomen novum.* Quia igitur Judæi, qui erant ad idololatriam proni, ac a Deo de infidelitate vocati, in casu et in passu isto fuerunt pro fide et cultu divino zelati, dicuntur merito ista nova, et ita amplius Deo accepta. Tertio subjungitur quo modo : et describuntur quantum ad divini judicii subtilitatem, cum dicitur, elegit Dominus ; et Psal. LXXXVIII dicitur, *Disposui testamentum electis meis,* id est in electis meis ; et Psal. LXVI : *Elegit nobis hæreditatem suam* id est in nobis. Quare autem Dominus Judæos sic bellare, et talia ipse ordinaverit ; triplex est ratio. Prima propter adventus sui imminentem propinquitatem, quia de eis nasciturus erat in proximo. Num. XVI. *Mane,* id est cito, videbit Dominus qui sunt ejus, et sanctos suos applicabit sibi, et quos elegerit, appropinquabunt ei. Secunda ratio est ad exaggerandam iniquitatem Judæorum, mortem illius procurantium ; unde Isaiæ XLI : *Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est : abominatio est qui elegit vos :* sequitur, *Ecce omnes injusti, et vana opera eorum : ventus et inane simulacra eorum.* Et Ezech. XX : *Eligam ex vobis transgressores et impios.* Tertia ratio ad declarandum futurorum martyrum virilitatem : unde in hoc designatur elegisse certamen futurorum martyrum, et subjectionem tyrannorum. Deut. IV : *Dilexit patres tuos, et elegit semen eorum post eos.* Unde et in persona Christi pro tempore martyrum dicitur, Job VII : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.* Hanc enim mortem zelo sui cultus eligunt Judæi spiritu Dei tacti : quam postea eligunt martyres ad honorem et gloriam Jesu Christi. Ex continentia ergo istius collationis patet ordo et continuatio legis scriptæ ad legem gratiæ. Patet etiam, quæ sit materia hujus libri ; quoniam bella et victoriæ Judæorum de inimicis veritatis et legis divinæ. Quis sit etiam finis patet per illa tria quæ dicta sunt. Et quæ sit forma, quoniam qualis in historicis libris aliis. De efficiente autem

dubitatur, nec expresse invenitur, nisi quod legitur de Juda Machabæo, quod de hoc libri publicas quasdam descriptiones, quæ a nobis non habentur, ex quibus compilata et ad brevitatem redacta fuit tunc hæc historia forte ab aliquo vel ab aliquibus antiquis sacerdotibus illius temporis. Quoad denominationem vero cur dicatur Machabæorum, sciendum est, quod continet facta VII fratrum, qui Machabæi appellati fuerunt, et hoc, quia de una matre nati, quæ suo nomine Machabæa vocabatur. Quare autem magis denominatur historia ab illis, quam a ceteris populis Judæorum, hæc fuit ratio : quia primo regi Antiocho, qui legem Dei impugnabat, restiterunt ; et capita bellorum et exercituum extiterunt. Notandum est etiam, quod isti duo libri auctoritatem non habent apud Judæos, quemadmodum illi, qui sunt de numero viginti quatuor et faciunt canonem secundum Hieronymum in *Prologo Galeato*; sed habent apud Latinos auctoritatem in Ecclesia, quæ ipsos in quodam Concilio approbavit, et legendos ordinavit. Sciendum quoque quod hi duo libri non sunt unius narrationis continuatio, sicut sunt libri Regum ; sed sunt unius historiæ recapitulatio. Recapitulatur enim in secundo, quod dictum est in primo. Sed superest jam, ut *Prologum* B. Hieronymi translatoris exponamus.

PROLOGUS B. HIERONYMI PRESBYTERI

Machabæorum libri duo prænotant inter Hebræorum duces gentemque Persarum, pugnam quoque Sabbatorum, et nobiles Machabæi ducis triumphos : ex cujus nomine et libri ipsi sunt consequuti. Hæc quoque historia continet etiam bella illa gesta Machabæorum fratrum, qui sub Antiocho rege pro sacris legibus dira tormenta perpessi sunt. Quos mater pia, dum dirarum pœnarum tormentis urgeretur, non solum non flevit, sed et gaudens hortabatur ad gloriam passionis.

« Machabæorum libri duo etc. » Hunc prologum præposuit B. Hieronymus huic libro ; et utrique deservit. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod Machabæi dicuntur dupliciter. Primo secundum denominationem a nomine appellativo, id est ab hoc nomine Machabæus, quod interpretatur protegens ; et hoc modo vocatur Machabæus Judas filius Mathathiæ per antonomasiam, a quo dicitur iste primus liber, liber Machabæorum, ut in hoc prologo aperte notatur ; et fratres ejus subsequenter se habent ad illum. Alio modo dicuntur Machabæi a nomine proprio cujusdam mulieris, quæ dicta fuit Machabæa, quæ septem filios habuit, et dicti sunt ab ea Machabæi ; et de istis cum recapitulatione prædictorum agitur principaliter in II lib. cap. III, et VII. Et quia de his duobus facit hic prologus mentionem, ideo dividitur in duas partes ; ut prima ostendat consequentiam primi libri, et secunda secundi libri. Circa primam, primo ponit libri conditionem, et secundo materiæ primi libri compendiosam comprehensionem, ibi : « Prænotant prælia. » Circa primum ponit denominationem Machabæorum : quare autem sic dicantur, dictum est ante. Secundo distinctionem, ibi : « Duo libri. » Circa continentiam libri ponitur causa ex parte Judæorum, ibi : « Inter Hebræorum duces, » et ex parte adversariorum, ibi : « gentemque Persarum. » Item circa Judæorum duces : describit eos primo quidem in generali, et secundo in speciali, ibi : « Et nobiles Machabæorum. » Secundum Magistrum historiarum intellige, quod liber secundus distinguitur a primo, et est sicut recapitulatio primi ; et secundum Rabanum super principium libri secundi, intellige quod sunt duo. Quia in recapitulatione secundi multa dicuntur ibi de novo, quæ in primo dicta non fuerunt. Duces autem vocat, scilicet filios Mathathiæ. « Persarum » vero dicit, quia Græci monarchiam tenebant super Persas ; vel forte, quia Persæ inter alios magis infesti erant et contrarii Judæis ob favorem regis Græcorum. « Nobiles autem triumphos dicit, » eo quod scilicet cum paucis se opponebant, et tamen superabant. In eo autem, quod dicitur : « Hæc quoque historia, » ponitur secunda pars istius libri prœmialis : in qua videtur prologizare pro materia secundi, scilicet de Machabæis dictis a proprio nomine matris suæ : ubi primo tangit ipsorum conditionem. Secundo mortis suæ perpessionem, ibi, « Qui sub Antiocho : » Tertio laudabilem patiendi occasionem, ibi : « Pro sacris legibus : » Quarto mirabilem matris constantiam et devotionem, ibi : « Quod mater pia : » quæ omnia patent lib. II cap. VII.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Et factum est etc. Notandum est quod sicut lege data sub Moyse insurrexerunt adversarii contra Judæos, ut patet Judicum II et libro Josue, ita ipsa lege per Esdram reparata, et templo reædificato, insurrexerunt hostes contra Judæos, ipsos impedire nitentes. Contra quos Judæi pugnarunt, et quorumdam potissimum instinctu, qui erant præ ceteris devoti et Machabæi sunt dicti, eis resistunt: et adversarii fuerunt principaliter duces Persarum et Græcorum. De isto conflictu inter has duas partes, Persas scilicet et Græcos, Gentiles et Judæos, est liber iste Machabæorum, qui primo dividitur in duo. Primo enim ponitur ipsius historiæ descriptio. Secundo ejusdem repetitio et additio ; et hoc in II libro. Circa primum primo describitur radix et malitia gentilium impugnantium. Secundo probitas Judæorum se defendentium, II cap. ibi : *In diebus illis.* Circa primum primo tangit gentilium affligentium propaginem, ibi : *Et exiit ex eis radix etc.* Secundo occasionis originem, ibi : *In diebus illis exierunt.* Tertio affligendi processum et ordinem, ibi : *Et paratum est regnum.* Quarto afflictionum magnitudinem, ibi : *Et post duos annos.* Circa primum primo ponit originem remotam, faciens mentionem de Alexandro : et secundo propinquam, dum meminit Antiochi illustris. Et circa primum primo distinguit Alexandri magnanimitatem, et postea successionis multitudinem, ibi : *Et post hæc decidit in etc.* Circa primum tangit generationem ejus, multiplicem victoriam, multiplicem gloriam sive superbiam, sed littera difficilis est propter historias multas. *Et factum est.* Copula illa, et, non copulat exterius factum exteriori facto, sed exterius factum interiori illuminationi dicentis, et Spiritu sancto afflati, sicut in prophetis patet ; ita dicit *Glossa. Alexander Philippi,* id est filius Philippi. Et secundum aliquos filius naturalis, secundum alios autem adoptivus vel putativus. *Macedo,* scilicet natione et officio, quia ipse successit Philippo patri suo regi Macedonum per insidias interfecto. *Primus in Græcia :* non quia in Græcia non præcessissent reges ; sed vel quia ipse primus fuit monarcha super Græciam, obtinens eam cum regno Macedonum, quod non fecerunt alii Macedonum reges. Vel quia prius erant ibi plures reges, et ille primus eam totam tenuit. Vel forte ad differentiam divisionis ipsius regni quæ ipso mortuo facta fuit. *Cethim,* id est de Græcia, secundum Rabanum. Cethim enim fuit proprium nomen Javan filii Japheth, filii Noe etc., a quo Cethina regio dicta fuit, quæ nunc dicitur Cyprus ; a quo nomine etiam Hebraice insulæ et maritima loca Cethim dicuntur. *Constituit prælia.* Rabanus computat duodecim victorias et amplius de duodecim diversis regnis, et quasi cum inexpugnabilibus gentibus habitas. Et dicit quod erat humani sanguinis insaturabilis suorum hostium sive sociorum : recentem tamen semper cruorem sitiebat. Unde et quemdam philosophum condiscipulum Aristotelis, quia ipsum tanquam Deum adorare noluit, interfecit, *Et omnium obtinuit :* quod dicitur quia reges omnes reddebant ei tributum vel parati erant reddere. *Usque ad fines,* superatis omnibus orientalibus, reversus est ad Babyloniam. *Et siluit terra,* quia omnes ei se offerebant timore correpti, neque aliquis rebellare vel mutire audebat. Unde rex postquam orientalem oceanum et Nilum fluvium ingressus Babyloniam celeriter rediit : cum exterritarum totius orbis provinciarum legati, hoc est Carthaginensium et totius Africæ civitatum, sed et Hispanorum et Gallorum, Siciliæ, Sardiniæque, plurimæ quoque partes Italiæ expectabant. Tantus timor omnes invaserat, ut peregrinam toti mundo legationem facerent omnes ad quos illius rumor pervenerat. Unde bene scriptum est, *Quia siluit terra in conspectu ejus.* Quomodo autem tantam victoriam habuit divino auxilio, docet Magister historiarum in titulo de Alexandro. *Et exaltatum est.* Nam aliquibus annis otio deditus totus in lætitiam diffusus est. Cum enim juvenis esset ad plus triginta duorum annorum, totum sibi mun

dem videbat subjectum : viginti autem annorum erat cum incipit regnare et duodecim annis regnavit. *Et post hæc decidit* : hic tangit successorum Alexandri multitudinem, ut tandem ad propositum veniat. Ubi primo ponitur mortis ejus cognitio, et secundo explicatur successorum ordinatio, ibi : *Et vocavit pueros*. Notandum quod per traditionem et invidiam fuit fortissimo veneno intoxicatus, ut dicitur in historiis, a sorore sua, illud ipsi propinante, quo et linguæ usu fuit privatus : et ideo vocem suam exprimere etiam coactus fuit. Trogus tamen Pompeius hoc aliter declarat : dicens, quod quidam Antipater de familia ejus, videns per Alexandrum avos suos plures mortuos, et quod post ardua facta ejus in Græcia, propter favorem regis minus curialiter ab ipso tractaretur, instigatus a matre sua, *Olympiade*, quæ ipsum Alexandrum odio habuit, regi invidit et illi insidias tetendit tali modo. Habuit tres filios, scilicet Cassandrum, Philippum et Jollam, qui regi in mensa inserviebant et potum ejus commiscere soliti erant. Et primum Cassandrum Antipater subornavit, ut non obstante fratrum suorum contradictione venenum in potum posuit, cujus virtutem Alexander, secundum aliquos statim, secundum alios vero quarta die, cognovit : et hoc est quod dicitur : *Et cognovit* : vel experimento, aut medicorum doctrina, vel (ut alii dicunt) talem notitiam adeptus fuit responso accepto per arbores solis et lunæ, et dicebantur illæ, ubi colebantur Jupiter et Diana. Et tunc dabant responsa quando sol vel luna directe desuper a cacumine usque ad pedes arbores irradiabant. Ibi audivit quo tempore moreretur, si Babyloniam intraret ; sed ipse vel non credidit vel mortis sustinendæ intrepidus non curavit. Unde et multos suos de sua morte dolentes et flentes ipse sedavit, et seipsum ad communissimum locum civitatis deportari fecit, ac omnibus ostendit se contemplandum et in dextera osculandum, et absque aliquo terroris aut perturbationis argumento seipsum esse omnibus declaravit. *Et vocavit pueros*, id est vocari fecit pueros, quia jam non poterat loqui. Nec prætereundum, quod cum haberet unum filium nomine Herculem et uxorem prægnantem relinqueret, respondit non esse magno et glorioso viro curandum de progenie, nec tantum dominium et tantas opes debere succedere nisi homini virtuoso. Atque ideo dissentientes milites suos videns et benevolentiam populi captantes, ipse præclusa voce annulum suum cuidam Perdiccæ porrexit, in signum quod esset melior omnibus alius judicandus. *Et divisit regnum*, id est dividendum innuit, non enim ipse vivendo divisit. *Et obtinuerunt pueri*. Notandum est quod primo divisum fuit in quatuordecim portiones, itaque in qualibet erat unus de illis. Cujuslibet autem nomen et ubi regnavit, vide in glossa Rabani. *Et multiplicata*, unus namque insurgebat contra alium, et quilibet volebat excellere socium suum : quod patet quia tandem quatuordecim illa regna aut regni portiones devenerunt ad quatuor, juxta Prophetiam Danielis : ubi dicitur, quod facto uno cornu in capite illius hirci nobilis, orta sunt pro eo quatuor cornua minora. Ista vero quatuor regna sunt : primo regnum Ægypti quod tenebat Ptolomæus Lagi filius ; secundum regnum Macedonum, quod tenuit Philippus, qui et Judæus fuit, frater Alexandri ; tertium Syriæ Babyloniæ, quod habuit Seleucus Nicanor ; quartum Asiæ, quod tenuit Antigonus, qui illud Seleuco prædicto tradidit, ita quod factum est unum regnum Syriæ et Asiæ. Ab ipso ergo Seleuco Nicanore cœpit hæc historia, pro eo quod Antiochus Illustris, de quo statim agetur, ab ipso descendit, per multos tamen intermedios. Primo namque ipse Seleucus Nicanor in Syria regnavit annis viginti duobus, vel, ut alii, triginta duos ; et post eum Antiochus Soter annis octodecim ; et post hunc Antiochus Theos annos quindecim, vel ut alii, decem novem ; et post hunc Seleucus Gallericus vel Gallinicus annos viginti ; et post hunc Seleucus Cerannos filius ejus annis tribus ; et postea Antiochus Magnus pater Antiochi Illustris, et frater Seleuci Ceranni, et filius Seleuci Gallerici, annis viginti sex, vel, ut alii, triginta sex ; et postea Seleucus etiam, qui et Philopator, annis duodecim. Antiochus autem, *Epiphanes*, qui et Præclarus dictus est et Illustris, filius Antiochi et frater Seleuci Philopatoris, annis undecim. Et ita patet quod a primo anno Seleuci Philopatoris usque ad Antiochum Illustrem, fluxerunt anni centum et triginta septem : et ideo ante incepisse arbitror : quando incepit ab Alexandro. *Et eis*, id est ex illis quatuordecim, vel ex illis quatuor principalibus. *Radix peccati*, quia ipse incitavit

alios ad legis divinæ persecutionem. *Illustris*, propter famam ejus in malo et aviditatem ejus in bella committendo. *Qui fuerat Romæ obses*, quia Antiochus Magnus accusatus Romanis super infestatione quam in populo faciebat, missa legatione ut eum compescerent, ipsemet ad assecurationem perpetuæ cessationis eis filium minorem, sed probiorem, Antiochum scilicet Illustrem, in perpetuum obsidem tradidit; qui audiens mortem patris sui et inertiam fratris sui antiquioris, Seleuci scilicet Philopatoris, clam secundum aliquos, vel secundum alios de consensu Senatorum rediit, et mortuo fratre suo regnum tenuit. Et dicitur hic, *In anno centesimo trigesimo septimo*, secundum computationem regum, incipiendo a morte Alexandri, vel a principio Seleuci Nicanoris. *In diebus illis exierunt.* Nota radicem et causam hujus historiæ, infra lib. II et III. Postquam ergo descripsit impugnatorum propaginem, hic, *Ut dictum est*, describit impugnationis occasionem et originem : quæ ex parte Antiochi videtur fuisse quorumdam Judæorum perfidia et apostasia, qui spreta Judæorum lege ad ritus gentium transierunt; et inde videtur sibi audaciam præsumpsisse. Et primo ponitur eorum adunatio, ibi, *In diebus illis* : secundo mutua animatio, ibi *Eamus etc.*: tertio consilii acceptatio, ibi, *Et bonus visus* : quarto auctoritatis collatio, ibi, *Et destinaverunt etc.* quinto auctoritatis executio, ibi, *Et ædificaverunt*. Ait ergo. *In diebus istis exierunt ex Israel filii iniquitatis*. Nota quod isti erant fratres Oniæ summi Pontificis Judæorum qui liberos non habebat; videntes occasionem, etiam vivente fratre Onia summo Pontifice, certare cœperunt de successione summi sacerdotii : et ideo volentes placere Antiocho, in tantum progressi sunt malum, ut etiam ob favorem acquirendum majorem, nomina sua Judaica in nomina gentilicia mutarent, ita quod Jesus fuit vocatus Jason, et Joannes Menelaus. Et hæc sunt quæ intellectum faciunt habere intricatum. Cumque plures essent cum Jasone, omnes rogaverunt Antiochum de faciendo gymnasio et Ephœbi[illegible]na, quod eis concessit; sed percipiens majorem malitiam Jasonis, magis voluit elevare Menelaum. Notandum tamen quod in II. libro datur intelligi quod Menelaus non fuit frater Oniæ, sed cujusdam Simonis : qui invidens Oniæ, suasit Seleuco despoliationem ærarii : attamen intelligitur fuisse frater Simonis, non carne, sed malitia. Videns autem Onias scelus fratrum suorum, perrexit quantocyus ad regem, ut per regalem providentiam scelus impediret : quem sequens Menelaus suasit interim Andronico cuidam viro militari et curiali, ut Oniam interficeret : quod et fecit rege ignorante. Id vero postquam Regi innotuit, Andronicum jussit purpura exui, et per civitatem ductum et flagellatum in eodem loco occidi. *Testamentum*, id est pactum vel fœdus, *destinaverunt*, id est firmiter proposuerunt, *Justitiam gentium*, id est ritum eos justificantem et errorem. *Gymnasium*, dicitur a lucta et dicitur locus luctandi, et accipitur pro loco in quo exercitabant se in sciendo ritus gentilium, id est schola : vel, *Ut dicunt aliqui*, accipitur pro lupanari Ephœbiorum, quod alio nomine vocatur Ephœbium. *Præputia*, non circumcidendo pueros : vel pelliculas aliquas apponendo, ne viderentur aliis deformes in circumcisione. *Et paratum est regnum*. Hæc est tertia pars principalis ; ubi ponit impugnationis processum et ordinem. Et primo describit regni Ægypti violentam usurpationem, et secundo ipsius Judææ et Jerusalem spoliationem, ibi, *Et convertit Antiochus duo regna*. Et lib. II cap. v, in principio loquuntur de hoc, et tunc visa sunt in Judæa illa quæ dicuntur hic. Et notandum quod ibi revertitur ad historiam istam in parte II illius capituli, quæ incipit cum ibi dicitur, *His itaque gestis :* unde illa hic supponuntur. Circa quod notandum quod Antiochus ille Illustris fuit frater Seleuci Philopatoris, qui quidem habuit filium cui debebatur regnum Ægypti, nempe Ptolomæum Philometorem, cujus ille erat avunculus. Orta autem dissensione inter nutritios Ptolomæi nepotis sui et Antiochum avunculum pro quadam parte Syriæ quæ puero dicebatur oblata ; inierunt prælium, et victi sunt ex parte Ptolomæi. Quod videns Antiochus, dissimulans se velle agere negotia nepotis sui, sub specie favoris, intravit Ægyptum, et tandem captans benevolentiam civium usurpavit regnum et occupavit, et crudelissime tractavit : intantum ut tandem expulsus de Ægypto, compulsus fuerit ad Judæam ascendere *Adversus Ptolomæum*, id est adversus gentem suam. Et notare oportet quod hæc dicuntur per recapitulationem : quia prius fecit bellum illud

quam Ægyptum intravit. Et convertit. Iter est a parte illius. Et parentum est regnum. In qua post captam Ægyptum describit Judæorum desolationem, ubi tangit depraedationum occasionem. Et fecit cædem, id est desolationem. Et factus est planctus. Et ascendit in Jerusalem. Macedonum ductore, centesimo quadragesimo tertio anno a morte Alexandri, vel a regno Seleuci Nicanoris; et sexto anno regni sui, quia incepit anno 137, ut dictum est. Et notanter posuisse dicitur in templo idolum Jovis, et omnes oblationes secundum legem Moysi prohibuisse fieri, et præcepisse carnem suillam comedi. Sanctificationem, id est templum. Cum superbia, id est, præsumptuose et sine reverentia. Et post duos annos. In hac parte cap. describit afflictionis magnitudinem, et dicit, post duos annos, id est anno CXLV regni Græcorum, et octavo anno ejus. Civitatem David, id est illam partem Jerusalem quæ dicitur Sion. Gentem peccatricem, id est Macedones Judæis naturaliter infestos. Laqueum, id est insidias. Diabolum, id est diabolicum malum, effuderunt. Psal. LXXVIII: Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, etc. Populus vanus, id est circa cultum unum occupatus, scilicet gentilem. Casleu, id est December apud nos. Idolum, id est Jovis. Ubi notandum quod Samaritani videntes Judæorum gloriam, et favorem quem apud Alexandrum Magnum habuerant, propter revelationes quas Deus Judæorum illis ostenderat, templum super montem Garizim ædificarunt: in quo ritum Judæorum se observare dicebant. Videntes autem hæc mala inferri Judæis, miserunt ad regem, cultum Judaicum omnino negantes, et petentes ut templum illud prius consecratum, in honorem Jovis consecraretur, quod et obtinuerunt.

CAPUT II

In diebus illis. In hac secunda parte hujus primi libri, post descriptam malitiam adversariorum impugnantium, describitur probitas et victoria Judæorum, se defendentium. Ordo vero istius processus sumi debet secundum diversitatem principum sub quibus vicerunt. Primo quomodo vicerunt sub Mathathia, et hoc in isto capite. Secundo quomodo sub Juda; et hoc a III cap. usque ad IX ante medium, ibi: *Et compressati sunt omnes.* In illa secunda parte cap. IX agitur de morte Judæ. Tertio sub Jonatha, et hoc a IX cap., usque ad XIII inclusive. Quarto sub Simone, et hoc a XIII cap., usque ad finem. Circa primam partem agitur de probitate ipsius Mathathiæ qui fuit primus et principalis: et commendatur a tribus: nam primo ostenditur audacia zelantis, secundo constantia tolerantis, ibi: *Et exclamavit;* tertio providentia necessitatis, ibi: *Et appropinquaverunt.* Circa primum ponit primo epilogum suæ generationis. Secundo planctum suæ compassionis, ibi: *Et dixit Mathathias.* Tertio applausum suæ confessionis ibi: *Et venerunt illuc qui ultra.* Quarto zelum suæ æmulationis, ibi: *Et cessavit loqui.* Circa secundam partem nota quod bene apparuit in eis magna constantia; et id patet ex tribus: primo quia non sunt fracti rigore asperitatis; unde desertum elegerunt, et omnia reliquerunt. Secundo nec terrore adversitatis; quia aliqui mortem sustinuerunt, alii patienter toleraverunt. Tertio nec labore anxietatis; quia se recollegerunt et confortaverunt et defendere proposuerunt, ibi: *Et dixit vir proximo suo.* Circa tertiam partem principalem ostendit bene ejus providentiam in monendo et incitando: nam cum sentiret se proximum morti, voluit posteris suis imprimere zelum negotii. Et sic primo tangit pro sua morte adversariorum animationem. Secundo incitat filios ad legis æmulationem, ibi: *Nunc ergo filii.* Tertio adducit pro exemplo antiquorum patrum remunerationem. Quarto tangit adversarii debilem impugnationem ibi: *Et a verbis peccatoris.* Quinto ordinat eis principem et consiliarium, ibi: *Et ecce Simon.* Sexto præmissa benedictione describit suam commiserationem, ibi: *Et benedixit.* Ait ergo: *In diebus illis,* id est anno quadragesimo quinto secundum Josephum: et ita secundum præcedentia, octavo anno regni Antiochi; nam incepit anno trigesimo septimo. Sacerdos summus, scilicet Carim, qui fuerat summus sacerdos, et secundum Josephum dicitur Lolath Carim: vel de vice Joachim, sicut Zacharias de vice Abia; familiæ enim Aaron numeratæ inventæ sunt vigintiquatuor: octo de Ithamar et sexdecim de Eleazar. Ad ampliandum ergo cultum divinum, David de qualibet constituit unum eligi; et unusquisque sua septima serviebat per

ordinem, quem sorte divisit eis, ut patet I Paral. cap. XXIV. *Et sedere illic*, scilicet malos homines, ubi debent sedere sacerdotes. *Quæ gens non hæreditavit*, id est quæ gens fecit in Jerusalem mala et spoliavit eam. Quasi diceret : plures hoc fecerunt. Vel quæ gens de omnibus aliis non obtinuit in pace regnum et spolia sua, nisi tantum Jerusalem ? quasi dicat : Nulla alia fuit ita turbata. *Phinees*, de quo Num. XXV : *Testamentum*, id est firmum pactum cum Domino. *Descenderunt*. Nota quod iste conflictus fuit factus in sabbato per Apollonium : de quo dicetur infra, cap. III : et fuit factus cum illis qui adhuc erant in civitate, sed tamen postea fugerunt in vallem, ut hic dicitur (et de hoc vide in lib. II, cap. VI. Et ait : *Descenderunt*, non cum eis, sed illi in montem, et isti in vallem. *Quærentes judicium*, id est ut possent facere discretionem in cibis secundum justitiam legis. *Omnis homo quicumque venerit etc.* Sed videtur quod peccarint pugnando in sabbato, quoniam erat lege prohibitum. Ad hoc inquiunt aliqui, quod Mathathias id fecit ductus familiari instinctu Spiritus sancti. Alii vero quod propter articulum necessitatis in qua erant, cum esset summus sacerdos, quod potuit in hoc dispensare. Quod videtur etiam haberi ex facto Apostolorum, quando evellentes spicas comederunt. David quoque tempore necessitatis comedit panes propositionis. Ideo dicit Glossa : ita sabbatum custodiri præceptum est, ut non sit reus qui violaverit si necessitas fuerit. Vel dicunt quod proprie non fuit ibi sabbati violatio, nec dispensatio, sed omnimoda ejus observatio, quia licitum et justum est etiam sabbato fieri charitatis opera, et isti movebantur charitate et zelo legis, quæ opera etiam alias de servilibus sunt moralia, et maxime quando fiunt ex charitate illa imperante, propter honorem et observantiam legis et sabbati : unde videtur mihi sine præjudicio, quod ipsi fecerunt melius quam primi, de quibus bene dictum est quod in simplicitate sua mortui fuerunt. *Ad nationes*. Hic debet ordinari quod infra VI cap. dicitur de Eleazaro et cap VII de septem filiis et matre : hæc enim omnia facta fuerunt antequam Judas insurgeret. Et dicitur, *Ad nationes*, id est ad Gentiles. Ex quo patet quod etiam malos Judæos occiderunt. *Obtinuerunt legem*, id est cultum legis. *De manu*, id est virtute et resistentia. *Cornu*, id est occasionem gloriæ. *Superbia*, dicitur respectu hostium et *castigatio*, Judæorum. De Abraham vide Genes. XXII. *Mandatum*, scilicet castitatis, de quo vide Genes. XXXIX : vel ut non contaminarentur de cibis gentilium, Gen. XXXIV, seorsum Joseph. *Phinees*, Numer. XXV : verbum explorationis terræ, Numer. XXIII et XXIV: ut testificarentur bonum terræ, Numer. XIV : Misericordia in Saulem, lib. II Reg. et in Semei. Elias de quo IV Reg. II : *Ananias, Daniel*. Daniel III et XVI et ultimo : *Centesimo quadragesimo sexto*. Et ita patet quod uno circiter anno præfuit ; et hoc dicit Josephus.

CAPUT III.

Et surrexit Judas. Hæc est secunda pars illius, scilicet in diebus illis : in qua agitur de ducatu Judæ qui defendit populum suum tempore trium regum ordinate se habentium; et dividitur in tres. Primo defendit ipsum sub Antiocho prædicto illustri vel Epiphane. Secundo sub filio ejus Antiocho Eupatore, cap. VI. Tertio sub Demetrio nepote Antiochi filio, scilicet fratris sui Seleuci qui per Antiochum avunculum suum adhuc parvulus privatus est regno, cap. VII. Sub Antiocho vero Epiphane Judas triplex prælium habuit ; ideo pars hæc in tres dividitur. Primus congressus fuit cum principibus regni. Secundus cum principibus ipsius regis cap. IV. Tertius cum finitimis gentilibus cap. V. Circa primum primo ostendit quomodo Judas cum suis primum prælium superavit. Secundo quomodo rex Antiochus ad secundum congressum se multipliciter præparavit, ibi : *Ut audivit rex Antiochus*. Circa primam partem primo ponitur ipsius Judæ assumpti commendatio. Secundo duorum principum regalis militiæ expugnatio, ibi : *Et congregavit Apollonius*. Et primo ponitur ejus promotio, et secundo per anticipationem probitatum postea habitarum recapitulatio, ibi: *Et similis factus est*. Et ibi, *Et congregavit*, dicit quomodo vicit Apollonium principem militiæ Samariæ, et postea quomodo Seon principem Syriæ, ibi, *Et audivit Seon*. Circa istam secundam partem ponit primo quomodo ex parte adversarii fortis exercitus præparatur. Secundo quomodo paucus populus

a Juda animatur, ibi : Et audivit ergo exercitum. Circa primum patet adversariorum habuisse intentionem invidiosam et præsumptuosam, ibi : Faciam mihi, et Sequitur ibi : Et ascenderunt. Circa factum Judæ ponitur ex parte suorum timoris concussio, et tremor ; et ex parte Judæ timoris exclusio. Circa primum posuit quomodo exercitum confortavit, secundo quomodo adversarium superavit, ibi : Et cessavit autem loqui. Exclusit autem timorem tripliciter. Primo propter divinum auxilium in quo confidebat. Secundo propter superbiam et malitiam quam in adversariis cognoscebat, ibi : *Ipsi veniunt*. Tertio propter intentionem sanctam quæ ipsos movebat, ibi : *Nos autem pugnabimus*. Fuit autem talis pugna animosa et operosa, quia contriverunt adversarios ; et fructuosa, quia cecidit timor super eos, et gloriosa, ibi : *Et pervenit ad regem*. *Et audivit autem Antiochus*. Hæc est secunda pars totius capituli, in qua ostenditur quomodo rex Antiochus ad secundum congressum se præparavit. Ubi primo ponitur apparatus ex parte regis. Secundo ex parte Judæ, ibi : *Et vidit Judas et fratres ejus*. Ex parte regis quomodo rex indignatus ivit in Persidem contra Judam ad pecuniam colligendum et gentem congregandum. Secundo quomodo Lysias ex parte regis congregavit exercitum ad gentem Judæorum occidendum, ibi : *Et reliquit Lysiam*. Ubi ponitur ejus a rege informatio. Et secundo regis transfretatio, ibi : *Et rex assumpsit*. Tertio ex parte Lysiæ voluntatis regis executio, *Et elegit Lysias Ptolemæum*. *Et vidit Judas*. Hic ponitur apparatus ex parte Judæ quoad quatuor. Et primo præmittitur luctus et oratio, ibi : *et vidit*. Secundo sequitur jejunium et humiliatio, ibi : *Et jejunaverunt*. Tertio ponitur divini adjutorii imploratio, ibi : *Et clamaverunt*. Quarto paucorum remanentium confortatio, ibi : Et *post hæc constituit*. *Succendit flammis*, id est quibuscumque tormentis aut modis aliis. Non enim accipiuntur hic flammæ ad literam. Sic Josue cap. vii, ubi agitur de illo qui cum deprehensus esset in scelere comburi mandabatur ; et tamen, ut ibi dicitur, fuit lapidatus, et non combustus. *Castra magnorum*, idest Judæi equestes et milites sibi subjecti. *Bethoron*. Josephus dicit Bethsuram, vicolum in Judæa. *Octingenti*. Josephus dicit octomillia congregavit omnem propriam virtutem, et multos ex insulis finitimis conducens parabat circa veris initium pugnare contra Judam. *Decrescere*, quia subditi dissentiebant sibi ; eo quod magnanimus erat in expendendo, et exactiones volebat facere contra legitima terræ antiqua. *Antiochia*, quæ primo dicebatur Emath, sed ab Antiocho reparata, sic vocata est, et aliquando dicta fuit Reblatha, ubi exoculatus fuit Sedechias rex Juda, ut IV Reg. ultimo dicitur. *Regionum*, de Syria, scilicet de finitimis locis. *Et Jerusalem non habitabatur*. Hoc dicit ut ostendat quare alibi quam in templo oraverunt, scilicet, in Masphat. *Ante in Israel*, idest antequam fieret templum, vide in lib. Judicum per totum. *Contra Jerusalem*. Cum enim essent extra Jerusalem vertebant se versus eam, quando volebant orare, IV Reg. viii et Daniel vi. *Librum legis*, ad litteram : quasi dicerent : hæc est lex nobis a te data, et pro cujus conservatione pugnamus : adjuva ergo nos. Consimiliter fecit Ezechias, IV Reg. xix et Isaiæ xxxviii, quando recepit litteras blasphematorias Rapsacis. Vel accipitur continens pro contento, ut appellet librum legis, promissiones scriptas in lege. *In quibus scrutabantur*, id est secundum quorum tenorem, gentes arguebant Judæos idololatras, quia Cherubin super altare stabant. *Suscitaverunt*, id est apparere fecerunt, qui impleverat dies taxatas a lege, ut scilicet orarent cum eis, et offerrent oblationem suam : de quorum ritu, vide Numer. vi. *Tribunos* autem vocat eos qui mille viris præerant, *centuriones* qui centum, sicut et *pentacontarchos*, qui quinquaginta. Et dicitur a pentaconta quod est, quinquaginta, et archos, quod est princeps. *Decuriones* autem dicuntur qui præsunt decem, et dixit his qui ædificabant etc.

CAPUT IV.

Et assumpsit Gorgias. Hæc est secunda pars illius, *Et surrexit Judas*. In qua postquam debellavit Judas exercitum principum et regum, hic declaratur debellatio principum et exercitus regis. Et primo ponitur ipsa expugnatio. Et secundo, aliquali pace habita, ipsius templi aliqualis purificatio, in medio capitis. *Dixit autem Judas et fratres ejus*. Primo congreditur contra principes Lysiæ : secundo cum ipso Lysia, ibi : *Quicumque autem*

alienigenarum. Circa primum introducit Gorgiam per proditionem insidias præparantem. Et secundo ipsum inter ea per cautelam evadentem, ibi : *Et audivit Judas*. Et tertio ipsum Judam reliquam partem exercitus invadentem, ibi : *Et cum dies factus esset*. Quarto ipsum exercitum Judam præcipitantem et se defendere præparentem, ibi : *Et elevaverunt alienigenæ*. Et quinto ipsum Judam adversarios trucidantem, et persequentem eos qui fugiebant, ibi : *Et congressi sunt*. Sexto Judæ et exercitus illius reversionem, ibi : *Et reversus est Judas*. Et septimo ipsum Gorgiam cum suis fugam capientem, ibi : *Et vidit*, Gorgias, scilicet, populum cum Dei commendatione, prædam hostium colligentem. *Quicumque autem alienigenarum*. Hic secundo congreditur cum Lysia. Et primo ponitur quomodo de prædicta victoria Judæorum fuit Lysias informatus. Secundo quomodo super hæc fuit confusus et conturbatus, ibi : *Quibus auditis*. Tertio quomodo per ipsum fuit magnus exercitus congregatus, ibi : *Et sequenti anno*. Quarto, quomodo per Judam fuit Deus exoratus, ibi : *Et occurrerunt illis Judas*. Et quinto, quomodo Lysias fuit totaliter expugnatus, ibi, *Et commiserunt prælium*. Sexto quomodo ad alium exercitum adducendum fuit animatus, ibi : *Videns autem Lysias*. « Dixit autem Judas. » Hæc est secunda pars principalis totius cap. ; a qua, parva angustia habita pugnando, statim prærumpunt ad templi purificationem. Ubi ponitur primo, quomodo Judas ad hoc incitavit populi multitudinem. Et secundo repetit inventam loci solitudinem, ibi : *Et ascenderunt*. Et tertio narrat, ex hoc, in populo compassionis amaritudinem, ibi : *Et sciderunt vestimenta*. Quarto, quomodo Judas prorupit in reparandi promptitudinem, ibi : *Tunc ordinavit*. Et in hac ultima ponitur quomodo ædificantes contra adversantes assecuravit. Et secundo quomodo de altari holocaustorum ordinavit, ibi : *Et cogitavit*. Et tertio quomodo alia destructa reparavit, ibi : *Et ædificaverunt sancta*. Quarto, quomodo populus debito modo sacrificavit, ibi : *Et ante matutinum*. Quinto, quomodo dedicationem altaris celebravit, ibi : *Et fecerunt dedicationem*. Sexto, quomodo celebrandam in posterum demandavit, ibi : *Et statuit Judas*. Septimo quomodo aditum ad Jerusalem fortificavit, ibi : *Et ædificavit etc.* Ait ergo : *Et assumpsit Gorgias*. Hic continuat quod dictum fuit supra, quod Lysias congregavit exercitum in quo erat Ptolomæus Nicanor et Gorgias, qui astute voluit de nocte insurgere in Judam ; quod præsciens Judas fugit : et in aliam partem exercitus quam Gorgias reliquerat, ivit ; et eam invasit, et postea contra Gorgiam reversus est, et iterum illum devicit, ibi : *Quo viso etc.* Et tunc patet littera. *Filii eorum*, id est, alienigenæ in arce reclusi, vel *filii*, id est Judæi apostatæ, quorum quidam etiam erant, ibi : *Et audivit*, id est per insidias percepit, *Parantem exercitus*, quia ibi plures erant exercitus, scilicet Ptolomæi et Nicanoris, ut supra cap. III : *Dispersus exercitus*, scilicet Gorgiæ, erat divisus ab aliis. *Tegumenta*, id est arma, præ paupertate scilicet. *Tuba*, secundum legem, ut Numer. X habetur. *Ad tria millia :* quidam libri habent ad quinque millia, sed falso. *Purpuram marinam*, hoc dicitur quia secundum Isidorum purpura est sanguinei coloris, et tingitur quodam pisce marino qui conchylia vel muræna dicitur : qui concisus ferro, sanguineas guttas emittit ; ex quibus collectis tingitur purpura ; et ideo dicitur marina. Sic Cantic. VII, quasi purpura regis tincta canalibus. *Potentis*, id est Goliæ, de quo I Regum XVII, et de Jonatha, I Regum XIV. *Mundare*, id est, reparare ruinam, vel a fœditate idololatriæ purificare. *Sanctificationem*, id est ædificia sancta, templum scilicet et adjacentia, *desolatam*, id est occasione desolationis præcedentis profanatam propter sacrificia. *Atriis :* quatuor enim erant : scilicet sacerdotum, mundorum virorum, et mulierum, et generaliter immundorum. *Virgulta*, id est urticas et herbam et alia hujusmodi. *Pastophoria*, id est domuncula in atrio sacerdotum quæ adversus ducebat, scilicet ad habitationem hebdomadariorum et comestionem Judæorum in Jerusalem ad sanctificandum de longinquo venientium, qui partem sacrificii sui coram Domino comedere debebant : et est nomen Græcum, secundum Hieronymum, et latine dicitur thalamus. Vel secundum alios, est latinum et tunc dicitur quasi pastus forensium, quia forenses Judæi ibi comedebant, Deuter. XXVI. *Tubis signorum*, hoc dicit quia usus tubæ erat eis in signum multipliciter, ad convivandum et bellandum et solemnizandum etc. *In arce*, quia illi erant Judæis in insidiis et molestiis : *profanaverunt*, propter oblationes gentium. *Destructum*. Hinc sumitur argumentum de-

ascendendum hoc altare, post sacrificium hospitii in illo factum. *In morem domus*, id est in loco eminenti domus vel in loco in quo erat domus, extra tamen domum. *Sancta*, id est partem templi priorem, et quæ intra, id est sancta sanctorum. *Altare aureum*, id est aureum. *Vela*, quia aut duo erant : unum in ingressu templi et aliud in ingressu oraculi. *Quæ fecerant*, id est quæ facere poterant, vel debuerant, aut deliberaverant. Vel quæ fecerant prius in locis ubi erant et secum asportaverant. *Quinta et vicesima*. Notandum quod eadem die qua ante gentiles super primum altare sacrificaverant, ipsi iterum super altare novum sacrificaverunt. Unde supra, cap. I, dictum est, quod anno centesimo quadragesimo sexto die vigesima quinta mensis Casleu sacrificaverunt ; nunc autem hoc fuit factum anno centesimo quadragesimo octavo, die vigesima quinta ejusdem mensis, et ita profanatio duravit duobus annis : quod præviderat Daniel propheta cap. VIII. Vide ibi. *Casleu*, id est Decembris. *Cinyris*. Cinara est instrumentum musicum ; et dicitur a Græco cines, id est moveo, quia motu digitorum facit sonum in aere. Dicit Josephus quod non solum erat festum, sed et de istis instrumentis, de cibis et potibus non quibuscumque, sed optimis et delicatissimis : nullis enim tunc expensis Judas pepercit. *Dedicationem*. Notandum quod variæ leguntur dedicationes altarium : una sub Salomone, cujus fit mentio III Reg. VIII ; Alia sub Esdra, de qua habetur I Esdr. VI ; prima fuit in Septembri et secunda vere ; et istæ fuerunt abolitæ propter istam tertiam quæ fuit facta in hieme, hoc est in Decembri, ut dicitur hic et Joan. X : *Facta sunt encænia Jerosolymis et hiems erat*. Notandum quod hac die obtulerunt holocausta et adoraverunt immisso igne de ferro excusso per actum calculorum de altari sumptorum, et luminaria multa accenderunt et vocaverunt illud festum luminarium, quia tunc in prosperitate habita fuerunt a Deo clarificati, ex quo paulo ante in speluncis et antris habitaverant. *Diebus octo* ; quod erat contra consuetudinem festivitatum legalium quæ tantum durabant septem diebus : sed hoc fuit in significationem gloriæ cœlestis, quam recipient martyres novæ legis per eos significati. Neque obstat de octava die Scenopegiæ, quia ipsa proprie non erat de festivitate, nisi tantum pro collecta facienda. *Montem Sion*, id est turres altissimas fecit versus partem montis, inter arcem, ut credo, quæ jam formata erat ab adversariis, et templum sive civitatem, *extruxit*, illis scilicet ad munitionem, et *Bethsuram*, civitatem, ut esset illis pro castello.

CAPUT V.

Et factum est ut audierunt. Hæc est tertia pars illius, *Et surrexit* : in qua agitur de illius conflictu contra finitimas nationes et quod Judæos inter se habitantes occidebant. Et primo ostendit quomodo prævaluit ad Judæorum de diversis gentibus liberationem ; secundo quomodo prævaluit ad ipsorum jam liberatorum remeationem vel reductionem. *Et congregavit Judas*. Circa primum ponit victorias Judæ, quas de finitimis gentibus habuit ; et hoc auxilio et beneficio exercitus conjuncti. Secundo, ministerio exercitus divisi, ibi : *Et congregatæ sunt gentes quæ sunt in Galaad*. Circa primum ponit gentium impugnationem, et secundo ipsorum a Juda expugnationem, ibi. *Et debellavit*. Et primo filios Esau quos occidit, maxime illos qui erant in tribus civitatibus morantes. Secundo filios Ammon, ibi : *Et transiit ad filios*. *Et congregatæ*. Primo ponitur diversarum nationum in Judæos insurrectio. Secundo ipsius exercitus pro Juda divisio, ibi : *Et dixit Judas*. Tertio utriusque partis victoriosa persequutio, ibi : *Et abiit Simon*. Circa primum ponit primo Galaaditas insurgentes, et secundo Galilæos, ibi : *Adhuc epistolæ* : et in utraque illarum, primo ponitur insurrectio et ad Judam denunciatio et auxilii postulatio, ut patet. *Dixit Judas*. Circa illam partem, *Et abiit Simon*, primo ponitur congressus et victoria Simonis, et secundo ipsius Judæ, ibi : *Judas Machabæus*. Et ibi ponitur quomodo Judas in Galaaditim veniens super oppressione Judæorum et loci in quibus opprimebantur fuit informatus ; secundo quomodo fuit contra adversarios zelo inflammatus, ibi : *Et convertit Judas*. Habuit autem duos congressus principales cum Timotheo duce illius populi, et secundum ibi : *Post hæc autem verba congregavit Timotheus*. Et ibi habetur primo qualiter exercitus magnus fuit ab eo congregatus ; et secundo quomodo fuit cautelose informatus, et tertio quomodo juxta quod prædixerat fuit a Juda expu-

gnatus. *Et congregavit Judas.* Hæc est secunda pars totius capituli : in qua agitur de Judæorum liberatorum universali reductione, et secundo de aliquorum Judæorum superba acceptatione, ibi : *Et in diebus illis :* tertio agit iterum de Judæ et suorum commendatione et inimicorum expugnatione, et de quorumdam fatuorum sacerdotum occisione, ibi : *Et viri Juda magnificati.* Circa primum ponitur quorumdam contra Judæos crudelitas, et secundo divina super eos et per Judam severitas, ibi : *Et præcepit Judas.* Circa illam partem *Et in diebus*, ponitur superbiæ acceptatio, et secundo superbiæ punitio, ibi : *Et exiit Gorgias :* tertio punitionis ratio, ibi : *Quia non audierunt Judam. Genus Jacob* Judæos : inter eos enim multi Judæi erant dispersi inter nationes propter persecutionem Antiochi. *Acrabathane, civitas est filiorum Esau. Filiorum Bean*, id est habitantium Bean civitatem, etiam eorum : unde Bean non est nomen viri, sed civitatis. *In via,* scilicet qua venerant in terram promissionis. *Anathematizavit eos*, id est res eorum, sicut factum fuit Jericho, ut patet Josue VI. *Et omnes fratres nostri qui erant in locis Tubin interfecti sunt*, id est Judæi qui morabantur in Tubin ; hoc est, in illis locis quæ a Tubin sic dicebantur, unde et ab hoc locus nomen accepit ; et interpretatur deserens sive desertum. *A Ptolemaide*, civitas est Metropolis fortissima. Et occurrerunt eis Nabuthei, id est aliqui de illis populis volentes se jungere Judæis, et fovere eos, qui in illa civitate morabantur, ad munitionem Datheman, de qua dictum est supra : ubi recollegerant se Judæi ut expugnarent eos de munitione, tribus ordinibus exercitu suo in tres partes distincto. Masphia alia est ab illa quæ est in Judæa, ubi erat aliquando locus orationis Judæorum, quam Josephus vocat Mellem civitatem alienigenarum. *Et Bosor*, non est illa quæ statim legitur combusta : quæ secundum Josephum vocabatur Bethsura ; et illæ quæ sequuntur sunt civitates gentium in Galaaditide. *Et ait Timotheus principibus exercitus sui : Cum appropinquaverit etc.* Sed numquid fuit Propheta ? Non. Sed æstimo quod credebat Judam esse tantæ fortitudinis quod nisi diffideret, non superaretur : et quamdiu confideret, superaret : ex diffidentia autem dimisisset eos transire. *Fanum*, templum idoli sui. *In ingressu*, scilicet reversionis eorum ad terram suam. *In quo erat loco*, id est singulæ partes exercitus ; singulis partibus civitatis. *Josephus Zachariæ filius*, ille scilicet quem prætulerat exercitui in Judæa remanenti : et præceperat ne pugnaret. Unde inobediens fuit zelo gloriæ ; et ideo punitus fuit in sua superbia. *Per quos salus*, id est qui ad faciendam victoriam deputati erant a Domino. *Fausta acclamantes*, id est laudes vel rogationes ; quibus rogabant ut semper prospere eis eveniret. Et dicitur a faveo faves. Inde faustus cui fortuna favet, de illa Christiano more loquendo : et ita fausta clamare, est favorem optare.

CAPUT VI.

Et rex Antiochus. Hæc est pars principalis illius partis in III cap. *Et surrexit Judas :* in qua, descripta probitate multiplici ipsius Judæ quam exercuit sub Antiocho Illustri, hic describit secundo ejus probitatem et victoriam quam habuit sub filio ejus Antiocho Eupatore. Ubi quatuor facit. Primo ponitur adeptio regni, mortuo scilicet patre suo. Secundo ponitur præparatio prælii, ibi : *Et qui erant in arce.* Tertio congressio belli, ibi: *Et appropiavit Judas.* Quarto liberatio populi, ibi : *Et audivit Lysias.* Circa primam partem historiæ istius notandum est quod historia hujus secundæ partis multo completius habetur lib. II Machab. cap. IX. Sed hic ponitur primo infirmitatis illius occasio. Et secundo infirmitatis incursio, ibi : *Et factum est ut audivit.* Tertio malitiæ suæ recognitio, ibi : *Et vocavit Philippum.* Circa primum ponitur primo occasio, quomodo de Perside recessit viliter superatus. Secundo quomodo a Judæis exercitus suus fuit turpiter debellatus, ibi : *Et venit qui nunciaret. Et hi qui erant in arce.* Hæc est secunda pars capituli, in qua ponitur præparatio prælii. Et primo ponitur præparationis occasio. Et secundo apparatus executio, ibi : *Et iratus est rex ut hæc audivit.* Circa primum ponitur quomodo illi de Juda arcem expugnarunt. Secundo quomodo aliqui de obsessis in turri, fraudulenter ab illa exierunt, et se illis conjunxerunt, ibi : *Et exierunt quidam.* Tertio quomodo regem adierunt et ipsum contra Judam informaverunt, ibi : *Et abierunt ad regem.* Apparatus vero magnus ex parte regis fuit in his. Primo quia multitudinem

paramiorum congregavit, ibi: *Iratus est animo*. Secundo quia civitatem sicut potuit debellavit, ibi: *Et venerunt per Idumæam*. Tertio quia tam homines animavit, quam animalia cetera fortificavit, ibi: *Surrexit autem rex*. Quarto quia tam elephantes quam milites ordinavit, ibi: *Et diviserunt bestias*. Quinto quomodo occasione istorum omnes ad timorem concitavit, ibi: *Et ut refulsit sol*. *Et appropiavit Judas*. Hæc est tertia pars, ubi ponitur congressus belli duplex in campo, et duplex in præsidio, ibi: *Castra autem regis*. Circa primum primus congressus fuit generalis. Et secundus fuit specialis cum una tantum parte exercitus, ibi: *Et vidit Eleazar*. *Castra autem regis*, ibi ponitur primo quomodo rex Bethsuram debellavit præter Judæorum communicationem. Et secundo quomodo Jerusalem diu debellavit præter ejus læsionem, ibi: *Et converterunt castra ad locum*. *Et audivit Lysias*. Hæc est quarta pars, ubi ostenditur liberatio. Et primo ponitur Lysiæ deliberatio, et consilii exhibitio, ibi: *Nunc itaque demus*. Ponitur et consilii a rege et aliis acceptatio, ibi: *Et placuit sermo*; et mutua inter hostes confœderatio, ibi: *Et misit ad eos*; et confœderationis violatio, ibi: *Et intravit rex montem Sion*; scilicet interea quod hæc fiebant a Juda, intravit rex montem Sion. *Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones*. Persidis scilicet, ad habendam pecuniam, supra III. *Templumque in ea*. Dianæ scilicet. *Alexander*, de quo supra in principio libri. *Et reversus est in Babyloniam cum virtute*. Babyloniam, hoc dicitur per anticipationem. *Forti in primis*, id est cum præcipuis viris Timotheo, Nicanore, Gorgia, et seipso; quasi dicat: totum fecerat quidquid potuerat. *Bethsuram civitatem suam*, id est quam tanquam ad sui tuitionem fortificaverat, *suam*, id est ad regale obsequium promptam. *Abominationem*, id est idolum Jovis quod in templo posuerat, supra primo cap. *Et factum est ut audivit rex sermones istos expavit*. Libro secundo, cap. IX, habetur in perfectius, quomodo incurrit dolorem viscerum, et præcipiens agitari currum versus Judæam, dum minabatur se facere sepulchrum Judæorum, collisus est ad terram, ita quod decidit in lectum suum, et putruerunt carnes ejus, ut dicit Magister historiarum. *Et dilectus in potestate mea*, scilicet ab aliis; vel mihi ipsi complacebam. *Cognovi ergo*, quod scilicet propter mala quæ fecerat Judæis percussus fuerat. Alii dicunt quod ideo quoniam voluntatem habuit spoliandi templum Dianæ. Quod reprobat Josephus dicens, quod in hoc non peccavit, quia etsi voluntatem nocendi habuit, tamen nihil fecit. Ex quo colligitur argumentum, quod secundum opinionem Judæorum lex tantum prohibebat manum, non animum. *De amicis suis*, id est collectaneis. *Adduceret eum et educaret*... *Centesimo quadragesimo octavo*. Contra hoc objicitur. Nam incepit anno centesimo trigesimo septimo; et ita regnavit duodecim annis, scilicet tribus et novem, quod est contra prædicta cap. I, ubi tantum dicitur regnasse undecim annis. Respondetur quod regnavit per aliquam partem noni anni quæ hic computatur pro uno anno, supra autem non computatur; et ita contingit frequenter in temporum computatione. *Quem nutrivit adolescentem*. *Et vocavit nomen ejus Eupatorem*. Cognomen fuit, vel forte nomen ratione creationis in officio, sicut fit de Papa. *Et hi qui erant in arce concluserant*, id est sic eos concluserant circumquaque, et venire in templum impedierant ex omni latere. *Et quærebant eis mala semper: et firmamentum*, quia volentes immolare in templo repente occidebant. *Centesimo quadragesimo*, in quo Antiochus Eupator cœpit regnare. *Balistas*, ad emittendum jacula, et dicitur a ballin Græce, quod est emittere, ut Papias et Isidorus inquiunt. *Machinas*. Machinæ, secundum Papiam universaliter sunt, quæ fiunt opere humano; sed accommodantur ad hoc, ut dicantur instrumenta omnia quæ subtiliter inveniuntur, et operose fiunt, pro victoriis obtinendis in bello: inde Machinor, aris. *Qui obsidebantur*, qui erant apostatæ Judæi, tanquam vellent ab apostasia resilire. *Et vindicas fratres?* id est vindictam non sumis de fratribus nostris, scilicet de Juda et de suis. *Bethzacharia*. Josephus dicit, angustum esse locum mille stadiis ab hostium loco distantem. *Legiones*, non proprie dictas, secundum quod legio continet sex millia sexcenta sexaginta sex: sed communiter pro quacumque congregatione. Unde super quemlibet elephantem erat turris lignea et machinæ: erant enim triginta duo elephantes, et triginta duæ turres super eos, et in qualibet turri triginta duo viri, et in custodia cujuslibet mille cum illo qui principaliter regebat bestiam, et triginta tres pedites lori-

cati, et quingenti equites : et ita cuilibet animali inerant deputati mille quingenti et triginta tres : et ita in summa deserviebant omnibus elephantibus quadraginta duo millia nongenti nonaginta novem : et his conjungendo eos, qui principaliter regebant elephantes, fiunt insimul quadraginta novem millia et triginta unus : ita quod remanebant in communi exercitu equites tantum quatuor millia, quia sexdecim millia deputata erant elephantibus ; de peditibus vero remanebant circiter sexaginta septem millia : et isti tam equites quam pedites ordinati erant in duas partes. Exercitus autem habebat centum millia peditum, et viginti millia equitum : et ideo residuum exercitus erat divisum hinc et inde, bestiis cum viris eorum in medio. *Ante tempus*, id est cito et expedite semper præerant motui animalium. *Tubis :* statuit enim, ut moverentur castra ad sonitum tubarum. *Distincta,* id est divisa : quidam enim in monte, quidam in valle ibant, animalia in medio. *Constipatos*, se mutuo adinvicem jungentes in legionibus suis ; ad hoc urgebat eos propter vim majorem habendam. *Eleazar frater Judæ*, ut dicit Josephus, de quo supra cap. II, filius Aura, quia Mathathias binomius fuit : vel forte erat frater ejus de alia uxore, cujus nomen est Aura. Non enim potest dici frater ejus de alio patre. Cujus nomen ponitur hic, quia supra dicitur uterque filius Mathathiæ. *Loricis regis*, id est, armis regis depictis. *Diverterunt euntes*, scilicet in Jerusalem ad videndum locum. *Pacem*, dando se regi salva vita eorum. *Sabbata ;* quia secundum legem septimo anno quiescebat terra, nec fructus portabat. *Ignis jacula*, id est instrumenta ad jaciendum ignem. *Scorpios*, id est instrumenta ad projiciendum sagittas venenosas, ad modum scorpii unde dicuntur : et accipiuntur hic pro instrumento fundibuli, quia per eas emittuntur lapides e fundis positi et circumvoluti. *A Perside*, ubi mortuus fuerat rex, cum reversus fuisset Antiochiam. *Quærebat* usurpare regnum in præjudicium Eupatoris. *Deficimus*, scilicet fame. *Mentitus est*. Hoc credebat ipse, sed ita non erat : vel hoc dicebat invidendo Philippo, qui in Antiochia regnabat. *Et pugnavit.* Argumentum est, quod Philippus regnum usurpabat.

CAPUT VII.

Anno centesimo etc. Libri primi hæc est tertia pars, probitatis Judæ sub tertio rege, scilicet Demetrio nepote Antiochi Illustris filio Seleuci, qui tribus annis regnavit post Antiochum Magnum patrem ejus, et patrem Antiochi Illustris, a quo Demetrio Antiochus Illustris avunculus suus regnum abstulerat. Ubi primo ponitur victoria habita sub Demetrio. Secundo confœderatio facta cum Romanis post victorias, et hoc VIII cap. Tertio insurrectio ipsius, scilicet Demetrii, facta contra Judam, occasione illius confœderationis, et hoc cap. IX etc. Circa istud caput primo ponit tria in generali. Primo ipsius Demetrii ad regnum exaltationem. Secundo ipsius contra Judam informationem, ibi : *et venerunt*. Tertio bellandi dispositionem, ibi : *et elegit rex*. Circa primam partem ponitur primo, quomodo de terra Romanorum remeavit : secundo, qualiter Antiochum Eupatorem filium Antiochi avunculi sui, et Lysiam ejus adjutorem trucidavit, ibi : *Et factum est*. Tertio ponitur malorum congregatio, et Judæ accusatio, ibi : *Perdidit Judas*. Quarto regis informatio, ibi : *Nunc ergo mitte virum etc. Et elegit*. Tertia pars principalis ponitur, ubi rex misit primo contra Judæos duos principes, scilicet Alcimum et Bacchidem. Secundo, quomodo post illos misit Nicanorem, ibi : *Et vidit Alcimus*. Circa primum ponit ipsorum principum dolositatem et crudelitatem. Secunda ipsius Judæ contra eos probitatem, ibi: *Et vidit Judas omnia mala*. Circa primam partem ponit primo dolosam illorum principum intentionem, et secundo cautelosam ipsius a Juda perceptionem, ibi : *Et non intenderunt sermonibus*. Tertio ingeniosam aliquorum deceptionem, ibi : *Et convenerunt ad Alcimum*. Quarto dolosam ipsorum interfectionem, ibi : *Et comprehendit eos*. Quinto animosam aliorum fugam et divisionem, cum viderunt eorum proditionem, ibi : *Et incubuit timor*. Sexto ipsorum fugientium persecutionem, ibi : *Et movit Bacchides*. Septimo Bacchidis ab Alcimo separationem ibi : *Et abiit Bacchides*. Octavo malorum ab Alcimo auxilium et adjuvationem, ibi : *Et convenerunt ad eum. Vidit autem Alcimus*. Hic misit secundo Demetrius ipsum Nicanorem, contra quem fuit duplex congressus. Et circa primum primo

ponit Demetrii ipsius Judæ per Bacchidem accusationem, et secundo Nicanoris missionem, ibi: *Et misit rex Nicanorem*. Tertio ipsius dolosam intentionem, ibi, *Et venit Nicanor*. Quarto ipsius a Juda receptionem, ibi, *Et venit ad Judam*. Quinto falsitatis cognitionem, et ejus expulsionem. Sexto bellandi rationem et conclusionem, ibi, *Et congressi*. Septimo Nicanoris dejectionem, ibi, *Et ceciderunt de Nicanore*. *Et post hæc verba*. Secundus congressus cum Nicanore ponitur: et primo describitur illius superbia, et secundo Judæ victoria, ibi, *Et exiit Nicanor*. Circa primum ponit Sacerdotum placationem, secundo ipsius Nicanoris superbam irrisionem, ibi, *Et irridens sprevit*, tertio sacerdotum devotionem, ibi, *Et intraverunt Sacerdotes*. Circa secundum ponitur primo Nicanoris applicatio ibi, *Et exiit*. Secundo ipsius Judæ oratio, ibi, *Et oravit Judas*. Tertio hostis expugnatio, ibi, *Et commiserunt exercitus*. Quarto exercitus ejus fuga et evasio, ibi, *Et vidit*. Quinto fugientium occisio, ibi, *Et persecuti sunt*. Sexto populi Dei exaltatio, ibi, *Et lætatus est populus*. Ait ergo, *Anno centesimo quinquagesimo primo*. Et ita patet, quod Antiochus Eupator regnavit duobus annis, quia, ut dictum est supra, incepit anno centesimo quinquagesimo, aut circiter. *Rex Demetrius filius Seleuci*, fratris scilicet Antiochi Illustris; cum enim esset parvulus, usurpavit ei patruus suus regnum. *Ab urbe Roma*. Iverat enim illuc, ut conquereretur de patruo suo, cujus audita morte reversus est; quem libenter receperunt sui, et filium patrui sui Antiochum Eupatorem ei tradiderunt ligatum cum Lysia tutore suo. Ita vult Hieronymus super *Danielem*, et Josephus, et Magister historiarum. Mirum est tamen de Glossa, quæ in hunc locum dicit, quod Trogus Pompeius narrat, quod iste Demetrius fuit frater Antiochi Illustris, qui fuerat datus Romæ obses pro fratre suo majori: constituto autem loco patris Antiocho Eupatore parvulo, audiens Demetrius mortem fratris sui majoris, Antiochi scilicet Illustris, petiit a Senatoribus licentiam revertendi, quia jam non erat cujus esset obses; vel, ut alii, Romani nolentes illi dare licentiam, perdiderunt eum exeuntem sub specie venandi: qui apud ostia Tyberina navem conscendit; et veniens ad domum patrum suorum, libenter receptus est sicut prius. Si vero quis roget causam, et quo jure peteret regnum pro fratre, cum ille haberet hæredem de carne sua, nempe Eupatorem? respondetur, quod tunc temporis jus gentium erat (ut constat ex multis auctoribus, qui gesta regnorum conscripserunt) quod quando pater moreretur, non habens nisi pupillum, et præter ætatem, frater ejus habens ætatem regnare deberet. Sicut, exempli gratia, si modo rex Franciæ moreretur, per hanc viam si nunc servaretur, non obstante ejus parvulo filio, Carolus ejus frater haberet jus in regno. *Maritimam* aliqui dicunt Tyrum, aliqui Antiochiam. *Regnavit*, id est tanquam rex fuit receptus, *iniqui*, quia impius fuit et Judæus apostata. *Dux eorum*. Nota, quod hic erat institutus summus Sacerdos mortuo Menelao et occiso, sed aspirabat ut ab ipso Demetrio confirmaretur. Quod videns filius Oniæ adhuc parvulus, quod patruus suus Menelaus esset occisus, et quod Alcimus, qui alio nomine dicitur Onias, esset Pontifex constitutus, ivit ad Ptolomæum regem Ægypti, qui templum consimile Judæis fecit ad ejus instantiam in regione Heliopolitana in principali urbe sua, et reverenter ab eo receptus, factus est summus sacerdos. *Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem qui dominabatur trans flumen*, id est in interiori Mesopotamia Syriæ, trans fluvium scilicet Euphratem, secundum Josephum. *Et Alcimum impium constituit in sacerdotium et mandavit ei facere ultionem*, id est confirmavit prius ab Eupatore Antiocho positum. Sed et Alcimum impium dicit, propter ambitionem. *Justa sunt*, id est ostendere quod justum esset, quod dimitteret Judæos in pace. Et hæc audacius fecerunt, quia sacerdos erat ille, non credentes quod deciperet. *Satis agebat Alcimus*, supple regi qui eum confirmaverat: quasi diceret: ita malus et crudelis erat qui regi sufficere poterat. Vel secundum Josephum, sacra agebat, unicuique reddendo, quod sibi sufficiebat. *Multo plus quam gentes*, quia illa mala faciebant Judæi: unde tanto crudeliores, quanto ante domesticiores: et ita dicitur de christianis apostatis. *Fines Judææ*, bellabat enim contra suos qui eum satis molestabant. *Nicanorem*. Aliqui dicunt istum fuisse illum qui fuit infestus Judæis tempore Antiochi Illustris qui, secundum Josephum, cum Demetrio de Roma fugerat. Unde sequitur: *Qui et erat inimicitias exercens contra Israel. Et hostes*

parati erant rapere Judam, id est informati milites Nicanoris, ut eum caperent. *Capharsalama*, viculus est juxta Jerusalem villa Gamalielis in monte Sion. *Fugerunt in civitatem David*. Judas victus et sui, ut dicit Josephus et Magister historiarum, vel, ut alii, Nicanor et sui fuerunt victi : quod melius videtur : quia quinque mille de suis interfecti fuerunt. *Pro rege*, ad litteram, ut Deus illum corrigeret, non ut faveret factis suis. *Polluit*, id est blasphemando pollutos ostendit. *Nisi traditus fuerit Judas etc*. quasi dicat : ibo adhuc contra Judam, sed nisi vicero eum nunc, si non tradideritis mihi eum revertenti ad vos, succendam etc.: quasi diceret, prius volo eum capere si possum : sed si non possum, si non tradideritis eum mihi revertenti, succendam etc. *Occurrit etc.*, id est ad auxiliandum. *Tribus millibus*. Joseph dicit mille tantum milites habens, forsitans per exaggerationem, non numerando socios Senacherib. Vide Isaiæ xxxvii et IV Reg. xix. Sed objicietur contra hoc illud : Diligite inimicos vestros ; ergo non licet vindictam optare et quærere de illis. Respondetur, quod licet tale præceptum de dilectione inimicorum etiam tunc obligaret, tamen dico, quod pœna habet triplicem rationem : scilicet supplicii, pretii satisfactorii, et remedii. Primo modo non licet eam viris sanctis optare ; alioquin infringeretur in eo charitas quæ vindictam non petit sub illa ratione præcise qua est afflictio. Sed secundo modo et tertio modo est pœna consona justitiæ Dei, in quantum in ipsa reducitur iniquitas contracta per peccatum ad remedium illius et satisfactionem. Potest etiam considerari, quatenus est cautela ad cavendum futura peccata : et sic etiam non est contra charitatem illam optare. *Adar*, id est Martii. *Significationibus*, id est in modo tubicinandi insinuabant hostes suos fugere. *Ventilabant*, id est informatione sua quæ significatur in cornu, *ventilabant*, huc et illuc dispergebant. *Siluit*, id est quieta fuit a prœliis. Hic figuratur historia secundi libri : de toto residuo viæ est ibi mentio : vide tamen principium cap. xiv, quod caput videre oportet propter concordiam istius litteræ et illius.

CAPUT VIII.

Et audivit Judas Hæc est secunda pars principalis illius, Anno centesimo quinquagesimo primo : ubi post victorias cum Demetrio ponuntur amicitiæ contractæ cum Romanis. Audita enim Romanorum fama, voluit se cum eis confœderare. Et primo ponitur Romanorum laudabilis opinio, et secundo ad ipsos facta legatio, ibi : *Et elegit :* tertio legationis acceptatio et confœderatio, ibi : *Et placuit Simoni*. Circa primum commendantur Romani in generali in duobus, scilicet de strenuitate et fidelitate : et secundo declarat id in speciali. Circa primum commendat eos de multiplici victoria ; secundo de fideli amicorum amicitia, ibi : *Cum amicis autem ;* et tertio de sublimata monarchia, ibi : *Et in omnibus*. Circa secundam partem principalem misit Judas legatos ad Romanos, in quorum legatione petierunt familiaritatem et a Græcis conservari sibi libertatem, ibi : *Et ut auferrentur ;* et tertio ponitur mandati executio, ibi : *Et abierunt Romani*. Circa primum Romani confœderationem acceperunt et auxilium Judæorum invicem petierunt, ibi : *Quod si institerit bellum ;* et tertio eis consimiliter in suis impugnationibus auxilium conferre promiserunt et contra Demetrium assecurationem, ibi : *Similiter autem et si genti*. Et hoc totum fuit factum in tempore intermedio inter mortem Nicanoris et relationem ad Antiochum, ut patet ex principio capitis. Quoniam vero in isto capitulo fit mentio de probitate Romanorum, meminisse oportet quod in principio præfuerunt illis reges usque ad Tarquinium, qui propter superbiam nimiam fuit regno dejectus, et tunc rempublicam rexerunt, ait Magister in *Historiis* [1], triginta quorum nullus diadema portabat vel portare ambiebat. Qui multa insignia in republica administranda gesserunt ; et duravit hic modus reipublicæ administrandæ usque ad Julium Cæsarem ; per annos scilicet quadringentos et sexaginta quatuor. Tunc Julius Cæsar surrexit, de quo dicitur a nonnullis, quod incepit anno a principio mundi ter millesimo nongentesimo sexto decimo. Et hic imperator triumphavit de Germanis, Gallis et Anglis, et civitatem Anglorum præci-

[1] Intellige : In *Historia Scholastica*.

gnam quæ Leodinum dicitur et multas alias in suam ditionem redegit; plures alias destruxit; et tandem etiam exercitum Romanum offensus ejus ducem Pompeium in Ægyptum fugavit et persecutus est. Qui a Ptolemæo rege, ad quem confugiebat, antequam in terram descenderet, occidi jussus est. Tunc Cæsar Alexandriam veniens, ipsam invasit, obtinuit et combussit, captumque regem, ad petitionem civium libertati reddidit. Qui libertate donatus mox Julium Cæsarem invasit, sed fuit ab illo interfectus. Tunc in Syriam profectus, illius regem superavit, et deinde in Africam pergens omnes Pompeii satellites devicit, et demum in urbem fuit reverenter susceptus et potestatem monarchiam solus obtinuit; unde dicitur: omnia Cæsar habet. Is itaque ita benignus fuit, ut omnes quos vicerat armis, superaret clementia. Et, ut dicit Petrus Comestor in historiis, fuit magni ingenii; sed demum cum iret ad Capitolium, inde non rediit, insidiis ibi interfectus. Datæ fuerunt illi litteræ, quibus ei mors denuntiabatur, quæ post mortem illius in manu ejus inventæ fuerunt, et illas non legit. Ab ipso autem mensis septimus anni dicitur Julius, quia in illo natus fuit. Huic successit Octavianus, qui ob augustæ probitatis et fidelitatis præstantiam Augustus dictus est. Hæc ergo et similia de Romanis audivit Judas. *Galatiæ*, id est in Græcia, quorum rex Judæos molestabat. *Potentia*, id est constantia et tolerantia. *Et Philippum et Persen Cethæorum regem*. Persen, id est Persarum regem secundum Josephum. *Et Antiochum*. De illa pugna loquitur S. Hieronymus super Daniel. cap. XI. *Et daret obsides*, scilicet pro tributo solvendo, et pace conservanda. *Et constitutum*, id est pecuniam constitutam pro sua redemptione. *De optimis regionibus eorum*, id est orientalium Indorum, aliqui libri habent Medorum. *Et daret ei*. Quia littera suspensiva est, intellige quod Antiochus daret Romanis quidem ad eorum petitionem omnes istas regiones, quæ hic numerantur, quæ erant de optimis regionibus in dominio Antiochi. Et in signum istius pacti dicitur supra primo, quod filius ejus fuit Romæ obses. *Dederunt eas Eumeni*, id est tali viro dederunt Romani suas regiones, ut esset ibi rex et subjectus per omnia Romanis. *Et quia qui erant apud Helladam audierant*, supple, Judas scilicet et sui, quod aliqui homines qui erant in civitate quæ dicitur Helladam vel Helladar, voluerunt auferre a Romanis prædictas regiones. Erat enim illa civitas semper rebellis Romanis, et ipsi Romani de eis se fortiter defenderunt et vindicaverunt. *Et innotuit sermo his*, id est factorum eorum illius civitatis fuit illis significatus. *Nemo portabat diadema*, id est ambiebat portare. *Et quia curiam fecerunt*, id est locum, in quo plures convenientes, id est centum et viginti, ut dictum est supra, tractabant negotia. *Consilium agentes semper de multitudine*, id est pro utilitate multitudinis vel majoris partis multitudinis, non declinantes ob alicujus furorem aut favorem. *Invidia* quia non erat ambitio, nec privati boni alicujus præponderatio. *Et elegit Judas Eupolemum*, aliqui Eupolenium. *Jugum Græcorum*, id est oppressionem Syrorum, nam reges Syriæ a Græcis descenderant, ut dictum est supra cap. I. Nam post Alexandrum, qui primus regnavit in Græcia, Seleucus Nicanor habuit regnum Babyloniæ et Syriæ, et ab isto secundum litteram, ut dictum est, descendit Antiochus Illustris, et Antiochus Eupator, et hic Demetrius qui opprimebat Judæos. *Et conscribere nos socios*, id est præcepto firmare, et instrumentum de hoc facere. *In mari et in terra in æternum*, id est prospere eis cedat, sive belletur in mari sive in terra; sed hæc facient Romani ratione juncti fœderis, quæ in textu sequitur.

CAPUT IX.

Interea ut audivit Demetrius. Hæc est tertia pars illius, anno centesimo quinquagesimo primo; in qua post Demetrium superatum et Judam cum Romanis confœderatum, describitur Demetrius hujus occasione turbatus, et exercitus ab eo congregatus. Ponitur ergo primo ex utraque parte exercitus congregatio, et secundo exercituum congressio, ibi, *Et movit exercitus*. Tertio Judæ occisio et exercitus prostratio, ibi: *Et factum est post obitum*. Circa primum ponitur primo apparatus a parte Demetrii, et secundo ex parte Judæ, ibi: *Et Judas posuerat castra*. Et in ista ponitur primo Judas exercitum congregare, et secundo ponitur exercitum Judæ præ timore ab ipso recedentem, ibi: *Et viderunt multitudinem exercitus*. Tertio Judam remanentem

cum paucis ex zelo dolentem et fastidientem, ibi : *Et vidit Judas*. Quarto exercitum suum bellare dissuadentem, ibi : *Et avertebant eum*. Quinto Judam exercitum suum animantem et nullo modo fugere disponentem, ibi : *Et ait Judas : absit istam rem facere*. In secunda parte principali expresse patet ordo congressus. In tertia principali, primo Judas moritur, secundo mors ejus ponitur, et tertio a populo plangitur, et quarto probitas ejus repetitur. Circa quartam partem principalem ponitur : Primo quomodo Juda mortuo mali latentes apparuerunt. Secundo quomodo Bacchidi seipsos adunarunt : et tertio quomodo sub ipso in illa regioni præpositi fuerunt. Ait ergo : *Interea*, id est cum fieret cum Romanis confœderatio. *Quia cecidit Nicanor*, vide supra cap. VII. *Bacchidem et Alcimum et dextrum cornu*, id est fortiores de tota militia sua, qui ad dexteram ejus erant et plusquam alii ab ipso appretiati. *In Arbellis*. Videtur hic esse nomen regionis in qua erat Masaloth, in cujus confiniis multos peremerunt. Josephus tamen vult quod Arbellis scilicet sit civitas Galilææ ; sed hoc non videtur probabile, quia Galilæa non est ita prope Jerusalem. *Tria millia viri electi cum eo*. Josephus ponit mille tantum vel duo millia, *Et confractus est corde*, id est tædio affectus, et hoc quia vehementem zelum habebat et ipsum prosequi non poterat. *Liberemus animas nostras*, scilicet ab eis nos divertendo *modo*, id est hac vice contra consuetudinem nostram fugientes. *Et ait Judas, absit*. Sed nonne fuit hujusmodi audacia notabilis, secundum quod est vitium ? Dico quod non : quia non hæc dixit confidens de seipso, sed de divino auxilio. Unde supra dixerat : Non est differentia apud Dominum salvare in paucis aut in multis. *Non inferamus crimen gloriæ nostræ*, non tam humanæ quam divinæ ; id est non tam in via quam in patria, quæ non habetur sine perseverantia. *Et divisi sunt equites*, scilicet Bacchidis, ita quod faciebant cornu dextrum, id est a dextris, et cornu sinistrum, id est a sinistris. Invasit autem cornu dextrum Judas tanquam fortis, et a cornu sinistro invasus fuit a tergo, ac per hoc ex utraque parte invaluerunt contra eum. Magnam autem probitatem fecit in resistendo. Notandum quod Judas tenuit principatum septem annis, pater enim ejus mortuus fuit anno centesimo quadragesimo sexto, ut supra cap. I dictum est. Hic vero anno centesimo quinquagesimo secundo. *Et Jonathas et Simon tulerunt Judam, etc.*, Judam, id est cadaver Judæ redemptum ab hostibus pretio. *Emerserunt iniqui*, qui scilicet prius latebant timore Judæ. *Et vindicabat in illis*, id est vindictam in illis de factis Judæ faciebat. *Et congregati sunt omnes amici Judæ*. Hæc est tertia pars principalis illius in cap. II : *In diebus illis :* ubi post victorias Judæorum sub Matathia et sub Juda ponuntur victoriæ eorum sub Jonatha, qui sub quatuor regibus triumphavit : primo sub isto Demetrio, secundo cum Alexandro filio Antiochi Illustris, ut dicitur cap. X ; tertio sub Demetrio filio altertius Demetrii cap. XI ; quarto sub Antiocho filio Alexandri, ut dicitur cap. XII. Circa residuum hujus cap., ponitur, quomodo Jonathas bis congressus est cum Bacchide ; et prima vice illius exercitum minoravit et reliquos fugavit, et secunda vice ipsum quasi totaliter debellavit. *Et cogitaverunt omnes iniqui, dicentes*. Circa primum agitur de Jonathæ promotione, et secundo de Bacchidis insurrectione, ibi : *Et cognovit Bacchides*. Ubi ponit ipsius malitiosam insurrectionem. Et secundo Jonathæ et suorum dissimulationem ob exercitus sui provisionem. *Et cognovit Jonathas*. Circa istam ultimam partem ponitur ex parte Jonathæ animus sibi providendi. Et secundo ex parte Bacchidis ipsos persequendi, ibi : *Et audivit Bacchides*. In describendo provisionem Jonathæ tangit quoddam incidens, quod accidit. Et primo ponit Joannis fratris Jonathæ ad Nabuthæos destinationem. Secundo ponit ipsius Joannis a filiis Jambri interfectionem et spoliationem, ibi : *Et exierunt*. Tertio Jambricarum nuptias facientium punitionem, ibi : *Post hæc verba reversus*. Et quarto totius societatis et lætitiæ prioris desolationem ibi : *Et conversæ sunt nuptiæ*. *Et audivit Bacchides*. Hic ponitur ex parte Bacchidis animus impugnandi Judæos : ideo in parte ista fiunt septem commissiones per ordinem vel partitiones. Primo Bacchidis applicatio, ibi : *Et audivit Bacchides*. Secundo exercitus Jonathæ informatio. Tertio belli congressio. Quarto Bacchidis subjectio. Quinto Bacchidis reversio. Sexto crudelis illius deliberatio. Septimo ejus vilis consummatio. *Et cogitaverunt omnes iniqui, dicentes*. Hæc est secunda pars in qua agitur de secundo congressu Jo-

natio cum Bacchide. Et primo ponitur ipsius Bacchidis contra Jonathan concitatio. Et secundo ipsius et suorum contra prædictum conspiratio, ibi : *Et venit nuntius*. Tertio Jonathæ evasio, ibi : *Et non potuerunt*. Quarto ponitur ipsius Jonathæ a Bacchide persecutio, ibi : *Et cognovit Bacchides*. Quinto ipsius a Jonatha expugnatio, ibi : *Et reliquit Jonathas*. Sexto ipsius cum Jonatha confœderatio ad perpetuam de ipso deliberationem, ibi : *Et cognovit Jonathas, et misit Asphar*. Josephus ponit Asuphar. *Et die Sabbatorum venit ipse*, ut scilicet se non defenderent, sicut supra cap. II, vel ut Judæis majorem ignominiam inferrent. *Et misit Jonathas fratrem suum*, scilicet *Joannem*, Nabuthæos, qui fuerunt favorabiles Judæ, quando venit in Galaaditim, supra cap. V. *Et commendarent*, vel *commendaverunt illis apparatum*. Josephus ait, ut Joannes commendaret eis, id est eorum custodiæ, apparatum, scilicet Jonathæ et suorum, quousque pugnasset contra Bacchidem, eo quod ipse apparatus esset illi pretiosus. Magister tamen historiarum dicit, quod volebant, ut Nabuthæi accommodarent eis apparatum suum ad bellandum contra Bacchidem. *Et exierunt filii Jambri*, qui erant inimici Judæorum, habitantes in insulis, *ex Madaba*, civitas est, quæ habebat ipsum apparatum copiosum, quem intendebat Nabuthæis commendare. *Non enim est hodie sicut heri*, id est non possumus modo fugere, sicut alias fecimus ; quia, scilicet, erant inclusi aquis, et in loco paludoso. *Et extendit Jonathas manum suam*, id est potentiam suam, quam ostendit per signa, quia illam bellando volebat ostendere, in Bacchidem et in suos percutiendo. *Et eum transnatavit Jonathas et sui*, pugnaverunt. *Et reversi sunt etc. Præcepit Alcimus destrui muros*. Iste fuit summus Sacerdos, et pessimus Apostata Judæorum. *Muros domus*, id est muros antiquos atriorum. *Quæ erant Prophetarum*, id est antiquorum virorum, ut Esdræ et Nehemiæ ; vel illa, quæ ibi fabricata erant, et a Prophetis prænuntiata. *Sed non potuerunt*, quia dicit Josephus quod Jonathas caute se servabat. *Quinquaginta viros, et occidit eos*. Hic dicitur ab aliquibus scriptoribus, quod Jonathas eos occidit ; sed Josephus dicit, quod Bacchides eos occidit, quia imposuit eis, quod consilium suum de proditione Jonathæ insinuaverunt Judæis ; unde isti fuerunt quinquaginta de Judæis apostatis ; et multi libri non habent sic *Jonathas*, et credo quod non debet hic esse. *Renuntiaverat*, omnes per eos pati proditionem. Aliqui libri habent, *Desumitavit* ; et tunc sensus est, quod id fecit, ut ad ejus auxilium venirent. *Et venit cum numero*, id est cum paucis, ita ut numerari possent. *Percussit Odarem et fratres ejus*, id est, fautores Bacchidis, ad quos recursum habebat. *Simon vero etc.* Hæc autem fecit, quia Jonathas ei hæc insinuavit, quod exiret, et ita ex una parte insurgeret in exercitum Bacchidis, et ipse ex alia. *Et progressus ejus erat inanis*, id est inutilis et vanus. *Et iratus*, Bacchides scilicet, unde surrexit in suos. *Et cognovit Jonathas*, quod scilicet Bacchides apostatas etiam, qui de sua parte erant, occidebat. *Componere pacem*, non quia eum timeret ; sed vidit, quod Bacchides eum timebat, et quod de facili faceret cum eo pacem, et ea facta, captivos quos tenebat, ex parte Jonathæ redderet libenter, et amore hujus voluit pacem facere. *In Machmas*, nomen loci est duarum syllabarum ; quando vero accipitur pro instrumento pugnandi, tunc est trium syllabarum, machinas.

CAPUT X.

Et anno centesimo sexagesimo. Hæc est secunda pars principalis illius. *Et aggregati sunt* : in qua ponitur ducatus Jonathæ sub Alexandro filio Antiochi Illustris, Qui fuit frater Antiochi Eupatoris, quem occidi fecit Demetrius, et abstulit illi regnum, et ob hoc cum mortuus fuerit sine hærede, voluit Alexander impugnare Demetrium, et regnare pro fratre suo. Trogus tamen Pompeius dicit, quod in veritate non fuit filius nobilis Antiochi, sed tantum reputatione vel fama ; nam Antiochenses non potentes sustinere tyrannidem Demetrii, neque ejus exactiones, quemdam juvenem Ægyptium fortem prodiderunt, quem filium Antiochi magni esse diffamaverunt, et Alexandrum vocaverunt. Tria ergo fiunt per ordinem : primo ponitur confœderatio ipsius Jonathæ cum Alexandro, et hoc in principio capituli ; secundo congressio ejus cum Demetrio, ibi, *Et congregavit Alexander* ; tertio ejus congressio cum Apollonio pro ipso Alexandro. Circa primum primo Jonathas per epistolas a De-

metrio pacifice visitatur. Secundo ab Alexandro ejus adversario consimile replicatur, ibi : *Et audivit Alexander*. Tertio iterum, a Demetrio promissio augmentatur, ibi, *Et audivit Demetrius*. Quarto confœderatio cum Alexandro finaliter acceptatur, ibi : *Ut audivit Jonathas*. Circa partem primam Demetrius in adversitate sua recolit in Judæos suas crudelitates, et commemorat eorum probitatem, et deliberat acquirere eorum familiaritatem, et offert eis libertatem et tranquillitatem. Circa secundam partem similiter Jonathæ probitas ab Alexandro recitatur, et ille muneribus visitatur, et illius familiaritas exoratur. Circa tertiam partem Demetrius iterum deceptorie replicat promissiones, quas Judæis fecerat; et promittit eis amicitiæ confœderationem, et tributorum omnium talium relaxationem, et solemnitarum suarum liberam executionem, et omnium captivorum liberationem, et templi et cultus divini largam dotationem, et necessariorum pro templo collationem. *Et congregavit rex Alexander*. Hæc est tertia pars principalis totius capituli, in qua ponitur congressus Alexandri cum Demetrio : ubi ponitur primo, quomodo Alexander Demetrium debellavit; et secundo quomodo se cum Ptolemæo rege Ægypti confœderavit, ibi : *Et misit Alexander*. Tertio quomodo Jonatham multipliciter honoravit, ibi : *Et scripsit rex Alexander Jonathæ*. Prima pars istarum patet. Circa secundam Alexandri victoria recitatur, filia Ptolomæi postulatur, et petitio acceptatur, et matrimonium celebratur. Circa tertiam Jonathas recipitur amorose, induitur gratiose, et accusatur malitiose, et excusatur gloriose. *In anno centesimo sexagesimo quinto*. Hæc est tertia pars capituli, in qua ponitur congressus Jonathæ cum Apollonio. Et primo Apollonius princeps exercitus Demetrii Jonatham provocavit. Secundo ponitur, quomodo Jonathas contra ipsum festinavit, ibi : *Et audivit autem Jonathas*. Circa primum, Demetrius filius Demetrii prædicti de Cretensi regione revertitur. Et secundo Apollonius princeps militiæ constituitur. Et tertio ipsius superbia et elatio multis præsumptuosis verbis ostenditur. Circa secundam partem istarum ponitur primo, quomodo exercitum congregavit, et quomodo Jonathas et sui adversarios ad Joppen propulsarunt, et applicuerunt ad castrum. Et secundo, quomodo illi de exercitu Apollonii insidias in occulto posuerunt, ibi : *Et audivit Apollonius*. Tertio quomodo Jonathas et sui sciverunt, et eos expugnarunt, ibi : *Et cognovit Jonathas*. Quarto quomodo exercitum Apollonii partim occiderunt, partim combusserunt, ibi : *Et ejecit Simon exercitum suum*. Quinto, quomodo cum multis bonis et spoliis ad propria redierunt, ibi : *Et reversus est Jonathas*. Tertia pars patet. *Ascendit Alexander*. Notandum est, quod Trogus Prompeius dicit in libro XXXV, quod Demetrius, prius occupato regno Syriæ et Macedonum, sicut supra dictum est capite septimo, reputans vile, se esse otiosum, cogitavit opes suas ampliare, et reges circumstantes expugnare, incipiens a rege Cappadocum; cujus cum haberet in matrimonio filiam, post fastiditas cum ipsa nuptias, invasit Holofernem fratrem suum, et regno expulit et privavit; quem tamen postea humilem et supplicem recepit curialitate motus, et regnum illi restituit. Holofernes vero relevationem suam ingrato animo recipiens, pactum fecit cum Antiochensibus, qui tunc erant irati Demetrio. Quod resciens Demetrius, ipsum invasit et cepit, Antiochensibus in sua opinione contra Demetrium remanentibus. Qui postea bellis et injuriis Demetrii lacessiti, subornaverunt quemdam juvenem sortis extremæ, et de humili prosapia, sed pulchrum et aptum, ut Syriæ regnum velut jure paterno sibi debitum, repeteret, dicentes ipsum vocari Alexandrum, et genitum esse ab Antiocho rege nobili; et ideo regnum Syriæ illi deberi. Tantum enim odium Demetrii apud omnes erat, ut æmulo ejus non tantum vires regiæ, verum etiam nobilitas generis, consensu omnium, tribueretur. Alexander vero omnium orientalium virtute succinctus, prælium intulit Demetrio, quem regno pariter et vita privavit. *Recordabitur enim malorum*, supra VII et IX per totum. *Et in fratrem ejus*. Joannem scilicet, quem occiderunt filii Jambri, ut supra cap. IX. (*Vel in fratrem* et melius) id est Judam qui mortuus fuerat sub Demetrio. *Et dedit ei potestatem congregandi exercitum*. Contra, nonne publice faciebat hoc prius? Respondetur, quod ita, sed invito rege. Non enim licet inferioribus exercitum congregare, nisi de scitu superiorum, ut sciant ad quem finem hæc faciant, ne res vergat in præjudicium regis. *Et traditi sunt Jonathæ obsides*, quos scilicet posuerat Bac-

chides et Alcimus in arce, ut supra cap. IX habetur. *Et fugerunt alienigenæ*, custodes scilicet quos posuerat Bacchides in Judæa. *Qui reliquerant legem*, etc., qui scilicet Alcimo et Bacchidi adhæserant. *Summum sacerdotem*, quia illi erant de genere summorum sacerdotum, eo quod filii erant Mathathiæ, ut dictum est supra cap. II, et erat officium tale multum concupitum. *Et misit ei purpuram et coronam auream*. Notandum, quod quatuor erant insignia regalia; et inter hæc erat purpura. Etenim erant diadema, fibula aurea, sceptrum et purpura. Et fibula quidem in mulieribus est ornamentum pectoris, in militibus est cingulus, et forsitan balteus; purpura in regibus est pallium humerale. *Et quæ nostra sunt, sentias nobiscum*, tam quæ bona quam quæ mala; sicut in amicitia requiritur. *Et induit se Jonathas stolam sanctam*, etc. Non tanquam a gentili sibi datam et concessam, sed jam alias paterno jure sibi debitam. *Scenopegiæ*, id est fixionis tabernaculorum. Et vox hæc de Græco in Latinum derivata, dicitur a scena, quod est tabernaculum. Ab Hebræo autem derivata dicitur a senum, quod est umbra; quia tunc habitabant in umbraculis, ob memoriam habitationis eorum in deserto, cum exirent de Ægypto. Et incipiebat die decimo quinto Septembris et durabat per septem dies, et octava festivabatur, quia in ea fiebat collecta pro omnibus expensis totius anni pro pauperibus. *Præoccupavit nos Alexander*. Præoccupasse dicitur, non quia Demetrius prius non invaserit eum, sed quia cum Demetrio Jonathas nullum pactum fecit. *Quoniam servastis ad nos pactum*. Aliqui putant, quod id dicit, mentiendo et adulando; vel id dicit, quia inierat pactum Jonathas cum Bacchide, qui de parte erat Demetrii, ut supra cap. IX dicitur; vel quia post ultimam Epistolam Demetrii nihil ei nocuit. *Et remittemus vobis præstationes*, id est exactiones, quas sub nomine præstationis nobis dabatis, vel sub nomine etiam tributi. *Pretia salis*, id est sal sine pretio habebitis. Forte Judæi multo sale indigebant, et caro emebant; vel secundum alios, pretia statuta pro pecoribus vestris venditis. *Coronas*, quas singulis annis hæreditabant. *Pro tertia seminis*, id est frugum et leguminum; tantum enim solvebant regi. *Et dimidiam partem fructus ligni*, id est mediam partem de arboribus, quæ etiam debebant ei ob ejus exactionem. *Tribus civitatibus quæ additæ sunt illi*, id est regionibus; et sunt Samaria, Galilæa, et trans Jordanem, secundum Josephum. *Et Jerusalem sit sancta*, id est tanquam sacra sit et immunis. *Et pecorum suorum*, id est a tributis pro pretio pecorum. *Et dies decreti*, id est ex communi statuto ordinati sub decreto. *Et tres dies ante diem solemnem*, sicut erant solemnitates adventitiæ, ut festum Esther, Judith, et similia. *Immunitatis*, id est sine vectigalibus et tributis. Sed contra objicitur, quia ante eos liberos fecerunt a tributis; ergo superflue hæc repeti videntur. Respondetur, quod a tributis determinate statutis nunquam eos exonerarunt, ut sunt vectigalia et hujusmodi, sed ab aliis quotidie contingentibus; et eos immunes fecit per tres dies ante solemnitatem, et per tres dies post. *Ascribantur*, id est assumantur ad officia dignitatis. Et hoc tripliciter: ita quod aliqui vigilent in expeditionibus, quidam custodiant in munitionibus, quidam etiam dispensatores sint in rebus. Secundum Josephum, hæc dicebat, quia ad ista officia ponuntur primi de quibus confiditur: quasi diceret: volo de vobis confidere. Unde sequitur: *Quæ aguntur ex fide*, id est in quibus agendis necessaria est fidelitas. *Sicut præcepit rex*, id est ego, vel aliquando Cyrus, I Esd. I. *Ptolemaida*, civitas est adjuncta Judææ; et est Achon, et duæ confines civitates ejus, scilicet Joppen et Gazar; vide I Paral. XV. *De rationibus regis, quæ me contingunt*, id est quæ me secundum rectam rationem computus contingunt. *Quæ non reddiderunt*, id est quicumque de officiliabus meis, vel de aliis mihi debuerant reddere, et non reddiderunt forsan, illa condonabuntur. *Obnoxii*, id est aliquo magno malo facto astricti. *Anno centesimo sexagesimo secundo*. Ipse vero incepit regnare anno centesimo sexagesimo, ut patet in principio capitis. *Dedit illis*, scilicet, Jonathas regibus. *Cum gloria magna*. Magister in *Historiis* dicit, quod hoc fuit signum renovationis Judæorum in anno centesimo sexagesimo quinto. Secundum Magistrum historiarum, iste Demetrius parvulus, visa morte Demetrii patris sui, cucurrit ad parentes suos maternos, qui Cretenses erant; et post triduum, cum multis ipsi faventibus, reversus est, et invasit Alexandrum, et vicit, et regnum obtinuit. Sed Trogus Pompeius aliter

narrat: et dicit, quod Demetrius pater iturus ad bellum contra Alexandrum, duos filios suos parvulos apud quemdam Gnidium hospitalitati commisit, cum magna pecunia. Quo mortuo post tres annos, major eorum Demetrius adolescentiam adeptus, audiens luxuriam Alexandri, in quam inopinata prosperitas eum immerserat, adjuvantibus Cretensibus eum aggressus fuit, et inveniens favorabiles Antiochenses, super quos regnabat Alexander, tradiderunt se illi. Et ita aggressus Alexandrum, illum magno impetu dejecit, et ita exsolvit ei pœnam pro patre suo Demetrio, quem occiderat, et pro nomine Antiochi, cujus filium se mentitus fuerat. *Contristatus est valde se Alexander rex*, quia nihil hostile reputans inter scorta vivebat securus. *Reversus est Antiochiam*, non Alexander, sed Demetrius, qui prius ab ipsis cum patre suo fuerat de Antiochia fugatus, postea fuit receptus in recompensationem injuriæ. *Apollonium ducem qui præerat Cælesyriæ.* Syria habet multas partes, quarum una est Cæles; et ibi erat princeps iste Apollonius, quem Demetrius iste fecit principem totius exercitus sui. *Resistis nobis*, resistere te confidis : quidam legunt interrogative, et alii demissive, et despective, quasi diceret : Si resistis nobis fugiendo, non insultando in nos, quia non audes. *Bis in fugam conversi sunt patres tui :* semel ante Eleazarum, qui mortuus fuit sub ventre elephantis, supra capite VI, et semel quando Judas etc. *Et exercitum tantum in campo.* Sensus est. Si in terra nostra non prævaluistis, quomodo in campo, idest in terra aliena prævalere poteritis? Motus animo, idest concepit animum se vindicandi. *Et exclusit a civitate*, idest viri habitatores Joppen excluserunt Jonatham faventes Apollonio : ita Josephus : Vel aliter : Jonathas exclusit custodias Apollonii a civitate Joppe, quæ juncta erat Judææ : vel exclusit seipsum a Joppe, volens, quod Apollonius obsideret eam pro Jonathæ odio. Media expositio magis consonat literæ sequenti, ut patet. *Et abiit Azotum tamquam iter faciens*, idest gradatim pergens, non in exercitum Judæ. *Bet-Daghon*, duæ dictiones sunt, idest domum Daghon, idest illius idoli : et ejecit Simon, adducens recentes milites etc.

CAPUT XI.

Et Ptolemæus rex Ægypti. Hæc est tertia pars illius, *Et congregati sunt omnes amici*, in qua ponitur victoria Ptolomæi contra Alexandrum generum suum. Secundo exaltatio Jonathæ sub tertio rege, scilicet Demetrio filio prædicti Demetrii, ibi, *Et regnavit Demetrius.* Tertio adventus filii Antiochi, scilicet Alexandri, ibi, *Post hæc autem reversus est Tryphon.* Circa primum ponitur proditio Ptolomæi regis Ægypti exercitum congregantis, et Alexandrum invadentis. Et secundo confœderatio ipsius Demetrii cum ipso, ibi, *Et misit legatos ad Demetrium.* Tertio prostratio regis Alexandri, ibi, *Et audivit Alexander, et venit in bellum.* Quarto punitio Ptolomæi regis Ægypti, ibi, *Et rex Ptolomæus mortuus.* Circa secundam partem, quæ incipit ibi, *Et regnavit Demetrius*, ponitur ipsius Demetrii provocatio pro impiorum accusatione, et secundo ipsius placatio cum Jonathæ honoratione, ibi, *Ut audivit Jonathas;* tertio literarum subscriptio pro pacis confirmatione, ibi, *Et consensit rex et scripsit Jonathas.* Quarto ponitur Antiochi filii Alexandri promotio pro Demetrii destinatione, ibi, *Et vidit Demetrius rex.* Quinto ponitur a Jonatha exercitus destinatio pro regis liberatione, ibi, *Et misit Jonathas ad Demetrium.* Sexto civium cum rege confœderatio, cum Judæorum honore et commendatione, et regis Demetrii parum curiali oblivione, ibi, *Et ut viderunt qui erant in civitate.* Circa tertiam partem, quæ incipit ibi, *Post hæc autem reversus*, primo describitur adventus Antiochi filii Alexandri cum adjutorio Tryphonis. Et primo introducitur ex parte Antiochi regis occupatio ; et secundo Jonathæ salutatio et honoratio, ibi, *Et scripsit Antiochus;* tertio ex parte Jonathæ probitatis exequutio, ibi, *Et exiit Jonathas.* Et circa istam ultimam partem, *Et exiit Jonathas*, primo ponitur probitas Jonathæ contra Ascalonitas et Azotios ; et secundo probitas, scilicet sui fratris Simonis contra inclusos in Bethsuram, ibi, *Et applicuit Simon;* tertio repetitur victoria Jonathæ contra adversarios, ibi, *Et Jonathas et castra ejus.* Et primo ponitur, qualiter Judæi fugerunt et succubuerunt ; secundo, quomodo reversi fuerunt, et prævaluerunt, ibi, *Et vidit Jonathas. Et Ptolomæus.* Secundum Josephum, Philopator

primus. Fuit tertius rex in Alexandria, et regnavit viginti sex annis; secundus rex fuit quartus, et regnavit annis septemdecim. *Et exiit in Syriam verbis pacificis*, in dolo scilicet quasi venisset genero suo Alexandro solatia præstiturus, ait Josephus. *Et aperiebant ei civitates*. Magister *Historiarum* dicit, quod sic præceperat Alexander in favorem ipsius. *Dixerat eum* (*sic*) *fecisse*, scilicet a Jonatha, supra decimo capite. *Ut invidiam facerent ei*, id est odium, et moverent regis animum contra eum. *Et tacuit*, id est dissimulavit, ne haberet in sua novitate aut invasione in regem Alexandrum Jonatham contrarium. *Flumen qui vocatur Eleutherus*, idest liberum, secundum Josephum. *Seleuciam*, dictam a Seleuco, sicut Antiochia ab Antiocho. *Imposuit duo diademata capiti suo*. Josephus dicit, quod hoc fecit compulsus a suis militibus. Nam dicebat sibi sufficere regnum Ægypti, propter timorem Romanorum ne videretur ipsis invitis eorum jurisdictionem usurpare. *Quæsivit enim me occidere*; imo e contra erat, quod iste eum, idest Ptolomæus Alexandrum occidere quærebat. *Fugit Alexander in Arabiam*, ad parentes maternos cum filio suo Antiocho. Rex autem Arabum ob favorem et timorem Ptolomæi occidit eum, et filium suum Antiochum reservavit, ut dicitur in historiis, et misit caput ejus Ptolomæo. *Et vituperavit eum*. Loquitur auctor in tertia persona de Ptolomæo, quod vituperaverit Alexandrum, id est crimen illi imposuit, quod Ptolomæus scilicet concupierit regnum Alexandri. *Erat rex in Cilicia*, propter eorum rebellionem. *Zabdiel rex Arabiæ caput Alexandri, et misit Ptolomæo, et mortuus est die tertia*. Josephus dicit, quod contigit, ut equus Ptolomæi audiret vocem vel garritum elephantis, et quod projecit dominum suum ad terram; quod cum vidissent hostes, impetum fecerunt in eum, et multa vulnera illi inflexerunt usque ad mortis periculum, custodes tamen corporis sui eum liberaverunt, et ideo supervixit quatuor diebus, non intelligens neque loquens. In fine vero quinti diei respirans a vulneribus, et videns caput Alexandri, quod præcissum illi miserat Zabelus sive Zabdiel rex Arabum, quoquo modo exultavit, sed statim mortuus fuit. *Et qui erant in munitionibus*, positi, scilicet a Ptolomæo. *Ab his qui erant intra castra*, id est, qui plus favebant Alexandro, plusque diligentes eum quam Ptolomæum. Sed quia uterque jam erat mortuus, ideo melius dicitur secundum Josephum, ab his qui erant de parte Demetrii, qui cœpit corrumpere milites Ptolemæi ipso defuncto. *Quidam qui oderant gentem suam*, scilicet Judæi. Impugnatio enim ortum habebat ex Judæis. *Ne obsideret*, id est in obsidione permaneret: aliqui tamen libri habent, non obsideret, et aliqui, ne obsisteret, id est desisteret. *Et statuit ei principatum sacerdotii*, id est confirmavit ei officium sacerdotis, quod scilicet habuit prius sibi ab Alexandro concessum. *Principem amicorum*, id est principalem amicum. *Et tres Toparchias*, id est principatum trium locorum: et dicitur sic a topos, quod est locus, et archon, quod est princeps. Erant autem illa tria loca Judææ addita; et erant Samaria, Lydia et Ramatha. Josephus dicit, trium provinciarum Judææ additarum, scilicet Samariæ, Joppæ et Galilææ; et in Samaria fuerunt, Ephronia, Betellida et Ramatha. *Et Samariam*, ita debet esse: aliqui autem libri habent, sed male, ex Samaria. *Rex Demetrius Lastheni parenti*, id est summo sacerdoti gentis suæ et ritus sui, *excepto exercitu peregrino*, qui propter hoc fuit odiosus aliis: vel, ut dicit Trogus Pompeius, quia prospero tunc successu adolescens vitiis adolescentiæ corruptus in segnitiem versus est: et ideo tantum fuit odiosus propter suam lasciviam, quantum pater ejus propter suam superbiam. *Primus*, id est præcipuus. *Quidam partium*, id est, quidam præcipuus de parte Alexandri. *Et iit ad Emalchuel*, id est regem Arabiæ, qui ob favorem Ptolomæi occiderat Alexandrum, retinens filium ejus Antiochum. *Assistebat ei*, id est assidue instabat, illum pro Antiocho dimittendo. *Misit Jonatham*, videns eum suis odiosum. *In præsidiis*, aliis scilicet ab arce in Bethsura. *Et mentitus est omnino*, scilicet Judæis, quod multum ei postea nocuit. *Et accepit Tryphon bestias*, id est elephantes exercitus Demetrii, qui erant docti ad bellum. *Et misit illi vasa aurea in ministerium*, id est usum. *Fibulam*, ornamentum, quod solis cognatis regis ferre licebat. *Trans flumen*, Euphratem scilicet. *Et venit Ascalon*, civitas est Philisthinorum. *Et Jonathas et castra ejus applicuerunt ad aquam Genasar*, mare Galilææ, quæ alias dicitur Tyberiadis; et dicitur Genesar, quasi gene-

rans auras. *Et ante lucem vigilaverunt*, id est excubias fecerunt propter hostes propinquos, quos postea Jonathas vicit et fugavit.

CAPUT XII.

Et vidit Jonathas quia tempus. Hic ponitur ducatus Jonathæ sub Antiocho filio Alexandri. Et primo ponitur quomodo Jonathas cum extraneis se confœderavit. Et secundo quomodo hostes viriliter expugnavit, ibi : *Et audivit Jonathas*. Tertio quomodo Tryphon eum defraudavit, ibi : *Et cum cogitasset*. Circa primam partem ponitur pro fraternitate renovanda cum Romanis et aliis, nunciorum destinatio. Secundo epistolarum recapitulatio tibi : *Et hoc exemplar epistolarum*. Tertio ad epistolas facta responsio, ibi : *Et hoc rescriptum epistolarum*. In epistolis allegat primo antiquitus contractam cum eis familiaritatem. Secundo reducit ad memoriam antiquitatem, ibi : *Multa enim tempora*. Tertio ostendit suam erga eos fidelitatem, ibi : *Nos ergo omni tempore*. Quarto gaudet propter eorum prosperitatem, ibi : *Lætamur itaque*. Quinto recitant multiplicem suam adversitatem, ibi : *Nos autem circumdederunt*. Sexto recognoscunt se liberatos per divinam benignitatem, ibi : *habuimus*. Septimo petunt curialiter ad rescribendum facultatem. Circa secundam partem principalem quæ est ibi : *Et audivit Jonathas*, Primo ponitur a Jonatha et Simone hostium expugnatio. Secundo Jerusalem fortificatio, ibi : *Et reversus est Jonathas, et convocavit*. Circa primam partem istarum primo ponitur factum Jonathæ. Et secundo Simonis, ibi : *Simon autem exiit*. Circa primam istarum ponitur exercitus congregatio, et Jonathæ invasio, ibi : *Et exiit ad Jerusalem*. Tertio ipsorum evasio ibi : *Et audierunt adversarii*. Circa tertiam partem totius capituli principalem ponitur primo Tryphonis perversa cogitatio. Et secundo Jonathæ fallax honoratio, ibi: *Et vidit Tryphon quod venit*. Tertio deceptoria promissio et informatio ibi : *Et dixit Jonathæ, ut quid*. Quarto stulta consilii exequutio, ibi : *Et tradidit illi, et fecit*. Quinto Jonathæ inclusio, et suorum occisio, ibi : *Et intravit Ptolemaidam*. Sexto exercitus illius persequutio, ibi : *Et misit Tryphon exercitum*. Septimo virilis defensio, ibi : *At illi cum cognovis*-*sent tempus*, id est quod opportunitatem habebat. *Spartiatas*. Josephus Lacedæmonios dicit. Isti, secundum *Glossam*, jactabant, se esse de genere Abrahæ, ac per hoc esse se fratres Judæorum. Quomodo vero hoc fuerit, non est certum, nisi quia forte descenderant de aliquo filio Agar, vel Cethuræ. Præterea confœderatio fuit facta anno centesimo quinquagesimo primo, sicut potest haberi ex superioribus. Nam fuit facta inter missionem Nicanoris a Demetrio, mortuo Nicanore, quod fuit factum anno centesimo quinquagesimo primo, primo scilicet anno Demetrii ; ut patet supra cap. VII, inter missionem Bacchidis scilicet et Alcimi. Quos secundo misit Demetrius mortuo Nicanore, anno centesimo quinquagesimo secundo, et patet supra cap. IX. Hæc vero fuit facta sub Demetrio filio Demetrii anno suo ultimo ante captionem ejus, qui fuit annus centesimus septuagesimus secundus ; et ita fluxerunt viginti anni solum. *Pristinum*, vide supra cap. VIII. *Et dederunt illis epistolas :* sensus est quod Romani dederunt legatis Judæorum epistolas commendatitias ad principes illis subjectos ; ut haberent liberum iter ad Spartiatas, et ad revertendum in Judæam. *Ad omnia*, prædecessorem dicit, non computando Jasonem vel Menelaum vel Alcimum, propter eorum malitiam et usurpationem, *A Dario*, Josephus ponit ab *Ario*, rege Lacedæmonum. *Cum nullo eorum*, id est nullius amicitia indigeamus : quasi diceret : non ex necessitate misimus ad vos, sed ex amore. *Sanctos libros*, qui nobis dant occasionem confidendi de virtute Dei magna. *Sicut fas est*, id est sicut licet nobis. Quod dicit quia aliquando fuerunt impediti ab adversariis : vel hoc dicit, quia non erant penitus et ex toto unius religionis. *Vobis molesti esse*, videlicet petendo auxilium a vobis. *Amachitæ regione*. Amachi locus est. *Non enim dederat eis*. Anticipando scilicet. *Misit speculatores*, id est insidias ad sciendum quomodo facerent adversarii, vel quid facere intenderent. *Arabas qui vocantur Zabadæi*. Aliqui dicunt Nabuchæi, quod non videtur verum, quia isti fuerunt familiares Judæorum, ut patet supra cap. V. Josephus dicit istos fuisse qui occiderunt Joannem fratrem Jonathæ, ut habetur supra cap. IX. *Non cognoverunt*. Ratio fuit, quoniam videntes focos in exercitu illorum, credebant eos ibi esse præsentes. *Trans*-

dibus, id est lapides manifeste ipsius Joppe, ut essent singulariter et distincte. Et sensus est, secundum Josephum, quod ipse volebat facere murum magnum inter arcem et civitatem, ut esset civitas divisa ab arce, ita quod non possent illi de arce habere victum. *Caphetetha*, nomen viri reædificantis, vel loci reædificati. *Adiada*, nomen castri est. *Sephela*, nomen est regionis. *Comprehendere eum*, id est Jonathan. *Et exiit Jonathas.* Scripserat enim Trypho, ut sibi occurreret in Bethsan. *Quia pro anima [illegible] illis*, id est pro vita salvanda.

CAPUT XIII

Et audivit Simon. Hæc est quarta pars totius hujus processus, quæ supra a principio secundi capitis fuit divisa, in qua agitur de ducatu Simonis; qui habuit ducatum sub duobus regibus : scilicet sub Demetrio prædicto, quia Antiochus filius Alexandri decessit, antequam ille plenum regnum haberet; et sub Antiocho filio ejus, vel secundum aliquos, fratre. Et primo ponitur ejus probitas sub Demetrio. Secundo sub ipso jam dicto Antiocho, cap. xv. Circa primum primo sub Simone pax acquiritur. Et secundo fœdus renovatur, cap. sequenti. In prima parte quæ hoc capitulo continetur, primo Simon ad ducatum eligitur, et assumitur. Secundo Trypho repellitur et occiditur, ibi : *Et movit Trypho.* Tertio a Demetrio pax Judæis redditur, ibi : *Et elegit Simon.* Circa primum ponitur primo eligendi causa. Et secundo eligendi forma, ibi : *Et accensus est spiritus.* Tertio electi industria, ibi : *Et congregans.* Circa secundam partem principalem ponitur Tryphonis malitia in populi deceptione et expugnatione. Et secundo ipsius nequitia in Jonathæ occisione, ibi : *Et cum appropinquasset.* Tertio Simonis clementia in sepulturæ ædificatione, ibi : *Et misit Simon.* Circa primum istorum, primo ponit Tryphonem invadentem. Et secundo Simonem defendentem, ibi : *Simon autem applicuit.* Tertio Tryphonem mentientem, ibi : *Et ut cognovit Trypho.* Quarto Simonem percipientem, et tamen metu populi mandato acquiescentem, ibi : *Et cognovit Simon.* Quinto Tryphonem eos qui in arce erant, subvertentem, ibi : *Et post hæc venit Trypho.* Circa tertiam partem corpus Jonathæ sepelitur, et sepulchrum curiosum instruitur, ibi : *Et ædificavit*, et Antiochus adolescens a Tryphone occiditur, ibi : *Trypho autem cum iter.* Circa partem tertiam principalem : *Et elegit Simon viros*, ponitur pacis a rege Demetrio postulatæ adeptio. Et secundo illius adeptæ executio, ibi : *In diebus illis Simon.* Ubi primo ponit fortaliciorum constructionem. Et secundo hostium impugnationem, ibi : *Expugnaverunt qui erant.* Tertio arcis possessionem, et hostium expulsionem, ibi : *Qui erant in arce.* Quarto solemnitatis institutionem, ibi : *Et celebraverunt diem.* Quinto filii sui promotionem, ibi : *Et vidit Simon.* Nunc ergo ad literam. *Pro legibus*, id est legitimis observandis in sua libertate. *Et Sanctis*, id est templo. *Angustias*, scilicet mentis et corporis in fame et siti. *Pro amore*, sensus est pro amore vitæ meæ corporalis : volo enim imitari fratres meos. *Natos*, occisos. *Mulieres*, violatas. *Et accensus est*, id est magno affectu voluntarius factus ad consentiendum. *Judæ et Jonathæ*, fratris sui scilicet, qui erat ejus amicus singularis. *Exercitum novum*, id est alium ab illo, cujus supra cap. xii fuit facta mentio, *posuerat*, timebat enim ne primi, id est existentes traderent civitatem Tryphoni. *In Addus*, nomen est civitatis, quæ secundum Josephum est in monte ædificata, unde possunt campi Judææ videri : et ideo sequitur : *Contra faciem campi*, ubi scilicet erat Trypho. *In ratione regis*, id est secundum computationem regis, pro tributo vectigalium. *Ut non divisus* : contrarie sic, ut dimissus non fugiat a nobis, id est non dissentiens a nobis, movens contra nos arma. *Jussit tamen dari.* Numquid peccavit hic, sibi conscientia dictante, quod iste mentiretur? Respondetur, quod videtur excusabilis : primo quia certus de fraude non erat, et tamen rationabiliter majus malum formidabat, scilicet ne populus ab ipso recederet, et per consequens a lege, et ita tota respublica deperiret. *Periit*, id est perire eum permisit, ut dominaretur. *Ador* civitas est Idumææ. *Quocumque ibant*, scilicet Trypho et sui. *Qui erant in arce.* Contra id dictum est in principio, quod Simon expulerat eos. Respondetur quod vel non loquitur de eadem arce sed de alia; vel illud quod dictum est supra, dicitur per anticipationem, quia hoc fuit factum diu post, ut patet in fine cap. *Ædificium*, id est mausolæum de lapide al-

bo et polito, cujus porticus sustentabatur columnis, et super eas lapidem politum et album elevatum. *Et septem pyramidas* et septem signa ad modum pyramidis ædificata ab Apollonio in acutum tendentia : scilicet duo pro patre et matre; et quatuor pro Juda, Joanne, Eleazaro, et Jonatha, et pro se. *Retro et ante*, in est intus et extra, quia utraque superficies apparebat. *Pyramidas*. Pyramis dicitur a pyr quod est ignis, quia ignis est talis figuræ, a lato in acutum, ut patet de ignis flamma. *Arma*, vel scuta, vel aliquid hujusmodi. *Naves sculptas*, in signum victoriæ habitæ, secundum Josephum. Et tunc Tryphon misit amicos suos ad milites ut eum regnare eligerent, plurima dona promittens eis, et mentiebatur illis Demetrium esse captum a Persis et occisum ; Antiochum vero fratrem Demetrii eis mala facturum, si regnaret. Unde tantum fecit, quod ordinatus fuit, ut regnaret. Qui accipiens regnandi auctoritatem, dimissa simulatione verus Tryphon apparuit, qualis erat antea extraneos diligendo, amicos et propinquos odiendo et negligendo : unde et exercitus ab eo recessit, ut dicetur inferius in loco suo. *Per direptionem*, id est violentiam et injustitiam. *Et bahen quam misistis*, ornamentum est colli, ex annulis aureis contextum. *Regis*, loquitur de se in tertia persona : *Indulsimus*, tempore Jonathæ, supra cap. XI. *Vobis constant*, vel inscriptis, vel in animo nostro, tamquam adimplenda a nobis, *Remittimus quoque vobis ignorantias*, id est peccata quæ ex ignorantia fecistis in nos, faventes Alexandro contra nos, ut patet supra cap. XI. *Et coronam quam debetis*, quia forte quolibet anno debebant sibi mittere coronam auream in recognitionem dominii. *Apti sunt conscribi*, ib est promoveri super negotia regni. *Ablatum est jugum gentium*, magis plenarie quam ante, quia tenuerunt arcem et alia præsidia. *Scribere in tabulis etc.* Sensus est propter prosperitatem illius anni, in conscriptionem negotiorum suorum computabant ab anno primo Simonis Pontificis Judæorum sicut nos ab incarnatione Christi, ut supra, anno tali vel tali, a primo anno Simonis factum est hoc vel illud. *In civitatem*, quæ machinæ erant contra civitatem, *Prohibebantur egredi*, per cutodias, scilicet Simonis et per murum factum inter eos et civitatem, ut supra cap. XII. *Centesimo septuagesimo primo :* hic fuit primus annus Simonis : et ita patet quod Jonathas tenuit principatum viginti annis, aut circiter, ut patet supra cap. IX. Judas enim fuit mortuus anno centesimo quinquagesimo secundo cap. IX et incepit anno centesimo quadragesimo septimo, supra cap. VIII et Jonathas fuit dux populi post Judam usque ad annum centesimum septuagesimum. *Mensis secundi*. Mensis secundus est Maius simpliciter loquendo, quia Aprilis erat primus apud Judæos ; et Martius non dicitur primus apud eos simpliciter, sed ratione lunationis Aprilis, quæ in eo incipit. *Cinnyris*, instrumentum musicum est, a cieo cies, ut dictum est, quod est moveo moves ; quia per motum in aere facit sonum. *Nablis* est aliud instrumentum, et est idem quod psalterium. Differunt tamen, quia psalterium psaltro percutitur, et habet tantum decem chordas ; ut dicit *Glossa*, II Regem cap. XXII. *Inimicus*, id est arx quæ multas molestias eis fecerat usque modo. *Montem templi*, id est montem in quo erat templum, *munivit*, scilicet muros. Josephus tamen dicit quod per tres annos ipsum montem destruxerunt, et terræ coæquarunt, ut eis alias non noceret, et ut templum magnum appareret. *Habitavit*, Joannes scilicet, non Simon. *In Gazaris :* verior litera sic habet : et non Gæraris.

CAPUT XIV.

Anno centesimo septuagesimo secundo congregavit. Hæc est secunda pars, de pacto Simonis. Et primo ponitur a Simone pacis acquisitio. Et secundo promissa fœderis renovatio in isto cap. et describuntur tria per ordinem. Primo sub regimine Simonis ponitur populi sublimatio, in principio. Secundo per Demetrium sacerdotii libera collocatio, ibi : *Ut auditum est Romæ*. Tertio sacerdotii collocati per populum confirmatio, ibi : *Et hoc est exemplum epistolarum*. Circa primum ponitur captivatio Demetrii. Secundo ex hoc, sub Simone sede vacante populi sublimatio, ibi : *Et siluit terra*. Circa primum istorum, ponitur ejus invasio, ligatio et captivatio. Circa secundum ostenditur Simonem primo habuisse ad subditos æquitatem. Secundo ad patriam fortificandam studiosam sedulitatem. Tertio ab hostibus pro se et

populi securitatem. Quarto ad cultum divinum pietatem. Circa secundam partem principalem. *Et audierunt etc.*, continuaverunt Spartiatæ cum Simone renovationem amicitiæ. Secundo miserunt de hoc litteras in tabulis æreis, applaudentes suæ prosperitati et gloriæ. Circa primam partem. *Post hæc autem*, ponitur primo Romanorum felicitatio. Et secundo epistolarum destinatio, ibi : *Et statuerunt etc.* Et in epistolis missis ad Judæos recoluerunt Judæorum, specialiter Machabæorum, probitatem ; et populo acquisitam prosperitatem, deinde obtentam a Simone auctoritatem, et populi sub ipso libertatem, ut patet ; et totum non est nisi recapitulatio præcedentium. Dicitur ergo : *Anno centesimo etc.* Incepit ille regnare anno centesimo sexagesimo quinto, ut supra cap. x. habetur. Ac per hoc regnavit septem aut octo annis ad plus, computando annum sexagesimum quintum et septuagesimum secundum. Quod verum est de regno ejus prima vice, quia bis regnavit. Nam frater ejus vel filius Antiochus invasit semper eos qui eum detinebant, et liberavit eum et regnavit post ipsum Tryphonem pluribus annis. Josephus tamen dicit, quod istud quod hic legitur, fuit factum antequam Tryphon occideret Antiochum de quo supra cap. xi et xiii. *Cum omni gloria*, id est cum tota sua potentia, vel cum omnibus aliis factis suis gloriosis. Et designatur securitas in eo quod dicitur : *Colebant* ; facilitas vero in eo quod dicitur : *Dabat fructus*. Longævitas autem in eo quod dicitur : *Seniores*. *Et stolas belli*, id est loricas ; non ad bellandum contra hostes, sed ad exercitium et ludum, sicut faciunt qui vacant otio. *Vasa munitio*, id est instrumenti defendendi se. *Quoadusque*, id est in tantum quod etc. *Lætitia magna*, ista est prosperitas de qua exponunt Judæi plures, et fere omnes passus qui sunt in Isaia, de quibus credimus prophetare nobis de prosperitate spirituali christianorum vel beatorum, ut illud, conflabunt gladios suos in vomeres, et alia hujusmodi. *Cum Juda et Jonatha*, vide supra cap. viii et xii. *Quæ missa sunt*, scilicet supra a Juda et Jonatha, vel melius modo a Simone. *[illegible]*, id est securius et magis sollicite custodiflis. *Numenium*, vel Neumenium. *Habentem clypeum*, non quo utebatur, sed quem portabat Romanis pro exennio. *Pondo*, est vox indeclinabilis et neutri generis, et dicitur a pendeo, pendes, et accipitur pro pondere, quod est qualibet onus ; tamen abusive accipitur specialiter pro libra ; unde dipondium dicitur duæ libræ. *Mina*, est pondus habens sexaginta siclos, facientes obolos mille ducentos ; ac per hoc istud scutum habebat sexaginta mille siclos, et obolorum ducenta millia. *Quam gratiarum actionem*, non solum pro xenio, sed pro eo quod exaltavit fratres suos amicos Romanorum sibi confœderatos. *Statuent*, id est confirmant ; prius enim statutum illud scripsere Romani, scilicet illam confœderationem. *Et posuerunt* : Judæi scilicet. *Elul*. Ait *Glossa*, id est Septembris. *Anno centesimo septuagesimo secundo*, regni Græcorum. *Sub Simone*, id est sub ducatu Simonis ; et ita patet quod negotia sua subscribebant ab annis Simonis in honorem sui ducatus, sicuti supra ab annis Jonathæ. *Inferebant plagam magnam castitati*, id est cultui divino, quo reducitur homo ab idololatria. *Demetrius*, supra cap. xiii. *Summum sacerdotem in æternum*, id est pro posteritate sua, *donec surgat propheta fidelis*, idest donec habeant revelationem certam de aliquo alio promovendo ; vel *propheta* idest Messias. *Scribantur in nomine*, id est secundum annos suos, dicendo, Anno tali a ducatu Simonis factum est hoc vel hoc. ***Dux***, scilicet in bellis. ***Princeps***, in officio sacerdotali. *Peribolo*, id est in armario quod erat in muro templi ; peribolus enim est circuitus muri.

CAPUT XV.

Et misit Antiochus filius Demetrii etc. Hæc est secunda pars illius. Et audivit Simon ; ubi postquam egit de facto Simonis sub Demetrio, hic agitur de factis ejus sub Antiocho fratre prædicti Demetrii, secundum aliquos, et secundum alios, filio. Ubi ponitur primo ejus cum Simone confœderatio. Secundo ipsius regis alienatio post calumniam, ibi : *Antiochus autem.* Tertio ipsius expugnatio, ibi : *Et venit Athenobius amicus.* Circa primum ponitur primo Antiochi intentio. Et secundo Simonis salutatio, et post illa concessorum confirmatio, ibi : *Nunc ergo statuo.* Et tertio ipsius Antiochi in regem susceptio, et Tryphonis persecutio, ibi : *Anno centesimo etc.* Quarto ipsius Antiochi a Romanis pro Judæis

honorandis informatio. *Antiochus autem*. Hæc est secunda pars principalis, in qua ponitur primo Tryphonis ab Antiocho expugnatio. Et secundo ipsius Simonis curialis visitatio, ibi : *Et misit ei Simon*. Tertio ipsius Antiochi denegatio, ibi : *Et noluit*. Quarto ipsius a Simone injuriosa petitio, ibi : *Et misit ad eum Athenobium. Et venit Athenobius*. Hæc est tertia pars in qua ponitur oppugnatio Simonis. Et primo sub Antiocho II a Ptolomæo quodam principe, ibi : *Et Ptolomæus filius Abobi*. Circa primum ponitur Simonis ad interrogata responsio. Et secundo responsionis ejus ad regem Antiochum reportatio, ibi, *Reversus est autem cum ira*. Tertio exercitus congregatio, ibi : *Et constituit rex Cendebæum*. Sed jam ad litteram. *Antiochus filius Demetrii*. Secundum Josephum, iste fuit frater Demetrii junioris, qui captus fuit a Persis in custodia positus, ut habetur supra cap. XIV : et ideo voluit iste loco ejus regnare : et secundum *Glossam*, hic accepit Cleopatram uxorem fratris sui Demetrii, quæ etiam fuerat uxor Alexandri, filiam Ptolomæi regis Ægypti, supra X ; et iterum fuit sublimatus, eo quod plures civitates se ei reddiderunt ; et tantas opes habuit, quod etiam castra domus suæ, etiam vasa coquinæ de argento erant. Postquam vero Babyloniam cepit, exercitum contra Spartiatas movit qui fratrem suum detinebant, et necessitate compulsi Spartiatæ Demetrium reddiderunt : tamen postea, eo quod exercitum suum dimiserat, occiderunt. Iste vero quatuordecim annis regnavit, post quem frater ejus iterum Demetrius, supra. IV. *Facere percussuram proprii numismatis*. Numisma proprie dicitur imago. *Numismatis*, idest auctoritatem faciendi novum modum nummi. *Venit autem*, recapitulatio est ejus quod dictum fuit supra cap. XIV, excepto quod additur hic de litteris, quas attulit Numenius ad reges et regiones. *Regi Demetrio*. Argumentum est, quod quando hæc scripserunt Romani, non erat captus Demetrius, vel *Hæc scripserant prius* Demetrio, quando regnabat *Antiochus*. Revertitur ad historiam de Antiocho. Ex quo patet quod ab illa parte, *Venit autem Numenius*, totum est incidens et recapitulatio, sicut dictum est. Vel forte in tempore fuit factum, quoad istos qui hic nominantur, quod prius factum fuerat cum diminutione. *Secundo*, id est secundum insultum, quia forte iterum ab obsidione recesserat. *Et semper manus*, id est manualem impugnationem. *Vos tenetis Joppe et Gazaram*. Has nominat tanquam fortiores. *Fines*, quia ad illam terram erant superadditæ. *Date talenta argenti et exterminii*, id est date pecuniam ratione damni quod intulistis. *Cedronem*, id est castrum quod situm est in torrente Cedron, qui est juxta Jerusalem ad impediendum viam in Jerusalem. Et torrens Cedron intermedium inter ipsos et hostes.

CAPUT XVI.

Et ascendit Joannes de Gazaris. Hæc est secunda pars illius, *Antiochus autem*, ubi postquam ponitur, quod Antiochus noluit acceptare arma et argentum, quæ illi Simon miserat ad expugnandum Doram ubi erat Tryphon, rex ipse misit exercitum contra Judæos, ibi : *Et constituit rex Cendebæum*. Hic vero ponitur primo Simonis exhortatio, ibi : *Et vocavit Simon duos filios suos* : secundo ponitur filii Simonis, qui Joannes dicebatur, substitutio, ibi : *Et ascendit Joannes*. Et circa hoc primo ponitur quomodo exercitum animavit et informavit. Secundo quomodo exercitum ordinavit, ibi. *Et admovit castra*. Tertio quomodo exercitus adversarium debellavit, ibi : *Et exclamaverunt, et Ptolomæus*. Hic primo ponitur, quomodo Ptolomæus contra Simonem conspiravit. Secundo quomodo quidem deceptorie Simonem et filios hospitavit, ibi : *Et suscepit eos filius Abobi* ; tertio quomodo ibidem Ptolomæus eos proditorie trucidavit, ibi, *Et cum inebriatus esset*. Quarto quomodo super hoc regem contra Judæos informavit, ibi : *Et misit aliquos*. Quinto quomodo Joannes filius Simonis evasit, ibi : *Ut autem audivit*. *Amovit castra contra faciem eorum*, scilicet Cendebæus, vel melius Joannes filius Simonis. *Primus*. Joannes scilicet in medio. Itaque pedites erant ante et retro, et equites in medio. *Sacris*, quia usus eorum statutus erat a lege. *Nubis*, secundum præceptum legis Numer. cap. X. *Munitionem fugerunt*, id est, in Cedronem. *Ædificavit*, scilicet Cendebæus constitutus a Simone *Sacerdotis*, scilicet ipsius Simonis cujus habebat filiam. *Exaltatum est cor ejus*, præsumptione et ambitione dominandi. *Mense Sabbat*, id est

Palæstinus apud nos. *Duos filios*, scilicet Judam et Mathathiam, et remansit Joannes. *Et quemdam parvum*, scilicet suum. Josephus dicit quod uxorem Simonis matremque uxoris suæ vinculavit cum duobus filiis forte parvulis, quos occidere noluit. *In libro dierum*, quem non habemus.

Notandum tamen est, quod iste fuit Joannes Hircanus cujus facta continuat Magister in *Historiis* usque ad decimum cap., et dicitur Hircanus propter bellum contra Hircanos. De factis vero istius et probitatibus, multa possunt videri in *Glossa* super locum et in *Historiis*.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Fratribus qui sunt in Ægypto. Hic incipit secundus liber, qui non est ejusdem historiæ prosecutio, sed ejusdem replicatio, ad supplementum aliquorum, quæ fuerunt prius dimissa; et fuit quasi quædam epistola missa ab illis qui erant in Judæa, Judæis dispersis in diversa loca; et maxime illis, qui erant in Ægypto; et hoc ad eorum consolationem, et spei de sua reversione erectionem; similiter et ad eorum informationem super receptione et solemnisatione aliquorum festorum, quæ fuerunt ab ipsis instituta, de quibus visum est supra, et de illis infra dicetur. Et primo ponitur quasi prælibata præfatio, secundo tribulationum recapitulatio; tertio tribulatorum liberatio. Circa primum notificat fratribus suis suam intentionem; et secundo explicat suæ intentionis causam et rationem, et hoc in secundo cap. In hoc cap. præmittit salutationem, ibi : *Fratribus qui sunt*. Secundo epilogat tribulationes, ibi, *Anno centesimo et octogesimo*. Tertio inducit ad purificationis templi celebrationem, ibi : *factum*. Quarto autem celebrandi illam suasionem ibi : *Nam cum in Perside*. Circa salutationem allegant familiaritatem, optant prosperitatem, ibi, *benefaciat*, et promittunt fidelitatem ibi, *Et nunc hic sumus*. Circa secundam primo iterum replicant salutationem, ibi : *Anno centesimo octogesimo*. Secundo ponit suam liberationem a magnis periculis factam a Domino. Tertio tractat magnam fuisse tribulationem ibi : *Ipse enim ebullire*. Quarto tangit multitudinem hostis invasorum, ibi : *Etenim eos ex habitatione*. Quinto ipsius expulsionem, et occisionem, ibi : *Cumque proposuissent*. Tertia pars patet. Circa quartam partem repetit historiam sacrificii Nehemiæ, quando ab ipso reparatum fuit altare, et quo mirabili modo ignem habuerunt. Et primo ostendit a Nehemia ipsius ignis cautam absconsionem. Et secundo mirabilem ejus inventionem, ibi : *Cum percussisset autem*. Tertio mirabilem ejus operationem, ibi : *Et jussit eos haurire*. Quarto ipsius Nehemiæ et sacerdotum orationem, ibi : *Orationem autem*. Quinto Nehemiæ ordinationem, ibi : *Cum autem consumptum*. Sexto facti apud regem divulgationem, ibi : *Ut vero manifestata*. Septimo examinationem regis et approbationem, ibi : *Considerans autem*. Sed jam ad litteram. *Salutem dicunt*, id est optant. *Judæa*, id est Judæi. *Testamenti*, id est promissionis factæ ad Abraham cap. XII, XIII et XV. Genes. *meminerunt*, ut impleat in nobis *cor*, id est animum, vel *cor*, id est sapientiam ad colendum eum. *Corde magno*, id est comitatu magno, tam ex parte intellectus, quam voluntatis. *Tempore malo*, id est adversitatis. *Regnante Demetrio*, scilicet filio Seleuci, et nepote Antiochi Magni, quia Antiochus Nobilis et Seleucus fuerunt fratres, filii Antiochi Magni, ut dictum est cap. I, lib. I. Iste Demetrius expulit filium patrui sui Antiochi de regno, supra lib. I, cap. VII : et ita vult *Glossa*. Sed tunc repugnat numerus annorum; quia hoc dicitur factum esse anno centesimo sexagesimo nono, et iste Demetrius mortuus fuit anno centesimo sexagesimo tertio. Ad hoc respondet Rabanus, quod septem anni de annis Alexandri, cujus super mentio facta fuit, quoniam esset filius Antiochi Epiphanis, propter ejus fœdam originem

et vitam, non ponuntur : et secundum Trogum Pompeium, traduntur isti Demetrio : in fine enim istius Demetrii recesserant Judæi ab ipso, ipso tamen invito, et conjunxerunt se Alexandro, qui istum Demetrium occidit ; et ideo ob hanc victoriam forte fecerunt istam epistolam fratribus suis. Et de istis videatur supra lib. I, cap. x. Aliqui tamen dicunt, quod loquitur hic de Demetrio filio Demetrii, quem constat illo tempore regnasse, et ad quem Simon misit, supra cap. xiii, et sub quo ablatum est omnino jugum gentium a Judæis, et habuerunt illam prosperitatem de qua supra cap. xiv, et sub quo institutum fuit festum purificationis altaris, de quo agitur hic, ut patet supra cap. xiii. Et quidem omnia magis concordant de isto. *Scripsimus :* prius scripserunt tribulationem, postea sicut nunc liberationem. *Jason*, de hoc habetur infra, et etiam dictum fuit supra cap. primo. Et hic fuit frater Oniæ et Menelai, *qui*, scilicet Jason et Menelaus, sic nominati fuerunt, postquam ad gentes se transtulerunt, propter ambitionem summi sacerdotii, relinquentes ritum et nomen Judæorum ; et fuerunt filii iniqui, qui exierunt ex Israel, de quibus supra capite i, et totum Israel turbaverunt. *Portas templi*, plurale forsan pro singulari ponitur, id est portam urbis, *succenderunt Antiochus et sui. Obtulimus*, supra cap. iv, postquam tribus annis ad punctum duravit contaminatio, ut ibidem dicitur. *Similaginem*, id est sacrificia, quæ debebant fieri de simila secundum ritum legis. *Casleu*, id est Decembris. Sed contra ; festum scenopegiæ, id est tabernaculorum, fiebat decimoquinto die Septembris, non Decembris ; respondetur quod non loquitur hic de Scenopegia proprie, sed similitudinarie, quia in purificatione templi usi fuerunt tabernaculis ; ideo vocant ipsam scenopegiam. Unde supra decimo dicitur, quod in modum tabernaculorum diebus octo fecerunt istud festum. Unde apparet satis, quod loquitur de scenopegia hic, non ad litteram de festo legali, sed similitudinarie loquitur ; et ideo illud fecisse dicuntur in Decembri. *Anno centesimo octogesimo octavo*. Hæc est alia epistola a prima : et est de morte Antiochi, de qua magis dicetur infra. *Et Judas*. Contra : Judas mortuus fuit anno centesimo quinquagesimo secundo. Ergo non potuit scribere anno centesimo octogesimo octavo. Respondet Rabanus quod non est vis facienda in hujusmodi computationibus ; quia cum diversi sint, et ignari fuerint scriptores, probabile est quod a diversis temporibus inceperint suas computationes. Vel dicitur quod forte Judas, antequam moreretur, ordinaverat istam epistolam mitti : vel etiam quod hic loquitur de Juda filio Simonis, de quo supra cap. ultimo. Sed licet tempus in ipsum consentiat, non tamen factum, quia ducatum non tenuit. *Aristobulo*, hic genere fuerat Judæus de sacerdotibus, et fuit Philosophus Peripateticus, qui Ptolomæo scripserat commentariolos in libros Moysis, et cum rege erat tanquam Magister illius. *Christorum*, id est unctorum. *Salutem*, scilicet animæ, et sanitatem corporis. *Talem regem*. Antiochum Nobilem, ut dicit *Glossa*, et Rabanus. Sed dicunt aliqui quod minus bene : quia iste non fuit occisus in templo, ut patet supra cap. vi, imo mortuus fuit in lecto suo : et ideo volunt quod intelligatur de Antiocho Magno, patre scilicet Antiochi Nobilis, qui fuit occisus, ut auctor est Magister in *Historiis*, et membratim divisus in templo Naneæ. Et sic iste auctor tribulationes Judæorum altius incipit computare, quam in primo libro. *Ipse enim fecit*, scilicet Antiochus, vel ipse Deus de quo statim supra dicitur, a Deo liberati, *ebullire*, id est cum impetu et copia venire. *Naneæ*, id est Dianæ, secundum Josephum. De isto templo dicitur supra lib. I, cap. iii et vi, quod Antiochus Nobilis voluit illud spoliare, et non potuit : unde indignatus occasionem mortis contraxit : in illo etiam tempore fuit Antiochus Magnus interfectus, et occasione illius fuit Antiochus filius ejus infirmus. Et in hac dictione, *Nanea*, debet media produci, et ultima syllaba deprimi. *Consilio*, promiserant enim illi dolose sacerdotes Dianæ, quod intraret templum, et omnia illi darent. *Dotis nomine*, id est titulo donationis : vel pecunia erat qua templum dotatum erat, ideo dotis nomine significatur. *Percusserunt ducem*, Antiochum Magnum scilicet. Sed secundum illos qui dicunt, quod hic loquitur de Antiocho Epiphane, dicendum est, non ipsum Antiochum esse mortuum sed ipsius ducem, et ipsum exiisse et fugisse, et postmodum ex indignatione infirmitatem incurisse ; quod videtur magis rationabile et ad sensum historiæ. *Scenopegiæ*. Ergo hanc vocabulum accipiendo, non proprie, ut expositum est

ante; quasi diceret: Significamus vobis, ut vos similiter nobiscum faciatis, et simus conformes. Quod si scripitur proprie, tunc est sensus, quod nos non solum scenopegiæ festum interruptum propter captivitatem resumimus; sed cum hoc facimus purificationem altaris; et ideo ad istius resumptio festum scenopegiæ, ob captivitatem dimissum. Quod enim fecerunt scenopegiam, patet supra cap. x, quod Jonathas induit se stolam sanctam in die solemni scenopegiæ. *Et diem agant*, id est solemnitatem pro igne invento. Nihil legitur de isto festo in Nehemia, nisi forsan hæc habeantur hic ex traditione aliquorum antiquorum. *In Persidem*, id est in Babyloniam. *Patres nostri sacerdotes* etc.: hoc dicitur fecisse Jeremias. *Cum autem præterissent anni multi*, id est septuaginta; quia hoc fuit factum a Jeremia quando transmigrare debuerunt, et inventum tempore Nehemiæ, semper octavi. *Solus præstans*, id est prævalens. *Custodi partem tuam*, Deuteron. cap. xxxii: *Pars autem Domini populus ejus*. *Confringe*, id est confringas. *In loco sancto tuo*, scilicet Judam et Jerusalem. *Quod refutat ab altari*, id est a sacrificio lignorum et animalium. *Purificaverunt sacrificia*, id est asperserunt. *Fecit et templum*, id est ad voluntatem ejus; *fecit*, id est fieri permisit templum, et ipsum etiam honoravit. *Ut probaret*, id est ad ipsius mirabilem approbationem; et ex isto scito miraculo, fuit favorabilis negotio. Et notandum, quod totam illam clausulam *Ut probaret etc.*, non habent libri antiqui; sed sic habent: *Post illud fecit templum, et quibus prius dominatus fuerat, multa dona accipiebat*, ex hoc tempore, quod tribuebat; quasi diceret: quibus prius dominabatur, modo dabat. *Nephi*, idem est quod penitus.

CAPUT II

Invenitur autem in descriptionibus. In primo capite aperuerunt Judæis dispersis suam intentionem; in isto secundo ostendunt suæ intentionis occasionem. Intentio eorum erat, ut Judæi dispersi illos dies purificationis, scilicet templi, *factæ a Juda* supra cap. iv, et festum scenopegiæ interruptum celebrarent. Rationem autem ejus assignat, quia Jeremias similiter monuit populo, cum dispergeretur per captivitatem, ut tenerent se in ritu et cultu Dei etiam in captivitate existentes, neque ad idololatriam defluerent: et ita volebant isti Judæi existentes in Jerusalem hortatrices scilicet Judæos dispersos in Ægypto, ne cultum Dei dimitterent. Ut eos ad majorem excitarent devotionem, nova festa celebranda eis indicebant, et facta per ipsos illis intimabant. Occasione autem hujus similitudinis reducit ad memoriam factum ipsius Jeremiæ, quomodo se habuit erga Judæos, quando venerunt in captivitatem. Unde cum ista dicuntur de tempore captivitatis Babylonicæ quæ fuit tempore Jeremiæ; notandum est, quod non dubitatur hic de his, quæ sub Machabæis contigerunt; sed similitudine quadam commemorantur, ut intelligatur, quod sicut Jeremias tunc fecit illos hortando; ita et nos vos incitando. Hoc ergo capitulum dividitur in duas partes. Et in prima ponitur pro ratione monitionis factum ipsius Jeremiæ. In secunda ponitur pro prælibatione sequentium præfatio sequentis historiæ in medio cap., ibi: *De Juda vero Machabæo*. Circa primum ponitur Jeremiæ mirabile factum. Secundo concluditur principale propositum, ibi: *Acturi igitur purificationem*. Circa primum ponitur primo Jeremiæ devotio in ignis absconsione, et populi instructio, et tabernaculi, et arcæ, et altaris incensi occulta repositio. Secundo ponit aliquorum curiosorum interpretationem pro loci investigatione, ibi: *Et accesserunt*. Tertio absconsionis prohibitam rationem cum futuræ prosperitatis promissione, ibi: *Ut autem cognovit etc.* In ipsa autem præfatione et intentio exprimitur, et modus procedendi prædicitur. Nunc vero jam ad litteram. *Signatum est*, scilicet supra capite primo. *Legem*, id est munitionem, sicut lex dictabat: de hoc in epistola quam mandavit transmigratis, Baruch. cap. vi. *Mandavit*, ut scilicet de illo igne memoriam haberent. *Erat autem*, istud non legitur alibi in Scriptura sacra, quam hic; de hoc tamen dicit Epiphanius: « hic est Jeremias qui templum subvertendum præcognoscens, arcam testamenti cum his, quæ in eadem erant, tulit; et precibus absorberi fecit in petram: petram vero digito designans, nomen Dei impressit, et factum est sigillum in similitudine scripturæ, quod ferro cavatur, et ipsum nomini nomen nubis operimento ita celatum est, ut ex tunc nec locum quis

cognoscere queat, nec nomen legere usque in hunc diem et usque in finem : et pristinæ figuræ instar ignis et nubes sæpe illic fit nocturno tempore, eo quod gloria Domini ab ejus lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra, inter duos montes, inter quos jacent sepulti Moyses et Aaron. Dixitque Jeremias præsentibus : Dominus de Sion ascendit ad cælos, inde cum virtute reversurus ; et erit signum præsentiæ ejus, quando omnes gentes adoraverint lignum : dixitque quod arcam hanc nemo poterit producere præter Moysem electum Dei Prophetam. Et tabulas quæ in ea sunt nullus aperiet sacerdotum, nullusque prophetarum, nisi electus Dei Aaron. Et in prima resurrectione resurget hæc arca, et exibit de petra, et ponetur in monte Sina, et omnes sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini expectantes, et ut vitent adversarium qui eos fugientes est quæsiturus interimere. » Hæc ille. *Montem*, Abarim scilicet, Numer. XXVII, et Deut. XXXIV. *Donec congreget Deus*, scilicet perfecta congregatione, quæ erit post Antichristum. Illam enim quando reversi sunt de Babylonia, non habuerunt perfectam. *Sicut et Moysi manifestabatur*, Exod. XIX, in datione legis. *Ut locus sanctificaretur*, id est templum et atrium. Et sicut tunc manifestavit gloriam suam per nubem et fumum ; ita faciet in fine, quando Judæi convertentur, et ostendet eis arcam. Quod hic vel intelligendum est ad litteram, vel mystice, id est humanitatem suam ostendet. *Obtulit sacrificium dedicationis templi*. Salomon scilicet ; et hoc fumo cessante, secundum quod debebat, vel dicebat sacrificium obtulit. *Sicut et Moyses*, Levitici IX, apparuit gloria Domini, etc. et est alia apparitio ab illa quæ facta fuit Exod. XIX. *Sicut et Salomon*. Ista clausula non habetur in antiquis libris, et sine ea planus est textus; licet ita accideret, ut hic dicitur, et habetur secundo Paral. VII. *Et dixit Moyses eo*, id est ideo, *Quod non sit mundum*, id est munde oblatum, incensum scilicet. *Quod erat pro peccato*, scilicet offerendum, et eo quod non sit munde *consummatum*, scilicet non igne divino, sed alieno, *est*, id est accidit hæc vindicta ; ac si dicat : quia non munde et rite obtulerunt incensum, ideo puniti sunt, scilicet Nadab et Abiud filii Aaron, qui accepto igne alieno voluerunt offerre incensum in thuribulo, ut habetur Levit. VII, et cap. X. Vel potest intelligi de hirco, cujus portionem in loco sancto comedere debuerunt, residuo pro peccato cremato, et ipsi totum combusserunt. Unde Levit. X, dicitur : Inter hæc hircum qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, combustum reperit ; iratusque contra Eleazar et Ithamar filios Aaron qui remanserat, ait. Cur non comedisti hostiam propter peccato, in loco sancto, quæ sancta sanctorum est ? Et tunc legatur sic, *Eo quod non sit mundum*, id est munde comestum, et non a mundis et in loco sancto. *Quod erat pro peccato oblatum*, id est hircus. *Et consumptum*, id est exustum, *est*, id est accidit hoc, vel eo quod exustum est, supple, increpo vos. *Manducant*, aliqui libri habent, mandant ; et tunc legendum est per syncopam, id est manducant. *Similiter et Salomon*, id est, sicut octo diebus fecit Moyses observari consecrationem Aaron ; similiter et Salomon octo diebus fecit solemnitatem dedicationis templi ; sic etiam modo etc. Sed contra, tertio Regum VIII dicitur, quod tantum septem diebus. Respondetur, quod octava dies observabatur aliqua alia ratione, sicut octava die scenopegiæ fiebat collecta. *Inferebantur autem*, id est continebantur. *In descriptionibus*, quas non habemus. *Hæc eadem*, scilicet de igne et de arca. *Construens*, id est, reparans auxilio Esdræ, qui Bibliam combustam a Chaldæis reparavit, ut primo Esdræ cap. VII, habetur in *Glossa* quadam. *Vel Bibliothecam*, id est locum ad reponendum plures libros, quos de diversis partibus collegit ; et de Donariis supra cap. I. De omnibus his habebatur in illis descriptionibus. Et ita bene concludit intentum : quasi diceret : Ex eo quod tempore Moysis et Salomonis : imo et Eliæ Judicum XIII Dominus ostendit Judæis gloriam suam per ignem, et nos iterum speramus adhuc juxta Jeremiæ dictum quod Dominus ostendet, ut dictum est. *Bene ergo facietis, si et si egeritis hos dies*, scilicet ignis et purificationis templi a nobis factæ, supra lib. I, cap. IV, observare : et tunc ostendet nobis arcam absconditam, ut dictum est. *A Jasone*, Cyrenæo historiographo. Non fuit Jason frater Menelai. *Tentavimus*, huc usque suspensiva est locutio. *Oblectatio*, fastidiosis scilicet. *Datam formam*, id est sicut decet abbreviatorem. *Breviationis*, id est historiæ vel dictorum. *De præfatione*, in qua ostenditur quod liber est re-

expeditur ratione humilitatis, facultatis et utilitatis.

CAPUT III

Igitur cum sancta civitas. Ista secunda pars divisa est contra primam. In qua primo præmissa fuit præfatio; secundo, ut hic promittebatur, recitanda eorum tribulatio. Et primo tribulatio, ut incepta sub Seleuco Eupatore; secundo ut perfecta sub Antiocho Epiphane scilicet, qui fuit frater Seleuci Philopatoris. Unde historia in hoc libro aliquantulum citius incipit, quam in primo; quia in primo nihil tangitur ipsius Seleuci, qui præcessit Antiochum, sed supponitur, et incipitur ab Antiocho. Secunda pars incipit cap. iv. Circa primum, ponitur persequendi motivum, et secundo persequendi modus, ibi: *Statimque Heliodorum*; tertio persequentis conflictus, ibi: *Sed spiritus optimus Dei.* Circa primam partem primo ponit sub Seleuco pacis tranquillitatem; secundo Simonis cujusdam iniquitatem, ibi: *Simon autem*; tertio Oniæ pontificis bonitatem, ibi: *Sed cum vincere*; quarto provocavit Simon regem ad cupiditatem, ibi: *Cumque venisset ad regem. Statimque Heliodorum.* Hæc est secunda pars principalis; ubi describit modum procedendi: et primo ponit Heliodori destinationem, ibi: *Statimque*; et secundo ipsius negotii investigationem, ibi: *Sed cum venisset*; tertio summi sacerdotis liberam responsionem, ibi: *Tunc summus sacerdos*; quarto Heliodori obstinationem, ibi: *At ille pro his*; quinto sacerdotis et populi afflictionem, ibi: *Non modica autem. Sed Spiritus omnipotens Dei.* Hæc est tertia pars principalis, in qua ponitur persequentis conflictus: et in hac tria sunt: primo ponitur Heliodori afflictio, ibi: *Sed Spiritus*; secundo ejus per sacerdotem liberatio, ibi: *Tunc vero*; tertio ipsius recognitio, ibi, *Heliodorus autem.* Notandum est autem quod totum quod hic dicitur usque ad cap. iv, ubi dicitur: *Sed post Seleuci vitæ excessum, etc.*, ubi revertitur ad Antiochum Nobilem, totum dimissum fuit in primo libro. Et videtur hic tangi satis, vel occasio, quare Jason et Menelaus, qui supra lib. I, cap. i, dicuntur fuisse filii iniqui, persequuti fuerunt Oniam fratrem suum, quia jam videbant ei infensos fuisse regales, propter illa quæ dicuntur hic. Unde tota historia hujus cap. supponitur a libro primo. *Igitur.* Hoc infert ex veritate præfationis dictæ in alio cap. *Civitas.* Jerusalem. *Propter Oniæ pontificis dispositionem.* Occasione hujus oportet scire secundum *Glossam* ordinem pontificum qui fuerunt ab institutione templi sub Salomone. Primus fuit Sadoc, 2. Achimas, 3. Jotam, 4. Axamus, 5. Judas, 6. Nidoas, 7. Hilus, 8. Ioatham, 9. Urias, 10. Verias, 11. Odeas, 12. Sellum, 13. Helcias, 14. Azara, 15. Josedec, 16. Jesus qui templum ædificavit, 17. Joachim, 18. Joannes, 19. Jaddus, 20. Onias, 21. Simon, 22. Eleazarus frater ejus qui septuaginta interpretes misit Ptolomæo regi Ægypti, 23. Manasses avunculus ejus, Simonis Justi filius, 25. Simon, sub quo Simon Sirac fecit librum Ecclesiasticum, 26. Onias filius ejus de quo hic legitur. *Locum*, id est templum. *Seleucus* filius Antiochi Magni, et frater Antiochi Nobilis, vel Epiphanis. *Simon autem de tribu Benjamin.* Ex hoc patet, quod neque sacerdos erat, neque esse poterat, cum non esset de tribu Levi; sed præerat custodiæ rerum templi ipsius. *obsistente*, id est resistente *Apollonio*, duce illo qui fuit interfectus postea a Juda, ut habetur supra lib. i, cap. iii. *Cæle Syriæ*, duæ sunt dictiones; et *Cæle*, est proprium nomen unius partis Syriæ, et ibi erat dux ille. *Et innumeras copias*, id est communiter, ibi reposita pecunia in magna copia. *Ad rationem sacrificii*; hoc dicebat, ut audacius aggrederetur locum, quia illa pecunia ad cultum Dei non pertinebat. *Regis*, scilicet Seleuci cui ille Apollonius suberat. *Delatæ*, id est a Simone falso accusatæ. *Ascitum*, id est monitum et invitatum vel vocatum. *specie*, id est simulatoria ostensione. *De dato*, scilicet a Simone sibi, *indicio*, id est informatione. *Hircani Tobiæ.* Sed contra hoc videtur, quod Onias in hoc peccarit, quia Nehemiæ xiii, reprehenditur summus sacerdos quia thesaurum cujusdam Tobiæ posuerat in templo. Unde et Nehemias ipsum ejecit. Respondetur, quod ut ibi patet, ille posuerat eum in loco sancto et prohibito; hic autem non sic, sed in loco debito et ad hoc ordinato, tantum propter securitatem, non propter curiositatem. *Omni genere*, omnibus modis. *De depositis*, id est occasione debitorum. *Legem ponunt.* Exod. xxii: *Si quis commodaverit proximo asinum.* Ex hoc patet, quod non tantum propter illa bona, nec propter cor-

poralia dolebant, quantum propter libertatem loci, quam illi infringebant. *Conclusa erant*, alias scilicet quia tunc virgines arctius custodiebantur. *satellitibus*. Satellites dicuntur quasi satis lædentes, servi scilicet parati ad exequenda præcepta quævis magnatum. *Spiritus*, id est fortitudo et virtus. *Equus*, virtute angelica formatus. *Terribilem habens ascensorem*, ipsius scilicet Heliodori judicio. *Adornatus*. Litera correcta habet, *Adornatum*. *Priores calces elisit*. Calx est prima pars plantæ, unde dicitur calcitrare : unde sensus est, quod vel equus elisit et immisit calces suos Heliodoro, id est in illa parte pedum suorum ipsum percussit : vel equus quidem ita percussit Heliodorum, quod partes illas in ejus pedibus læsit. *Hi autem Dominum benedicebant*, id est Judæi constantes, vel illi juvenes, id est Angeli in corpore humano assumpto. *magnificabat locum suum et templum*, id est homines, qui timebant pro templo. *Ut vitam donaret ei*, id est Deus merito orationis Oniæ, *Qui in supremo spiritu erat constitutus*, id est ultimo.

CAPUT IV.

Simon autem. Hæc est secunda pars hujus partis : in qua postquam descripta est tribulatio ut inchoata sub Seleuco Eupatore, hic describitur ut perfecta sub Antiocho Epiphane. Et primo ponitur regis interna seditio. Et secundo regis externa oppressio, ut in cap. v. Et tertio gentilis introductio, ut cap. vi. Quarto legalium persequutio, ut cap. vii. Circa primam partem notandum, quod fuit quadruplex tribulatio, secundum quadruplicem usurpationem sacerdotii. Prima fuit sub Simone, de qua dictum est. Secunda sub Jasone, ibi, *Sed post Seleuci vitæ excessum*. Tertia sub Menelao, ibi : *Et post triennii tempus misit Jason*. Quarta sub Lysimacho, ibi : *Multis autem sacrilegiis*. Circa primam partem ponit tantum Simonis protervium. Secundo Oniæ Pontificis prudentiam, ibi : *Sed cum amicitiæ*. *Sed post Seleuci*. Ista est pars principalis hujus capitis, in qua ponitur persecutio sub Jasone, et agitur de mali propositi executione, ibi : *Quod cum annuisset*, et de populi propter hoc afflictione, ibi : *Erat autem hoc*, et de legalis ritus abolitione, ibi : *Sacerdotes non jam*, et demum sexto de regis honorabili receptione, ibi : *Cum autem qui etc. Et post triennii*. Tertia pars, in qua ponitur persequutio sub Menelao. Ubi primo ponit auctor, Menelaum expulso Jasone in sacerdotium succedentem. Et secundo ponit incidenter regem Antiochum ad partes remotas recedentem, ibi : *Et cum hæc agerentur*. Circa primum primo ponitur, quomodo Menelaus a Jasone ad regem transmittitur. Secundo, quomodo majora promittens regi, illi sacerdotium constituitur, ibi : *At ille commendatus*. Tertio quomodo exigentibus demeritis suis, Jason de terra expellitur, ibi : *Et Jason quidem*. Quarto quomodo Menelaus pro pecunia non soluta a rege impetitur, ibi : *De pecuniis vero etc*. Circa illam secundam partem. *Et cum hæc agerentur*. Primo describit regis pecuniam deficientem. Secundo Menelaum iterum sacrilegium exercentem, ibi : *Iratus Menelaus*. Tertio Oniam ipsum corripientem, ibi : *Quæ cum certissime cognovisset*. Quarto Menelaum de morte Oniæ Andronico regis vicario suadentem, et ipsum inducentem, ibi : *Unde Menelaus accedens*. Quinto Andronicum in dolo et proditione omnes interficientem, ibi : *Qui cum advenisset ad Oniam*. Sexto ipsum ex indignatione facinoris regem adeuntem, et de Andronico conquerentem, ibi : *Ob quam causam non solum Judæi*. Septimo regem ponit offensum, et Andronicum occidi jubentem, ibi : *Contristatus est itaque animo Antiochus*. *Multis autem sacrilegiis*. Quarta pars est de tribulatione, quæ facta fuit sub Lysimacho. Et in hac parte primo agitur de morte Lysimachi, propter mala quæ fecerat Menelai consilio. Secundo iterum revertitur super factum Menelai apud regem accusati. Circa mortem Lysimachi ponitur primo ejus sacrilega transgressio. Secundo populi indignatio, ibi : *Et congregata est multitudo*. Tertio ipsius defensio, ibi : *Lysimachus arma*. Quarto exercitus impugnatio, ibi : *Sed ut intellexit*. Quinto ejus expiratio, ibi : *Ipsum etiam sacrilegum*. Circa secundam partem de Menelao primo ponitur, quomodo fuit accusatus. Secundo quomodo fuit condemnatus, ibi : *Et cum venisset*. Tertio quomodo fuit per Ptolemæum, sibi data pecunia, excusatus et liberatus, ibi : *Et cum superaretur Menelaus*. Quarto quomodo populus innocens fuit condemnatus, ibi : *Miseros autem qui etiam*. Nunc ad lite-

rum. *Simon autem prædictus*, quia ipse est, qui instigavit Seleucum ad mittendum Jerosolymam. *Delator*, id est proditor, *malignus ad hæc*, id est ut iram veniret in ærarium; quod tamen erat omnino factum. *Audebat*, Simon scilicet. *Necessarios*, id est fideles amicos in hoc negotio. *Homicidia fieri*, per aliquos scilicet amicos Oniæ. *Et Apollonium* pro parte Simonis existentem, et ab ipso pecunia corruptum. *Cales*, regio erat in Syria, cui præerat Apollonius. *Ad augendam*, si legatur, ad augendam, ab augeo, es, debet sic construi cum clausula præcedente, *Et Apollonium insanire ad augendam malitiam Simonis*, id est dicere, quod insaniebat, ut augere posset, et promovere malitiam Simonis ad effectum. Si vero legitur, *Ad angendam*, a verbo ango, angis, id est restringendam; tunc legatur cum clausula sequente, id est cum facto Simonis, sic quod Onias, *Ad angendam*, id est arctandam malitiam Simonis ad regem se contulit. *A stultitia*, qua scilicet persequebatur templum, et ærarium, et sacerdotium. *Antiochus*. De isto et Seleuco fratre suo satis dictum est supra lib. I, cap. I; similiter et de isto *Jasone et Menelao fratribus Oniæ* magna est etiam mentio facta, et quomodo ad ritum gentilium se transtulere, et nomina gentilis ritus assumpserunt. *Gymnasium*. Gymnasium proprie locus est, in quo homines se exercent ad luctam; et per accommodationem accipitur pro omni exercitio; et hic accipitur pro schola, in qua instruebantur pro ritu gentium. *Ephebiam*, id est lupanar juvenum, ut jam supra dictum est per omnia *Antiochenos*, ab Antiochia dictos, quæ erat Metropolis in regno Antiochi. Volebat ergo iste ad benevolentiam regis captandam, ut cives Jerosolymitani vocarentur Antiocheni, quasi in tali nomine majorem gloriam consequentes. Qui etiam de nomine Jerusalem gaudebant. *Per Joannem patrem Eupolemi*. Notandum, quod Joannes fuit pater Eupolemi; et hic Joannes favorem habebat apud reges Asiæ, et fecit libertates fieri Judæis, quas iste Jason removit. Hic Eupolemus est, qui functus est legatione pro Judæis apud Romanos, vide supra cap. VIII, et fuit eis gratus. Concluditur ergo sic littera, *Quæ fuerant constituta Judæis a regibus Asiæ per Joannem patrem Apollonii, qui apud Romanos etc.* Unde liquet, quod non refert Joannem patrem, sed Apollonium filium. *Prava instituta sanciebat*, scilicet instituta gentium, ut Gymnasium et Ephebia. *Ephebeorum*, idest juvenum imberbium. Ephebus enim secundum Papiam, est juvenis imberbis. *Arce*, Sion scilicet. *Optimos*, idest pulcherrimos et nobilissimos juvenes. *Erat autem hoc non initium*, idest non primum præceptum Jasonis; vel *Non initium*, idest non leve vel mediocre; vel *Non initium*, idest non ad tempus vel ad horam, sed perpetuo secundum intentionem suam. *Incrementum*, quia ista duo erant de vilioribus et gravioribus observationibus omnium gentilium. *Jasonis nefandum scelus*, istud fuit emptio sacerdotii. Unde secundum Augustinum dicitur, quod ignis, qui septuaginta annis in aqua vixit, vendente Antiocho Jasoni sacerdotium, extinctus est. *Participes fieri palæstræ*, idest exercitii corporalis, sic vocati a quodam loco. *Et præbitionis*, idest traditionis; et dicitur a præbeo, præbes; vult dicere, quod sacerdotes non erant occupati circa templum, sed circa tale gentilium exercitium, quod quidem habebat suas traditiones, sicut alii ludi habent, et illas observabant. *Et in exercitiis disci*, idest doceri; idest cupiebant edoceri, et informari illos in exercitio paterno, ut legalem observantiam. *Nihil*, idest pro nihilo reputantes. Periculosa contentio, quia amore illarum observationum unus contendebat alium excellere, et probior apparere; *periculosa*, quia propter hoc exponebant se periculo punitionis divinæ. Ideo sequitur: *Et jam leges divinas. Cum autem quinquennalis*. Notandum est, quod iste ludus fiebat de quinque annis in quinque; et ideo dicitur quinquennalis, et dicitur *Agon*, idest exercitium. Cum ergo idcirco fieret iste ludus, sic vocatus a quinto anno, factum est istud quod sequitur, a Jasone volente regi adulari præsenti. *Dydrachmas*, dicitur a dyo, quod est duo, et drachma, quod est denarius, habens certam impositionem pretii, et imaginem regis. *Propter præsentes*, eos scilicet, qui erant in Tyro ad ludum; vel *præsentes*, qui scilicet pecuniam asportaverunt, quia viderunt, quod non erat necessarium eam expendi pro sacrificiis Herculis, et petierunt de illa aliud fieri. *Navium triremium*, idest trium remorum ordinem habentium: et id forsan fecerunt, quia ludus erat aliquando in mari. *Misso autem*. Ad intelligentiam hujus litteræ notandum est, quod

rex Egypti habuit in uxorem sororem Antiochi Cleopatram, et ex illa habuit filium nomine Ptolomæum Philometorem, cujus pater decessit ipso adhuc puero; et ideo pro tempore ejus negotia procuravit Antiochus avunculus suus, quousque primates ejus ab ipso recesserunt, ut hic dicitur. Unde per Apollonium istum cognovit, istos rebelles esse; et ideo de suo negotio cœpit cogitare, quomodo scilicet contra Jerusalem veniret. *Regni*, scilicet Egypti. *Supradicti Simonis fratrem*, qui accusavit ærarium: et videtur hic fuisse frater Menelai, qui tamen Menelaus supra, secundum Josephum, et Magistrum in *Historiis*, dicitur frater Oniæ. Unde colligitur, quod cum hic dicitur frater Simonis, intelligitur non carne, sed moribus: unde *Glossa* ait, fratrem, idest scelere parem. *Cum magnificasset faciem potestatis ejus*, id est extulisset vel honorasset muneribus, ut ei placeret. *Superponens Jasoni*, id est amplius dans et providens regioni. Et notandum, quod hic fuit pessimus in multis. Fuit enim proditor fratris, simoniacus in emendo sacerdotium, et mendax in solvendo, et sacrilegus in jurando, et homicida, imo et fratricida: omnia ista patent hic. *Mandatis*, scilicet quod pro summo Sacerdote haberetur. *Proprium fratrem captivaverat*, Oniam scilicet, quia iste dominabatur prius. *Nihil agebat*, id est nihil agere poterat, quia Sostratus præpositus a rege constitutus omnia colligebat. Itaque Menelaus non habebat quod posset portare: et ideo Sostratus cogitabat accusare eum apud regem de defectu solutionis, in tantum, ut deponeretur, et Lysimachus constitueretur. Quod videns Menelaus, furabatur vasa templi, ut gratiam haberet: super quo Onias vir bonus ipsum redarguebat. Quod ille sustinere non valens, mortem ejus per Andronicum custodem terræ in absentia regis procuravit. *Uterque ad regem sunt evocati*, id est Sostratus accusans, et Menelaus ut reus. *Fratre suo*, non carne, sed consimili facinore. *Mallotas*, id est illos de Mallo civitate sic dicta. *Dono essent dati*, quia erant sub dominio illius concubinæ. *Dono dati*, id est positi, sic ut provideret uxoribus regis de dote: unde forte de hoc erant indignati, quod suberant dominio talis mulieris. *Et relicto suffecto*, id est pro se præfecto. Ille enim, qui est in loco regis, per comparationem ad regem est suffectus, sed per comparationem ad subditos est præfectus. *Datis dextris*. Oniæ scilicet juramento emisso, quod eum non interficeret. *Quamvis esset ei suspectus*, scilicet Andronicus Oniæ, quia bene cogitabat quod jurabat in dolo. *Azylo*, invenitur azylo media correpta, et est genus muscæ, quæ apibus est infesta; et asylum in neutro genere etiam est locus privilegiatus, a quo non licet aliquem violenter extrahere: unde quicumque locus est sic privilegiatus potest dici asylum. Deinde fuit etiam talis locus quondam fanum, quod Remus et Romulus ædificarunt: sed extenditur communiter ad omnem locum inexpugnabilem. *De nece tanti viri injusta*, aut propter sanctitatem viri justi, vel propter juramentum præstitum. *Nationes aliæ*, scilicet quæ erant cum Judæis Antiochiæ, ut modo sunt Parisiis, vel alibi. *De his cœpit judicium*, propter quæ scilicet Lysimachus interfectus erat, et de morte ejus, cujus occasione et consilio fuerat occisus, ut dictum est. *Miseros autem*, supple, fecit rex occidere homines bonos, qui Menelaum accusaverant: qui tamen in veritate liberandi erant, et audiendi in tantum, ut apud Scythas auditi essent. Hoc autem dicit, quia Scythæ sunt crudelissimi et injusti; unde sensus est, quod iste rex in hoc fuit injustior et crudelior etiam Scythis. *Cito ergo*, id est sine matura deliberatione. *Pœnam dederunt*, scilicet his hominibus qui *Pro civitate etc. Indignati*, pro injusta eorum morte.

CAPUT V.

Eodem tempore Antiochus. Postquam posita est principum interna seditio; hic ponitur regis externa oppressio. Et prima fuit causa hujus secundæ: propter hoc enim, ut dictum est supra lib. I capite I. *Andronicus invasit Judæos*, quia inter se dissentiebant: et in hoc cap. ponitur quadruplex impugnatio. Prima est a Jasone æstimante regem mortuum. Secunda a rege propter facta Jasonis ibi: *His itaque gestis*. Tertia alienorum ad imperium regis, ibi: *Igitur Antiochus*. Quarta Apollonii legati regis, ibi: *Semper appositus etc*. Circa primum primo ponit regis in Ægyptum profectionem. Secundo monstrorum apparitionem, ibi: *Contigit autem*. Tertio falsam de morte regis opinionem, ibi: *Sed cum falsus*

Quarto Jasonis insurrectionem, ibi: *Acceptis*. Quinto ejus expulsionem, ibi: *Et principatum*. In secunda parte, ibi: *Hæc itaque gesta*, primo agit de Antiochi persecutione. Secundo ostendit auctor quod id acciderit pro peccatorum suorum punitione, ibi: *Fit alienatus mente*. Tertio, quod ipse Dominus templum relevaturus erat in magnam eorum consolationem, ibi: *Verum non propter locum gentem*. Circa primum introducit Antiochum contra Judæos sævientem. Secundo ipsos in Jerusalem indifferenter interficientem, ibi: *jussit autem*. Tertio vasa sacra ignominiose et irreverenter diripientem, ibi: *Sed nec ista*. Circa primam principalem partem ponit Antiochi contemptam superbiam. Secundo ejus jussionem crudelem et nefariam, ibi: *Reliquit autem et præpositos*. Quarta pars principalis ponitur ibi: *Cumque appositus esset*, in qua ponitur impugnatio per Apollonium legatum regis. Et primo agitur de ejus jussione. Secundo de ejus dissimulatione. Tertio de Judæorum occisione, et sabbati observatione. Quarto de Juda Machabæo, et de suorum in montibus conversatione, et malorum elongatione. Sed jam ad literam. Et primo notandum est, quod jam nunc incipit reverti ad historiam I lib. *Secundam profectionem*: creditur illa fuisse, de qua lib. I cap. I dicitur: Et paratum est regnum in conspectu Antiochi. *Contigit autem*, scilicet eo tempore, quo Antiochus erat in Ægypto. *Equites discurrentes*. Notandum est, quod ista signa præludia erant sanguinis Judæorum per hostes effundendi, et talia et multo majora contigerunt Jerosolymis per totum annum præcedentem destructionem ejus sub Tito et Vespasiano, ut recitat Josephus: dicit enim, quod stella præfulgens gladio per omnia similis supra civitatem rutilans manebat, et cometes exitialibus flammis ante per totum annum visus est ardere; sed et ante exitum temporis et belli in festo azymorum octava die mensis Aprilis hora nona noctis tantum fulgur aram templumque circumdedit, ut putarent omnes diem clarissimum factum, et permansit mediæ horæ spatio. Eodem etiam festo bos, cum ad victimam duceretur, agnum in medio fano peperit, inter manus ministrorum. Sed et janua interiorum ædium templi, quæ respiciebat ad orientem, cum esset ærea vel ære multi ponderis vestita vel supertecta, ita ut vix a decem viris impellentibus eam clauderetur, ferreis quoque vectibus serisque munita, repente hora noctis sexta apparuit sponte patefacta; sed et hoc, sicut et lumen nocturnum, signum optimum putabatur. Deum namque bonorum omnium portam illis aperuisse dicebant. Aliqui prudentiores tamen totamen templi dissolvendum iri, et hostibus portas aperiendas putabant. Et postea vicesima prima die Maii prope solis occasum, visi sunt currus et quadrigæ in omnem regionem per aera ferri, et armatorum cohortes inferri nubibus, et urbes circumdari agminibus improvisis. In sequenti autem festo Pentecostes noctu Sacerdotes templum ad ministerium implendum ex more ingressi, primum quidem motus quosdam strepitusque senserunt, et domum voces quasdam sonantes: Migremus hinc. Hoc etiam quidam plebeius et rusticus, Jesus nomine, quatuor annos ante bellum in festo tabernaculorum repente clamare cœpit: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox super Jerosolymam et super templum, vox super sponsos et sponsas, vox super populum: et diu noctuque circumiens ista clamabat, et verberibus ac flagris usque ad ossa laniatus jussu præfecti urbis Albini, neque lachrymas fudit, nec preces, sed eamdem vocem miserabiliter et cum quodam ululatu emittens ad singulos fere ictus proferebat, addens et hoc, Væ, væ Jerosolymis: et sic clamabat usque ad belli tempus quotidie, et maxime in festis diebus, Væ, væ Jerosolymis. Idque per septem annos faciens, neque voce raucior fuit, nec laboravit, donec obsidionis tempore circumiens, supra murum iterum, Væ, væ civitati et fano ac populo, voce maxima clamabat. Cum autem ad extremum addidisset, Væ etiam et mihi, lapis tormento aliquo dimissus ipsum inter voces istas peremit. *Digestos*, idest divisos et distinctos, *motus*, idest sonus adinvicem conflagrantium. *Excessisset*, idest exivisset, quia dicebatur quod mortuus esset. *Convolantibus*, ut scilicet civitatem defenderent. *Arcem*, Sion. *Exitium*: aliqui libri habent, in exitum, scilicet mortis, et idem est. *Lacedæmonios*, idest Spartiatas, qui erant fratres et amici Judæorum; supra lib. I, capit. XII. *His itaque gestis*. Usque ad locum istum recitavit auctor aliqua, quæ in libro I non fuerunt dicta; et videntur illa fuisse occasio, ut Antiochus

insurgeret in Judæos, et totum istud debet legi in primo, vel præsupponi in cap. I, lib. I. *Deserturos*, id est rebellaturos. *Efferatis*, id est irrefrænatis. *Occursantibus*, idest occurrentibus, et misericordiam petentibus : et hoc fuit magna crudelitas. *Menelao ductore :* non ille, qui fuerat reconciliatus, supra IV, sed alius, quia ille statim fuit mortuus : nisi forte dicatur quod de morte sua dictum fuit prius nimis cito, et per anticipationem, propter continuationem historiæ. *Gravius quam cæteri*, quia Judæi erant, et ideo magis erant molesti. Unde argumentum sumitur, quod illi, qui sunt aliis domestici, si fiant eis superiores, fiunt eis molestiores. *Cumque appositus esset*, id est firmatus et obstinatus ad nocendum eis. *Misit odiosum Apollonium*. Nota concordiam primi libri, et hujus secundi. Nam ita accidit, quod Mathathias et Judæi alii videntes prædictas abominationes factas in templo et civitate per regem, fugerunt extra, ut dicitur hic, et lib. I, cap. II; et alii, qui remanserunt adhuc in civitate (ut expresse dicitur hic) postea fugerunt, ut dicitur lib. I, cap. II; et isti fuerunt, qui ab Apollonio in die sabbati fuerunt interfecti, in civitate partim, et partim fugientes : et ita salvatur utraque litera : et ita non agitur hic de illo insultu Apollonii, quem fecit supra lib. I, c. III, in quo vicit eum Judas. Ille enim fuit secundus conflictus. *Judas autem*. Hic præmittitur tota historia supra posita in c. II, de Mathathia et genealogia ejus ; et venitur ad Judam, qui decimus fuit, et fuit summus Sacerdos, non simpliciter loquendo de omnibus post Salomonem, ut patet in catalogo eorum suprapositо : sed fuit decimus, computando a regno Græcorum, a quo incipit hæc historia, ut patet ex I libro. Et primus tempore Seleuci Nicanoris fuit Onias Jaddi filius : secundus fuit Simon Justus Oniæ filius : tertius Eleazarus frater Simonis : quartus Manasses Eleazari avunculus : quintus Onias Simonis Justi filius : sextus Simon Oniæ filius : septimus Onias Simonis filius, a quo, supra quarto, fuit occisus : octavus Jason pessimus istius Oniæ frater : nonus Menelaus pejor fratre : decimus Judas, qui, summo Sacerdotio divino judicio destituto, ipsum sacerdotium summum accepit. Sed cur non fit mentio de Lysimacho ? Respondetur, quod quia statim interfectus fuit. Unde nihil aliud fecit ad officium sacerdotii pertinens, nisi tantum sacrilegia, ut dictum est supra capite quarto. Alii vero, etsi mali fuerunt, tamen aliquid ex officio perfecerunt.

CAPUT VI.

Sed non post multum temporis. Hæc est tertia pars a quarto capite divisa ; in qua postquam posita fuit principum debellatio, et regis impugnatio; hic ad augendam malitiam ponitur gentilis ritus introductio. Et primo introducitur gentilis observatio : secundo infligitur non obedientibus pœnæ vexatio, ibi, *Erat ergo hæc videre miseria*. Circa primum ponitur, quomodo populus a legali observantia vertitur ; et secundo, quomodo idololatria introducitur, ibi, *Et cognominare Jovis;* tertio, quomodo templum luxuria polluitur, ibi, *Pessima autem;* quarto, quomodo ritus legalis interrumpitur, ibi, *Nam neque sabbata ;* quinto, quomodo populus non obediens interficitur, ibi, *Ducebantur autem*. Circa secundam partem de punitione agitur non obedientium. Et notandum, quod tria persequebatur : primo circumcisionem, secundo sabbati sanctificationem, ibi, *Alii vero ad proximos ;* tertio ciborum discretionem, ibi, *Igitur Eleazarus*. Secunda dividitur ; quia primo ponit observantium sabbatum perfectionem, secundo ut consulat miseriæ audientium, et ut inconvenientia ista evadant, monitionem et informationem, ibi, *Obsecro autem eos;* et in illa ostendit, mala evenire eis, primo non ex Dei reprobatione, sed ex ejus miseratione ; secundo quod alia Dei punitio procedit ex dilectione ; tertio quod tarda expectatio provenit ex peccatorum majori punitione. Circa illam partem, *Igitur Eleazarus*, ponuntur multa, quæ sunt memoria digna : quia iste senex, fuit spectaculum et exemplar constantium martyrum futurorum. Et primo describit factam sibi violentiam, ibi, *compellebatur ;* secundo ejus probitatem et constantiam, ibi, *At ille :* tertio eorum deceptoriam simulationem, ibi, *Hi autem qui astabant ;* quarto ejus discretam responsionem, ibi, *At ille cogitare ;* quinto eorum arctiorem persecutionem, ibi, *His dictis ;* sexto ejus orationem et consummationem, ibi, *Domine qui habes*. Et notandum, quod in sua responsione posuit plura, quæ illum retraxerunt : primo suæ sanctitatis antiquita-

tem; secundo suæ legis bonitatem; tertio suæ mortis felicitatem; quarto fortis auctoritatem; quinto divini judicii severitatem: quæ omnia patent in littera. Nunc ad litteram. *A patriis et Dei legibus*, id est a custoditis legibus a patribus. *Et cognominare*, idem, ut templum quod erat in Jerusalem, nominarent a *Jove*, cujus idolum ibi erat, ut factum est supra libro I, capit. I. *Olympii*, id est qui in monte Olympo colebatur Jupiter; et ideo mons Olympus dicebatur mons Jovis. Volebat ergo rex, ut ita nominaretur templum Jovis, quemadmodum et illic, *Jovis Hospitalis*: sic dicebatur, quia hospitibus favere credebatur. *Et in Garizim*. Garizim erat templum Jovis primo ædificatum a Samaritanis in honorem Dei Judæorum, tempore, quo Cyrus fuit eis favorabilis, vel Alexander Magnus, ut dictum est supra lib. I cap. I. Qui postea tempore Antiochi, quando viderunt eum esse infestum Judæis et eorum legi, et colere Jovem, dedicaverunt illud in honorem Jovis. *Antiochenos*; et hoc procuratione Jasonis, qui eos qui erant Jerosolymis, vocabat Antiochenos; vide supra cap. IV. *Liberi*: proprium nomen Dei est ipsius regis: unde *Libero*, id est Baccho, qui erat apud antiquos Deus vini; et istum in natali suo rex præcipiebat coli, quia illum sibi favorabilem esse credebat. Liberum autem Deum vini appellabant, quia vinum provocat ad luxuriam, et provocati ad illam libant masculos, etc. Unde cum corpore muliebri delicato ipsum Liberum depingi faciebant antiqui. In tali ergo celebratione natalis regis Judæi compellebantur *Circuire Libero*, id est versari circumquaque apud imaginem illam, quod erat profanum. Et notandum quod gentiles antiquitus diem nativitatis suæ celebrabant quia tunc ad solatia et luxus vitæ præsentis intrabant, post quæ majora non expectabant. E contrario catholici Christiani diem obitus sui festivum habent, quia tunc ad gaudia recipiuntur æterna. *Ptolemæi*, id est sequentibus Ptolemæum, qui erat dux Cœlesyriæ et Phœniciæ, supra lib. I, c. VIII. *Duæ mulieres delatæ*, id est denuntiatæ et accusatæ. *Duæ*, hoc dicitur lib. I, c. I: quibus vestra littera habet, *quas*. *Alii vero ad proximas coeuntes speluncas*, de hoc supra libro I, cap. II. Isti sunt, qui extra civitatem se permiserunt occidi propter observantiam sabbati, de quibus ibidem dicitur: supra tamen habetur, quomodo aliqui propter eamdem causam fuerunt occisi. *Non ad interitum*. Hoc verum est, quoniam non fuit ex intentione Dei, sed ex malitia populi. *Ex sententia*, id est secundum quod ipsi sentiunt vel judicant. *Beneficii est indicium*. Contra quia Deus reputatur pius et benignus in expectando peccatores, et non puniendo statim. Respondetur quod afflictio pœnæ est duplex: vel est ad punitionem judicatoriam; et quo ad hoc, expectare peccatores est misericordiæ; et Deus, quantum ad hoc, dicitur misericors retributor. Vel est ad remedium et præservationem culpæ faciendæ: et tunc cito eam infligere est misericordiæ, sicut contingit de ultimo corporali: et hoc modo loquitur hic. *Primoribus*, id est prioribus. *Permitti se velle in infernum*, id est in limbum vel in mortem; accipitur enim infernus aliquando in Scriptura et apud Patres hoc modo, secundum illud Gen. c. XXXVII, de Jacob: *Deducetis canos meos cum mœrore ad infernum*. Sed utrum eligibilius et rationabilius homini justo, eligere infernum etiam proprie dictum, quam committere ullum peccatum mortale? De hoc alibi. *Execrationem*, id est maledictionem: quia sequentes dixissent: Maledictus ille, qui hoc fecit, et ita ille omnes alios corrupit.

CAPUT VII.

Contigit autem septem fratres. Hæc est quarta pars a cap. IV divisa, in qua ponitur legalium obligatio quantum fuit in adversariis: et primo ponitur hostium contra VII fratres et eorum matrem insurrectio; secundo eorum constans et fidelis responsio et mortis victoriosa toleratio, ibi: *Unus autem ex illis*. Et in hac sunt singulæ partes quæ de his singulis fratribus mentionem faciunt, et etiam de matre. Circa secundam partem oportet considerare primo constantem eorum confessionem; secundo regis turbationem, ibi: *Iratus*. Tertio primi gravem mutilationem. Quarto in sartagine combustionem. Quinto fratrum contemplationem. Sexto mutuam exhortationem. Circa factum secundi vide primo ejus afflictionem, confœderationem et futuræ resurrectionis promissionem. Circa factum tertii considera animi illius promptitudinem et fortitudinem constan-

tiæ. Circa quartum fit mentio de resurrectionis gloria, de tyranni miseria et ignominia. Circa quintum patet quomodo redarguit tyranni malitiam, quomodo confitetur de hoc divinam providentiam. Circa sextum ponit ipsum viriliter sustinentem et audacter tyrannum corripientem, et matrem æquanimiter omnia aspicientem, et filios multipliciter consolantem. Circa septimum ponit primo Antiochum indignatione commotum puero dona et divitias promittentem, matrem de informatione filii persuadentem et de morte recipienda filio prædicantem, filium quoque Antiocho viriliter respondentem, munera et oblationes ejus totaliter despicientem, defensionem legis sanctæ adinstar fratrum proponentem, regem demum in ipsum acrius desævientem. Ultima pars de facto matris manet indivisa. Nunc jam ad literam. *Contra fas*, id est contra præceptum legis quæ porcos reputabat immundos; et ideo comedi vetabat. *Flagris*, id est flagellis factis de corio tauri. *Patrias et Dei leges*, id est patribus a Deo datas, et ab ipsis observatas. *Sartagines*, id est patellas in quibus assantur carnes. *Linguam*, qua scilicet fuerat Dominum confessus. *Moyses*, Deuteronomii XXXII. *Patria voce*, id est Hebraica. Et quoniam hi tam expressam cœlestium bonorum rationem reddiderunt; ideo martyrium ipsorum Ecclesia celebrat. *Ista*, scilicet membra quæ sibi amputabantur. *E cœlo*, id est e dono divino. *Ab hominibus morti datos*: concluditur in hunc modum : potius est morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos. *Ab hominibus*, id est quam ab hominibus : quasi dicat : si hic est adjudicatus morti, magis debet sperare salutem a Deo resuscitante, quam ab hominibus. *Ad vitam*, scilicet gloriosam quæ simpliciter dicitur vita. Damnati enim etsi vivant realiter, tamen vita eorum, propter miseriam in qua sunt, quædam mors est. *Qualiter te et semen tuum torquebit*. Hoc fuit impletum quando tam ignominiose mortuus fuit, ut dicetur infra cap. IX. *Contra Dominum*, id est contra legem a Domino institutam. *Promisit*, scilicet non sicut rex intendebat, sed sicut Deo placebat, ideo non fuit mentita. *Modico*, scilicet respectu præmii. *Sub testamento æternæ vitæ*, id est immutabili promissione. *Te cum tormento confiteri, quod ipse est Deus*. Hoc fecit infra cap. IX : unde hic prophetavit. *Mundus obiit*, scilicet a transgressione legis immunis. *Novissime et mater consumpta est*. In hoc significatur quod in fine mundi post martyria filiorum omnium consummata erit Ecclesia.

CAPUT VIII.

Judas vero Machabæus. Hæc est tertia pars principalis hujus libri totius a principio libri divisa. In qua postquam posita est præfationis prælibatio et tribulationum recitatio, hic tertio ponitur oppressorum liberatio. Et notandum quod deinceps est similis historia illi qua posita est in libro I : quinimo quasi omnino eadem : intelligendum est tamen quod de liberationibus Judæorum factis per fratres Judæ, Jonatham scilicet et Simonem, non hic dicitur in libro isto, sed tantum de Juda. Unde historia ista non durat nisi ad mortem Nicanoris quæ ponitur lib. I, cap. VII, in fine. Ab octavo autem cap. usque ad finem lib. I, nihil habetur in isto lib. II. Oportet igitur divisionem sumere secundum reges, quorum temporibus Judas præfuit; qui sunt tres. Primo ergo ostenditur, quomodo prævaluit sub Antiocho Epiphane vel Nobili. Secundo quomodo sub Antiocho filio ejus, ut cap. X. Tertio sub Demetrio Eupatore filio Seleuci, nepote scilicet Antiochi Magni, quia Seleucus et Antiochus Nobilis fuerunt fratres, ut patet cap. XIV. Primo agitur de hostium per Judam mirabili expugnatione. Secundo de regis Antiochi miserabili expiratione, ut habetur cap. IX. Præmittitur autem hic conflictus Judæ cum Apollonio duce Syriæ, de quo dictum est supra lib. I, cap. IV. Tertio dicitur missus fuisse cum Lysia cum Gorgia et Timotheo, nec legitur eum pugnasse contra Judæos tempore Antiochi Nobilis, sed tempore Demetrii filii Seleuci, libro I, cap. VII. Ex quibus omnibus patet quod de isto adventu Nicanoris et de ista pugna cum Juda non fecit lib. I mentionem. Dividitur autem istud caput in quatuor partes. Primo ostenditur Judas malos persequens et puniens. Secundo Nicanori occurrens ibi : *Videns autem Philippus*. Tertio ponitur Judas exercitum suum animans, ibi : *Judas autem cum comperit*. Quarto autem ponitur Nicanor succumbens, ibi : *Et facto sibi etc*. Circa primam partem ponitur primo, quomodo se ad

Judam adunaverunt, ibi: *Judas vero.* Secundo quomodo Dominum humiliter invocaverunt, ibi: *Et sermonibus.* Tertio quomodo hostes viriliter trucidaverunt, ibi: *At Machabæus.* Circa secundam partem ostendit primo regis principem Nicanorem factis ipsius Judæ invidentem. Secundo auxilium a Ptolemæo requirentem, ibi: *Ad Ptolemæum.* Tertio ipsum Nicanorem venientem, ibi: *Et ille velociter misit.* Quarto Nicanorem Judæis supplicia comminantem, ibi: *Constituit autem.* Quinto de venientis Judæis famam deprimentem, ibi: *Nicanorque.* Circa tertiam partem agitur primo de exercitus Judæ trepidatione. Secundo de quorumdam eorum depravatione, ibi: *Alii.* Tertio de eorum informatione, ibi: *Convocatis.* Quarto de victoriarum recordatione, ibi: *Admonuit autem eos.* Quinto de ordinatione, ibi: *His verbis.* Circa quartam partem ponit primo exercitum Nicanoris succumbentem, ibi: *Et facto sibi adjutore.* Secundo Judam propter sabbatum prædam custodientem, ibi: *Sed reversi sunt.* Tertio post sabbatum turbis æqualiter illam dividentem, ibi: *Post sabbatum vero.* Quarto aliis hostibus prævalentem, ibi: *Et ex his qui cum Timotheo.* Quinto iterum prædas eorum distribuentem, ibi: *Et cum arma eorum.* Sexto quemdam specialem adversarium morientem, ibi: *Et eum quoque.* Septimo Nicanorem turpiter fugientem, ibi: *Facinorosissimus.* Nunc ad litteram. *Et eos qui permanserant*, scilicet religionis vinculo. Istud enim fuit causa confœderationis et unionis in exercitu Judæ. *Vocem sanguinis*, id est effusionem sanguinis qui ex crudelitate hosti proveniat ad vindictam faciendam, ac si clamaret. *Indignaretur*, id est ad modum indignationis se haberet illa puniendo. *Videns autem Philippus.* Is fuit Philippus cui Antiochus filium suum ad nutriendum tradidit, quem Antiochus filius Antiochi occupantem regnum suum de consilio Lysiæ de Antiochia expulit, ut supra lib. I, cap. VI dicitur: et iste etiam fuit Antiochus quem Philippus reliquit cum aliis præpositum terræ ad affligendos Judæos, supra eodem capite V et VIII. *Misit Nicanorem Patrocli.* Si loquatur de illa missione, de qua supra lib. I, cap. III, tunc secundum *Glossam* sic concordatur: Quod tam Philippus iste quam Lysias qui loco regis erat, procuraverunt Nicanorem mitti: quod non est inconveniens. Et primus liber loquitur de uno: hic autem liber de altero. Si vero fuerit alia missio, tunc dicitur ut supra, quod verius videtur, quod Philippus ille ivit cum Antiocho in Persidem et illi etiam recommendavit filium suum: unde tunc non erat in Judæa. *Nicanorem Patrocli*, scilicet filium. *Datis ei de permixtis gentibus*: quidam enim juvenes erant et quidam senes; quidam soli proprii et quidam alieni; quidam equites et quidam pedites. *Constituit autem Nicanor*, id est firmiter promisit, *regi*, id est Lysiæ qui erat loco regis, quia rex in Persidem iverat ad colligendam pecuniam. *De captivitate*, id est de illis qui erant ex Judæis captivi. *Suppleret*, id est solveret. *Misit.* Supra I lib. cap. III dicitur, quod audierunt mercatores, et venerunt ad emendum. Et utrumque potuit esse verum: et quod iste miserit, et quod illi hæc audientes venerint. *Mancipiorum*, quasi manu capta; sicut sunt illi, qui capiuntur in bello et in servitutem rediguntur. *Talento*, id est pro uno talento daret nonaginta mancipia. Et notandum quod talentum, secundum Isidorum, proprie loquendo est in ponderibus: sed hic non accipitur nisi pro nummo trium denariorum usualium, et tunc secundum hoc ipse volebat dare triginta pro uno denario usuali, sicut postea fecit Titus et Vespasianus tempore captivitatis Judæorum. *Formidantes.* Supra lib. I, cap. V, fecit proclamari, quod formidolosi reverterentur. *Prius quam cominus*, id est etiam priusquam veniret, vendiderat. *Propter testamentum*, id est promissionem firmam. *Ne hostibus reconciliarentur*, favendo suggestionibus eorum illicitis: non tamen hic ponit modum pacis. *Ceterum instituta*, id est antiquorum patrum, ut Moysis et aliorum, hæc omnia rememorata dabant eis fiduciam, quia colligebant, quod Deus ista sine vindicta non dimitteret. *Sennacherib*, IV Reg. XIX vide. *Adversus Galatas.* De isto bello nihil legitur alibi quam hic. Sed objicitur contra id quod hoc loco dicitur, illud quod habetur supra lib. I, cap. IV: ubi dicitur, quod non habebat secum nisi tria millia. Respondetur, quod ibi loquitur de illis quos ille solus secum habebat: hic autem loquitur de suis et de illis quos sui habebant: unde statim dicuntur hic fuisse septem millia. *Convocatis autem Machabæus septem millibus et qui cum illo erant*, supple de quibus hic tacet. Et sic habetur numerus iste

præcise, quod scilicet Judas habuit tria millia, et quilibet aliorum mille quingentos. *Ab Esdra lecto*, non tunc, sed antea. Unde sensus est quod fecit eis recitari sanctum librum, prout alias ab Esdra lectus fuerat. *Novem millia*. Sed contra : supra lib. I, cap IV. dicitur, cecidisse tantum tria millia. Respondetur, quod ibi computantur solum interfecti a Juda : hic vero interfecti ab illo et turma ejus. *Reversi sunt hora conclusi*, id est tempore deficiente, scilicet vespertina hora ante sabbatum. Quæ erat observanda, quia Judæi incipiebant festa sua a vespertina hora præcedente usque in vesperum sequentem. *Misericordiæ initium*, quia prima fuit victoria notabilis a Deo corripiente ipsos inimicos afflictione. *In finem servis suis reconciliaretur*, id est integre. *Timotheo :* de bello contra istum vide supra lib. I, cap. V. *Cum Bacchide :* vide ibidem cap. VII. *Epinicia*, id est dies victoriæ et superationis hostium ; ab epi, quod est supra, et nice victoria : unde in alia translatione dicitur : superatis hostibus, Judas festum celebrabat.

CAPUT IX.

Eodem tempore. Hic secundo agitur de Antiochi Nobilis morte miserabili, de qua libro primo, capite sexto. Et describuntur tria per ordinem se habentia ; primo quomodo fuit per superbiam elatus, et de Judæis indignatus : secundo quomodo fuit a Deo cruciatus, ibi : *Sed qui universa :* tertio quomodo timore pœnæ fuit in se humiliatus, ibi, *Hinc igitur cœpit*. Circa primum præmittit turbationis duplicem occasionem : scilicet propter repulsam ejus ignominiosam, et probitatem Judæorum victoriosam : secundo ponit ejus turbationem et præsumptionem, ibi : *Elatus autem in ira*. Circa secundam partem principalem ostendit suam afflictionem ut nimiam ; secundo ostendit pœnæ superbiæ correspondentiam, ibi : *Usque qui sibi videbatur*. Circa tertiam partem, ubi tangitur ejus humiliatio, primo eam profitetur verbo, secundo litteris et instrumento, ibi : *Sed non cessantibus doloribus*. Circa primum promittebat se honorare civitatem, gentem et templum Judaicum, seu legalem ritum; quorum omnia contraria prius cogitaverat. Circa ordinationem literæ. Primo Judæos amicabiliter salutavit. Secundo se infirmum graviter denuntiavit. Tertio quomodo de vita rehabenda desperavit. Quarto quomodo ad exemplum patris de successore ordinavit. Quinto quomodo eum Judas commendavit. Sexto quomodo tandem expiravit. Nunc jam ad literam. *Eodem tempore*, id est interim quod Nicanor sic devictus fuit. *Antiochus inhoneste revertebatur*, quia expulsus et devictus : vide de hoc supra lib. I, cap. VI. *Persepolis*, id est civitas Persidis ; a polis, quod est civitas : et dicebatur civitas simpliciter per antonomasiam, quia principalior erat in illo regno : tamen proprio nomine dicebatur Elimaida ; lib. I, cap. VI : *Expoliare templum*, quia ibi erant multa vasa pretiosa et thesauri, et ibi colebatur Diana : *turpiter*, quia contra consuetudinem victus est. *Ecbathanis*, civitas in media provincia. II Esdr. VI. *Elatus in ira*, id est commotus partim ex ira, partim ex superbia. *Se fugaverant*, id est illos de Persepoli. Sensus est, quod injuriam sibi factam in Persepoli vindicaret in Judæos. *Agitari :* nota quod hæc fuit occasio cadendi : vide de infirmitate ejus lib. I, cap. VI. *Ignem spirans*, id est ad modum ignis violenti retenti : et hoc est signum magnæ turbationis, sicut dicitur Actuum IX : *Saulus adhuc spirans minarum et cædis etc. Etiam fluctibus maris imperare*, in hoc tangit ejus magnam superbiam. Quamvis autem vexatio dat intellectum, tamen non veram habuit pœnitentiam, nec movebatur ex odio culpæ, sed pœnæ : et ideo non meruit indulgentiam. *Misericordiam*, propter causam dictam. *Atheniensibus*, qui erant liberi et honorati. *Terræ*, scilicet sanctæ. *Desperans :* ex hoc patet, quod mentiebatur infra eodem, ubi dicebat se non desperare, *Optimis civibus*, totum est adulatio. *Rex*, scilicet Asiæ et Persidis de jure. *Et princeps*, super Judæos ex usurpatione *Ex sententia*, id est ex voluntate nostra, secundum quod etiam vos determinatis et definiti. *Non desperans*, mentiebatur quidem, sed nolebat de morte sua eos consolari : vel forte ut magis induceret eos ad orandum pro se. *Pater meus*, Antiochus Magnus. *Qui post se acciperet principatum*, hoc fuit impletum de Seleuco fratre istius. Hoc autem dicebat iste, quia volebat filium suum regnare post se, cum tamen nepos suus Demetrius filius Seleuci regnare deberet. *Summa*, id est negotiorum sarcina eventuum infirmitatis meæ. *Multis nostrum commendatum*. Tal-

sum est de Judæis, sed forsan de aliis id dicit : sicut forte factum fuit et non legatur. *Publicis et privatis*, id est quæ recepi ab amicibus et sanguineis, ut videatur ad omnes et singulos. *Communionem habuissent*, id est familiaritatem et affectionem. *Philippum*, cui commisit diadema et annulum pro filio suo Antiocho, supra lib. I, cap. VI. *Qui metuens*, non ita cito et statim : sed postquam fuit fugatus de Antiochia quam occupabat de consilio Lysiæ, ut supra lib. I, cap. VI et VIII habetur.

CAPUT X

Machabæus autem. Hæc est secunda pars illius *Judas vero* : ubi post factum Judæ sub Antiocho Nobili vel Epiphane ponitur factum ejus sub Antiocho filio ejus : et dividitur in tres partes. Primo ponitur bellum Judæ cum aliquibus principibus regis. In secunda bellum ejus cum Lysia, qui erat inter alios principalis, cap. XI. In tertia bellum scilicet cum rege Antiocho et Lisia, cap. XIII. Circa caput istud præmittitur primo post mortem Antiochi Nobilis ipsius templi purificatio. Secundo Antiochi filii sui ad regnum sublimatio ibi : *Et Antiochi qui appellatus est Nobilis*. Tertio ipsorum hostium partem regis defendentium expugnatio ibi : *Gorgias autem cum esset dux*. Circa primam ponit primo templi purificationem. Secundo devotam eorum orationem, ibi : *Rebus gestis*. Tertio lætam solemnizationem, et cum lætitia. Circa secundam ponit regis promotionem et constitutionem. Secundo Lysiæ exaltationem ibi : *Hic enim suscepto*. Tertio Ptolemæi occisionem ibi : *Nam Ptolemæus*. Circa tertiam partem, *Gorgias autem etc.*, primo ponitur conflictus cum Gorgia. Secundo conflictus cum Ptolomæo, ibi : *At Timotheus*. Circa primam primo agitur de Gorgiæ insurrectione. Secundo de Judæorum defensione, ibi : *Judæi vero qui*. Tertio de eorum ad Dominum oratione, ibi : *Hi vero qui erant*. Quarto de aliquorum forti inclusione, ibi : *Quidam autem*. Quinto de eorum pecuniosa evasione, ibi : *Hi vero qui cum Simone*. Sexto de vendentium occisione, ibi : *Cum autem Machabæus*. Circa illam partem in qua agitur de bello Timothei, primo ponitur, quomodo Timotheus et sui insurrexerunt. Secundo quomodo Machabæus et Judæi ad orationis auxilium recurrerunt, ibi : *Machabæus autem*. Tertio quomodo atlæ exercitus prælium commiserunt, ibi : *Primo autem solis*. Quarto quomodo quinque viri de cœlo armati ad auxilium Judæorum recurrerunt, ibi : *Sed cum vehementer*. Quinto quomodo Timotheus et sui succubuerunt, ibi : *Interfecti autem sunt*. Sexto quomodo Timotheus et sui fugientes se recluserunt, ibi : *Timotheus autem fugit*. Septimo quomodo in fortitudine loci confisi, in Judæos opprobria fecerunt, ibi : *At hi qui intus*. Octavo quomodo Judæi muros fregerunt, et ipsos occiderunt, ibi : *Sed cum dies quinta*. Ultimo, quomodo gratias Deo reddidere, ibi : *Quibus gestis*. Sed nunc jam ad literam. *Itemque delubra*, dicuntur quasi delentia aram, scilicet ad immolandum. *Et purgato templo*. Contra supra libro I, cap. IV, uno anno ante mortem Antiochi Nobilis posuit auctor purificationem templi, et post victoriam habitam cum Lysia : hic autem ponit eam factam post mortem Antiochi, et ante victoriam Lysimachi. Respondetur quod hic liber traditus fuit per modum epistolæ, ut inducerentur Judæi ad observantiam dierum festivorum aliquorum, ut supra dictum est cap. I. Et quia observanda magis potuerunt induci mortuo Antiocho, ideo fit de morte illius mentio. *Ignitis*, id est de calce et lapidibus precedentis altaris, ubi ignis erat perpetuus, et ideo vocat eos ignitos. *Concepto*, id est per collisionem generato. *Post biennium*. Sed contra, dictum est supra lib. I, cap. IV, quod contaminatio duravit tribus annis. Respondetur, verum id esse; sed uno anno duravit, antequam Judas et sui aliquod remedium apponerent : postquam verò ille incepit remedium adhibere, duravit duobus annis : et sic loquitur hic, cum dicit, post biennium. *Eadem die*, supra libro I, capit. IV. *Casleu*, Decembris, alias Novembris. De hoc vide supra lib. I, cap. IV. *Ante modicum tempus*. Ideo de novo ipsum diem scenopegiæ fecerunt, quia ante male et non secundum ritum legis ipsum fecerant. *Propter quod thyrsos et ramos etc.*, id est propter augendam magis festivitatem. *Thyrsos*, id est quosvis herbarum ramos : thyrsus enim secundum Papiam, generaliter est omnis frutex herbarum, vel olerum quorumcumque, de novo sursum elevatus a terra. *Quondam*, scilicet sub patre ejus. *Nam Ptolomæus* : quasi dicat : ideo substitutus est Lysias, quia Ptolomæus, qui prius fuit in illo officio,

accusatus fuit de proditione. De isto Ptolomæo duce Cœles Syriæ et Phœniciæ habetur supra eodem cap. VIII. *Qui dicebatur Macer*, cognomen est. *Justi tenax*, id est in justo facto pertinax, id est perseverans pro justitia Judæorum. *Esse instituit*, id est firmiter statuit. *Et pacifice agere*, supple, instituit. *Ab amicis*, scilicet suis, vel forte regis. *Proditor audiret*, sensus est : Cum audiret Ptolomæus de seipso frequenter hoc nomen proditor, id est se vocari proditorem, supple, hoc non obstante non recedebat ab amicitia Judæorum. *Eoque Cyprum.* Modo tangit duas causas, quare eum vocabant proditorem. *A Philometore*, id est regem Ægypti deseruisset, vel servitium regis deseruit, et ad reges Asiæ et Persidis se convertit. Et iterum ipso relicto Judæis se confœderavit : et propter ista duo reputabant eum proditorem ; sed tamen hoc ipse faciebat propter justitiam, ut patet in litera *Gorgias autem*, de quo supra lib. I. cap. III et IV, et eodem cap. VIII. *Fugatos a Jerosolymis*, scilicet Judæos ab hostibus, recipiebant in munitionibus quas habebant : vel sensus est, et melius, quod Judæi, qui erant in munitionibus, suscipiebant ad bellum illos hostes, qui expellebantur et fugabantur a Judæis, qui erant in Jerusalem. *Loca*, id est munitiones Idumæorum. *Non minus a viginti millibus*, id est non minus quam viginti millia. *Multis satis*, id est multis valde. *Dydrachmis*, id est nummis valentibus duas drachmas. Quid sit drachma, dictum est ante. *Vendidissent.* Ideo eos vendidisse dicuntur, quia eos prodiderunt, dimittendo eorum adversarios ; qui postea potius secum eos occidissent. Unde vendendo hostibus libertatem, implicite fratres suos vendiderunt. *Et Timotheus etc.*, de quo supra cap. VIII. *Illi autem ducem belli animum habebant*, id est pro duce, vel tanquam ducem. *Fulmina*, id est tela ut fulmina cum faculis accensis. *Maledicebant*, id est mala prædicabantur Machabæo et sociis.

CAPUT XI.

Sed parvo post tempore. Hic secundo ponitur bellum Judæ cum Lysia qui erat inter omnes principes terræ principalior. Et primo describit bellum et sequentem concordiam. Secundo describit in factis particularibus multiplicem Judæ victoriam. Et hoc cap. XII. Circa primum tria facit. Primo describit Lysiam a Juda superatum, ibi : *Sed parvo.* Secundo Lysiam cum ipso confœderatum. Tertio Judam mediante Lysia cum rege pacificatum, ibi : *Anno centesimo quadragesimo octavo.* Circa primam partem præmittit a Lysia exercitus congregationem. Secundo superbam et præsumptuosam intentionem, ibi : *Existimans se civitatem.* Tertio ipsius Judææ occupationem, ibi ; *Ingressus autem Judæam.* Ex parte autem Judæ ponitur, quomodo ipse cum suis ad lachrymas recurrerunt. Secundo quomodo verbis Judæ confortati audacter contra adversarios processerunt, ibi : *Ipse primus Machabæus.* Tertio quomodo Angelum adjutorem receperunt, ibi : *Cumque secum prompto animo.* Quarto quomodo adversarios occiderunt et fugarunt ibi : *Ibant ergo prompti.* Circa secundam partem principalem ponit, quomodo prudenter Lysias Judæorum potentiam invincibilem consideravit. Secundo quomodo verba pacis et concordiæ demandavit, ibi : *Misit ad eos.* Tertio quomodo Judas verba nuntiorum acceptavit, ibi : *Annuit autem Judas.* Quarto quomodo Judas amicabiles destinavit, ibi : *Nam erant scriptæ.* Circa tertiam partem ponit post confœderationem cum Antiocho eamdem cum populo romano. Et circa primam partem ponit epistolam regis ad Lysiam. Secundo ad Judæos. Circa tertiam partem principalem, primo præmittit rex curialem salutationem. Secundo aperit in generali suam regalem intentionem, ibi : *Patre nostro inter Deos*, Tertio explicat Judæorum et patris dissensionem, ibi : *Audivimus Judæos.* Quarto concedit legalium liberam observantiam. Quinto hortatur Lysiam ad hujus divulgationem, ibi : *Bene ergo feceris.* Circa epistolam regis ad Judæos, primo ponitur salutatio. Secundo gaudium de prosperitate. Tertio signum de fideli securitate. Quarto excusatio de temeritate. Circa epistolam romanorum salutationem præmittunt, prius donata concedunt, de futuris ipsos instruunt, epistolas mittendas eis petunt. Nunc ad literam, *Sicut cetera delubra*, loca scilicet ad immolandum idolis, sic dicta quasi delentia umbram, ut dictum est. *Venale sacerdotium*, esse, scilicet ab ipso : id est cogitabat, quod quolibet anno sacerdotium venderetur. *Elephantes*, quia animalia sunt ad pugnandum apta, de quibus lib. I, cap.

tu factum est. *Bethsura*, civitas est fortis secundum *Glossam*, ad vincendum in terra Juda vel Benjamin. *Quinque stadiorum*. Stadium est octava pars milliarii; et habet centum et viginti quinque passus qui continent sexcentos et viginti pedes, Isidorus in lib. xv. *Nudi*, armis suis projectis et illis exutis ad melius fugiendum. *Non commotus*, tunc instructus. *Quæ justa sunt*, id est quæ petebant Judæi, quarum petitio justa esse potest haberi per victoriam ipsis a Deo datas. *Quæ post illas*, scilicet duos. *Res perficiebat*, id est negotium exigebat. *Et deinceps*, id est cum his quæ jam incepi. *Anno centesimo quadragesimo octavo*: *Glossa*: eodem anno quo mortuus fuit Antiochus. Sed contra: quia supra lib. I. cap. vi dicitur, quod mortuus fuit anno centesimo quadragesimo septimo. Respondetur, quod frequenter in computandis temporibus regum una pars modica anni computatur pro anno. *Dioscori*, id est Junii. *Patre Deos translato*, id est a vita præsenti hominum abstracto, sicut dii qui conversationem cum hominibus non habent. *Templum restitui*, id est liberum cultum Dei in templo, quia templum jam habebant. *Menelaus*, ille de quo dictum est ante ambitiosus. *Velle vos descendere*: sensus est, quia ipse accusabat Judæos, quod volebant venire contra regem et suos liberare, quia non erant inter illos liberi. *His igitur qui commeant*, id est commorantur: vel *Ad nos commeantes*, et nobiscum convenientes. *Mensis Xanthici*. Græcum nomen est, quod Hebraice dicitur Nisan, latine autem Aprilis. *De his quæ per ignorantiam*, id est sicut alias passi sunt, ut patet de his quæ erga ipsos facta sunt, resolvere aliqua noluit Lysias per seipsum determinate, sed ad regem deferenda esse putavit. Cum autem nondum essent determinata, miserunt Romani informantes Judæos, ut scriberent, quomodo illa ad prosperitatem suam vellent determinari, quia id ipsi facturi essent apud regem Antiochum. Et notandum, quod eodem die, mense et anno, fuerant datæ literæ regis et Romanorum.

CAPUT XII.

His factis pactionibus. Hæc est secunda pars divisa contra præcedens capitulum, ubi ponit multiplicem particularem victoriam quam de adversariis obtinuit Judas; et secundo agitur de sepultura aliquorum Judæorum transgressorum, ibi: *Judas autem collecto*. Per totam primam partem ponit adversariorum repugnantiam in generali, et secundo in speciali, ibi: *Joppitæ vero*. Circa istud secundum, primo ultio de proditione Joppitarum. Secundo de proditione Jamnitarum, ibi: *Sed cum cognovisset et eos*. Tertio conflictum cum Timotheo et Arabis, ibi: *Inde cum jam abissent*. Quarto cum illis, qui erant in quadam forti civitate, ibi: *Aggressus est autem et civitatem*. Quinto iterum contra Timotheum et contra Ptolomæum, ibi: *Inde discesserunt stadia*. Sexto contra Gorgiam, ibi: *Et post Pentecosten*. Septimo contra Scythas, ibi: *Ideo ad civitatem Scytharum*. Circa secundam partem principalem totius cap. ponitur primo ex parte ipsius Judæ et suorum intentio sepeliendi. Secundo ex parte mortuorum transgressio delinquendi, ibi: *Invenerunt autem sub tunicis*. Tertio oblatio ponitur ad placandum Deum, ibi: *Omnes itaque benedixerunt*: ubi describitur placatio Dei et ex peccati detestatione, et ex communi oratione, et ex unanimi tribulatione. Nunc ad literam. *Agriculturæ operam dabant*. Hoc dicitur in signum pacis et tranquillitatis. *Qui resederant*, id est nimis diu quieverant a debellando Judæos, ut eis videbatur. *Timotheus*, fuit forsan alius ab illo qui supra eodem lib. cap. x fuit interfectus. *Cypriarches*, id est principes Cypri. *Scaphas*, id est naves: est enim scapha parva navis et levis, quandoque de una solum arbore concava facta, vel ex viminibus et corio tecta: et ducitur in aquam et facile in terram appellitur tempore periculi. Dicitur autem scapha a scaphos, quod est speculum, quia piratæ talibus utebantur ad speculandum: aut forte quia de longe possunt speculari. *Arietibus*. Aries ponitur pro instrumento perforandi muros, eo quod ad litteram perforat eos ad modum arietis invadentis. Sumitur enim ligamen de forti et duro et nodoso trunco, et vestitur ferro, et impetu violento in murum impellitur et ipsum perforat. Machina etiam generaliter est instrumentum exquisite inventum. *Tubianei*, dicuntur illi qui se tenebant ex parte Judæorum, non tamen erant Judæi: et dicuntur sic quasi alieni tubis conducti vel vocati. *Morte ejus decipi crearet*, quia si moreretur ipsi occiderentur. Fidem enim non

tantum per sponsionem sicut nos faciunt : sed per sponsionis conformitatem. *Scythopolitas*, id est cives habitantes in civitatibus Scytharum. *Septimanarum*, id est Pentecostes festo : quod secundum determinatum numerum septimanarum post Pascha celebratur, supra VII, et Lev. XXIII. *Contigit paucos ruere Judæorum*, quia absconderunt donaria idolis immolata, ut statim dicitur infra, *Baccenoris*, id est Tubianeis, de quibus dictum est, quod fuerunt a Juda conducti, ut ad sonitum tubarum essent Judæis in auxilium. *Thracibus*, id est hominibus de Thracia. Thraces enim, secundum Papiam, descenderunt a Thiras filio Japhet et sunt homines valde severi. *Irruit in eum*, id est in Dositheum, non in Gorgiam. *Esdrim*, iste erat huic Gorgiæ principalis post ipsum. *Militibus incussit*, id est milites Gorgiæ incussit ad fugam qui erat eorum principalissimus. *Purificati*, supple existentes. *Et sequenti*, die scilicet post sabbatum. Ex hoc loco habet Ecclesia fundamentum orationes faciendi pro mortuis. *Post sabbatum martyrum*, id est post diem dominicam, *donariis*, id est de illis quæ data erant idolis vel ad sacrificandum vel ad ornandum. Lex Deuteronomii VII. *Oblivioni traderetur*, adeo quoad hoc quod amplius ipsum non puniret in alios : vel oblivioni traderetur, aut ab ipsis celaretur, neque divulgaretur in alios. *Sub oculis*. Aliqui libri habent sic, *Sub oculis videntes quæ facta sunt :* et tunc sensus est quod servarent se sine peccato, sub oculis, id est sub pœna perdendorum oculorum : quam prohibitionem sciunt juste factam, videntes quæ facta sunt, quod scilicet pro peccato eorum fratres prostrati sunt. Alii habent, *Sub oculis viventis vel videntis Dei :* quasi dicat, si peccaveritis, Deus videbit, sicut patet per ea quæ facta sunt, quomodo pro peccato suo prostrati sunt. *Pro peccato, sacrificium*, et ponitur ad majorem intentionis Ecclesiæ expressionem cum dicitur : *Pro peccatis mortuorum, ut a peccatis solverentur, de resurrectione cogitans*. Aliqui dicunt, quod istud totum *Bene et religiose etc.*, est additum ; alii quod totum est de textu, illud scilicet, *Pro peccato sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans*. Et hoc videtur esse verum per sequentem litteram *Sancta etc.*, quæ tamen truncata esset sine hoc *Sancta ergo*, verbum istud est historiographi : et notandum quod quasi omnia dicta in hoc capite tractantur supra in primo libro, et hic supplentur.

CAPUT XIII.

Anno centesimo quadragesimo nono. Hæc est secunda pars illius partis cap. X divisa ; in qua ponitur pugna simul cum Antiocho et Lysia. Et primo ponitur adversariorum insurrectio. Secundo a Juda ipsorum expugnatio, ibi : *Quibus Judas congregatis*. Tertio iterata reconciliatio, ibi : ut autem cognovit. Circa primam partem primo agitur de exercitus congregatione, ibi : *Anno centesimo quadragesimo nono*. Secundo interseritur de malitiæ Menelai perceptione, ibi : *Commiscuit autem se illis*. Tertio de ipsius condigna occisione, ibi : *Sed rex regum*. Quarto de justa sepulturæ privatione, ibi : *Erat autem in eadem*. Quinto de crudelitatis regiæ executione, ibi : *Sed rex*. Secunda pars principalis continet duas victorias quas habuit de Antiocho. Circa primam primo ex parte Judæ et suorum continetur devota oratio. Secundo perfecta in signo humiliatio, ibi : *Omnibus itaque*. Tertio ipsius Judæ provida deliberatio, ibi : *Ipse vero cum*. Quarto sociorum fortium exhortatio, ibi : *Dans itaque potestatem*. Quinto hostium virilis invasio, ibi : *Et dato signo*. Circa secundam partem habes regem munitiones Judæorum invadentem. Secundo Judam suis in munitionibus providentem, ibi : *His autem certus*. Tertio regem illos qui erant in Beth-sura alloquentem, ibi : *Iterum rex*. Quarto Judam hoc non obstante regem expugnantem, ibi : *Commisit cum Juda*. Circa tertiam partem principalem de resurrectione, primo concludit Philippum contra regem rebellare. Secundo quod de hoc voluit rex cum Judæis se pacificare, ibi : *Judæos deprecatus*. Tertio voluit rex Judæos et templum muneribus honorare, ibi : *Et reconciliatus*. Quarto concludit ex hoc Ptolomenses remunerare, ibi : *Ut autem venit Ptolomaidem*. Quinto visus est Lysias eum pacificare, ibi : *Tunc ascendit Lysias*. Nunc ad litteram. Notandum est quod de isto bello cum Antiocho perfectius habitum est supra lib. I, cap. VI : et videtur fuisse primum bellum Judæ et suorum cum Antiocho Eupatore filio Antiochi Nobilis ; et hoc dicit *Glossa* super locum istum ; quæ et secundum historiam, et secundum al-

legorum locum exponit, et remittit se ad expositionem in præcedente libro positam. Sed contra hunc locum objicitur illud quod habetur libro I, cap. vi; ubi dicitur quod elephantes ducti triginta duo ad prælium erant ibi; et ibi etiam habetur de turribus super eos ædificatis, et de ordine exercitus Antiochi etc.; hic vero dicitur quod erant viginti duo elephantes. Respondetur quod hic vel ibi fuit error scriptorum, id est eorum qui hos libros compositos descripserunt. *Cum falcibus*, id est undique circumseptus falcibus. *Curribus*, scilicet ferreis ad secandum, tales dicuntur currus falcati. *Menelaus*, qui scilicet occidi fecit fratrem suum Oniam et prodidit Jasonem. *Cum multa fallacia*, quia adulando captabat benevolentiam ejus. Supra tamen dictum est quod ipsam deprecationem fecerunt filii nequam; quod est intelligendum, quia plures alii erant cum Menelao, ipse vero erat principalis. *Deprecabatur*, ut insurgeret in Judæos; verum supra manifestius ponitur. *In peccatorem*, id est Menelaum. De ista morte ejus tali loco, non dicitur supra; tamen hoc fuit verum, quia, ut dicitur lib. II, cap. i, ipse fuit de illis filiis nequam, qui, ut dictum est supra, a Judaismo apostatarunt. *Aggestum*, id est tumulum. *In præceps*, quia præruptus erat locus ille et videbatur imitari præcipitium. *Inde in cineres*, id est de altitudine præcipitii impulsus est. *Tali lege contingit.* Hoc est, tali modo hoc est ut legali modo, sed non fortuito. *Sanctus*, scilicet ignis ille jugis altaris. *Nequissimum*, et hoc quia constitutus fuerat contra eos votis aliorum, licet de se pacem voluisset, sicut patet per confœderationem prius factam, supra eodem cap. xii. *Victoria Dei*, quia juvenibus recitavit fortia Dei facta. *Nocte.* Sed contra hoc supra dicitur quod hoc fuit de die; unde dicitur quod refulsit sol in clypeos aureos etc. Respondetur quod utrumque verum est. Inchoavit enim de nocte et continuavit de die. *Maximum elephantorum.* Contra: supra dicitur quod hoc fecit Eleazar frater ejus submittens se elephanti. Respondetur quod hoc iterum fuit; vel hic etiam recitatur compendiosius, et etiam facta aliorum tribuuntur frequenter principi. *Prosperum.* Contra: dicitur ubi supra quod Judas aliquantulum fugit; ergo Eleazar frater suus occubuit. Respondetur quod prosperitas fuit ibi, non quantum ad omnia, sed quia multum damni intulerunt adversariis suis. Et per hoc auctor inducit per epistolam illos quibus missa est ad gratiarum actionem. *Sed fugiebatur.* Ista clausula non ponitur ubi supra. Sed contra: quia ubi supra dicitur quod tradiderunt se propter defectum victualium. Respondetur quod quamdiu potuit, illis providit sicut dicitur hic; tamen tandem non potuit plus, et reddiderunt se. *Accepto gustu*, id est gustata audaria, sicut experientia de vino sumitur per gustum. *Mysteria*, id est secreta, scilicet Judæ et suorum et consilia; et hoc est melius, quia ubi supra dicitur quod rex credebat eis victualia. *Cognovit*, per Lysiam scilicet, ut dicitur ubi supra. *Philippum*, cui commisit Antiochus Nobilis moriens stolam et annulum et diadema ut ferret ea Antiocho isti filio suo. Veniens vero Antiochiam voluit usurpare regnum et privare Antiochum; et hæc fuit causa confœderandi se cum Judæis. *Justum visum est*, scilicet Judæis. *Ne forte fœdus rumperent*, scilicet Judæi; sed contrarium accidit: quia dicitur supra, nempe lib. I, cap. vi, quod rex statim juramentum suum fregit. *Hoc modo*, id est hac occasione.

CAPUT XIV

Sed post triennii tempus. Hæc est tertia pars illius, Judas vero, quæ incipit, cap. viii: in qua ponitur factum ipsius Judæ sub Demetrio nepote Antiochi Nobilis filio Seleuci. Quomodo vero iste venit ad regnum mortuo patruo suo Antiocho Nobili, vide supra libro I, cap. vii. Et talis pars dividitur in tria: primo ponitur a Demetrio contra Judæos Nicanoris destinatio; secundo ipsius a Judæis interfectio, cap. xv; tertio historiæ consummatio, eodem cap. in fine. Si vero quis quærat, cur in libro isto non fiat mentio de victoriis factis sub aliis regibus, vel ab aliis fratribus sicuti sub Jonatha et Simone: Respondetur quod qui scripsit librum istum secundum, intendebat tantum secundum modum et formam epistolæ, cap. x, ipsum mittere, finaliter ad inducendum Judæos qui erant in Ægypto ut celebraretur dies victoriæ istius, scilicet de morte Nicanoris; et ideo mortuo eodem Nicanore cessat epistola et est finis libri. Circa istud capitulum primo ponitur regis Demetrii ad regnum exaltatio; secundo ejus ab Alcimo contra Judæos in-

flammatio, ibi : *Alcimus autem quidam* ; tertio Nicanoris contra eos destitutio, ibi : *Qui statim Nicanorem*, quarto Nicanoris cum Judæis confœderatio, ibi : *Nicanor tamen*, quinto regis contra Nicanorem indignatio, ibi : *Alcimus autem* ; sexto Nicanoris dissimulatio, ibi : *Quibus congregatis* ; septimo Judæ perceptio et declinatio, ibi : *At Machabæus videns* ; octavo Nicanoris superba comminatio, ibi : *Quod ut ille cognovit* ; nono cujusdam senis Judæi ignominiosa interfectio, ibi : *Razias autem quidam*. Circa secundam partem, agitur primo de Alcimi prava ambitione ; secundo de munerum oblatione, ibi : *Offerens ei* ; tertio de ipsius a rege consultatione, ibi : *Evocatus* ; quarto de Judæorum accusatione, ibi : *Ipsi qui dicuntur* ; quinto de regis contra eos provocatione, ibi : *Sed oro*, sexto de omni contra eos inflammatione, ibi, *talibus*. Circa tertiam partem introducit regem Nicanorem mittentem et informantem, et Alcimum in summum Sacerdotem præficientem, ibi : *Et constituerent*. Tertio populum contra Judam se Nicanori conjungentem, ibi : *Tunc gentes* ; quarto populum Judæorum timentem et ad Dei auxilium recurrentem, ibi : *Audito itaque Judæi*. Circa quartam partem habetur primo quomodo Nicanor de potentia Judæ et suorum deliberavit ; secundo quomodo nuntios pacis ad eos destinavit, ibi, *quamobrem*, tertio quomodo Judas legationem de consilio acceptavit, ibi : *Cum de his* ; quarto quomodo ad cautelam rem ordinavit, ibi : *Præcepit autem Judas* ; quinto quomodo Nicanor cum eis pacifice habitavit, ibi : *Morabatur autem*. Circa primam Alcimus ad regem revertitur, de pace cum Judæis nequiter instruitur ; falsitas et malitia tam Judæ quam Nicanoris illi suggeritur, rex ad indignationem iterum commovetur, et scriptura regis captura Judæ iterum præcipitur. Sexta pars indivisa manet, et etiam septima. Circa octavam partem notandum, quod primo ponit Nicanorem Judam requirentem ; secundo ipsummet hostias in templo impedientem, ibi : *Venit ad maximum* ; tertio templum et altare destruenda asserentem, ibi : *Quibus cum juramento* ; quarto populum ad Dominum recurrentem, ibi : *Sacerdotes autem protendentes*. Circa nonam partem primo ponitur ipsius Raziæ commendatio, ibi, *Razias autem*, secundo Nicanoris erga Judæos mala intentio, ibi : *Volens autem Nicanor* ; tertio ipsius sancti viri ab ipso persecutio, ibi, *Turbis autem irruere* ; quarto ex parte ipsius viri humanæ probitatis ostensio, ibi : *Et cum jam comprehenderetur*. Ista autem fuit probitas (si probitas dici debet, et non potius improbitas), quod ter se visus est occidere : primo vulnerando, secundo præcipitando, tertio intestina sua projiciendo. Sed jam ad litteram *Demetrium Seleuci filium*. Quis fuit ille, et quomodo regnavit, vide supra lib. I, cap. VII. *Tripolis*, civitas est maritima, unde vero veniebat Judas, supra lib. I, cap. VII. *Alcimus*, pessimus et ambitiosus ; *coinquinatus*, observantia gentilitatis. *Commixtionis*, id est quando commiscebat se cum gentibus, supra cap. IV et VI. *Salutem nec accessum ad altare*, quem scilicet ex ambitione optabat, nempe sacerdotium. *Centesimo quinquagesimo anno*. Sed contra : quia statim dicitur quod hoc fuit post triennii tempus, supple a morte Antiochi Nobilis, et a regno filii sui Antiochi, qui incœpit anno centesimo quadragesimo nono, ut dictum est ante cap. VI ; unde oportet quod istud sit anno centesimo quinquagesimo primo. Respondetur id verum esse : sed hic non computatur illa pars quinquagesimi primi anni, in cujus principio iste Demetrius venit ; unde debet glossari, post triennii tempus, id est post duos annos, et partem tertii positam pro anno tertio. *Coronam*, in signum victoriæ super hostes. *Et tallos*, signum dominii super templum : talli enim erant vasa ad modum turrium facta, in quibus offerebant in diebus solemnibus, ut dicit *Glossa*. *Assidæi*, sic dicebantur qui Judam sequebantur : quia speciali zelo dediti erant cultui divino, et in eo assidui. *Qui statim Nicanorem*. Hic ut ad principale propositum veniat, præmittit de missione prima Alcimi et Bacchidis, et proditione Judæorum ab Alcimo veniente, et juramenti sui violatione, de quibus supra libro I, cap. VII. *Constitueret Alcimum*. Supra quidem dixit quod rex illum constituit : quod est verum : sed præcepit Nicanori ut destituto Juda poneret istud in executione, caperet scilicet vivum. *Tunc gentes quæ de Judæa fugerant Judam* : forsan illi fuerunt qui spe auxilii ad Alcimum venerunt ; quia eum de genere Aaron crediderunt, supra lib. I, cap. VII : quos iste fraudulenter decepit. *Sanguine judicium facere metuebat*, id

est: putabat seditionem sedare per judicium sanguinis, id est per sanguinis effusionem; quia timebat sibi et suis. *Sellæ positæ sunt singulis*, id est ab utraque parte. *Habentur* scilicet a Juda. *Rogavit eum*, Nicanor scilicet, *Judam procreare filios*: forte ut judicium daret ei majoris securitatis, vel propter filios imitatores suæ probitatis habendos, vel quia hoc etiam ipse fecerat, sicut statim innuitur, unde sequitur: *Nuptias quæ fecit*, scilicet Nicanor. De hoc nihil fuit dictum supra lib. I, cap. VII, sed bene quod misit verba pacifica in dolo, et quod Judas fugit: sed utrumque fuit verum. Quia primo fuit confœderatio, et postea recessit Nicanor a Juda, habens tantum pacem in signo, non in re; et hæc vocantur supra verba pacifica in dolo, quibus non consensit, sed ille percipiens fugit, et declinavit, sicut dicitur hic: et tunc venit ad templum cum verbis comminatoriis; et hoc utrobique dicitur. *Solitas hostias offerentibus*, et supra dicitur quod ostenderunt ei hostias speciales quas pro prosperitate regis faciebant, ut eum magis allicerent. *Libero*, id est tali idolo. *Patri autem*, dicit causa reverentiæ, sicut vocamus Deum nostrum patrem. *Consecrabo*. Contra, quia statim dixerat quod ipsum ad planitiem deduceret. Respondetur quod forsan ex impatientia ignorabat vim vel ordinationem verborum suorum; vel forte id comminatus est sub distinctione, quod ipsa faceret vel hoc vel hoc, id est, quod vel ipsum destrueret, vel quod illud idolo consecraret, vel forte quod in eodem loco aliud templum faceret idolo consecratum. *Razias autem delatus*, id est accusatus. Dictum fuit ei quod ex quo non poterat Judæos punire in puniendo Juda, quod non posset eos magis offendere quam in illo sene. *Razia complexionis in Judaismo*, id est in ritum Judæorum. *Gladio sese petiit*, id est, se percutere visus fuit. *Contra natales suos*, quia natus erat de fidelibus. *Defunctus est*. Sed utrum in hoc sit laudandus vel vituperandus? Respondetur quod nullus potest se interimere, vel aliquid facere ad quod immediate et indubitanter sequatur mors, quin sit homicida sui ipsius: nisi forte hoc faciat instinctu Spiritus sancti, sicut creditur fecisse Samson. Unde in epist. ad Hebræos XI cap. ponitur ille in catalogo fidelium: et similiter forsan fecit iste. Unde *Glossa* super hunc locum, et est Augustini: His exceptis quos lex justa generaliter vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominum vel seipsum vel alium quemlibet occiderit, homicidii crimini innectitur. Sed secundo dubitatur utrum saltem sic facere, sit magnanimitatis? Et dicitur quod sic. Unde et in littera dicitur, *Magis eligens nobiliter mori*. Ad hoc dicitur, quod superficie tenus videtur esse quædam magnanimitas, sed realiter est quædam pusillanimitas. Unde Augustinus in eadem *Glossa*: quicumque hoc ipsum in semetipsos perpetrant, animi magnitudine mirandi sunt, non sapientiæ sanitate laudandi sunt. Quamvis si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare, vel quæque aspera vel aliena peccata, semetipsum interimit: magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non valet vel duram sui corporis servitutem, vel stultam vulgi opinionem; majorque animus dicendus est illius qui vitam ærumnosam magis potest ferre quam fugere, et humanum judicium quod plerumque caligine erroris involvitur, pro conscientiæ liceat puritate contemnere, et cætera. Hæc Augustinus in libro *de Civitate Dei*, capite, vide *Glossam* hic.

CAPUT XV.

Nicanor autem ut comperit etc. Hæc est secunda pars partis præcedentis; in qua postquam ponitur Nicanoris destinatio, subjungitur ejus a Juda et suis interfectio. Et primo ponitur Nicanoris superbia in principio capitis. Secundo Machabæi confidentia, ibi: *Machabæus autem*. Tertio de hostibus magna victoria, ibi: *Judas vero*. Circa primum ponitur fallax hostis intentio. Secundo ejus redargutio, ibi: *Judas vero*. Tertio veritatis ab ipso investigatio, ibi, *At ille infelix*. Quarto veritatis auditæ despectio, ibi: *Et respondentibus illis*. Circa secundam partem principalem hortatur suos Judas. Primo recitatione verborum. Secundo expositione somniorum, ibi: *Singulos autem illorum*. Et circa istorum numerum primum declarat Judæ confidentiam, et promittit de cœlo victoriam; et recitat Scripturæ divina adjutoria, replicat et hostium malitiam. Circa secundam partem harum duarum ponit primo

Judam somniantem, ibi : *Singulos autem illorum*. Secundo Oniam orare videntem ibi : *Oniam qui fuerat*. Tertio virum Oniæ apparentem, ibi : *Post hæc autem apparuisse*. Quarto Jeremiam pro populo orare promittentem, ibi : *Hic est qui multum orat pro etc*. Quinto Jeremiam Judam animantem, ibi : *Accipe sanctum gladium*. Sexto populum ex his vires colligentem, ibi : *Exhortati itaque verbis*. Septimo Judam deprecantem, ibi : *Et cum jam sperarent*. Circa tertiam partem principalem ponitur primo quomodo congressi fuerunt. Secundo quomodo exercitum Nicanoris occiderunt. Tertio quomodo caput et linguam et manus ejus absciderunt. Quarto quomodo caput ejus in loco eminenti suspenderunt. Quinto gratias Deo cum lætitia reddiderunt. Sexto quomodo diem victoriæ celebrari ordinaverunt. Nunc ad literam. *Ne ita barbare feceris*, id est extranee, ruditer vel crudeliter, *sanctificationi*, passive, id est sanctificatæ, vel active, quia observantes, ex hoc sanctificantur. *Commune trophæum*, id est habeo victoriam omnibus notam. *Machabæus autem confidebat*, scilicet malitiam ejus esse publice puniendam. *Cum omni spe*, id est spe perfecta. *De lege ;* id est æquitate et sanctitate legis, et Prophetarum. *Juramentorum*, scilicet Nicanoris de quo supra cap. XIV. *Armavit*, id est constanter firmavit. *Onia*, qui fuerat mortuus, supra IV. *Qui multum orat*. Hinc patet sanctos habere curam de vivis, et eos qui mortui sunt in sanctitate, vivos suis orationibus ante Deum juvare. *Extolli posset impetus*, id est intendi et fieri major contra inimicos. *Compositi*. De hac compositione satis habetur supra libro I, cap. VI, si tamen sit idem prælium, quod non omnino credo. Vel forte in isto prælio eodem modo bestias et elephantes ordinaverunt. *Ezechia*. Isai. XXVIII, et IV Regum XIX, vide de hoc. *Prima*, scilicet hebdomada. *Adar*, id est Martii, Esther IX. *Pridie*, quia solennitas Mardochæi fuit die XIV Martii, et ista ponitur die XIII. *Ex illis temporibus*, scilicet usque ad captivitatem Romanorum.

S. THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO IN SEPTEM EPISTOLAS CANONICAS

PRÆFATIO

Missæ sunt epistolæ ex regis nomine per veredarios qui per omnes provincias discurrentes veteres litteras novis nuntiis prævenirent. Verba ista scripta sunt Esther VIII cap., et satis spiritualiter intellecta competunt proposito nostro. Et ut melius videamus sensum spiritualem, primo videamus litteralem. Narrat hæc historia ad literam, quomodo a rege Assuero per falsam suggestionem Aman proditoris lata fuit sententia condemnationis et interfectionis totius populi Judæi in regno suo existentis. Jam sententia erat lata, jam erat annulo regis obsignata, jam per nuncios publicata, jam dies erat assignata: non restabat nisi quod interficerentur. Sed sicut narrat eadem historia per reginam Esther fuit revocata, scilicet per ejus intercessionem, per virgæ aureæ extensionem et osculum summitatis ejusdem. Nec solum sententia fuit revocata; imo ipsa revocatio per veredarios ad hoc specialiter missos fuit revocata: hoc est quod dicitur in verbis propositis: *Missæ sunt epistolæ etc.* Sicut dicitur I Corinth. X: *Omnia contingebant illis in figura.* Veritas autem respondens huic figuræ hæc est: per peccatum enim primorum parentum per falsam suggestionem Aman proditoris perpetratam a rege Assuero, scilicet Deo, sententia damnationis totius generis fuit lata. Genes. II: *Quacumque die comederis ex eo morte morieris.* Quod dictum est Adæ non solum pro se, sed pro sua tota posteritate. Et dicit: *Quacumque die comederis, morte morieris:* innuens triplicem mortem: nam ipsa comestio fuit mortifera. Statim ergo cum comedit lignum vetitum, mortuus fuit spiritualiter, sed habuit necessitatem moriendi corporaliter, et quantum est de se, æternaliter. Jam ergo sententia erat lata, jam erat in sacra Scriptura obsignata, Genes. II. Jam erat per nuncios, scilicet prophetas, promulgata. Jam dies erat assignata. Statim enim cum moriebamur ad inferos descendebamus. Sed per Esther reginam, id est Virginem beatam, fuit revocata, per ejus scilicet intercessionem, per virgæ aureæ extensionem, et osculum summitatis ejusdem. De hoc habetur Esther VIII: ubi dicitur, quod placuit Esther regina in oculis regis, et extendit contra eam virgam auream: quæ accedens osculata est summitatem virgæ. Et dixit ei rex, Quid vis, Esther, et quæ est petitio tua? et si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Quæ respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis et placet tibi, dona mihi animam meam pro qua rogo et populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ut conteramur et jugulemur et pereamus per peccatum originale contractum et per peccata nostra actualia superaddita. Traditi enim eramus ut jugularemur, in corpore periremus et in anima contereremur: id est simul tereremur in utroque, ut jugularemur corporaliter, periremus spiritualiter. Contereremur: id est continue tereremur æternaliter. Sed Esther regina, id est Virgo

beata, placuit in oculis regis ad restaurationem generis humani; invenitque gratiam coram eo non solum pro se, sed pro toto humano genere: extenditque rex virgam auream. Ista virga aurea secundum *Glossam*, fuit crux sive passio Dominica, quæ tota fuit aurea, id est charitativa. Nihil enim fuit maculæ in ipso Christo contractum, nec passibilitas contracta est nec originale contractum. Nihil fuit in ipso actu, quia nec veniale nec mortale; imo pure pro salute generis humani passus fuit. Nullius sancti, cujuscumque fuerit conditionis, passio fuit tota aurea; quia in omnibus fuit passibilitas contracta per originale contractum, et aliquod peccatum actu, saltem veniale. Hanc virgam auream Dominus Deus Pater nobis extendit, quando ex charitate maxima quam ad nos habebat, Filium suum passioni exposuit. Summitatem ejus virgæ Virgo beata tetigit, quando filium Dei in utero concepit, et postmodum peperit; et sic dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipsa sit regina misericordiæ, cujus filius est rex justitiæ. Sic etiam sententia nostræ damnationis revocata fuit. Et per veredarios, id est Apostolos, ad hoc specialiter missos, revocatio fuit promulgata; hoc est quod dicitur in verbis propositis: *Missæ sunt epistolæ ex regis nomine*, id est auctoritate *per veredarios*, id est Apostolos, *qui per omnes provincias discurrentes*, — *Glossa* per prædicatores summi regis cursores, *veteres literas*, scilicet damnationis nostræ, *novis nuntiis*, scilicet Apostolis, *prævenirent*. In verbis istis notantur tria, secundum tria cuilibet missioni solenni necessaria. Quælibet enim missio solennis requirit in mittente auctoritatem, in misso celerem adimpletionem, in eo cui fit missio utilitatem. In verbis autem propositis notantur ista tria. In mittente auctoritas, cum dicitur: *Missæ sunt epistolæ ex regis nomine*. In misso adimplendi celeritas, cum dicitur: *Per veredarios per omnes provincias discurrentes*. In illis in quibus facta est missio, utilitas, cum sequitur, ut *veteres litteras novis prævenirent nuntiis*. Primo ergo notatur, cum dicitur: *Missæ sunt epistolæ ex regis nomine*. Iste rex Assuerus significat Christum; interpretatur enim atrium vel beatitudo. Christus vero est atrium bonorum qui sunt in statu viæ. Beatitudo quantum ad illos qui sunt in statu patriæ. De utroque dicitur in Psal. LXXXIII: *Beati qui habitant in domo tua Domine, etc.* Et paulo post, *Melior est dies una in atriis tuis super millia*. Ipse est Rex regum et Dominus dominantium, I ad Timoth. VI. Excellit enim omnes alios reges; in Psalm. LXXXVIII: *Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ*. Excellit autem omnes alios reges, primo in naturalibus et institutione, regiæ majestatis dignitate: fuit enim rex quando natus est ex Deo patre æternaliter, et rex antequam natus ex Virgine temporaliter. Ideo sapienter quærebant illum Magi. Matth. II: *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* non dicunt ubi est, sed ubi est qui natus est rex. Rex enim Franciæ natus est, sed non est natus rex. Christus autem fuit rex in ipsa nativitate; imo antequam nasceretur ex virgine, Psalm. LXXIII: *Deus autem rex noster ante sæcula*. Secundo excellit eos in aliorum institutione: ipse enim omnes alios reges instituit: quod nullus alius potest. Rex enim Franciæ non instituit regem Angliæ. Prov. VIII: *Per me reges regnant*. Unde omnes reges alii sunt ejus servi et tributarii. Psalm. LXXI: *Omnes reges servient ei*, id est servire debent. Vel, ut sit distributio accommoda, quod quotquot servient ei erunt reges; quia ei servire regnare est, secundum Gregorium in *Glossa* super illud, *Paulus servus Jesu Christi etc.*, ad Rom. I. Tertio excellit eos in regni sui æternitate sive æterna duratione; caret enim principio et fine. Psalm. CXLIV: *Regnum tuum regnum omnium sæculorum*. Daniel. VII: *Potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur*. Omnia aliorum regna sunt temporalia et corruptibilia, ac per hoc momentanea. Eccl. X: *Hodie est rex et cras morietur*: unde reges mundi sunt quorum regnum non durat forte nisi per unum diem, et postea sunt similis vel forte deterioris conditionis. Quarto excellit in regni sui liberali et totali distributione. Omnibus enim illis qui sunt de regno suo liberaliter totum regnum suum distribuit: quod nullus alius rex. Luc. XXII: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*. Non dicit partem regni, sed regnum. Legitur I Mach. I, quod Alexander cum moreretur vocavit pueros suos cum quibus nutritus fuerat a pueritia sua, et divisit illis regnum suum. Aliter est enim de regno Dei et mundi. Videre enim re-

gnum mundi non est habere. Matth. iv : *Ostendit ei omnia regna mundi et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo* ; non dixit tibi do. Sed videre regnum Dei est habere juxta illud Sapient. x : *Justum deduxit Dominus per vias rectas et ostendit illi regnum Dei* id est dedit. Scitis autem quod eadem res simul et semel et tota a pluribus, imo ab omnibus, potest videri. Rex igitur Assuerus est Christus, ex cujus nomine, id est auctoritate epistolæ illæ missæ sunt. Ille enim facit, cujus auctoritate fit. Apostoli vero auctoritate Christi istas epistolas scripserunt et miserunt : et ideo possunt dici a Christo missæ. Ecce ergo primum, scilicet in mittente auctoritas ; quæ significata est Paralip. xxx, ubi dicitur quod Ezechias rex misit nuntios ad omnem Israel et Judam ; et scripsit epistolas ad Ephraim et Manassem, ut venirent in domum Domini in Jerusalem et facerent Phase Domino Deo suo. Rex ergo Christus qui misit nuntios, id est Apostolos, et scripsit epistolas, scilicet canonicas. Secundo notatur in verbis propositis in missis adimplendi celeritas, cum dicitur : *Per veredarios etc.* Isti veredarii sunt Apostoli, id est veredarius est auriga vel nuntius in rheda portatus. Est autem rheda genus vehiculi quatuor rotarum, et dicitur rheda a redeo, redis, eo quod talis currus agilis est ad eundum et redeundum. Istud vehiculum per quod portamur in cœlis est sacra Scriptura generaliter, vel doctrina apostolica specialiter. Quatuor rotæ sacræ Scripturæ sunt quatuor modi exponendi sacram Scripturam : scilicet Historicus, Tropologicus, Allegoricus, Anagogicus. Quatuor rotæ doctrinæ apostolicæ sunt quatuor de quibus principaliter in eorum epistolis agitur. Prima rota est temptus mundanæ prosperitatis, de qua principaliter agitur in canonica Jacobi. Docet enim contemnere quatuor ad mundanam prosperitatem pertinentia : scilicet mundanam sapientiam in i cap., ubi docet gaudendum in tribulatione. *Omne gaudium existimate fratres etc.*, et gloriari in humilitate, *Glorietur frater humilis etc.* Sæcularem pompam in ii cap. ubi reprobat acceptionem personarum. Popularem famam in iii cap. ubi reprobat appetentes magisterium. Nolite plures magistri fieri fratres mei. Temporalem affluentiam in iv et v cap. Secunda rota est sustinentia adversitatis, de qua agit principaliter Petrus ; scribit enim proselytis qui erant dispersi et pro Christi fide patiebantur ; et ideo scribit eis consolando et informando in sustinentia adversitatis ; unde statim in principio epistolæ, *Modicum si oportet nunc contristari etc.* Tertia rota est amor fraternæ et divinæ charitatis, de qua principaliter agitur in epistolis Joannis, I Joan. iv : *Charissimi diligamus invicem, quia caritas ex Deo est.* Quarta est fuga carnalis voluptatis, de qua principaliter agitur in canonica Judæ ; unde ibi dicitur, *Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam.* De istis quatuor rotis dicitur Ezechiel. i : *Spiritus vitæ erat in rotis.* Veredarii ergo sunt nuntii in vehiculo quatuor rotarum portati. Isti autem sunt Apostoli qui per omnes provincias discurrerunt, quia ubique in nomine Christi annunciaverunt. Psalm. xviii : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Quod satis figuratum fuit II Paralipomenon xxx, ubi dicitur, quod *perrexerunt cursores cum epistolis ex imperio regis et principum ad universum Israel et Judam prædicantes filiis Israel : Revertimini ad dominum Deum Abraham, Isaac et Jacob* ; et parum post : *Pergebant cursores velociter de civitate in civitatem ad omnem Ephraim et Manassem, illis irridentibus et subsannantibus.* Tertio notatur in illis quibus facta est missio utilitas, cum dicitur : *Qui veteres literas novis nuntiis prævenirent.* Ista veteres litteræ erant literæ nostræ damnationis. Istæ sunt litteræ sive epistolæ Uriæ, de quo loquitur II Regum xi, quod portavit literas mortis suæ. Literas mortis suæ portant viri literati qui sciunt et docent et non faciunt. Istæ sunt literæ sine sigillo, idest scientia sine vita, et ideo non creditur eis. Vel literæ istæ veteres sunt peccata ad veterem hominem pertinentia. Istæ literæ in peccatoribus sunt scriptæ, Jerem. xvii : *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, ungue adamantino exaratum* : sed per doctrinam Apostolorum sunt præventæ et revocatæ. Et nota quod per prædicationem et doctrinam Apostolorum, istæ literæ in aliquibus sunt præventæ, scilicet in innocentibus ; in aliquibus irritæ factæ, scilicet in pœnitentibus ; in aliquibus correctæ, scilicet in proficientibus ; in aliquibus totaliter deletæ, scilicet in pervenientibus : et hoc totum per doctrinam istorum apostolorum. Ipsi enim docent innocentiam servare, de peccatis pœnitere, de bono in

melius proficere, et sic ad cœleste præmium pervenire. De primo dicitur hic, *Veteres literas novis nuntius prævenirent* : veteres literas novis nuntius prævenire est, se a peccatis præservare et innocentiam baptismalem servare. De II et III dicitur Esther VIII, quod oravit Esther regem, ut malitiam Aman Agagitæ et machinationes pessimas quas cogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri : et novis epistolis veteres litteræ Aman insidiatoris et hostis Judæorum, quas per cunctas regis provincias præire præceperat, corrigerentur : et sicut patet ex textu, quod ipsa petiit impetravit. Corrigebantur autem hæ literæ in proficientibus : correctio enim est veterum literarum deletio et novarum superscriptio : ita correctio spiritualis est veterum peccatorum deletio, et novarum litterarum, scilicet gratiarum, virtutum, donorum et bonorum operum superscriptio : in pervenientibus autem erunt totaliter deletæ, et quantum ad culpam, et quantum ad pœnam, imo et peccata occasionaliter erunt eis in gloriam, II ad Corinth. III : *quod si ministratio mortis litteris deformatæ in lapidibus fuit in gloria.* Literæ istæ sunt peccata, quibus anima deformata est ; quæ sunt ministratio mortis causaliter, sed erunt in gloriam bonis occasionaliter ; non occasione data, sed accepta, secundum quod dicit Apostolus ad Rom. VIII : *Diligentibus Deum omnia cooperantur etc.* Et alibi, Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia. His visis patet quis sit auctor hujus libri. Auctor enim principalis est rex Assuerus, scilicet Christus, cujus. Auctoritate epistolæ et scriptæ et missæ sunt, auctores secundarii sunt veredarii, idest Apostoli. Materia hujus libri est contemptus mundanæ prosperitatis. In canonica Jacobi, sustinentia adversitatis : in canonica Petri, amor supernæ et divinæ charitatis : in canonica Joannis fuga carnalis voluptatis : in canonica Judæ deletio veterum literarum, idest peccatorum, et superscriptio novarum, scilicet gratiarum, virtutum, donorum, bonorum operum. Modus agendi attenditur in divisione et ordine epistolarum et capitulorum. Tamen sciendum est quod modus procedendi aliquando est exemplaris, aliquando est comminativus aliquando promissorius. Exemplaris est, ut magis moveat ad operationem boni : magis enim movent exempla quam verba : unde dicit Bernardus : « Efficacius loquitur vox operis quam sermonis. » Unde in sacra Scriptura, non solum verba, sed et facta significant. Comminativus, ut incutiat timorem supplicii. Promissorius vero, ut alliciat ad amorem regni. Titulus est, incipiunt epistolæ canonicæ, id est regulares. Liber autem iste dividitur in quatuor partes secundum numerum auctorum, vel in partes septem secundum numerum epistolarum.

B. JACOBI APOSTOLI EPISTOLA CANONICA

CAPUT I.

Jacobus Dei et Domini etc. Hæc epistola dividitur principaliter in duas partes : scilicet in salutationem et instructionem. Secunda pars, ibi : *Omne etc.* In salutatione primo describitur persona salutantis. Secundo, salutæ : duodecim tribubus. Tertio, necessitas salutandi : quæ sunt in dispersione. Quarto, forma salutationis, salutem. Dicit ergo, *Jacobus Glossa*, celebris persona Ideo nomen suum præponit, quia nomen erat celebre : nam sicut dicit *Glossa* : iste Jacobus cognominatus est justus, et fuit filius Mariæ sororis matris Domini, post passionem Domini Jerosolymorum ordinatus episcopus : qui, sicut dicit Hege-

ipse ex utero matris sanctus fuit. Vinum et siceram non bibit : carnem nullam comedit ; solus ante templum ingrediebatur, et flexis genibus pro populo orabat, intantum ut genua ejus camelorum duritiem traxisse crederentur. *Dei*, scilicet Patris *Domini nostri Jesu Christi*. Ipse enim est Dominus creaturæ. Jesus, salvator in præsenti per gratiam, et glorificans in futuro. Christus enim interpretatur unctus. In his vero duabus personis Spiritus sanctus intelligitur tanquam nexus et amor amborum. Vel dicit, Dei, quo ad divinitatem : Domini nostri Jesu Christi, quantum ad humanitatem. Christus enim secundum humanitatem habet dominium creatum super omnem creaturam, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum. *Servus*, *Glossa*, officium celebre. Nam servire Deo regnare est, ut dicit Gregorius. *Duodecim tribubus*, *Glossa*, intellige non omnibus, sed quibusdam de omnibus, scilicet electis. *Quæ sunt in dispersione*, de qua Actuum VIII, Facta est in illa die magna persecutio in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et dispersi sunt per regiones Judææ et Samariæ. Istis scripsit Jacobus ad consolationem, ut non dispergerentur mente, sicut dispersi erant corpore : sed potius mente congregarentur. *Salutem*, in præsenti, gratiæ ; in futuro, gloriæ.

Omne gaudium etc. Hic est secunda pars in qua ponit exhortationem sive instructionem. Et primo informat in patientia tribulationum. Secundo, in sanctitate operum, II cap. Tertio in expectatione præmiorum cap. V. post principium, *Patientes etc.* Vel sic. Primo eos hortatur ad bonum. Secundo, dehortatur eos a malo, in tribus sequentibus capitulis. Tertio docet remedia contra malum, V cap. in principio. Primo ergo eos hortatur ad bonum, scilicet ad patientiam tribulationum. Et primo docet qualiter se habeant in tentationibus exterioribus. Secundo qualiter in interioribus, *Nemo cum tentatur etc.* Tertio ad utrasque utilitatem habendam monet libenter verbum Dei audiri, *Sit autem omnis homo velox etc.* In prima parte ponitur exhortatio ad patientiam. Ubi primo docet patientiæ fructum. Secundo radicem, *Si quis autem vestrum indiget.* Tertio modum, *Glorietur frater humilis.* Quarto præmium, *Beatus vir qui suffert, etc.* In prima parte, primo ponitur exhortatio. Secundo exhortationis ratio, *Scientes quod probatio.* Dicit ergo, *Omne gaudium*, idest perfectum gaudium bonorum, quod est in bonitate conscientiæ, in spe gloriæ est perfectum, quia tristitia est eis materia gaudii, imo eis tristitia vertetur in gaudium. Joh. XVI : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* E contrario, gaudium malorum imperfectum est, quia materia est tristitiæ, imo vertetur eis in tristitiam. Job XXI : *Gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt.* Ne indignemini, si mali florent ; si vos patimini, incrementa existimate vobis provenire. *Fratres mei*, quasi eamdem habituri hæreditatem. Vocat autem eos fratres, ut eos magis alliciat ad mutuam dilectionem. Dicitur enim frater, quasi ferens alterum. *Cum in tentationes varias*, maxime exteriores : nam, ut dicit *Glossa* una, perfectis loquitur de extrinsecis tentationibus. Has enim aliquando optant sancti. Psal. XXV : *Proba me, Domine, et tenta me.* Alia tamen *Glossa* exponit de utraque : unde dicit, a persecutore vel a concupiscentia, quæ varie tentant. Sed cum tentatio interior non sit sine peccato, quomodo in ea est gaudendum ? Responsio. Non in ipsa secundum se, sed inquantum ei resistendo est materia exercendæ virtutis, et causa reprimendi superbiam. *Incideritis. Glossa*, ex alto fidei vestræ. Sed contra, de tali casu non est gaudendum. Responsio. Casus iste est intelligendus secundum opinionem persecutorum, qui credebant eos avertere a fide, persecutionibus.

Scientes quod probatio fidei, etc. Hic ponitur exhortationis ratio, quare scilicet habenda est patientia in tentationibus : et est una declaratio virtutis, alia perfectio operis, *Patientia autem opus perfectum.* Dicit ergo, *Scientes, quod probatio fidei vestræ*, idest tribulatio fidem vestram probans, *Patientiam operatur*, idest declarat, vel exercitat. Contra. Rom. V : *Patientiam tribulatio operatur, patientia vero probationem* : non ergo probatio patientiam. Responsio. Probatio operatur patientiam, ostendendo ; sed patientia probationem efficiendo, *Patientia autem opus perfectum habet*, quia stabile et firmum. Illud enim dicitur haberi, quod firmiter habetur, quia habitus est difficile mobilis. Unde et in ipsa dicitur haberi firma possessio animarum. Lucæ XXI : *In patientia vestra possidebitis*

animas vestras. Vel opus perfectum, idest opus privilegiatum, scilicet opus martyrii, aureola dignum. *Ut sitis*, existimate, inquam, ut per opus patientiæ, *Sitis perfecti*, ad sustinendam tribulationum diuturnitatem. *Et integri*, ad sustinendam earum gravitatem. *In nullo deficientes*, ad sustinendam earum omnimodam diversitatem. Vel perfecti, in agendo : integri, in patiendo : in nullo deficientes, in perseverando.

Si quis autem vestrum etc. Hic ostendit perfectæ patientiæ radicem, scilicet sapientiam divinitus infusam ; quia qui patiens est multa gubernatur sapientia. Prov. XIV. Unde monet petere sapientiam, ad acquirendam patientiam. Et primo dat fiduciam impetrandi. Secundo docet modum petendi. *Postulet autem in fide.* Tertio ostendit rationem modi, *Qui enim hæsitat.* Dicit ergo, *Si quis autem vestrum indiget sapientia*, idest sapida scientia ad condiendam amaritudinem tribulationum, vel ad degustandum prædictæ patientiæ fructum, *Postulet a Deo, a quo est omnis sapientia*, Eccl. I, Qui potest dare, quia omnipotens est : et scit, quia omnisciens ; et vult dare, quia misericors est. *Qui dat*, id est paratus est dare, *omnibus*, sine personarum acceptione. *Glossa*, pie petentibus. *Affluenter*, non parce, unde dicitur effundere. Ille qui effundit, totum dat, nihil sibi retinet. Joel. II, *Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et non improperat.* Unde dat liberaliter. Unde ostendit ibi optimas conditiones a parte dantis. Dat enim liberaliter, non vendit sicut multi : dat generaliter, non uni, sed omnibus : dat abundanter, non parce : unde affluenter, curialiter, quia non improperat. Psal. XLIV. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Augustinus : « Erubescat humana pigritia : plus paratus est Deus dare, quam nos accipere. »

Postulet autem in fide nihil etc. Hic docet modum petendi. *Postulet autem in fide,* id est in fideli nominis Christi confessione, sicut petit Ecclesia. Per Dominum nostrum Jesum Christum In Joanne XVI, Amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vel in fide, id est in fiducia obtinendi illud quod petit. *Nihil hæsitans*, id est de impetratione non diffidens. Matth XXI, *Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis etc.*, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tollere et jactare in mare, fiet. *Qui enim hæsitat.* Hic ponit rationem modi. Et primo, rationem. Secundo infert conclusionem, *Non ergo.* Tertio, subdit conclusionis manifestationem, *Vir duplex animo. Qui enim hæsitat*, id est dubitat vel diffidit de impetrandis ad salutem necessariis, *Similis est fluctui maris, qui a vento movetur*, a loco scilicet suo, *Et circumfertur*, in locis alienis. Sic homo dubius in fide, a vento tentationis movetur a statu fidei, et circumfertur varietate errorum. Vel movetur et circumfertur a tentatione in tentationem. Job. XXIV, *Levis est super faciem aquæ. Glossa* : Qui conscientia peccati pressus dubitat de præmiis cœlestibus, superveniente vento tentationum facile deserit fidei statum, et secundum tentatoris voluntatem distrahitur ad errorem. *Non ergo existimet homo ille. Glossa*, carnalis : unde homo ille, hic sonat in vitium. *Quod accipiat aliquid. Glossa*, vel hic vel in futuro. *A Domino*, ex meritis suis. Et nota quod dicit aliquid, scilicet magnum. Spiritualia enim sunt quid magnum, non temporalia ; unde et peccatoribus communicantur. Et certe merito hæsitans non impetrat, *Quia vir duplex animo. Glossa.* Duplex est qui genu ad precem flectit, et mordente conscientia de impetratione diffidit. Duplex est, qui vult gaudere in sæculo, et gaudere cum Deo. Duplex est qui de bonis quæ agit, non Deum, sed favorem quærit. Vel duplex, non unicus, sed ad hoc et ad illud inclinatus. Vel duplex, qui aliud interius, aliud agit exterius, Eccl. II. *Væ duplici corde, et homini ingredienti duabus viis. Inconstans est*, qui fluctuat inter confidentiam et diffidentiam. *Glossa*, facile adversis terretur, prosperis irritatur, ut a veritate divertat. *In omnibus viis suis*, sive sit dextera prosperitatis, sive sinistra adversitatis. Et dicit, suis, non Dei. Viæ enim hominis, sunt peccata : viæ autem Domini, opera bona.

Glorietur autem frater humilis etc. Hic ostendit perfectæ patientiæ modum, docens in tribulationibus esse gloriandum. Et primo ostendit in quo gloriandum pauperibus. Secundo, in quo divitibus *Dives.* Tertio subdit causam *Quia sicut flos.* Quarto, explanat et adaptat eam *Exortus est enim sol.* Dicit ergo, *glorietur* : non tantum gaudeat in se interius, sed etiam glorietur exterius apud alios. *Frater humilis*, id est oppressus et deje-

rius, et ita humiliatus, *In sua exaltatione*, scilicet ventura post humiliationem : quia qui se humiliat exaltabitur, Lucæ xviii. *Dives autem*, id est divitiarum amator, non solum possessor, *In humilitate sua*, ventura scilicet post divitias : et hoc modo est ironia secundum *Glossam*, quasi : non est in hujusmodi gloriandum. Vel in humilitate sua, in sublimitate et gloria, quæ est causa humiliationis et dejectionis. Vel in humilitate, scilicet in obsequio humilitatis exhibendo pauperibus. *Quoniam sicut flos fœni transibit*. Intellige, gloria mundi, *transibit*, id est velociter ultra ibit, et penitus non revertetur. Psal. xlviii : *Cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus*. *Exortus est enim sol*, prosequitur parabolam, *Cum ardore*, sicut fit tempore æstivo contra meridiem. *Et arefecit fœnum*, id est virorem fœni, *Et flos ejus decidit* in mane scilicet ortus, *Et decor vultus ejus deperiit*, id est pulchra apparentia per quam delectabat aspicientes. Nota quod ortus solis significat adventum Judicis. Malach. ultimo, *Vobis timentibus nomen meum etc.* Dicit autem, exortus est, id est extra se ortus, quia quasi extra se oritur puniens per justitiam, cum sit ejus proprium misereri. Fervor autem ejus significat districtionem et zelum advenientis. Isaiæ xxx. *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum*. Arefactio fœni, obitum divitis. Psal. xxxvi. *Sicut fœnum velociter arescent*. Casus floris, gloriæ temporalis amissionem vel etiam carnalis. Isaiæ xxviii. *Væ flori decidenti, gloriæ exultationis ejus*. Gregorius : Quid sunt homines in hoc mundo, nisi flores in campo, vita in carne, flos in fœno? *Et flos ejus decidit*, id est deperiit. *Et decor vultus ejus deperiit*, humanæ scilicet gratiæ et favoris. *Ita*, id est sicut flos fœni, *Et dives*, id est divitiarum amator, non tantum possessor, *In itineribus suis marcescet*, id est deficiet, et quasi putrescet : unde intellige, quod viæ divitis, sunt temporalia in quibus beatificari quærit, quæ cito destruentur. *Glorietur autem frater humilis*. Nota quod quadruplex est gloria : una est interior, alia exterior, alia inferior, alia superior. De gloria interiori dicitur in Psal. xliv : *Omnis gloria filiæ regis ab intus*. Ista autem gloria consistit in multis. Primo in conscientiæ puritate. II Corinth. i, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* : quod in simplicitate intentionis, et sinceritate affectionis, et gloria bonæ operationis, et sapientia divinæ degustationis conversati sumus. Secundo consistit in Dei cognitione. Jerem. ix. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, sed in hoc glorietur, scire et nosse me*. Tertio consistit in bona operatione. Matth. v, *Sic luceat lux vestra coram hominibus etc.* Quarto in exteriori conversatione. I Petri ii : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis etc.*, glorificent Deum in die visitationis. Quinto in opinione bonæ famæ. Eccl. xxxvii, *In omnibus operibus tuis præcellens esto, et ne dederis maculam in gloriam tuam*. Sexto in sustinentia præsentis molestiæ. II Corinth. xii, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis*. Septimo in Christi conformitate. Galat. ult., *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*. Octavo in perfectione commissæ familiæ. Proverb. x, secundum literam Ambrosii, *Gloria patris filius sapiens*. Nono in spe remunerationis æternæ. Rom. v, *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Secunda gloria est exterior : et ista est in tribus : scilicet in divitiis : Psal. xlviii, *Ne timueris cum dives factus fuerit homo etc.* Philippen. iii, *Gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt*. Secundo consistit in deliciis. I Machab. ii, *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis*, idest vermis conscientiæ. Isaiæ ultimo, *Vermis eorum non morietur*. Et stercus infamiæ. Eccl. ix, *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*. Tertio consistit in honoribus ambiendis. Oseæ iv, *Gloriam eorum in ignominiam commutabo* ; et de Nabuchodonosor dicitur Judith i, *Gloriabatur quasi potens in potentia sua*. Tertia gloria est inferior, scilicet gloria peccati : quæ dicitur inferior, quia hominem facit inferiorem et viliorem quam sit aliqua creatura, Psal. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Quarta gloria est superior, scilicet gloria Dei, quæ consistit in interiori gloria animæ, et exteriori stola corporis. Psal. cxlix. *Exultabunt sancti in gloria*, ecce stola corporis. *Lætabuntur in cubilibus suis*, ecce stola animæ.

Beatus vir qui suffert tentationem etc. Hic ostendit perfectæ patientiæ præmium. Quoniam, cum probatus fuerit. Dicit ergo, *Beatus vir*, non mollis vel effeminatus, sed vir dictus a virtute animi, virore fidei, vigore spei, virilitate charitatis.

Qui suffert tentationem, idest in sensualitate sub ratione est, ne scilicet ratio succumbat tentationi. Genesis IV, *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius*. Vel suffert, idest sursum fert, pro eis qui sursum sunt, *Quoniam cum probatus fuerit*, idest exercitatus et depuratus sicut aurum in igne. Sap. III, *Tamquam aurum in fornace probavit eos*. *Accipient coronam vitæ*, idest vitam perpetuam, quæ non finitur, sicut nec corona, quæ dabitur victoribus in signum victoriæ. Apocalyp. II, *Esto fidelis usque ad mortem*. Et dicit, vitæ, ad differentiam coronæ mortis, qua coronantur mali. Isaiæ XXII, *Coronans coronabit te in tribulatione*, *Quam repromisit Deus etc.*, idest iterum et iterum promisit ; promisit in veteri, sed repromisit in novo. Promisit per prophetas, repromisit per Apostolos. II Timoth. ult., *De reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Et nota quod dicit, accipiet, scilicet gratis, non reddetur suis meritis ; quia Rom. VIII, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis etc.* Bernardus : « Non sunt condignæ ad præteritam culpam, quæ remittitur ; ad præsentis consolationis gratiam, quæ immittitur ; ad futuram gloriam, quæ promittitur. »

Nemo cum tentatur dicat etc. Hic ostendit qualiter se habere debeant in tentationibus interioribus, quæ sunt de malis culpæ. Innuit enim quod non debent in eis gloriari, sed eis resistere, quia non sunt a Deo : quod probat dupliciter. Primo, quia Deus non est auctor malorum. Secundo, quia potius est largitor omnium bonorum. *Omne datum optimum etc.* In prima parte primo ponitur exhortatio. Secundo exhortationis ratio, *Deus enim intentator*. Tertio rationis confirmatio *Unusquisque autem* Quarto conclusio *Nolite itaque errare etc.* Dicit ergo, *nemo etc.*, quasi dicat : beatus vir qui suffert tentationem exteriorem, quia illa a Deo immittitur : sed tentatio interior non sic ; et ideo, *nemo*, vestrum, *cum tentatur*, tentatione interiori non exteriori solum. *Glossa*, Nemo cum tentatione interiori capitur vel ei succumbit, *Dicat quoniam a Deo tentatur*, id est a Deo esse quod capitur, vel succumbit. *Glossa*, Quasi Deus immittat cogitationes, quod non est verum. *Deus enim intentator malorum est*, *Glossa*, tentamentorum. Sic enim fit tentatio ab hoste et carne, *Ipse enim neminem tentat*, scilicet ut decipiat vel pervertat. *Glossa*, Nullum in tentationem ducit. Sed contra, Genesis XXII, *Tentavit Deus Abraham*, et Deuteron. XII, *Tentavit nos Dominus Deus noster*. Ad hoc respondit *Glossa*, quod duo sunt genera tentationum. Unum, quod probat. Alterum, quod decipit. Tentationem ergo probantem immittit Deus, tentationem vero decipientem non. Hæc autem tentatio decipiens, ut dicit *Glossa*, tribus modis agitur : suggestione hostis, delectatione carnis, consensu mentis. Unde nota, quod diabolus tentat, ut decipiat et pervertat : caro, ut alliciat : mundus, ut abstrahat : homo, ut experimentum habeat vel sciat : Deus autem ut promoveat : unde ipse tentat, ut probet : probat, ut acceptet et remuneret. De istis quatuor, Sap. III : *Deus tentavit illos, et invenit illos dignos se, tamquam aurum in fornace probavit illos etc.* *Unusquisque autem tentatur*, tentatione seducente interiori, *A concupiscentia sua*, id est a fomite originaliter. Hæc est *lex membrorum*, de qua Rom. VII. Hæc autem appellatur caro concupiscens adversus spiritum, Galat. V. *Abstractus*, a bono. *Glossa*, a recto itinere, *Et illectus*. *Glossa*, ad malum. Tangit duos terminos motus per defectum, qui est peccatum. Vel abstractus, a bono incommutabili, illectus, ad bonum commutabile. Peccatum enim est, spreto incommutabili bono, bono commutabili adhærere, secundum Augustinum. Sed numquid a diabolo aliquando hujusmodi tentatio immittitur, sicut in primis parentibus ? non ergo omnis tentatio est ex concupiscentia. Responsio. Quamvis occasio tentationis immittatur a diabolo, tamen vis tentationis sine concupiscentia non completur. Sicut flatu ligna, nisi ignis præsens fuerit, non accenduntur. Unde sicut aliter medicus recognoscit infirmitatem in urina, aliter infirmus in se ipso, quia ille scientia simplicis notitiæ, iste scientia experientiæ : ita aliter est de tentatione exteriori quæ est ab hoste, et de interiori quæ est de concupiscentia.

Deinde concupiscentia etc. Ponit hic gradus tentationis : scilicet in delectatione, qua homo allicitur in consensu, quo peccatum concipitur : in opere, quo peragimus : in consuetudine, qua consummatur. *Deinde concupiscentia*, illecti scilicet per amorem boni commutabilis, *Cum conceperit*, per consensum operis aut morosæ delectationis, quod est re-

culpæ formatio quodlibet fœtus. Concupiscentia vero hujus est ex diabolo, tanquam patre agente, et semen immittente; ex concupiscentia, tanquam matre consentiente vel suscipiente; unde dicitur Ezechielis xvi: *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa*. Joan. viii: *Vos ex patre diabolo estis*. *Parit peccatum*. *Glossa*, pervenit ad actum. Manifestus hic est partus, de quo in Psal. vii: *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem*. *Peccatum vero cum consummatum fuerit*. *Glossa*, id est per actum in consuetudinem pravæ vitæ perductum; sicut officium mortui consummatur exhibitione sepulturæ, sicut Lazari in Joanne xi cap. *Generat mortem*, reatus et damnationis æternæ. Rom. vi: *Stipendia peccati mors*. *Glossa*: Sicut qui tentatus superat, præmia vitæ acquirit, ita qui concupiscentiis illectus superatur, mortis ruinam incurrit. Sed cum omne peccatum mortale generet mortem, quare hic tantum de peccato consuetudinis? Responsio. Licet peccatum et consensus possint dici generare mortem, tamen de peccato consuetudinis hoc dicitur proprie; quia quando peccatum jam tractum est in consuetudinem, nulla apparent signa vitæ, et est parva spes de reditu. Sed in aliis habet homo plura signa vitæ, quando peccatum creatum est in cogitatione; pauciora vero, quando in opere. *Nolite itaque errare*. *Glossa*, existimando quod tentamenta vitiorum a Deo procedant. *Fratres mei dilectissimi*, dilecti, propter similitudinem naturæ; dilectiores, propter participationem gratiæ; dilectissimi, propter præparationem hæreditatis æternæ.

Omne datum optimum etc. Hic ostendit quod Deus est largitor omnium bonorum, et quod omnia bona sunt a Deo. Et primo hoc ostendit ex copiositate datorum. Secundo ex immutabili bonitate. Tertio ex liberalitate dandi: *Voluntarie enim genuit nos*. Quarto ex judicio ipsorum: *Scitis autem fratres mei*. Dicit ergo, *Omne datum optimum*. Bona sunt temporalia, meliora naturalia, optima gratuita. Vel potest exponi totum de naturalibus: bonum est, quod sumus; melius, quod vivimus; optimum, quod intelligimus. Vel bona sunt temporalia et naturalia, quibus sustentamur; meliora dona misericordiæ, quibus a peccatis liberamur; optima dona gratiæ, quibus de virtute in virtutem proficimus. *Et omne donum perfectum*, id est gloria, qua habita nihil remanet imperfectum. Dicitur autem datum, eo quod datur in via, quia significat cum tempore quasi participaliter. Donum vero, quod datur in patria, quia significat sine tempore, quasi nominaliter. Utrumque istorum *desursum est*, id est a Deo, non ab homine, *descendens*, non cadens. In quo notatur gradus in hujusmodi donis secundum dispositionem dantis qui omnia disponit in numero, pondere et mensura. *A patre luminum*, ideo auctore omnium gratiarum, quæ lumina sunt. Sicut enim sol materialis auctor est luminum materialium, ita sol intelligentiæ luminum spiritualium. *Apud quem*, Deum, scilicet. *Non est transmutatio*, in natura sua, quia omnino immortalis est. Malach. iii: *Ego Deus et non mutor*. *Nec vicissitudinis obumbratio*, in effectu ut sit mutabilis, quia ab ipso semper procedit lux, nunquam tenebræ. Vel vicissitudinis obumbratio, id est vicissitudo vel mutatio obumbrans. Non enim vicissim in eo succedunt bona et mala: quia sola bona dat, mala vero culpæ quæ obumbrant, non: sed hujusmodi vicissitudinaria obumbratio qua in nobis frequenter luci gratiæ succedit umbra peccati, ex nobis est. *Voluntarie enim etc.* Aliquis possit dicere: licet omnia bona nobis sint a Deo, tamen meritis nostris: ideo dicit, quia non, imo sua gratuita bonitate. *Voluntarie enim*, id est gratis, sine meritis. Ad Titum ii: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos*. *Genuit nos*, in filios gratiæ, qui prius eramus filii iræ. *Verbo veritatis*, verbo evangelii Christi, qui veritas est, in Joanne xiv. Verbo, inquam, tanquam semine spirituali. Lucæ viii: *Semen est verbum Dei*. I Corinth. iv: *In Christo Jesu per evangelium ego vos genui*. *Ut simus initium aliquod*, id est caput, principatum habendo in omnibus creaturis ejus inferioribus, recuperando principatum per gratiam, quam primi parentes perdiderunt per culpam. Vel, Simus initium aliquod creaturæ ejus, id est, recreationis sive reformationis totius mundi. Hic in parte, scilicet in anima per gratiam, sed in futuro in toto per gloriam. Unde Rom. viii: *Ipsa creatura ingemiscit expectando revelationem filiorum Dei*. Sed objicitur contra hoc quod dicitur, ut simus initium aliquod, etc., quia Job. xl dicitur de Behemoth: *Ipse est principium viarum Dei*. Responsio: Behemoth fuit principium in via creationis, homo vero in via recreationis.

Scitis autem fratres. Hic probat omnia esse a Deo, judicio ipsorum sive testimonio. *Scitis autem*, id est vera esse quæ loquor. *Fratres mei*, per fidei unitatem, *Dilectissimi*, per charitatem. *Glossa.* Conclusio prædictorum est, quod a Deo sunt bona, et a nobis mala. *Sit autem homo velox etc.* Supra docuit modum se habendi in tentationibus exterioribus, et etiam in interioribus : hic vero ad utriusque modi notitiam monet ad auditum verbi Dei. Ubi monet libenter audire. Secundo devote suscipere. *Propter quod abjicientes.* Tertio opere implere, *Estote factores.* Quarto linguam refrenare, *Si quis autem putat.* In prima parte, primo hortatur ad id quod expedit. Secundo removet id quod impedit. *Tardus autem ad loquendum.* Dicit ergo, *Sit omnis :* quasi dicat : ita voluntarie genuit verbo veritatis : ut ergo hæc generatio in nobis conservetur, Sit omnis homo, sive sit incipiens, sive proficiens, sive perfectus, *Velox ad audiendum*, verbum scilicet Dei, id est promptus et paratus. *Tardus autem ad loquendum.* Hic est impedimentum contra auditum exteriorem, Eccles. xx, *Homo sapiens tacebit usque ad tempus doctrinæ.* Quippe quia mos Pythagoricorum erat tacere per quinquennium, et postea eruditos loqui. *Et tardus ad iram.* Hortatur ad tollendum impedimentum contra auditum interiorem : quasi dicat : tardus sit homo ad iram ; quia, ut inquit Cato [1], impedit ira animum ne possit cernere verum. *Ira enim viri*, id est ira fortis et deliberata. Non dicit pueri, quæ cito transit. *Justitiam Dei non operatur.* Minus dicit et plus significat : id est contra Dei justitiam operatur. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*, Matth. vi. Et intelligendum est quando procedit ex libidine vindictæ, non ex amore justitiæ. Gregorius : « Vera justitia compassionem habet, non indignationem. » Sed quispiam dubitabit dum dicit, tardus ad iram, de qua ira intelligatur : an de ira quæ est zelus bonus, an de ira mala. Non de prima intelligi potest, quia non debemus esse tardi ad illam. Nec de secunda, quia ad illam nullo modo debemus excitari. — Responsio. Potest intelligi de utraque ; quia ad iram per zelum debet homo esse tardus, id est maturus et discretus, ut scilicet discrete faciat. Ad iram vero per vitium debet esse tardus, negative, et nullo modo pronus. Quæritur insuper circa verbum illud, ira enim viri justitiam Dei non operatur : quare dicit magis, justitiam Dei non operatur, quam aliam virtutem. Responsio, quia ira induit magis formam justitiæ quam alterius virtutis. Vel intelligitur de justitia generali, quæ continet omnes virtutes. *Propter quod*, scilicet ut digne audire possitis. Hic docet devote et animo puro suscipiendum esse verbum Dei. *Abjicientes omnem immunditiam*, quantum ad peccata carnalia, quæ animam et corpus polluunt, Ephes. v. *Fornicatio et immunditia non nominetur in vobis. Et abundantiam malitiæ :* id est peccata spiritualia, in quibus abundat malitia : quoniam, ut dicit Gregorius, « Peccata spiritualia majoris sunt culpæ, et minoris infamiæ. » *In mansuetudine*, captivantes intellectum in obsequium Christi. Vel in mansuetudine, adimplendo opere. Est enim mansuetus, quasi manu assuetus. *Suscepiet. Glossa :* cum magno honore. Vel, suscipite, id est semoti a curis temporalibus capite. *Insitum verbum.* Verbum quidem creatum, insitum est cordi per prædicationem et inspirationem : verbum vero increatum, insitum est humanæ naturæ per incarnationem. Cor autem humanum ante fidem Verbi, et natura humana ante incarnationem Filii Dei, erat tamquam truncus silvestris, Rom. xi. *Ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in olivam bonam. Quod potest salvare animas vestras :* verbum creatum, dispositive ; increatum verbum, effective. Et dicit, *Quod potest salvare :* et non dicit : Salvabit : ne excludere videatur humani arbitrii libertatem. Notandum autem, quod verbum Dei est aure audiendum. Joan. viii, *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Secundo, corde suscipiendum, Deut. xi. *Ponite verba hæc in cordibus vestris.* Tertio, intellectu conservandum ; Lucæ ii, *Maria conservabat omnia verba hæc.* Quarto, affectu gustandum, Heb. vi, *Gustaverunt etiam bonum Dei verbum.* Quinto in ore habendum, Jer. i, *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Sexto in opere faciendum : infra, *Estote factores.* Septimo in memoria custodiendum : Lucæ xi, *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Octavo in libro scribendum, Eccl. ult. *Quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos*

[1] Auctor *Distichorum Moralium*.

Estote autem factores etc. Hic monet verbum Dei opere implere : proponens primo documentum ; secundo exemplum : *quia si quis auditor est verbi* ; tertio præmium : *Qui autem perspexerit etc.* Dicit ergo, *Estote autem factores verbi et non auditores tantum*, Glossa, non solo auditu suscipite verbum, sed etiam opere implete : quia non auditores legis, sed factores justi sunt. Gregorius : Loquendi auctoritas perditur, cum vox opere non impletur. Dicit autem, factores verbi, id est rei significatæ per verbum. Vel factores, id est impletores verbi. *Fallentes vosmetipsos*, *Glossa* : Si per solum auditum vos salvandos putatis. *Comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Ad litteram, talis fallitur, quia videtur sibi quod videat rem, sed non vidit rem, sed solum rei idolum vel imaginem. Sic ille qui audit et non facit, solam verborum umbram habet, non corpus operis. Unde verbum Dei comparatur speculo. Doctrina quidem sapientis est mare æneum factum de speculis mulierum, Exod. xxxviii. Quia in ipsa aspici possunt maculæ animarum. Et dicit, Vultum nativitatis, id est, quem habet a nativitate vel a natura. *Consideravit enim se*, id est imaginem vel idolum suum, *Et abiit*, scilicet a se ad exteriora, id est a consideratione sui cessavit. *Et statim oblitus est qualis fuerit*, scilicet quia non vidit veritatem rei, sed umbram. Vel pro tanto ponitur similitudo, quia sicut nihil prodest homini vidisse in speculo maculam vultus sui, si illam non abstergit : sic nihil prodest homini audire verbum Scripturæ vel prædicationis, nisi illud quod audit aure, impleat opere. Nota ergo quod verbum prædicationis est sicut speculum in quo homo videt defectus suos, quibus inspectis compungitur ad horam, sed recedens de loco statim dat oblivioni. Talis est sicut aqua quæ statim recipit impressionem. *Qui autem perspexerit*, id est perfecte aspexerit, non tantum vultum exteriorem in ea figendo, sed etiam interiorem. *In lege perfectæ libertatis*, id est in doctrina evangelii, quæ est perfectæ libertatis, quia restituit libertati a culpa in præsenti per gratiam in sacramentis, a miseria vero in futuro per gloriam immortalitatis, quando scilicet mortale hoc induerit immortalitatem, I Corinth. xv. *Et permanserit in ea*, id est perfecte manserit per perseverationem operis. *Et non auditor obliviosus*, audita scilicet memorando. *Sed factor operis*, id est opere scilicet implendo, *Hic beatus in facto suo erit*, non in verbo tantum. Psalm. xviii, *In custodiendis illis retributio multa* : non dicit in audiendis.

Si quis autem putat etc. Hic ad complementum boni operis docet linguam refrenare. Circa quam admonitionem primo ostendit quæ sit religio vana. Secundo quæ sit vera *religio munda etc.* Dicit ergo, *Si quis putat*, quamvis non sit, *Se religiosum esse*, propter fidem et opera quæ habet. Dicitur autem religiosus quasi religatus Deo qui per peccatum fuerat divisus : qui ligatus præceptis, religatur consiliis. Vel religatus post dissolutionem membrorum, sicut dolium religatur post dissolutionem asserum, ut contineat vinum, et hoc præceptis et prohibitionibus et aliis observantiis minoribus. Et quia lingua maxime indiget religatione, quia sedet in humido, et ideo labilis, ideo subditur, *Non refrenans linguam suam*, freno discretæ taciturnitatis, secundum id Ecclesiastici xxviii, *Verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo rectos. Sed seducens cor suum*, id est seorsum ducens extra veritatem ; *Glossa*, Non intelligens se puniendum pro peccato linguæ, *Hujus vana est religio*, id est inutilis et non vera : quia non est bene religatus soluto vinculo linguæ : quæ cum sit indomita (infra iii) religari eget. Vel sic : *Seducens os suum*, id est seorsum a lingua ducens, ut scilicet cor et lingua non communicent, sicut est in mendacio. Eccles. iii, *Cor ingrediens duas vias non habebit successus bonos.* Cor mentientis ingreditur duas vias, quia viam veritatis in cognoscendo, falsitatis in loquendo. Sed e contrario, *Religio munda*, *Glossa*, in cordis intentione, *Et immaculata*, *Glossa*, in operis executione. Vel munda interius a seipso : immaculata, exterius ab aliis, *Apud Deum*, scilicet Filium qui est Deus per naturam, *Et Patrem*, scilicet Deum qui est pater noster per adoptionis gratiam. *Hæc est, visitare pupillos* corporaliter consolatione verborum, et erogatione munerum, et protectione malorum. Unde per hæc intelligit omnia opera misericordiæ quæ impendimus proximo. *Pupillos*, id est sine patre, *Et viduas*, sine marito, non divites, *In tribulatione eorum*, vel corporali, vel spirituali : non in prosperitate, sicut multi faciunt, qui sunt socii mensæ, Ec-

cles. v. *Et immaculatum se custodire ab hoc seculo*, maculato scilicet: unde *Glossa: Qui mundum diligit, immaculatum se non custodit.* Unde solent dici versus: Mundus non mundus, quia mundus polluit: ergo qui manet in mundo quomodo mundus erit? Et in canonica Judæ, *Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam.* Hoc est: perfecta religio est in medio macularum immaculatum se custodire.

CAPUT II.

Fratres mei nolite, etc. Supra egit de informatione in tribulationibus: hic agit de informatione in bonis operibus. Et quia tria solent maxime progressum in bonis operibus impedire: scilicet potentia, scientia, divitiæ; ideo hæc pars dividitur in tres partes. Primo enim informat quantum ad modum agendi in his quæ spectant ad potentiam. Secundo quantum ad modum agendi in his quæ spectant ad scientiam, infra III cap. Tertio quantum ad modum se habendi in his quæ spectant ad divitias, IV cap. Vel sic. Supra hortatus est ad bonum, hic dehortatur a malo. Et primo a malo, quod est in contemptum Christi. Secundo a malo, quod est in excellentia sui, III cap. Tertio a malo, quod est in concupiscentia mundi, V cap. in principio. In prima primo instruit quantum ad exhibitionem honoris debiti ratione animæ quæ est imago Dei. Secundo ad exhibitionem sustentationis quæ debetur ratione corporis, ibi: Sic loquimini et sic facite. Et quia exhibitionem honoris debiti impedit personarum acceptio; ideo ipsa in hac prima dissuadetur. Et primo ratione sumpta ex perversione judicii rationalis. Secundo ratione sumpta ab exemplo divinæ electionis, ibi: *Audite fratres.* Tertio ratione sumpta ex ipsarum personarum meritis, ibi: *Nonne divites opprimunt.* Quarto ratione sumpta ex transgressione legis, *Si autem legem perficitis.* In prima parte, primo ponitur exhortatio. Secundo exhortationis ratio. *Etenim si introierit.* Ubi primo ponit personarum diversitatem. Secundo tangit judicii inæqualitatem. *Et intendatis in eum.* Tertio subdit inæqualitatis reprehensionem. *Nonne judicatis.* Dicit ergo: *Fratres mei, etc.* Consequenter sic, ita religio munda et immaculata est etc.: et ut possitis immaculati esse, *Fratres mei.* Subditos suos vocat fratres, æquales eos sibi reputans ex humilitate, *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ*, id est nolite credere quod Dominus noster Jesus Christus glorietur in personarum acceptione: ipse enim contrarium fecit. Actuum X. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Vel sic secundum *Glossam:* nolite in personarum acceptione etc., id est non existimetis quod fides Domini sit in hujusmodi personis acceptis, ut Dominus scilicet ad fidem vocaverit divites et non pauperes. Vel sic: persona dicitur quasi per se una: unde personæ sunt illi qui volunt singulares videri, ut potentes in divitiis, vel in genere, vel hujusmodi. Nolite ergo fidem Domini nostri in talibus ponere, ut illos quasi Deos singulariter colatis. Et nota quod hoc dicit, ut alliciat eos ad amorem pauperum, ut inde acquirant cœlum. Unde Augustinus, « Da tectum, et accipe cœlum. » *Etenim si introierit in conventum vestrum*, id est in congregationem vestram, Ecclesia enim primitiva erat quasi quædam religio, quidam conventus, quia erant eis omnia communia. *Vir*, a virore potius corporis quam mentis. Nam gratia virtutis spiritualis hominem honorare, peccatum non est. *Aureum annulum habens*, in signum divitiarum, *In veste candida*, in signum delitiarum; *Introierit autem et pauper in sordido habitu*, scilicet corporis, quamvis in habitu honorato mentis. *Et intendatis*, ecce personarum acceptio in actu interiori: alias non esset acceptio personarum. Nam, ut ait Augustinus in *Glossa:* « In quotidianis consessibus qui præfert divitem pauperi, non in hoc peccat, nisi cum apud semetipsum ita judicat ut ei sit tanto melior, quanto ditior ille. » Dicit ergo: ut intendatis, quasi ex animo et intentione tendatis in eum, *Qui est indutus veste præclara*, eum scilicet propter indumentum honorando et pauperi præferendo, *Et dixeritis ei*, ecce acceptio personarum in actu exteriori, *Tu sede hic bene*, id est in loco honesto, *Pauperi autem*, quia pauper est, dicatis, *Tu sta illic*, longe scilicet, quasi non curando de illo, *Aut sede sub scabello pedum meorum*, id est vili loco, *Nonne judicatis apud vosmetipsos*, id est nonne a vobis accipitis hoc judicium et non a Deo? quasi dicat: sic. *Et facti estis judices cogitationum iniquarum*, id est judicatis secundum iniquas cogitationes? quasi dicat: Iniqua est ta-

tis cogitatio. Vere iniqua cogitatio, quia non respicit existentem personæ bonitatem, sed apparentem; scilicet exteriorem non interiorem. Unde *Glossa*: Mundus pauperem abjicit, divitem colit. Fides Christi æqua docet. Iniquum est divitem quærentem honorem in divitiis præferri pauperi timenti Deum. Notandum autem, secundum Augustinum in *Glossa*, hoc quod hic dicitur, intelligitur de sessione honoris ecclesiastici. Si vero de sessione communi intelligitur, in casu quo judicatur propter hoc debere præferri tamquam melior. Unde *Glossa*: « Si hanc « distantiam sedendi et standi ad hono- « res ecclesiasticos referamus, etc. » Hic quæritur utrum acceptio personæ sit peccatum? Videtur quod non. Augustinus: « Accipere personam est exhibitio honoris servato gradu dignitatis et officii: » sed sic honorare non est peccatum: ergo accipere personam non est peccatum. Item Gregorius: « Accipere personam est hominem non quia homo est, sed propter aliquid quod circa eum est honorare: » sed hoc non est malum; imo bonum honorare hominem propter dignitatem quæ circa ipsum stat. Sed contra: *Qui cognoscit personam in judicio, non bene facit*. Proverb. XXVIII. Item hoc prohibetur pluries in Scriptura; ergo est malum. Item quæritur quare hoc vitium ita frequenter exclusum a Deo invenitur magis quam aliud. Responsio. Acceptio personæ quandoque accipitur in bono, quandoque in malo. Secundum quod accipitur in bono, accipere personam est honorare unumquemque secundum gradum dignitatis suæ et officii. Sic non oportet quod fiat comparatio personæ ad personam, in acceptione personæ; et sic accipere personam non est peccatum. Sic autem definitur ab Augustino. Alio modo accipitur personarum acceptio secundum quod dicit comparationem personæ ad personam; et sic definitur a Gregorio; unde sic accipere personam est præferre personam personæ. Nec tamen quando præfertur persona personæ, semper est acceptio personæ; sed quando præfertur persona personæ ex causa indebita: unde accipere personam est præferre personam personæ ex causa indebita: præferre autem divitem pauperi propter divitias in promotione ad aliquam dignitatem ecclesiasticam, ut ad episcopatum vel hujusmodi, vel etiam in executione judicii, ut cum aliquis sententiat pro divite, quia dives est; vel etiam in collatione temporalis beneficii, ut quando datur aliquid diviti, quia dives est, et non datur pauperi quia pauper, est præferre personam personæ ex causa indebita. Non tamen dico si aliquis daret aliquid diviti ad acquirendam ejus familiaritatem, quod esset peccatum; sed præferre divitem pauperi in exhibitione alicujus reverentiæ solum; ut cum aliquis assurgit diviti non pauperi, inclinat se diviti non pauperi, vel aufert caputium coram divite non sic coram paupere, non est personam personæ præferre ex causa indebita; unde non est peccatum, nisi ratione originis; ut cum judico in corde meo quia melior est dives, quia dives, paupere. Quod objicitur de dignitate. Responsio. Dignitas officii vel potestas, non est circa hominem, sed supra, scilicet a Deo; et ibi honoratur homo propter eum cujus loco est, scilicet Deum; sed habitus pretiosus et divitiæ sunt circa quæ data sunt homini, non ut præsit, sed ad usum et supplementum necessitatis. Ad aliud dicendum, quod acceptio personæ declinat in partem: Deus autem causa universalis est rerum in producendo et in conservando: et ideo frequenter removetur a Deo. Nota quod personarum acceptio cavenda est in multis. Primo, in audientia causarum: Deuteronomii I. *Ita parvum audietis ut magnum*. Secundo in definitione sententiarum. Prov. XVIII. *Accipere personam impii in judicio non est bonum*. Tertio in contractibus electionum, ut hic. Nonne pauperes elegit Deus? *Glossa*. Quis fecit eligi divitem ad sedem honoris? Quarto in collationibus beneficiorum: Rom. II, *Gloria, honor et pax omni operanti bonum*. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Quinto in promotionibus dignitatum. De his qui videbantur aliquid esse quales aliquando fuerunt, nihil mea interest; *Deus enim personam hominis non accipit*. Galat. II. Sexto in exhibitione honoris et obsequiorum. Levit. XIX. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Septimo in comparatione meritorum: ut hic, Nonne judicatis apud vosmetipsos et facti estis judices cogitationum iniquarum? Octavo in correctione culparum. Matth. XXII: *Non enim respicis personam hominum*. Exod. XXXII: *Ite et redite per medium castrorum de porta ad portam, et occidat unusquisque fratrem et amicum suum*

Nono in approbatione beneficiorum. Actuum x, *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.*

Audite fratres mei dilectissimi etc. Hic dissuadet personarum acceptionem ratione sumpta ab exemplo divinæ electionis. *Audite fratres mei*, dicit *Glossa :* Diligentius attendite ; quia non qui ditiores in sæculo, hi sunt meliores in examine divino ; et ideo non sunt præferendi. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo*, id est in rebus hujus mundi. Christus enim in Apostolos elegit piscatores ; in patriarchas, pastores. Gen. XLI, *Viri pastores ovium sumus*. I Corinth. I : *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et contemptibilia etc.* In quo apparet quod electio Dei contraria est electioni mundi, qui elegit illum qui est potentior vel nobilior vel ditior, ut quando aliquis debet creari in episcopum. *Divites in fide*, in præsenti, hæ sunt maximæ divitiæ. Augustinus, « Aurum habens in arca, dives est : Deum habens in conscientia, dives non est. » *Et hæredes regni, in futuro :* Matth. v, *Beati pauperes spiritu etc. Quod repromisit :* promisit per prophetas : repromisit per Apostolos, *Diligentibus se*, quia per dilectionem accipitur. Ipsa enim sola dividit inter filios regni et perditionis, secundum Augustinum. Ipsa est fons proprius cui non communicat alienus : I ad Corinth. II : *Oculus non vidit, nec auris audivit etc. Vos autem*, acceptoribus personarum loquitur, *exhonorastis*, id est extra honorem posuistis vel honore privastis, *pauperem*, dicendo, Tu sta illic. Sed quæritur de hoc quod dicit, *Divites in fide*. Cum enim sancti modo habeant in spe, quod in patria habituri sunt in re, potius debuit dicere, Divites in spe quam in fide. Responsio, Existentes in fide sunt divites in spe. Vel divites in fide, id est ex fide : quia fides generat spem. Unde, fides est substantia rerum sperandarum, id est basis vel fundamentum, per quod res sperandæ sunt in nobis. Vel divites in fide abundantes, quia credunt omnia credenda ; et nunc per fidem vident in ænigmate, quæcumque videbunt in patria aperta visione. Et nota, quod Christo multum videtur placere paupertas. Primo, quia paupertatem sibi assumpsit : II Corinth. VIII : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam cum dives esset, propter nos egenus factus est.* Secundo, quia paupertatis signa in sua nativitate ostendit. Luc. II, *Invenietis infantem positum in præsepio.* Tertio quia pauperes parentes habere voluit : Lucæ I, *Missus est Angelus etc.* Quarto, quia paupertatem inter homines conversando tenuit : Matth. VIII, *Vulpes foveas habent et volucres cœli nidos etc.* Quinto, quia pauperes discipulos elegit : Matth. IV, *Obambulans Jesus juxta mare Galilææ etc.* Et hic pauperes elegit Deus. Sexto, quia pauperibus regnum cœlorum promittit : Matth. XI, *Beati pauperes spiritu.* Septimo, quia paupertatis consilium dedit : Matth. XI, *Si vis perfectus esse, vade etc.* Octavo, quia pauperrimus et nudus in cruce pependit, Threnorum III, *Recordare paupertatis meæ etc.*

Nonne divites per potentiam etc. Hic est tertia ratio sumpta ex personarum meritis ; quia divites eis mala inferunt, pauperes autem non. Mala autem illata a divitibus ostendit tria. Primo in rebus suis eos opprimendo. Secundo in personis eos accusando *Et ipsi trahunt*. Tertio in Deo suo, eum blasphemando *Nonne*. Dicit ergo, *Nonne divites etc.*, et quasi diceret, merito non debetis præferre divites pauperibus, quia *Nonne divites*, scilicet scribæ et pharisæi et pontifices per potentiam opprimunt, *vos*, bona vestra scilicet rapiendo, *Et ipsi trahunt vos ad judicia,* violenter et sine culpa vos accusando tamquam maleficos. *Glossa, Sine culpa facient vos condemnari. Nonne ipsi blasphemant.* Hieronymus : « Blasphemia est injuria Deo irrogata. » *Bonum nomen*, id est salutiferum nomen Jesu Christi. Actuum IV, *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri credentes. Quod invocatum est*, quia a Christo dicebantur Christiani, *super vos*, ad vestram scilicet protectionem, et sui venerationem. Jeremiæ XIV : *Tu in nobis es Domine, et nomen sanctum tuum etc.*

Si tamen legem etc. Hic est quarta ratio, quæ sumitur ex transgressione legis. Ubi primo ostendit, quod lex præcipit divitum dilectionem. Secundo, quod prohibet personarum divitum acceptionem. Si autem personas accipitis. Tertio ostendit, quod hujusmodi prohibitionis transgressio facit totius legis transgressionem. Quicumque autem totam legem. Dicit ergo, *Si tamen legem etc.* : quasi dicat : Non debetis personam divitum accipere ; sed si eos diligitis, bonum est ; unde, *Si tamen legem perficitis regalem*, id est

adimpleto legem Evangelii, quæ dicitur regalis ab affectu, qui reges facit Apocalyp. v: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes*. Et I Petr. II: *Vos estis genus electum, etc.* Item a generalitate, quia omnes ligat, et nullum eximit: sicut strata publica dicitur via regia. Vel ab auctore, quia rex eam ore suo promulgavit. Matth. XXII. Item ab excellentia. *Glossa*: excellentem inter alias. *Secundum Scripturam*, idest sicut Scripturæ monent, legem inquam hanc, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Matth. XXII. Levit. XIX. *Sicut teipsum*, idest quomodo teipsum, idest gratis non causa remunerationis humanæ. Vel sicut teipsum, idest propter quod teipsum, idest Deum. Vel sicut teipsum, idest ad id ad quod teipsum. Vel sicut teipsum, idest in quo gradu teipsum, scilicet infra Deum et plus quam corpus tuum. Vel sicut teipsum, idest sicut gaudes de bono tuo et tristaris de malo, ita gaudeas de bono proximi, et doleas de malo ejus et infortunio. Si ita perficitis diligendo. *Bene facitis*. Nam præcipue bonitas in dilectione consistit, ut patet I ad Corinth. XIII: *Si linguis hominum loquar etc.* *Glossa*. Etsi divites propter divitias non sunt eligendi, non tamen propter Deum minus sunt diligendi. *Si autem personas accipitis*. *Glossa*: pauperem propter paupertatem ab honore abjicitis et divites ad honorem propter opulentiam promovetis. *Peccatum operamini redarguti a lege quasi transgressores*. Deuteron. I: *Quod justum est judicate, sive civis sit ille, sive peregrinus; nulla erit distantia personarum*: ita parvum audietis, ut magnum. Et Levit. XIX: *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis*. Sed quæritur: Unde hoc, quod in judicium, idest in distributione justitiæ, non sunt aliqui præeligendi; in opere vero misericordiæ sunt, sicuti in datione eleemosynarum. Eccles. XII: *Bene fac justo, et ne dederis peccatori*. Responsio. Ratio hujus est, quia in judicio respiciuntur merita causarum, sed in misericordia conditiones personarum. Quod autem dicit, Quasi transgressores, expressivum est veritatis. *Quicumque autem totam legem servaverit*, idest, servare in animo suo proposuerit. *Offendat autem in uno*, idest in Deo datore omnium. Vel in uno, idest in præcepto charitatis, quod est vinculum omnium præceptorum. Gregorius: Præcepta Domini multa sunt et unum: multa, per diversitatem operis; unum, in radice charitatis. Vel in uno, idest in quolibet præcepto. Vel in uno, idest in una virtute, quia virtutes connexæ sunt; et qui peccat contra charitatem, peccat contra omnes virtutes: sicut qui offendit aliquem, ex consequenti omnes amicos ejus. *Factus est omnium reus*, omnium scilicet præceptorum, quia illa sibi inutilia reddit. Vel omnium peccatorum, quia pro uno, ac si pro omnibus, peribit. Vel omnium bonorum, quia charitatem, quæ est forma omnium, perdit. Hieronymus. Ubi est charitas, quid est quod possit obesse? ubi non est, quid est quod possit prodesse? Vel omnium virtutum. Qui enim habet unam, omnes habet. Idem. Omnes virtutes sic sibi cohærent, ut qui una caruerit, omnibus careat. Ecclesiastes XIX: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet*, quia omnia bona meritoria.

Qui enim dixit etc. Hic probat quod reus est omnium, quia peccat in eumdem legislatorem omnium præceptorum. *Qui enim dixit, Non mœchaberis*. Nomine mœchiæ omne peccatum luxuriæ continetur. Exod. II. *Dixit et, Non occides*, in eodem: ubi prohibentur homicidia operis et linguæ, cordis et omissionis. *Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis*, quæ unumquodque præceptum æqualiter continet, et una data est ab uno Deo. Et nota quod proprie transgressor dicitur, qui facit contra legem scriptam: sed prævaricator, qui facit contra legem naturalem.

Sic loquimini etc. Supra instruxit nos quantum ad exhibitionem honoris debiti: hic autem instruit quantum ad exhibitionem sustentationis. Unde hic instruit de operibus misericordiæ. Et primo, invitat ad opera misericordiæ. Secundo, ostendit ea esse necessaria cum fide. Quid proderit homini? In prima parte ad opera misericordiæ manuducit tripliciter allegando. Primo præceptum. Secundo supplicium, *Judicium enim sine misericordia*. Tertio præmium, *Superexaltat autem*. Dicit ergo, *Sic loquimini etc.*, quasi dicat: Ne ergo sitis transgressores legis. *Sic loquimini*, scilicet verba pietatis et amoris. *Et sic facite*, scilicet opera pietatis et charitatis. Non enim sufficit pietas et charitas in verbo, nisi etiam sit in facto. *Sicut per legem libertatis*, idest per legem Evangelii sub qua subjiciendum spontanee, libere, non coacte, *Incipientes judicari*, idest sicut incipitis modo judi-

cari secundum legem, idest si staretis ante judicem legis libertatis, idest Christum. In hoc monens nos, ut in nostris operibus semper attendamus judicium quasi instare. In ultimo, *Ecce judex ante januam assistit*. Hieronymus, Sive comedam, sive bibam, sive aliquid aliud faciam, semper videtur auribus meis intonare illa extrema judicii buccina : Surgite mortui, venite ad judicium. Vel sic, *Sic loquimini et sic facite*; idest ita benigne et charitative vos habeatis verbo et facto. Sicut per legem libertatis, idest charitatis quæ facit se et sua libere proximo exponere. *Incipientes judicari*; idest ita faciatis ut ostendatis vos esse sub lege charitatis, quæ semper debet esse in inceptione. Augustinus : « Sola charitas est quæ semper detinet debitorem. » Redditur enim cum impenditur, et cum reddita fuerit debetur : quia nullum est tempus in quo impendenda non sit. Dicitur autem charitas lex libertatis, quia nos Deo ligat, non cogendo timore pœnarum, sed alliciendo desiderio præmiorum. Galat. v, *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Judicium enim sine misericordia*, idest judicium condemnationis, *Illi qui non fecerit misericordiam*. Exemplum patet in servo nequam, cui debitum dimissum exprobratur, Matth. xix, *Quia non est misertus conservi sui*. E contra, *Beati misericordes, quia misericordiam consequentur*. Sed objicitur contra hoc quod dicit, Judicium sine misericordia etc. : quia in Psal. dicitur, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*. Responsio, Duplex est misericordia : liberans et relaxans. De prima loquitur hic. De secunda in Psalmo. Vel sic, *Judicium sine misericordia*, tanta scilicet quantam inveniret si misericors fuisset. *Superexaltat autem misericordia judicium*. Hoc multipliciter exponitur. Primo modo de misericordia et judicio hominis ; et est sensus, quod misericordia hominis judicium ejus quo judicabitur reddit commendabilius. Secundo modo de misericordia Dei et judicio ejus ; et est sensus, quod misericordia Dei semper relaxat et quasi temperat judicium suæ severitatis. Tertio modo, de misericordia hominis et judicio Dei ; et est sensus quod misericordia hominis quasi vincit rigorem districtionis sententiæ divinæ debitæ pro peccatis. Quarto modo de misericordia Dei et judicio hominis ; et est sensus, quod plures salvantur per misericordiam Dei, quam pro suis meritis propriis. Quinto modo de effectu misericordiæ Dei in præsenti, et de effectu divini judicii in futuro : et est sensus, quod quanto misericordia major alicui in præsenti impenditur, tanto si ingratus fuerit, gravius in futuro punietur. Nota quod ex quo misericordia superexaltat judicium, et major est curia misericordiæ quam justitiæ : sicut a minori curia licitum est appellare ad majorem, ita a curia justitiæ ad curiam misericordiæ. Misericordia primo peccata purgat. Proverb. xv, *Per misericordiam et fidem purgantur peccata*. Secundo, pœnam peccatorum relaxat, Daniel iv, *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum*. Tertio custodit a malo ; Proverb. xx, *Misericordia et veritas custodiunt regem*. Quarto abundare facit in bono ; Proverb. xiv, *Misericordia et veritas præparavit bona*. Quinto hominum benedictionem meretur ; Proverb. xxii, *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur*. Sexto Dei misericordiam consequitur; Matth. v, *Beati misericordes*. Septimo evadit judicium, ut hic, *Superexaltat misericordia judicium*. Octavo introducit in cœlum ; Eccles. xvi, *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum suum*.

Quid proderit fratres mei etc. Hic ostendit hujusmodi opera esse necessaria cum fide. Et primo, rationibus. Secundo exemplis, *Vis autem scire*. Rationibus probat quatuor. Primo, quia fides informis non est homini salutifera. Secundo, quia mortua est in semetipsa. *Si autem frater aut soror*. Tertio, quia meretur irrideri. *Sed dicit quis etc.* Quarto, quia communis est dæmoni. *Tu credis quoniam unus est Deus etc.* Dicit ergo, *Quid prodest* : ita sunt necessaria opera misericordiæ, et vitæ. *Quid proderit fratres mei*, ad salutem scilicet. *Si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat*, convenientia scilicet ipsi fidei. Et loquitur secundum *Glossam*, de illo qui habet tempus operandi, et negligit : quasi diceret, fides informis non valet ad adeptionem beatitudinis, quamvis valere possit ad evitationem damnationis gravioris. *Numquid fides poterit salvare eum*, quasi dicat non. Sed contra. Matth. ultimo, *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Item ad Rom. iii, *Arbitramur per fidem justificari sine operibus legis*. Responsio. Ut dicit *Glossa*, verbum illud intelligitur in non

habentibus tempus operandi; vel de fide formata, quæ est in parvulis: hic vero de fide informi. *Si autem frater aut soror*, fraternitate corporali vel maxime spirituali. *Nudi sunt*, esse indigentia vestitus. *Et indigent victu quotidiano*, id est quotidie necessario, esse indigentia victus. *Dicat autem ex vobis aliquis: Ite in pace*, quo ad hospitium, *Calefacimini*, quo ad vestitum, *Et saturamini*, quo ad cibum. *Non dederitis autem quæ necessaria sunt corpori*, nec hospitium nec vestitum nec victum. *Quid proderit?* quasi dicat, nihil. Unde si aliquis dicit pulchra verba indigenti sine supplemento necessitatis, nihil prosunt. Contra Eccles. XVIII: *Nonne ardorem refrigerabit ros, sic et verbum melius quam datum?* Responsio. Non fit comparatio verbi solius ad datum, sed verbi cum dato ad solum datum. Vel loquitur de ardore vitii scilicet impatientiæ ipsius pauperis, non naturæ, scilicet esuriei. *Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. Glossa.* Sicut sola verba pietatis nudum et esurientem non recreant, si non cibus præbeatur et vestis: ita fides verbotenus servata non salvat. Et dicit, in semetipsa, quia non est conjuncta principio vitæ, scilicet charitati. *Glossa.* Mortua est in semetipsa, id est contra semetipsam: quod enim promittit, opere non implet. Joan. III. *Non diligamus verbo et lingua, sed opere et veritate.* Et nota: quod sicut mortuum dicitur quod caret sensu et motu: sic qui fidem habet sine operibus, nec sensu viget dilectionis qui est ex charitate, et motu caret bonæ operationis. Dicit autem *sine operibus*, pluraliter, quia ad fidem sequitur actus interior, qui est credere, et exterior, qui est in bono opere. *Sed dicet quis*, quasi non solum in se est mortua, sed apud alios irridenda. *Sed dicet*, *Glossa*, irridendo, *quis*, habens fidem et opera. *Tu fidem habes*, id est habere te dicis solam, scilicet sine operibus. *Et ego opera habeo*, cum fide. *Ostende mihi fidem tuam*, sine operibus: quasi dicat: proba mihi te habere fidem per aliqua certa signa: quasi dicat: Non poteris probare cum desint opera, et verba non sint testes sufficientes. Nam, ut dicit Augustinus, Fides dicitur eo quod fit quod dicitur. Et Gregorius dicit, quod probatio dilectionis est exhibitio operis. *Et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*, id est probare possum me fidem per opera mea.

Tu credis quoniam etc. Hic ostendit quod communis est dæmoni: quasi dicat: non potes probare fidem tuam: sed posito quod habeas, non sufficit. *Tu credis quoniam unus est Deus: bene facis*. Nam hujusmodi credere est bonum quoddam, sed sine operibus, imperfectum. *Et dæmones credunt*, scilicet quod unus est Deus, sicut tu, qui tamen non sunt in statu salutis, sed damnationis. Illa tamen dæmonum fides non proprie est fides, quia non est habitus infusus, sed est quædam credulitas non voluntaria, sed necessaria, et quasi comminibus et tormentis extorta. Unde non assentiunt primæ veritati propter se, sed magis sentiunt eam: unde fides in eis est conclusio, non argumentum: nec habent cognitionem articulorum inquantum articuli, sed inquantum quædam entia nobilia. *Et contremiscunt*: in hoc pejoris conditionis est fides malorum hominum, quoniam non timent divinum judicium. *Glossa*, qui Deum non credunt, vel creditum non timent, dæmonibus crudeliores et proterviores sunt. *Vis autem scire.* Hic probat exemplis. Primo bonorum. Secundo malorum. *Similiter et Raab.* Tertio omnium. *Sicut enim corpus.* In prima parte ponit primo Abrahæ exemplum. Secundo adaptat ad propositum. *Vides ergo quoniam fides.* Tertio confirmat per Scripturæ sacræ testimonium. *Et impleta est Scriptura.* Quarto concludit propositum jam sufficienter probatum. *Videtis quoniam.* Dicit ergo. *Vis autem scire*, certus scilicet per exempla Scripturæ. *O homo inanis*, id est vacuus a bonis operibus. *Quoniam fides sine operibus otiosa est*, quia non sufficit ad salutem. Vel mortua est, quia non habet sensum dilectionis, nec motum bonæ operationis. *Abraham pater noster*, secundum carnem et secundum fidem. Ejus autem exemplum merito inducit, quia fuit prima via credendi. *Nonne ex operibus justificatus est*, supple amplius, ut dicit *Glossa interlinearis*, *offerens*, id est offerre paratus, Genes. XXII: *Filium suum Isaac super altare*. Hoc autem fuit post fidem susceptam. Unde *Glossa*. Per fidem quam habebat justus erat: tamen per opera quæ addidit, amplius est justificatus: quæ si non fecisset, meritum præcedentis fidei amisisset. *Glossa* Bedæ: Magna tentatio cum filium jubebatur occidere: magna fides, cum etiam de mortuo credebat se semen posse suscipere: Magnum opus cum dilectissimum

non dubitaret offerre. Ecce qualis fuerit ejus oblatio, et qualis debet esse nostra; debet enim fieri de re cara et pretiosa. Quod notatur cum dicitur, filium suum. Malach. I, *Maledictus qui habet in grege suo masculum, et offert debilem Deo.* Item debet esse de re propria non aliena : quod notatur cum dicitur, suum. Eccles. XXXIV, *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui interficit in conspectu patris.* Item debet esse cum cordis alacritate et lætitia; quod notatur cum dicitur, Isaac, qui interpretatur risus. I Paralipom. XXIX. *In simplicitate cordis lætus obtuli universa hæc.* Quarto cum debito honore et reverentia; quod notatur cum dicitur, super altare : Psal. L. *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ etc.* Sed videtur falsum quod dicit, Nonne ex operibus justificatus est? quia Rom. IV probat Apostolus, quod *Abraham ex fide justificatus est, non ex operibus* : et ibidem dicitur, *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam :* ibi : *Glossa* Augustini, Non ex operibus justificatus est, sed ex fide. Responsio. Apostolus et Augustinatus loquuntur de operibus præcedentibus fidem, scilicet operibus legalibus, ut patet ibidem, ex quibus nullus plene justificatus est : hic autem loquitur de operibus sequentibus fidem, quæ dicuntur justificare non secundum quod justificatio dicitur justitiæ infusio, sed secundum quod dicitur justitiæ exercitatio, vel ostensio, vel consummatio. Res enim dicitur fieri quando perficitur vel innotescit.

Vides igitur etc. Hic adaptat ad propositum : *vides*, scilicet per exemplum Abrahæ. *Quoniam fides cooperabatur operibus illius.* Primo fides per quam ante justus erat, duxit eum ad opera. *Et ex operibus*, scilicet sequentibus fidem, *Fides consummata est*, id est augmentata et comprobata et ostensa Genes. XXII, *Nunc cognovi quod timeas Deum.* Et impleta est Scriptura, per hoc scilicet quod filium suum offerebat, et tamen suscitandum credebat, *dicens*, Genes. XV. *Credidit Abraham Deo*, scilicet præcipienti et promittenti difficilia. *Et reputatum est illi*, a Deo. *Ad justitiam*, scilicet majorem per ipsum credere. *Et amicus Dei appellatus est*, ab hominibus illius temporis : vel a Deo, propter signum dilectionis Dei, quod paratus fuit offerre filium suum pro amore ejus : non solum passive (sicut, juxta illud, *Amice etc.* Matth. XXVI, Judas) : sed active et passive. *Videtis ergo*, id est videre potestis auctoritate Scripturæ. *Quoniam ex operibus*, sequentibus fidem. *Justificatur homo*, id est magis justus efficitur, et in justitia conservatur. *Et non ex fide tantum :* quando scilicet adest facultas operandi : alioquin fides sufficit, ut patet in latrone : cui dictum est propter fidem cordis, et confessionem oris, *Hodie mecum eris in paradiso*, Lucæ XXII. *Similiter et Raab.* Probavit exemplo fidelium, hic probat exemplo infidelium. *Similiter et Raab meretrix nonne ex operibus justificata est? Glossa*, Ne causarentur opera tanti patris se imitari non posse, addit exemplum mulieris peccatricis, quæ per opera misericordiæ et hospitalitatis soluta est a peccatis, et annumerata generationibus Salvatoris : quasi dicat : Et si non potestis sequi Abraham, sequamini meretricem. Sed per quæ opera? per opera hospitalitatis et occultationis et instructionis qua via reverterentur : quæ omnia erant opera misericordiæ. Unde sequitur. *Suscipiens nuncios* (exploratores urbis Hierico, Josue II), *Et alia via ejiciens*, ne a viris civitatis occiderentur, *ejiciens*, per fenestram, eos dimittendo, Josue II. Quod autem habuerit fidem antequam sic operaretur, patet ex verbis suis. Novi quod Dominus tradiderit vobis terram. *Sicut enim corpus sine spiritu.* Hoc probat exemplo omnium. *Sicut enim :* quasi dicat : vere ex operibus hæ personæ sunt justificatæ. *Sicut enim corpus humanum mortuum est sine spiritu*, carens sensu et motu. *Ita fides sine operibus mortua est.* Quia a charitate operante quæ est vita ejus, separata. Hieronymus : « Ille vere credit, qui exercet operibus quod credit. » Hieronymus : « Quid prodest si impie agis, Deum voce invocans, quem operibus negas? » Nota, quod oportet nos habere fidem veram non fictam, I Timoth. I, *Charitas est finis præcepti etc.* Certam non dubiam : supra I cap. *Postulet autem in fide etc.* Matth. XIII, *Modicæ fidei etc.* Unam non divisam, Ephes. IV, *Unus Deus, una fides.* Vivam non mortuam, Habacuc II. *Justus autem ex fide vivit.* Magnam non parvam, Matth. XV, *O mulier, magna est fides tua.* Fervidam non tepidam, Matth. XIV, *Si habueritis fidem sicut granum.* Operosam non otiosam, ut hic, fides sine operibus otiosa est. Firmam non infirmam, Colossen. II, *Gaudeo videns ordinem vestrum et firmamentum fidei vestræ.* Animosam non ti-

nullam. Ephes. v, *In omnibus sumentes scutum fidei*. Perpetuam non transitoriam. Tobiae ii, *Filii sanctorum sumus, et vitam illam exspectamus quam Deus daturus est his qui fidem non mutant*.

CAPUT III

Nolite plures magistri fieri etc. Supra instruxit Jacobus quantum ad bonum se habendi in iis quae spectant ad potentiam: hic informat quantum ad modum se habendi in iis quae spectant ad scientiam. Ad habendum autem se ordinate in scientia, requiritur cordis ordinatio et conversationis. Primo haec pars dividitur in tres. In prima informat sublatos quantum ad ordinationem cordis. In secunda ad ordinationem sermonis: *Si quis in verbo non offendit*. In tertia quantum ad ordinationem conversationis: *Si quis sapiens et disciplinatus*. Ad informandum nos autem quantum ad ordinem cordis revocat nos ab indigno appetitu magisterii, ostendens duo pericula hujus officii. Primum est ex aggravatione poenae. Secundum est ex multiplicatione offensae, ibi: *In multis enim offendimus*. Vel secundum aliam divisionem, hic adhortatur a malo quod est in extollentia sui per officium magisterii. Ubi ab ambitione magisterii primo retrahit imperitos; secundo peritos: *Quis sapiens*. In prima retrahit a deordinatione cordis. Secundo oris, ibi: *Si quis in verbo non offendit etc.* Dicit ergo, *nolite*. *Glossa*. Sicut monui vos ad bona opera facienda, sic moneo ad vitanda stulta magisteria. Hujus autem exhortationis necessitatem ostendit Beda in *Glossa*. Multi fuerunt temporibus apostolorum, qui descendentes de Judaea Antiochiam, non bene instructi in lege fidei, docebant credentes ex gentibus debere circumcidi, et alios errores inducebant: hos igitur ab officio verbi removet ne impediant veros praedicatores. Unde beatus Jacobus magis prohibet insufficientiam quae frequenter oritur ex pluralitate, quam pluralitatem: unde *Nolite plures magistri fieri*: *plures*, id est divisi, quia in eo quod vera dicunt, omnes magistri unus magister sunt, quia officium unius magistri Christi exequuntur. Matth. xxiii, *Unus est magister vester*. Vel hic dicit quod magisterium ex necessitate est suscipiendum, non ambitiosa voluntate appetendum. Vel plures magistri dicuntur, ratione inordinatae intentionis, quia quaerunt temporalia, de animabus non curant. Vel plures sunt qui aliud docent, aliud faciunt. Vel nolite plures magistri fieri, id est idiotae et stulti. *Glossa*. Nisi tantum discreti et in Scripturis docti. Vel plures magistri, id est plurium Ecclesiarum rectores; unde *Glossa*: in pluribus Ecclesiis. *Fratres mei*, quibus bona cupio. *Scientes*, quoniam majus judicium sumitis, scilicet damnationis. *Glossa*. Qui indoctus officium docendi usurpat et Christum non sincere nunciat, majorem damnationem meretur quam si solus in suo scelere periret. Contra vero qui bene docet majorem gloriam acquirit. Sapientiae vi, *Judicium iis qui praesunt fiet*. Et vere periculosum est hoc, quia, *In multis enim offendimus omnes*, multo fortius qui aliis praesunt. *Glossa*. Omnes: non tantum nos minus eruditi, sed etiam nos majores. *Glossa*: se illis connumerat, ut liberius arguat. Aliter tamen offendit justus, aliter injustus, ut tangit *Glossa*. Nam justus venialiter, carnis fragilitate, et cito resurgit. Injustus mortaliter animi malignitate, nec per poenitentiam resurgit. Sed objicitur de hoc quod dicit: Nolite plures Magistri fieri: secundum hoc videtur quod Magistri veritatis non sunt multiplicandi, maxime in eadem Ecclesia, ut tangit *Glossa*. Responsio. Ad hoc respondet *Glossa*, Nolite plures Magistri fieri, nisi discreti et in Scripturis docti. Non ergo prohibet quantitatem sed qualitatem; quam tamen nomine quantitatis significat, quia frequenter eam consequitur.

Si quis in verbo non offendit. Hic instruit eos quantum ad ordinationem sermonis. Et primo ostendit commodum coercitionis linguae. Secundo damna laxationis: *Ecce quantus ignis*. Tertio difficultas repressionis, *Omnis enim natura*. In prima parte primo commoditas moderaminis linguae proponitur. Secundo probatur: *Potest enim freno*. Tertio probatio declaratur per exempla equorum et navium. *Si autem equis frena*. Ubi primo ponit illa exempla, postea adaptat illa ad propositum, ita et lingua. Dicit ergo, *Si quis etc.*: quasi dicat: vere in multis offendimus. *Si quis in verbo non offendit*: quasi dicat: rarus est. *Glossa*. Vult ostendere inevitabilem verbi offensionem, ut imperitos deterreat ne cupiant praelationem; quia qui cupit praeesse, oportet aliis perfectiorem esse, ne offendat dum debet prodesse. *Hic perfe-*

ctus est. Glossa, non alius. Ex hoc videtur, quod nullus perfectus sit : quia Eccles. xix. *Quis est qui non offendit in lingua?* Responsio. Loquitur de offensa in verbo doctrinæ a qua potest homo cavere bene. Vel secundum *Glossam*, loquitur de offensa in verbis omnibus, sed de offensa graviori in verbis dolosis, aut detractoriis, aut mendacibus. *Potest enim freno*. Hic probat quod perfectus est vir qui non offendit verbo. Ratio talis est. Qui potest corpus suum circumducere ad voluntatem suam ad opus bonum, hic perfectus est : sed qui potest moderare linguam suam, potest ad libitum corpus suum circumducere ad opus bonum ; ergo etc. Prima per se nota est : media ostenditur duplici similitudine. Prima a freno sumitur quo circumducitur equus juxta voluntatem sessoris. Secunda a gubernaculo quo regitur navis secundum placitum gubernantis. Dicit ergo. *Potest enim :* quasi dicat : qui non offendit in lingua, hic perfectus est vir. *Potest enim fræno*, idest moderamine vel temperantia linguæ, *circumdicere*, idest ad voluntatem suam quando vult ducere, *Totum corpus*, idest omnia membra sui corporis, ut vult *Glossa*, quia lingua inter cetera minus potest refrenari. Ideo dicitur Ecclesiast. xxviii : *Verbis tuis facito stateram et frenos ori tuo recto, et attende ne forte labaris in lingua tua. Si autem equis frena in hora mittimus ad consentiendum nobis*, idest ut conserviant nobis volentibus circumducere eos. *Et omne*, idest totum, *Corpus illorum circumferimus*, id est ad voluntatem nostram circumducimus. *Glossa*, Subaudi, multo magis in ora nostra debemus mittere : unde, sicut dicit alia *Glossa*, Similitudo de equis ad linguam convenientiam et facultatem refrenandæ linguæ ostendit. Postea ponit aliam similitudinem : *Ecce naves cum magnæ sunt*, et ideo majori impetu feruntur. *Et a ventis valentibus*, idest fortibus vel validis, *minentur*, idest ducantur quadam violentia, sicut qui minantur. *Circumferuntur tamen a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit :* idest voluntas gubernantis, quæ bene dicitur impetus, quia non semper per deliberationem operatur, scilicet quando naves impetu ventorum agitantur : *Ita et lingua modicum quidem membrum est*, in quantitate, sed magnum in virtute. *Et magna*, idest mentes hominum magnas, *Exaltat*, idest exaltari facit in magnis præmiis si custodiatur. Vel etiam in magnis pœnis, si non custodiatur. Matth. xv : *Ex verbis tuis condemnaberis*. Vel magna exaltat se jactando et aliis adulando. Et nota, quod sicut dicit *Glossa*, Magnæ naves in mari, mentes hominum in mundo : unde Psalm. : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus*. Venti a quibus minantur sunt appetitus mentium. Isti autem venti in mari hujus mundi sunt quatuor, a quatuor partibus flantes et fere totum mundum subvertentes : de quibus dicitur Danielis vii, quod quatuor venti pugnabant in magno mari. Primus est tentatio præsumptionis : iste flat ab oriente, id est nimia confidentia divinæ misericordiæ vel nimia operum suorum præsumptione. Secundus ventus est tentatio desperationis, et iste flat ab occidente, id est a diffidentia divinæ misericordiæ et consideratione iniquitatis propriæ. Tertius est tentatio mundanæ prosperitatis, qui flat a meridie, id est a prosperitatis consideratione. Quartus vero est tentatio sive timor adversitatis et miseriæ, et iste flat ab aquilone ex consideratione asperitatis pœnitentiæ. Gubernaculum vero in isto mari est cordis intentio, sicut dicit *Glossa*. Qui ergo habet perversam intentionem est sicut sopitus gubernator in medio mari amisso clavo.

Et quantus ignis quam magnam, etc. Supra posuit commodum coercitionis linguæ ; hic ponit damna quæ proveniunt ex ejus laxatione. Unum est inquantum bonum consumit : unde comparatur igni. Aliud inquantum mala committit ; unde dicitur universitas iniquitatis. Primo ergo ponit ista duo damna in generali. Secundo in speciali, ibi : *Lingua constituitur in membris nostris etc.* Dicit ergo. *Ecce quantus ignis*, ita lingua modicum membrum est, et magna exaltat, *et ecce*, id est in evidenti est, *Quantus ignis*, id est quam parvus ignis, *Quam magnam sylvam incendit*, (quam id est valde) magnam. Ecclesiast. xi, *A scintilla una augetur ignis. Glossa*. Sic lingua incontinens magnam materiam operum perire facit, *Et lingua ignis est*, id est inflammata sicut ignis. Dicitur autem ignis propter sui mobilitatem, sive velocitatem, quia utrumque maxime mobile est : vel propter ardorem loquendi et alios inflammandi. Eccles. xx. *Apertio oris illius inflammatio est. Universitas iniquitatis ipsa est* ; quia, sicut dicit *Glossa*, Fere per ipsam omnia facinora aut concinnantur, ut latrocinia

et aliqua, aut vitiantur, ut perjuria et falsa testimonia, aut defraudantur, ut cum quilibet impius excusat malum quod commisit, simulat bonum quod non fecit. Vel dicitur universitas iniquitatis, quia per linguam peccat homo contra Deum, blasphemando et perjurando; contra proximum, detrahendo, conviciando; contra seipsum jactando, et sic evacuat omnia bona. *Lingua constituitur*. Hic ponuntur damna in speciali: unde dicit: *Lingua constituitur in membris nostris*, id est inter membra nostra, *Quæ maculat totum corpus*, id est totam congeriem bonorum operum, quasi quorumdam membrorum: et hoc quo ad opera jam facta. Sic accipitur corpus Lucæ xi: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. *Et inflammat rotam nativitatis nostræ*, id est cursum vitæ hujus instabilem, unde rota fortunæ dicitur, et hoc quo ad opera fienda. *Glossa*. Inflammatur hæc rota nativitatis nostræ igne linguæ, cum vitium nativæ perturbationis ineptis et noxiis sermonibus accumulatur. *Inflammata*, scilicet lingua *A Gehenna*, id est a suggestione diaboli, qui secundum *Glossam* merito gehennæ comparatur, quia sicut gehenna semper ardet, ita diabolus ubicumque sit, sive in aere, sive sub terra, secum fert tormenta suarum flammarum. Hic primo invidendo malum suggerit, deinde per linguam aperit, et postea per cetera membra ad effectum perducit, sicut dicit *Glossa*.

Omnis enim natura bestiarum etc. Hic est alia pars in qua ostenditur difficultas repressionis linguæ. Et primo notatur difficultas. Secundo difficultatis causa. *Inquietum enim malum est*. Hæc autem difficultas ostenditur ex comparatione ad alia animalia difficile domabilia: unde dicit: *Omnis enim natura*: ita et prædicta mala proveniunt ex lingua: et certe non est mirum, quia est difficilis ad domandum. *Omnis enim natura bestiarum*, id est animalium ferocium. *Quadrupedum*, ut leonum et hujusmodi. *Et volucrum*, ut aquilarum. *Et serpentum*, quales sunt qui repunt in terra, *Et cæterorum animalium*, sylvestrium, *domatur*. *Glossa*, quotidie. Vel domatur, id est domabilis et domita est. *Glossa*, jam antea. *A natura humana*, id est ab homine. Sed quomodo est hoc verum, cum multa videantur indomita? Responsio: potest dici quod loquitur pro statu primæ innocentiæ. Vel omnis natura bestiarum, id est aliqua de omni, scilicet de bestiis, volucribus, serpentibus etc. Nam ut dicit *Glossa*, narrat Plinius humanissimam aspidem in Egypto a patre familias domitam et quotidie de camera sua egressam, ut a mensa ejus annonam acciperet solitam. Narrat etiam Marcellinus tigridem mansuetam factam ab India Athanasio principi missam. Vel ut vult *Glossa*, hæc verba possunt intelligi metaphorice. Quidam enim sunt bestiæ, id est bestiales sensu et opere, ut prædones et homicidæ. Quidam volucres instabilitate, quidam vero serpentes astutia nocendi: et isti possunt facilius converti quam lingua a malo refrenari: unde sequitur, *Linguam autem nullus hominum domare potest*, id est regere quin labatur aliquo modo. *Glossa*, Nullus est qui aliquando in lingua non delinquat. Sed contra, Psalm.: *Dixi, custodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea*. Responsio. Potest servari a delicto gravi, sicut doli, detractionis, jactantiæ, sed non a levi semper: imo omnes offendunt vel superflue vel otiose loquendo. *Glossa*, Nullus doctorum potest domare linguam verbosorum subditorum. Est enim *Inquietum malum, plena etc.* Hic ostenditur causa difficultatis repressionis linguæ: et ponitur duplex. Prima sumpta est ab inquietudine. Secunda ab infectione, ibi: *Plena veneno*. Tertio hoc probat ibi: *In ipsa benedicimus Deum*: ubi primo probat. Secundo improbat, *Non oportet*. Tertio exemplis confirmat *Numquid fons*. Primo exemplo fontis. Secundo exemplo arboris, *Numquid potest fratres etc.* Tertio exemplo aquæ, *Sic neque etc.*: quasi dicat, ita non potest domari vel reprimi, quia *Inquietum malum est*, quia est membrum labile et lubricum, quia consistit in humido, unde non ita cito fatigatur sicut aliud membrum. Inquietum dicitur, quia cito transit de malo ad malum, ut a conviciis ad scurrilia, ab illis ad detractiones; vel quia cito transit de uno in alium, et multos facit malos, vel eos offendendo, vel exemplo corrumpendo. *Plena veneno mortifero*, *Glossa*, More veneni serpit de uno in alium transeundo. Et dicit mortifero, ferente mortem, non corporis tantum, sed animæ: ut patet in detractore qui uno ictu tres interficit: scilicet se loquentem et libenter audientem, et eum de quo loquitur impatienter sustinentem. Et vere plena veneno, quia ex ipsa procedit benedictio et maledictio, unde

In ipsa benedicimus Deum Patrem, id est totam trinitatem, quæ Deus est per potentiam creationis : Pater per gratiam adoptionis. Vel Deum, id est Filium cui appropriatur sapientia. Deus enim dicitur a theon quod est videns. *Et Patrem*, cui appropriatur potentia. Benedicimus inquam gratias agendo et laudando. *Et in ipsa maledicimus*, aperte conviciando, vel occulte detrahendo homines qui ad similitudinem Dei facti sunt. *Glossa*, Rationales ut ipse est, vel sicut ipse principaliter præest omnibus, ita et homines ceteris creaturis : unde similitudo ibi accipitur large, pro omni conformitate ad Deum, sive naturali, sive gratuita. Genesis I, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Dicitur autem factus ad similitudinem et ex parte animæ secundum tres potentias imaginis, et ex parte corporis secundum erectionem ejus ad cœlestia, et ex parte conjuncti secundum repræsentationem totius exemplaris quo ad corporalia et spiritualia. *Ex ipso ore :* primo ex ore cordis, postmodum ex ore corporis procedit maledictio in hominem et benedictio in Deum qui est creator hominis, quæ sunt res valde contrariæ. Et dicit, *Procedit*, ad exemplum aliorum : quia, ut dicit *Glossa*, alii videntes quod agimus, exemplo nostro inducuntur, ut similiter faciant. *Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Glossa*, non est utile, scilicet benedictionem et maledictionem procedere ex eodem ore : et hoc patet per exemplum. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?* quasi dicat, non. Similiter nec aliquis debet dissolvere linguam in amaritudinem maledictionis, et dulcedinem benedictionis. Sicut enim tangit *Glossa*, Si misces simul dulcem et amarum aquam, commixtione amaræ, dulcis in amaram convertitur, non amara in dulcem. Si quæratur, quæ est ratio, quare potius dulcis in amaram quam amara in dulcem vertatur. Responsio, Dulce medium est in saporibus : quod patet ex hoc, quod sensus in mediis delectantur ; amarum vero est extremum ; quod patet ex hoc, quod sensus tristatur in extremis : facile vero disceditur a medio, sed non facile acceditur. Idem probat exemplo arboris. *Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus?* quasi dicat : non. Nam, ut dicit *Glossa*, sicut arbor amisso naturali fructu fructum alterius arboris ferre non potest : sic maledictus, et si bene loqui videatur fructum benedictionis non habet. *Sic*, idest sicut fons et arbor. *Neque salsa*, aqua scilicet. *Dulcem potest facere aquam*, immediate scilicet. Potest tamen de aqua salsa fieri dulcis per transcolationem factam in vase terreo misso in mare, ut docet Philosophus. Sic etiam de mari exeunt flumina dulcia per transcolationem terræ. Nota linguam malam multiplicem, scilicet tertiam detractorum, Eccles. XXVIII, *Lingua tertia multos commovet, et dispersit illos de gente in gentem*. Falsam adulatorum, Ecclesiast. XX, *Qui edunt panem illius, falsæ linguæ sunt*. Magniloquam superborum. Psalm. : *Disperdat Dominus universa labia dolosa*. Vipeream hæreticorum. Job. XX, *Occidet eum lingua viperæ*. Blasphemam maledictorum Job. X, *Imitaris linguam blasphemantem, et condemnabit te os tuum*. Dolosam hypocritarum. Psalm. CXIX, *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi etc*. Coinquinatam luxuriosorum. Eccl. LI, *Liberasti me a lingua coinquinata*. Iniquam advocatorum. Prov. XVII, *Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus*.

Quis sapiens et disciplinatus etc. Supra instruxit Jacobus salutatos, quantum ad ordinationem cordis et sermonis ; hic instruit eos quantum ad ordinationem conversationis. Ubi primo monet eos facto potius quam verbo ostendere sapientiam suam. Secundo, ostendit quod aliter non veram, sed falsam habent sapientiam *Quod si zelum amarum*. Tertio, describit sapientiam falsam : *Non est enim ista sapientia*. Quarto e contra describit sapientiam veram : *Quæ autem desursum est*. Et primo, a merito præsenti. Secundo a præmio futuro, *Fructus autem justitiæ*. Dicit ergo, *Quis sapiens. Glossa*, Non debetis cito effici doctores : quia quis est ex vobis sapiens? *Glossa*, cognitione. « Est enim sapientia rerum humanarum atque divinarum cognitio, » ut dicit Augustinus. *Et disciplinatus*, exercitio vitæ, ut dicit *Glossa*. Nam, ut ait Augustinus, Disciplina est ordinata morum correctio. Hoc petit Psalmista, *Bonitatem et sapientiam et disciplinam doce me*. Quis? quasi dicat : rus. *Ostendat ex bona conversatione sua*, scilicet exteriori. *Glossa*, Prius discat bene operari, quam alios instruere ; ut bene conversando inter vos, exemplum aliorum possit esse. Actuum I, *Cœpit Jesus facere et docere*. Bernardus : « Et

Scientia est vox operis quam sermonis : qui adducit doctrinæ facere, sed etiam ostendere. Matth. v : *Sic luceat lux vestra* etc. I Petri ii, *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* Et hoc, *In mansuetudine sapientiæ*, id est sine indignatione iræ, ne propter suam sapientiam et bonam operationem despiciat alios, ut dicit *Glossa*. Debet enim sic ostendere exempla perfectionis, ne propter hoc indignetur contra imperfectos et despiciat eos. *Sapientiæ*, id est sapienti, vel discretæ ; vel quam sapientia facit. *Quod si zelum amarum*, indignationis, respectu aliorum : de malis indignatio dicitur zelus, quantum ad animi commotionem : amarus quo ad annexam perturbationis anxietatem. *Et contentiones*, dissensiones de bonis. Et dicit contentiones pluraliter, quia frequenter difficile est contendere : sed contentionibus deservire, et eas frequentare, hoc turpe. I Corinth. xi, *Si quis videtur inter vos contentiosus esse. Sunt in cordibus vestris*, quamvis non prorumpant in verba, ut dicit *Glossa*. *Nolite gloriari de sapientia*, superbiendo, aut ex hujusmodi sapientia gloriam æternam sperando. *Et mendaces esse*, disciplinam quam non habetis simulando : quia, ut ait Gregorius, Vera justitia compassionem habet, falsa indignationem. *Adversus veritatem*, id est Christum qui est veritas. *Glossa* : Nolite mentiri Deo, cui in baptismo promisistis pompas diaboli abrenunciare, quod non facitis cum de bonis operibus superbitis. Aliter exponitur in *Glossa*, quo ad principium, sic : Quod si zelum *habetis* quo ad Deum, ut faciatis bona opera et ei placeatis. Amarum, quo ad proximum verbis indignantibus ipsum exasperando et despiciendo : et contentiones, id est fervores contendendi, sunt in cordibus vestris, etsi in *verba non proruptis* : Nolite gloriari, ut prius. Nota quod quadruplex est zelus : primo, ignarus. Rom. x, secundum aliam literam : Zelum habent, sed non secundum scientiam. Item amarus. Jacobi iii, *Quod si zelum amarum est*, et I ad Corinth. iii. Malignus. Sap. i, *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ.* Item bonus. Psalmista, *Zelus domus tuæ comedit me.*

Non est enim etc. Hic describit sapientiam falsam, cui merito in tali non est gloriandum. *Non est enim ista sapientia*, quæ est scilicet cum indignatione ad alios et contentione. *Glossa*, inflata et indignans. *Desursum descendens*, id est non a Deo, a quo est omne bonum, supra i, *Omne datum optimum* ; sed potius deorsum ascendens. Contra Eccles. i, *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Responsio. Sapientia est a Deo, sed malus usus non est a Deo : sicut Rom. viii, *Prudentia carnis mors est.* Vel potest dici, quod ipsa sapientia de qua loquimur hic, non est sapientia secundum existentiam sed secundum apparentiam. Nam de vera sapientia dicitur, quod non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius : sed gaudium et lætitiam. *Sed terrena*, id est terrenæ gloriæ cupida. *Animalis*, quærens voluptuosa et carnalia, in quibus delectatur sensus more animalium : non spiritualia, in quibus gaudet spiritus. *Et diabolica*, quærens dignitates suas, suggerit diabolus. Vel terrena, propter concupiscentiam oculorum ; animalis, propter concupiscentiam carnis ; diabolica, propter superbiam vitæ. I Joan. ii, *Omne quod est in mundo etc.* Vel terrena, propter divitias ; animalis, propter delitias ; diabolica, propter honores. Et vere, non est a Deo. *Ubi enim est zelus*, id est indignatio animi. *Et contentio*, id est dissensio in verbis, quæ frequenter sequitur ex indignatione. *Ibi inconstantia*, id est instabilitas in bono. Nec mirum, quia non habet firmum humilitatis fundamentum : et omne opus exterius et interius pravum in malo, quia ex mala arbore non potest procedere nisi malus fructus. Matth. vii. Vel sic, Ubi est zelus, id est invidia et contentio in verbis, est inconstantia, id est progressus in peccatis : qui talis non stat in uno malo, sed a malo cordis procedit ad malum oris, et ab illo ad peccatum operis.

Quæ autem etc. Hic distinguit veram sapientiam a merito. Et primo, a merito quod consistit in comparatione boni. Secundo, ab eo quod consistit in declinatione mali. *Non judicans.* A merito in operatione boni dupliciter. Primo, ab eo quod facit homo per se. Secundo, ab eo quod facit homo excitatus aliunde. *Suadibilis.* Bonum quod facit homo per se, vel pertinet ad ordinationem concupiscibilis, sic dicitur pudica : vel irascibilis, sic pacifica : vel rationalis, sic modesta. Bonum autem quod facit homo aliunde excitatus, vel facit excitatus alterius verbo, *Suadibilis* ; vel alterius exemplo *Bonis consentiens* ; vel alterius incommodo *Plena*

misericordia. Non judicans. Hic tangitur meritum sapientiæ in mali declinatione. Primo, ne fallatur. Non judicans. Secundo, ne fallat, *Sine simulatione.* Dicit ergo, *Quæ autem desursum est sapientia*, id est a Deo. Ecclesias. I, *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Primum quidem pudica est*, id est casta in se. Hic est primus color in pictura sapientiæ, qua reformat imaginem Dei in anima per peccatum deformata, scilicet candor pudicitiæ. *Glossa* : nisi primo pudicitia sedeat in mente, nulla perfectio sequitur in opere. Deinde, *pacifica*, ad proximum. *Glossa :* per elationem se a Deo vel a proximorum societate non disjungit. Pacifica, hominem pacificans cum homine ; et in eodem homine, spiritum cum carne, ut carnem sibi subjiciat ; *modesta*, in operibus suis modum tenens. Modus est, stare in medio, nec modum excedens nec infra subsistens, nec parum nec nimis. Versus :

> Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
> Quos ultra citraque nequit consistere rectum

Suadibilis, ab aliis in corrigendis defectibus suis. *Glossa.* Si in aliquo minus agit propter negligentiam vel ignorantiam, suasioni bonorum assensum præbet : cui ergo suaderi non potest, ut in aliquo se errasse recognoscat, sapientia caret. *Bonis consentiens,* amando et promovendo aliorum bona, et etiam imitando. *Glossa*, Quæ bonis placent, sibi non displicent. *Plena misericordia*, revelando aliorum mala pœna. *Et fructibus bonis*, id est bonis operibus. Misericordia, quantum ad affectum per compassionem : fructus boni, quantum ad effectum per bonam operationem : unde *Glossa*, Fructibus bonis, id est misericordiæ operibus; jejuniis, eleemosynis, vigiliis, orationibus. *Non judicans*, quo ad intentionem aliorum judicio, scilicet suspicionis, vel condemnationis. Matth. VI. *Nolite judicare et non judicabimini. Sine simulatione*, quo ad intentionem propriam. *Glossa,* Non postulat videri doctior vel sanctior quam est, ne lateat proximum ad commendationem sui, quod contentiosa sapientia facit. Scit enim quod, *simulatores et callidi provocant iram Dei*, Job. XXXVI, et quod, ut ait Augustinus, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Possunt autem hæ octo conditiones sapientiæ reduci ad octo beatitudines. Matth. V. Ipse quidem sapientia pudica est, per munditiam cordis : pacifica, per pacificationem : modesta, per paupertatem : suadibilis, per mititatem : bonis consentiens, per esuriem justitiæ : plena misericordia, per misericordiæ amorem : non judicans, sed compatiens, per luctum : sine simulatione, per tolerantiam persecutionum. *Fructus autem justitiæ.* Hic eam describit a præmio, quasi sic dicat (*Glossa*) *:* Non solum propter prædicta debetis hujusmodi sapientiam appetere ; sed ideo, quia fructus, id est merces justitiæ, quæ pro justis operibus redditur. Et dicit, justitiæ, quia ipsa est vera sapientia. Job. XXVIII, *Ecce timor Domini ipse est sapientia. In pace*, id est in spe pacis æternæ, *seminatur,* ad habendum præparatur : seminatur, inquam, *facientibus,* ad utilitatem facientium, *pacem. Glossa :* opera pacis. Isaiæ XXXII, *Erit opus justitiæ pax*, I. Corinth. IX, *Quæ seminaverit homo, hæc et metet.*

CAPUT IV.

Unde bella et lites etc. Supra informavit Jacobus quantum ad modum se habendi in iis quæ pertinent ad potentiam et scientiam : hic informat quantum ad modum se habendi in iis quæ pertinent ad divitias, ut sic revocet a cupiditate. Et quia contra divitias homo deordinatur dupliciter, primo per concupiscentiam in appetendo, secundo per avaritiam in retinendo ; ideo primo instruit contra concupiscentiam acquirendi. Secundo contra avaritiam retinendi, V cap. *Agite nunc divites*, vel sic. Supra, II cap., dehortatus est a malo, quod est in contemptum proximi : supra tertio, a malo quod est in extollentia sui per appetitum magisterii : hic dehortatur eos a malo quod est in concupiscentia mundi : et hoc tribus modis. Primo ostendendo mala mundanæ concupiscentiæ. Secundo exhortando ad statum pœnitentiæ, *Subditi estote Deo.* Tertio declarando incertitudinem humanæ vitæ *Ecce qui non dicitis.* In prima parte mala quæ sequuntur mundi concupiscentiam ostendit. Et primo mala respectu proximi. Secundo mala respectu Dei, *Adulteri nescitis.* Malorum respectu proximi primo causam inquirit. Secundo mala multa exponit. *Concupiscitis etc.* Tertio

damnum consequens naturali : *Petitis et non accipitis*. Dicit ergo, *Unde bella*. *Glossa* : quasi dicat : hoc ex sapientia habetur, pax hic et in futuro : sed e contra in vobis, unde bella, id est impugnationes in factis. *Et lites*, id est impugnationes in verbis. *In vobis*, id est inter vos. *Nonne ex concupiscentiis vestris*, intellectivis. *Glossa* : quod mens prava suggerit, manus et lingua intemperanter obedit : cum tamen scriptum sit Eccles. XVIII, *Post concupiscentias tuas non eas*. Et concupiscentias dicit pluraliter, quia plures sunt. Quia ergo male concupiscitis divitias ; ideo lites et bella sunt in vobis, *Quæ*, scilicet, *concupiscentiæ militant*, id est pugnant et dominantur : sicut ille qui militat dominatur equo suo. *In membris vestris*, quia concupiscentia dominatur membris, et ejus imperio membra moventur ad divitias adipiscendas et concupiscentias exequendas : et hoc in factis exterioribus.

Concupiscitis et non habetis etc. Posita radice mala, determinat ramos ejus. Primus est rei alienæ desiderium, *Concupiscitis*. Secundo personæ possidentis odium, *Occiditis*. Tertio utriusque effectum, *Litigatis*. Dicit ergo, *concupiscitis*, id est ex concupiscentia desideratis, *Et non habetis*, scilicet quod concupiscitis : imo divitiæ quandoque fugiunt appetentes eas, sicut umbra fugit sequentem eam, Ecclesiast. XI, *Si secutus fueris non apprehendes*. *Occiditis*, ecce odium exterius, et hoc ut dicit *Glossa*, ut habeatis. Et si non audetis occidere, *zelatis*, id est invidetis : ecce odium interius, nam invidia est odium felicitatis alienæ. *Glossa*. Qui cupit præferri vel temporalibus abundare odit, id est invidet, occidit. Ex hoc enim quod aliquis appetit propriam excellentiam, videns in alio bonum, per quod existimat suam excellentiam impediri vel diminui, invidet ei : et cum non potest *quod desiderat*, persequitur personam. *Et non potestis adipisci*, illa pro quibus occiditis, zelatis. *Et litigatis*, coram judice volendo obtinere per calumniam palliatam justitiæ. *Et belligeratis*, volendo obtinere per violentiam injuriæ manifestæ. *Et non habetis* propter hoc scilicet, *Quod non postulatis*, a Deo digne. *Glossa*. Si enim pia intentione postularetis et temporalia necessaria ad usum, non solum daret, sed et sempiterna. Et quia possent dicere : imo quotidie petimus. Respondet, *petitis*, aliquando et tamen *non accipitis* quod petitis, *Eo quod male petatis*, petentes omnino transitoria et non spiritualia. Contra quod Matth. VI, *Primum quærite regnum Dei*. Vel sic, *Eo quod male petatis*, id est ex malo amore, scilicet ex amore quo temporalia Deo præponitis. Unde *Glossa*, Magis illa quam Deum amatis, *Ut in concupiscentiis vestris insumatis*, id est consumatis, vosipsos scilicet : tanto enim desiderio petitis, ut ipso desiderio consummemini : unde alia litera, ut insumamini vel insumatis ea, scilicet quæ petitis in concupiscentiis vestris saturandis, scilicet et explendis. Quasi dicat : male petitis, quia petitis superflua, non necessaria : nociva, non utilia. Vel ut in concupiscentiis vestris insumatis, id est non sumatis propter hoc quod male cupitis. Sed quæritur de hoc quod dicit : Petitis et non accipitis. Contra Matth. VII, *Petite et accipietis*. Responsio. Verum est hoc si adsunt conditiones quæ faciunt orationem efficacem, scilicet per se, pie et perseveranter ad salutem.

Adulteri, nescitis, quia amicitia etc. Hic ponit mala mundanæ concupiscentiæ respectu Dei. Primo quia facit inimicum Dei. Secundo quia est contra Scripturam, et contra spiritum Dei, *An putatis*. Tertio quia impedit gratiam Dei : propter quod dicit, Deus superbis resistit. Dicit ergo, *Adulteri*, qui relicta gratia Dei tamquam sponsa, fornicamini cum mundi concupiscentia. Est enim gratia Dei sponsa multorum, secundum illud Sapientiæ VIII, *Proposui illam sponsam mihi assumere*. Vel adulteri, si non quærentes fructum prolis spiritualis, sed voluptatem in divitiis et delitiis, relicto sponso, id est Christo, *Nescitis*, id est hoc ignorare non debetis, *Quia amicitia hujus mundi*, qua scilicet amatur hic mundus ; mundus vero hic videtur intelligi vanitas mundi, non substantia mundi, sicut I Joan. II, *Nolite diligere mundum*. *Inimica est Deo*, quia est contraria charitati. Augustinus, Venenum charitatis est spes adipiscendi vel retinendi temporalia : *ergo*, quia ita est, *quicumque*, nullo excepto, *Voluerit amicus esse*, active, id est amator, *Hujus sæculi*, Sæculum hic sonat in vitium non in naturam, secundum illud Lucæ XII, *Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*. Vel amicus hujus sæculi diligendo supra Deum ea quæ hujus sæculi, *Inimicus Dei constituitur*, id est firmiter, scilicet æternaliter statuitur, eo scilicet ipso, quod temporalia

præponit Deo. In hoc autem quod dicit, Voluerit, notatur libertas arbitrii. In hoc etiam notatur quod non solum qui est amicus, sed etiam qui vult esse amicus hujus sæculi, quamvis non possit esse, est inimicus Dei. *An putatis*, quasi dicat, putare non debetis quod *inaniter*, id est falso et sine ratione, quod esse non potest cum sit Scriptura veritatis, *Scriptura*, sacra, quæ scilicet autonomastice Scriptura dicitur, *dicat*, id est loquatur de hac materia suadendo separationem ab amore mundi! Deuteronomii IV, *Non inibis fœdus cum eis*, scilicet cum alienis ejus amatoribus mundi. Et Rom. XII, *Nolite conformari huic sæculo*. Vel potest construi cum sequentibus. An putatis quod inaniter Scriptura dicat, hanc scilicet sententiam quæ sequitur, *Ad invidiam etc.* quasi dicat : vere inimicus est, nam spiritus divinus non facit concupiscentiam, sed dat gratiam spiritus vitæ : mundanus e contrario. Tamen verbum istud multipliciter exponitur. Uno modo de Spiritu sancto. Alio modo de spiritu humano. De Spiritu sancto potest legi primo modo interrogative, sic. Spiritus sanctus qui habitat in vobis per gratiam baptismi, *concupiscit* ne ad invidiam, id est ut invideatis aliis super eorum temporali felicitate ? quasi dicat non, *autem*, pro sed *Majorem dat gratiam*, id est majora dona gratuita, quam sint hujusmodi temporalia ex quibus nascitur invidia. Secundo modo remissive legitur, et hoc dupliciter. Primo modo de invidia mala : sic Spiritus concupiscit, id est desiderat, quia desiderare facit ad invidiam, id est contra invidiam, scilicet ut tollatur invidia : nec solum hoc facit, Autem, sed ut ipsa tollatur, *Majorem dat gratiam*, id est augmentum gratiæ. Secundo modo de invidia mala sic, Spiritus scilicet concupiscit, id est concupiscere facit ad invidiam, scilicet mundi, hoc est ut mundo invideatis et ipsum odio habeatis. Alias intelligatur et exponatur de spiritu humano, sic, Spiritus hominis, scilicet affectus hominis corruptus concupiscit res aliorum ad invidiam, idest propter invidiam quæ invidet bonis aliorum reputans se illis inferiorem. Job V, *Parvulum occidit invidia*, Autem pro sed, majorem gratiam, idest augmentum gratiæ contra hujusmodi concupiscentiam dat, scilicet Deus, cujus solius est dare gratiam. Nec additur suppositum, quia intelligitur in actu verbi, cum sit exceptæ actionis, ut fulgurat, tonat et hujusmodi. Prima lectura magis convenit literæ : propter quod *Glossa*, ut sciatur quibus dat gratiam et quibus non, *Dicit Scriptura*, vel spiritus in ea, Proverb. III, secundum aliam literam : ubi nos habemus, Illusores ipse deludet et mansuetis dabit gratiam. Vel potest dici quod sumitur de illo loco Proverb. XV, *Superbum sequetur humilitas et humilem spiritu suscipiet gloria. Deus superbis resistit*, *Glossa*, Deus superbis specialiter dicitur resistere, quia majori pœna plectuntur qui Deo subdi pœnitendo negligunt ; et ita non facit invidere, quia ex invidia nascitur superbia. *Humilibus autem*, idest vacuis, *Dat gratiam*, scilicet majorem, ut patet in Beata Virgine Maria, Lucæ I. Quia reputant se vacuos ; ideo magis habent de capacitate. Vas enim, secundum quod magis habet vacuitate, magis habet de capacitate. Psalmista, *inter medium montium pertransibunt aquæ.*

Subditi ergo estote Deo etc. Hic dehortatur a concupiscentia mundi exhortando ad statum pœnitentiæ. Primo docens qualiter se habeant ad Deum. Secundo qualiter ad proximum, *Nolite detrahere etc.* Concupiscentia quippe mundi generat in eis contemptum Dei et odium proximi. Qualiter autem se habeant ad Deum, ostendit in quinque conditionibus. Primo in subjectione. Secundo in imitatione, *Appropinquare*. Tertio in purificatione, *Emundate*. Quarto in contritione, *Miseri estote*. Quinto in humiliatione, *Humiliamini*. Dicit ergo, *subditi*, *Glossa*, quia humilibus dat gratiam. Subditi, *Estote Deo*, per obedientiæ subjectionem, *Glossa*, voluntatem Dei explete, II Machab. IX, *Justum est subditum esse Deo*. Et quia nullus potest esse subditus Deo, nisi resistat inimico suo, scilicet diabolo ; ideo sequitur, *Resistite diabolo*, *Glossa*, mala suggerenti. Resistite declinando tentationes prosperitatum et sustinendo tentationes adversitatum, *Et fugiet a vobis*, sic victus et confusus, non potest vincere nisi volentem : unde eo ipso quod resistitis victus erit et confusus, et ita fugiet. I Petri V, *Cui resistite fortes in fide*. *Appropinquate Deo*, per morum imitationem, *Glossa* per bona opera. Augustinus, Deus ubique est, cui non locis sed moribus appropinquamus. *Et appropinquabit vobis*, per gratiæ infusionem et gloriæ præparationem. Matth. IV, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlo-*

ram. Nota quod quantumcumque aliquis esset elongatus ab urbe Parisius, si Parisius appropinquaret ei, secundum quod ipse appropinquat Parisius, cito esset Parisius : sic quantumcumque peccator sit elongatus a Deo, cito erit ad Deum : quia secundum quod ipse appropinquat ad Deum, Deus appropinquat ad eum. Habes exemplum de filio prodigo, Lucæ xv. Et nota quod quatuor bona consequitur homo ex hac appropinquatione. Primum est mentis illuminatio respectu cognoscendorum. Lucæ xviii dicitur de cæco, cum appropinquasset, interrogavit eum Jesus : *Quid vis etc.* Et sequitur quod illuminavit eum ex appropinquatione. Secundum est instructio respectu operandorum. Deuteronomii xxxiii, *Qui appropinquant pedibus ejus accipient de doctrina illius.* Tertium est recuperatio divinæ gratiæ. Jacobi iv, *Appropinquate Deo.* Quartum est delectatio internæ lætitiæ. Psalm. cxlviii, *Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel appropinquanti sibi.* Sed objicitur contra hoc, quod dicitur, *Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Contra. Job xli, *Non est potestas super terram etc.* Responsio. Sine adjutorio Dei non possumus sufficienter, cum adjutorio possumus illud : tamen adjutorium est nobis propinquum et paratum : et nisi illud habeamus, nobis est imputandum. Nota exemplum de illo qui est in tenebris, et potest aperire fenestram, et illuminari ; quod bene debet ei imputari quod est in tenebris. Ut autem appropinquare possitis, quia longe salus a peccatoribus, et filius luxuriosus abiit in regionem longinquam, Lucæ xv, *emundate*, idest extra mundate, *manus*, idest opera : quasi dicat : purgate vos a malis operibus, de quibus Isaiæ i : *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Vel emundate manus, idest innocentiam habete, idest cessate a malis operibus. Job xxii, *Salvabitur innocens. Salvabitur autem in munditia manuum suarum. Et peccatores*, qui habetis foris peccata. Et potest hoc referri ad peccata carnalia. *Purificate corda* : quasi dicat : non tantum manus a malis operibus, sed etiam corda a pravis cogitationibus, ut sitis mundi corde. Matth. v, *Beati mundo corde.* Perfecta enim purgatio ab interiori incipit, idest a purgatione interiorum humorum. Isti enim medici quando volunt curare ab una magna infirmitate, primo purgant interiores humores. Et potest etiam hoc referri ad peccata spiritualia. Sed quid est quod dicit, Purificate corda vestra ? dicitur enim Actuum xv, *Fide purificans corda eorum* : ergo homo non purificat, sed fides. Responsio. Deus purificat efficiendo : Fides informando : Homo peccatum detestando, et ita se ad hoc disponendo. *Duplices animo.* Secundum *Glossam*, duplices vocat eos, qui simul temporalia et æterna, Deum et mundum diligunt. Eccles. ii, *Væ duplici corde.* Ut autem emundari et purificari possitis, *Miseri estote*, idest miseriam vestram recogitate, et recognoscite, in quam scilicet per peccatum incidistis. Vel miseri estote, miseria interioris doloris, et lugete signo exterioris doloris. Psal. vi, *Lavabo per singulas noctes etc.* Vel miseri estote, pro commissis, lugete pro omissis. Vel miseri estote, pro gloria quam amisistis. Lugete pro pœna cujus debitores facti estis. *Risus vester*, idest gaudium exterius, *In luctum convertatur*, doloris scilicet exterioris ; nisi enim convertatur in luctum momentaneum in præsenti, convertetur in luctum æternum in futuro. Proverb. xiv, *Risus dolori miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Et gaudium*, interius quo gaudebitis in peccatis. *In mœrorem*, scilicet doloris interioris : si enim gaudium momentaneum in præsenti vertitur in mœrorem momentaneum, hujus mœror momentaneus postea, in futuro scilicet, vertetur in gaudium æternum. Joan. xvi, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ut autem hæc commutatio valeat fieri, *humiliamini*, humiliatio enim veniam impetrat. III Regum xxi, Nonne vidisti Achab humiliatum coram me : idcirco non inducam malum. *In conspectu Dei*, idest humilitate vera non ficta : interiori non tantum exteriori. *Est enim qui nequiter se humiliat*, Eccles. xix. Et nota quod dicit humiliamini, et non alius humiliet vos, ut sit humiliatio voluntaria non necessaria. Nec dicit, Humiliamini caput, vel vestem, vel habitum, sed simpliciter, cor scilicet vestrum, quia tales exaltat Dominus : unde sequitur, *Exaltabit vos*, merito scilicet humilitatis. Simile I Petri v, *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet.* Vita enim præsens et futura sunt quasi quædam statera, in qua sunt duæ partes : et secundum quod una magis deprimitur, alia magis levatur. Ita secundum quod homo magis se deprimit et affligit in præsenti, magis elevabitur in futuro. Unde, *Qui se humiliat, exalta-*

bitur. Lucæ XVIII, *Miseri estote et lugete*. Hic notatur quod propter quatuor est lugendum. Primo propter incolatum præsentis miseriæ : quod notatur ibi, *Miseri estote*. Secundo, propter transgressionem culpæ : quod notatur ibi, *Lugete*. Tertio, propter imminentem damnationem pœnæ : quod notatur, ibi : *Risus vester convertatur in luctum*. Quarto, propter gratiam reconciliationis obtinendam, quod notatur ibi : *Et gaudium in mœrorem*. Hic autem quadruplex fletus significatus fuit per quadruplicem fletum Domini. Quorum primus fuit in infantia, ad modum aliorum infantium. Secundus super Lazarum, Joan. XI, *Et lacrymatus est*. Tertius super civitatem. Lucæ XIX, *Videns etc*. Quartus, in cruce propter nostram reconciliationem. Hebr. V, *Cum clamore valido et lacrymis etc*. Et nota quod multiplex est miseria. Prima est culpæ originalis. Job. III, *Quare misero data est lux, et vita iis qui in amaritudine animæ sunt ?* Secunda peccati actualis, Proverb. XIV, *Miseros facit populos peccatum*. Tertia innatæ fragilitatis. Job XIV, *Homo natus de muliere etc*. Quarta mundanæ paupertatis. Job XXX, *Qui manducabant arborum cortices, squalentes calamitate et miseria*. Quinta humanæ persecutionis ; II Machab. XIV, *Miserias Judæorum prosperitates rerum suarum arbitrabantur*. Sexta diabolicæ tentationis, Job XX, *Aperta janua irruerunt super me, et ad meas miserias devoluti sunt*. Septima æternæ calamitatis, Sophoniæ I, *Dies illa dies iræ, calamitatis et miseriæ*. Octava pœnitentiæ salutaris, ut hic, et Psal. XI, *propter miseriam inopum et gemitum etc*.

Nolite detrahere etc. Hic docet qualiter se habeat ad proximum, ut scilicet alter alteri non detrahat : a quo retrahit triplici ratione. Prima est, quia per hoc fit injuria legi sive juri. Secunda, per hoc fit injuria judici, scilicet legislatori, Si autem judicas. Tertia, quia per hoc fit injuria proximo qui judicatur, Tu autem quis es etc. Dicit ergo, *nolite*. *Glossa*. Non solum erga Deum vos habeatis, sed etiam erga fratres boni sitis ; et ideo *Nolite detrahere alterutrum fratres*, id est unus alteri malum imponendo, vel augmentando, vel bonum annihilando vel diminuendo. Sapient. I, *A detractione parcite linguæ*. Proverb. IV, *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te*. Est autem detrahere aliquid de bono minuendo trahere. Et nota quod dicit, *Nolite*, ut sic prohibeat voluntatem. Multi enim non detrahunt, qui libenter detraherent si auderent : sed non audent propter bonos, Proverb. XXIV, *Abominatio hominum detractor*. *Qui enim detrahit fratri*, ore, bonis ejus detrahendo, *Aut qui judicat fratrem*, corde ipsum propter mala condemnando, *Detrahit legi*, quæ hoc prohibet, et lex vetus, Levitici XIX, *Non eris criminator nec susurro in populis*. Et nova, Matth. V, *Nolite judicare etc*. Et judicat legem, eam malam reputando et vituperando : et si non secundum rem, tamen secundum suam reputationem ; quia legem transgreditur, nec curat de ejus observantia, ac si esset mala, vel non bona. *Si autem judicas legem*, eam quasi vituperando dum ipsam transgrederis. Judicare enim de lege nemini licet postquam statuta est, sed secundum ipsam, ut dicit Augustinus. *Non es factor legis*, ut legi subditus et obediens. Contra id, supra, *Estote factores legis et non auditores tantum*. *Sed judex*. *Glossa*, Vituperator ratione contentus. Et certe judex legis non debes esse, quia *Unus est legislator*, principalis et Dominus, licet alii sint ministri. Legislator dicitur, qui legem dedit, ut impleretur, Psal. *Benedictionem dabit legislator*. *Et judex* justus omnium, qui judicabit secundum illam legem. Actuum X, *Ipse constitutus est a Deo judex* vivorum et mortuorum. Isaiæ XXXIII, *Dominus rex noster*, *Dominus legifer noster*, *Dominus judex noster etc*. *Qui potest perdere*, legis suæ transgressores. *Et salvare*, legis suæ observatores, I Regum II, *Dominus mortificat et vivificat*. *Tu autem :* quasi dicat : ex quo tu non es legislator, *quis es*, id est cujus auctoritatis vel sanctitatis, *Qui judicas*, condemnando proximum tuum tibi parem, aut te meliorem : par enim in parem non habet imperium, nec minor in majorem. Rom. VIII, *Tu quis es qui judicas alienum servum*, non tibi subditum, sed conservum? Gregorius : « Cogitare debemus cum aliquem redarguimus, quod forte in eisdem peccatis fuimus aut certe esse poteramus : et sic eum in mansuetudine corripiemus. » Et Isidorus : « Non detrahas peccanti, sed condole : quod in alio detrahis, in te potius pertimesce. » Nota exemplum in *Vitis patrum*.

Ecce nunc dicitis etc. Hic dehortatur a concupiscentia mundi propter incertitudinem humanæ vitæ. Ubi primo ostendit

quod propter vitæ incertitudinem non est de futuris longis confidendum. Secundo, quod propter hoc potius de futuris semper est sub conditione loquendum: *Pro eo ut dicatis*. Tertio quod propter hoc de possessionibus divitiis non est gloriandum: *Nunc autem exultatis*. Vitæ autem incertitudinem ostendit primo ex ignorantia crastini. Secundo ex fragilitate vitæ nostræ: *Quæ est enim vita vestra*. Dicit ergo, *Ecce nunc*. Glossa. Dixi vitandam detractionem, sed ecce nunc aliud vitium quod facitis. *Qui dicitis*. Glossa, stulta animi levitate spatium vitæ promittentes: sicut dives ille cui dictum est, Hac nocte repetent animam tuam a te, Lucæ XII. et *Qui dicitis*, hoc scilicet, *Hodie aut crastino*, cum nec diei hodiernæ nec crastinæ habeatis certitudinem. Ecclesiast. IX. *Nescit homo finem suum*. *Ibimus in civitatem illam, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et faciemus lucrum*. Glossa. Multimodam eorum stultitiam notat: quia de lucrorum augmento agunt, et se tempore multo victuros arbitrantur, et suæ potestatis æstimant, ubi annum faciant. Et dicit, lucrum faciemus, id est inveniemus lucro temporali, quod frequenter est cum damno majori, scilicet spirituali. *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur?* Matth. XVI. Augustinus. Nunquam est injustum lucrum sine justo damno: lucrum in arca, damnum in conscientia. *Qui ignoratis quid sit futurum vobis in crastinum*, multo magis in longum tempus, scilicet usque ad annum. Prov. XXVII. *Ne glorieris in crastinum, ignoras enim quid superventura pariat dies*. Et certe ignoratis. *Quæ est enim vestra vita?* quam brevis, quam fragilis. Augustinus. « Vita hæc est vita dubia, vita cæca, vita ærumnosa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aer morbidant, escæ inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit; et post hæc omnia mors interimit, gaudiis universis finem imponens: ut cum esse desierint, nec fuisse putentur. » Et dicit, vita vestra carnalis, scilicet non spiritualis; naturæ, non gratiæ: vita enim gratiæ a Deo est, et quid cæterum est. Joan. I. *Et vita erat lux hominum*. *Vapor est ad modicum parens*. Id est brevis et transitoria ad modum vaporis, qui est fumus resoluti ex aliquo humido. *Et deinceps*, id est parum post, *Exterminabitur*, id est extra terminos vitæ ponetur, id est cito deficiet. Baruch III, *Exterminati sunt*. Hic autem non dicit, quia homo post mortem omnino desinat esse, ut tangit *Glossa*. Manet enim vita in anima, licet non in corpore. *Pro eo ut dicatis*. *Glossa*: hæc omnia dico, ut spe longioris vitæ non promittatis vobis lucra futuri temporis; sed potius dicatis: *Si Dominus voluerit*, sine cujus voluntate nihil fieri potest. *Et si vixerimus, faciemus hoc aut illud*. Unde et Angelus loquens Abrahæ de ortu Isaac, hanc conditionem apponit, *si vita comes fuerit*, Genesis XVIII. Ubi tangit duplicem conditionem: quarum una est ex parte Dei, alia ex parte hominis: quam postponit præcedenti, quia pendet ex illa, scilicet ex voluntate divina. *Nunc autem*, quasi dicat, Vos non ita facitis, sed etiam nunc, id est in hac vita brevi. Vel nunc, id est tempore gratiæ et tempore tribulationis: ecce quæ tunc erat in dispersione. *Exultatis*, id est gaudium extra ostenditis. *In superbiis vestris*, id est in divitiis quæ sunt vobis materia superbiæ. Augustinus, « Vermis divitum superbia. » *Glossa*, In divitiis quæ faciunt vos superbos. *Omnis exultatio talis maligna est*, id est malo igne ignita, scilicet concupiscentiæ, vel cupiditatis. Hic est ignis infernalis, qui nunquam dicit, sufficit, Proverb. XXX. Et dicit, talis exultatio, non omnis simpliciter: est enim quædam exultatio bona, qua scilicet exultant justi in Domino. Talis: *Glossa*: quæ est ad depressionem aliorum. *Scient igitur*. *Glossa*. Exultatis et superbitis; ergo punimini, quia scitis bonum et non facitis, unde scienti *Bonum facere et non facienti peccatum est illi*, omissionis scilicet gravioris: quia secundum Gregorium, ubi majus est donum scientiæ, ibi transgressor majori subjacet culpæ: et hoc propter contemptum annexum scientiæ; non quia scientia in se sit mala. Luc. XII, *Servus qui scit voluntatem Domini sui etc*. *Nolite detrahere in morsu serpenti similes*, Ecclesiastes I. Si mordeat serpens in silentio nihil eo minus habet. *Qui occulte detrahit, hic hominibus abominabilis*, Proverb. XXIV. Abominabilis hominum detractor, *Deo odibilis*. Rom. I. *Detractores Deo odibiles*. Confusione dignus. Psalm. *Induantur qui detrahunt mihi, pudore*. Ad pœnam obligatus. Prov. XIII, *Qui detrahit alicui rei ipse se in fu-*

turum obligat. Perditioni proximus. Proverb. XXIV, *Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repente consurgit perditio*. A visione patriæ alienus. Num. XIV, *Nec quisquam ex illis qui detraxit mihi intuebitur eam*, scilicet terram promissionis.

CAPUT V.

Agite nunc divites etc. Supra instruxit eos contra inordinationem appetendo per concupiscentiam, hic contra inordinationem retinendo per avaritiam. Ubi primo de inordinata retentione hortatur ad pœnitentiam. Secundo aggravat culpam : *Divitiæ vestræ*. Et primo aggravat eam ex circumstantia temporis. Secundo ex circumstantia personæ. *Ecce merces etc.* Ubi primo aggravat culpam commissam in proximum. Secundo in se, *Epulati estis super terram*. Tertio in Deum *In die occisionis etc.* Dicit ergo, *Agite nunc*, *Glossa*, hucusque peccastis, sed jam nunc pœnitentiam agite, *divites*, *Glossa*, In pecunia et in peccatis. Hujusmodi enim divitiæ de facili sese concomitantur. Eccles. XI, *Si dives fueris, non eris immunis a delicto*. Nec dicit quid agant, quia agere bonum simpliciter est agere : agere malum non est agere, sed destruere. Agite ergo pœnitentiam, recuperando per pœnitentiam quod destruxistis per culpam. Matth. III, *Pœnitentiam agite etc. nunc*, scilicet dum tempus habetis. Vel *nunc*, id est tempore gratiæ. II ad Corinth. VI, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Postea specificat modum agendi : *plorate*, lacrymis contritionis. *Glossa*, in corde, *ululate*, voce lacrymosæ confessionis præ doloris magnitudine. *Glossa*, Manifestatione vocis et operis, *In miseriis vestris*, id est pro miseriis. Potest autem intelligi de miseriis æternis : Luc. VI, *Væ vobis divitibus qui habetis hic consolationem vestram* : vel de miseriis quæ futuræ erant in destructione Judæorum futura per Romanos, pro culpa quam commiserant Dominum crucifigendo ; et tunc est quasi prophetia.

Divitiæ vestræ putrefactæ sunt etc. Hic aggravat culpam ex circumstantia temporis. Ubi primo aggravat culpam. Secundo subjungit pœnam, ibi : *Ærugo eorum*. Et primo in corpore. Secundo in anima, Thesaurizastis vobis. *Divitiæ vestræ*, id est fructuum abundantiæ pertinentes ad victum. *Putrefactæ sunt*, ad literam, putrefiunt enim fructus avarorum præ nimia conservatione. Vel putrefactæ sunt, id est ut putredo et stercora reputandæ sunt. Vel potest intelligi de futuro; id est cito putrefient, unde non proderunt vobis, *Et vestimenta vestra*, id est superfluitates pertinentes ad vestitum, *tineis comesta sunt*, *Glossa*, Non usu necessario attrita. Nesciunt enim parci ut cibum tineis præparent, et pauperes nudos dimittunt, contra illud, Isaiæ LVI, *Cum videris nudum operi eum*. *Aurum et argentum vestrum*, quæ sunt durabilia et præcellunt in metallis *æruginavit*, hoc est ærugine, id est rubigine periit propter longam conservationem. Vel æruginavit, id est nihil valebit, sicut illud quod est ærugine consumptum. Ezech. VII, *Argentum eorum foras projicietur, et aurum eorum erit in sterquilinium et non valebit liberare eos*. *Et ærugo eorum*, id est rubigo contracta ex nimia conservatione eorum quæ deberent pauperibus distribui, *Erit vobis*, id est contra vos, *In testimonium*, in hæc, scilicet avaritiæ. Simile Habakuc II, *Lapis de pariete clamabit, et lignum quod inter juncturas ædificiorum est respondebit*. *Glossa*, Ærugo pecuniæ vertetur in testimonium nequitiæ et augmentum pœnæ, quia intelligit se male congregasse ea quibus indigebat ad usum vitæ. *Et manducabit carnes vestras*, id est erit causa quare cruciabitur caro. *Sicut ignis*, Flamma enim exterior corpora et vermis interior animas cruciabit. Judith XVI, *Dabit ignem et vermes in carnes eorum ut urantur et sentiant usque in sempiternum*. Et vere manducabit, quia *Thesaurizastis vobis*, id est occulte et abundanter præparastis, *iram*, id est iræ causam. *In novissimis diebus*, in die judicii, quem vocat pluraliter, quia erit pœna perpetua, licet judicium una die fiat. Et nota quod in thesauro intelligitur quantitas pœnæ et qualitas sive acerbitas. Thesaurus enim fit de magnis rebus et multis : sic pœna æterna magna erit æternitate et multa pœnarum diversitate et acerbitate pœnæ. Job. XXXVIII, *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?*

Ecces merces operariorum vestrorum etc. Hic aggravat culpam commissam in proximum. *Ecce*, *Glossa*, Non solum damnabimini quia vestra non datis, sed etiam quia aliena retinetis quia *Ecce*

merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, id est messes in regionibus seminatas, quæ scilicet merces debita operariis, *Fraudata est a vobis*, scilicet non reddendo, sed diminuendo vel differendo reddere. *Glossa*. Magna iniquitas, non tantum pauperibus nihil dare, sed etiam mercenarios defraudare. *Clamat*, id est facit clamare pauperes et conqueri. Vel quia est materia clamoris sive accusationis: in quo magnitudo peccati notatur. Unde Ecclesiast. XXXIV, *Qui effundit sanguinem et qui facit fraudem mercenario fratres sunt*. Et dicit, merces clamat, non pauper, quia aliquando contingit quod pauper non audet præ timore divitis. Nec talis clamor caret effectu, unde sequitur, *Et clamor eorum*, Operariorum defraudatorum *In aures Domini sabaoth*, id est exercituum hominum et Angelorum, qui potest vindicare et vult, *introivit*. Hoc dicit ad terrorem divitum, ut sciant Deum esse tutorem et defensorem pauperum. Psalm. IX, *Tibi derelictus est pauper etc*. Et LXII, *Non sprevit Dominus deprecationem pauperis*. Notandum vero quod quatuor sunt peccata quæ præ sui enormitate dicuntur clamare ad Dominum: scilicet homicidium, Genes. IV, *Ecce vox fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Secundo peccatum contra naturam, Genes. XVIII, *Clamor Sodomorum venit ad me; descendam et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*. Tertio oppressio justorum, Exodi III, *Clamor filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem qua ab Ægyptiis affliguntur*. Quarto pauperum defraudatio, ut hic.

Epulati estis super terram etc. Hic aggravat culpam commissam in se. *Glossa*. Non tantum peccatis superflue congregando, aliena rapiendo, sed etiam superflue expendendo; unde dicit, Epulati estis super terram, id est super exigentiam carnis quæ est de terra; non scilicet ad necessitatem, sed ad voluptatem. Hoc dicit quo ad gulam. *Et in luxuriis enutristis*, id est extra mensuram nutriatis, *Corda vestra*, id est saltastis implendo, scilicet desideria cordium vestrorum: contra illud Eccles. XVIII, *Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Hoc dicit quo ad luxuriam. Hæc enim duo vitia sibi invicem sunt annexa. Hieronymus. Venter et genitalia vicina sunt membra, et ex vicinitate membrorum nascitur conformitas vitiorum: venter vero mero æstuans de facili spumat in libidinem. *In die occisionis*. *Glossa*. Apparet quod illos divites specialiter alloquitur, qui in necem Domini conjurant, et nec fidem ejus qua salvarentur accipiunt. *Occisionis*, id est passionis Domini quæ est dies Domini, *adduxistis*, trahendo ad judicium coram Pilato (Lucæ XXIII). *Et occidistis justum*. Antonomastice, scilicet Christum, qui nihil habuit de opposito justitiæ, nec actu, nec potentia. Ejus occisionem eis attribuit, quia fuerunt causa ejus occisionis, quamvis eum gentiles crucifixerint. Actuum II, *Auctorem vitæ interemistis*. *Et non restitit vobis*, cum tamen posset. Matth. XXVI, *An putas quia non possum rogare Patrem meum etc*. Ex iis videtur quod habere superfluum sit peccatum. Item super illud, I Timoth. VI, *Habentes alimenta*, *Glossa*, Qui ultra tendit, malum invenit. Responsio, Superfluum est quod superest victu et vestitu naturæ et personæ secundum justam æstimationem respectu præsentis et futuri. Naturæ et personæ dico: quia quod est superfluum naturæ potest esse necessarium personæ. Persona enim plus exigit quam natura, et dico personam prout importat dignitatem vel officium: sicut plura sunt necessaria episcopo quam canonico. Secundum justam æstimationem dicó, propter avaros, quia avaritia nunquam juste æstimat. Respectu præsentis et futuri; quia quod superfluit ut nunc, potest esse necessarium respectu futuri. Habere ergo superfluum naturæ propter naturam peccatum est: habere autem superfluum personæ, semper est peccatum si non est necessarium respectu præsentis vel futuri: quod enim superfluit ad præsens potest reservari, ut in futurum melius dispensetur, cum major erit necessitas. Quod autem dicitur hic, intelligitur de superfluo personæ respectu cujuslibet temporis.

Patientes igitur estote fratres etc. Supra instruxit eos in patientia tribulationum, et in sanctitate operum; hic instruit eos in expectatione præmiorum. Et primo hortatur eos ad patientiam et longanimitatem. Secundo docet remedia contra adversitatem et tribulationem. Tristatur ergo aliquis vestrum. In prima parte primo docet servare patientiam et longanimitatem in facto. Secundo in verbo. *Ante omnia fratres mei*. In secunda parte primo hortatur ad patientiam spe præmii. Secundo timore supplicii. *Nolite*

ingemiscere. Tertio exemplo sanctorum generaliter. *Exemplum accipite*. Quarto exemplo sanctorum aliquorum specialiter, ibi : *Sufferentiam Job audistis, etc.* In prima parte primo ponit exhortationem. Secundo confirmationem. *Ecce agricola*. Tertio conclusionem. *Patientes estote*, Dicit ergo. *Patientes ergo estote*, *Glossa*, increpatis superbis et incredulis, rursum convertitur ad bonos qui opprimuntur. *Fratres usque ad adventum Domini*, quando punientur oppressores et liberabuntur oppressi. Eccles. *Usque ad tempus sustinebit patiens*. Adventus autem Domini secundum *Glossam*, incipit in fine cujuslibet : quia secundum Augustinum, talis repræsentabitur unusquisque in judicio Domini, qualis hinc discedit. Et debetis esse patientes exemplo agricolæ, *Ecce agricola expectat pretiosum*, quia laboris sui pretium, *Fructum terræ*, de terra scilicet ortum. *Patienter ferens*, id est multas passiones et labores sustinens, *Donec accipiat temporaneum*, id est fructum primitivum vel præmaturum ante generalem maturitatem, *Et serotinum*, fructum permaturum. Spiritualiter autem quasi fructus temporaneus est stola animæ, quasi fructus vero serotinus est stola corporis. Vel quasi fructus temporaneus, est gratia. Serotinus gloria. Rom. VI, *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. Cum igitur agricola hoc faciat. *Patientes estote et vos :* quasi dicat, multo fortius esse debetis : quia ille pro fructu terreno expectat, vos pro cœlesti. *Et confirmate corda vestra*, id est firma corda habete ad gravia sustinenda, ne deficiatis in tribulationibus. Vel confirmate. *Quoniam adventus Domini* ad judicium personæ, vel etiam ad universale, *appropinquavit*. *Glossa*, ut vos ad gloriam, illi ad pœnam rapiantur. Matth. XXIV. *Scitote quia prope est. Nolite ingemiscere*, corde murmurare inter tribulationes. *Fratres in alterutrum*, id est tribulati contra tribulantes, vel boni contra malos, eo quod boni patiuntur, mali vero florent. Florent enim nimis cito quia ante hyemem ; et ideo adveniente hyeme futura, scilicet condemnatione, amittent florem. *Ut non judicemini*, in judicio scilicet condemnationis. *Glossa*, id est damnamini eo quod justum judicem quasi inique judicantem vituperetis. Nec debetis ingemiscere, quia, *Ecce judex*. Dicit, ecce, quia evidenter veniet. Judex, scilicet universalis. *Ante januam*, id est prope, sicut quod est in januis, id est in exitu animæ et corporis per januam mortis. *Assistit*. *Glossa*, quia proximus est ad cognoscendum quæ geritis, vel cito veniet ad retribuendum vobis et illis.

Exemplum accipite, fratres. Sicut monui vos ad longaminitatem verbo, adhuc moneo vos exemplo : quia frequenter magis movent exempla quam verba. *Exemplum accipite fratres exitus mali,* malitia pœnæ non culpæ, idest supplicii in movendo, et longanimitatis in expectando præmio, et laboris in bene operando, et patientiæ in adversa sustinendo. *Prophetas*, hos eis proponit tamquam majoris auctoritatis apud ipsos. *Qui locuti sunt in nomine Domini*, qui tam sancti fuerunt, ut per eos Dominus sua mysteria loqueretur. *In nomine Domini*, id est invocatione vel honore nominis ejus ad ampliandum nomen Domini. Et certe debetis eos in exemplum accipere, quia *Ecce* admirative, quasi mirabile est quomodo per tantam miseriam devenerunt ad tantam gloriam. Act. XIV. *Per multas tribulationes oportet introire in regnum cœlorum*. II Timoth. III, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Crux enim est probatio fidei, et per hanc itur ad cœlum. Ita *oportuit pati filium hominis, et ita intrare in gloriam suam*. Luc. XXIV. Hoc iter secuti Prophetæ et electi tenuerunt, auctore Paulo Hebr. XI. *Beatificamus*, id est beatos reputamus et dicimus. *Glossa*. Illos magnos reputamus et veneramur illos, et tamen pauci imitari eos volunt : sed sicut Balaam, Num. XXIII, *Moriatur anima mea morte justorum*. *Eos qui sustinuerunt*, id est qui patientiam vel longanimitatem habuerunt. Supra I, *Beatus vir qui suffert tentationem*. *Glossa*, Malis pro bonis temporalia ; cœlestia bonis redduntur. Nota quod Dominus solvet eis præmium ad præsens et illico : bonis vero differt solvere usque ad ultimum. *Sufferentiam Job audistis*. De Job et Christo specialiter exemplificat, quia horum duorum patientia laudabilis est : Job in veteri testamento, Christi in novo : quorum uni reddita sunt temporalia, alteri æterna. Sufferentiam Job audistis, quanta scilicet sustinuit a diabolo, a prædonibus, ab uxore, ab amicis. *Et finem Domini vidistis*, oculis scilicet vestris. *Glossa*, In cruce pendentem, longanimiter patientem. Loquitur ad illos quorum

aliqui interfuerant passioni Christi. Et nota quod dicit, *Sufferentiam Job*, non finem; e contrario, *Finem Domini*, non sufferentiam; ad significandum quod exemplo Job pati debemus, non propter temporalia, sed æterna; finis enim Job fuerunt temporalia multiplicata, sed finis Domini æterna. Nota etiam quod duplex est finis Domini: unus quem habuit in mundo, scilicet mors pœnalis, quam in cruce sustinuit. Alius extra mundum, scilicet resurrectio. *Glossa*, De utroque dicit, *Finem Domini vidistis*. Primum proponit pugnantibus, ut fortiter pugnent. I Petr. II, *Christus passus est pro nobis etc.* Secundum victoribus, ut se cum eo glorificari sperent, quoniam quasi in hoc apparuit. Et videre potuistis. *Quoniam misericors*, *Glossa*: in natura, *Et miserator*, in effectu. *Glossa*, in exhibitionibus gratiarum. Et ideo, ut dicit *Glossa*, debetis eum imitari. Et nota quod Dominus est misericors, primo in peccatorum dimissione. Eccl. IX, *Pius et misericors est Deus et remittit in tempore tribulationis peccata*. Secundo in afflictorum compassione. Matth. VIII, *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent*. Tertio in debilium sustentatione. Psalm. *Si dicebam: motus est pes meus*. Quarto in vindictæ suæ retractione. Jonæ III, *Misertus est Dominus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis*. Threnorum III, *Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti*. Quinto in charitativa correctione. Psalm. *Visitabo in virga iniquitates eorum*. Et paulo post, *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*. Sexto in pœnæ debitæ dimissione. Habacuc III, *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*. Septimo in temporalium collatione. Psalm. *Misericors et miserator Dominus escam dedit timentibus se*.

Ante omnia fratres mei, nolite etc. Hic docet patientiam servare in verbo, ne scilicet ex impatientia proni sint ad male jurandum. Ubi primo dissuadet jurandi pronitatem. Secundo suadet loquendi simplicitatem: *Sit autem sermo vester*. Dicit ergo, *Ante omnia*. *Glossa*, cum omnia prædicta sint vitanda. *Ante omnia*: non quod hoc sit gravius præcedentibus, sed quia ad hoc videbantur proniores. Vel, Ante omnia, id est in principio cujuslibet verbi vel facti, contra quorumdam pravam consuetudinem, qui statim in principio verbi prorumpunt in juramentum. *Nolite jurare*. Prohibet jurandi appetitum, non actum necessarium. Unde *Glossa*: ideo adjurationis culpam compesco, ne frequenter jurando vera, aliquando et in perjurium cadatis: sed eo longius a perjurio stetis quod nec vera jurare velitis nisi necessitas cogat. Sed contra hoc objicitur: Bene enim sequitur, currere non est malum, ergo appetere currere non est malum: ergo similiter sequitur, jurare non est malum; ergo nec appetere jurare. Si dicas sicut dicit *Glossa*, quod non prohibet juramentum sed consuetudinem jurandi. Contra. Ejus quod non est malum iteratio non est mala vel consuetudo. Si ergo jurare non est malum, ejus iteratio vel consuetudo non est mala. Responsio. Cum Dominus juraverit et Apostolus Rom. IX, *Testis mihi est Deus*, et in veteri Testamento non sit prohibitum, Beatus Jacobus non intendit prohibere juramentum, sed jurandi appetitum. Licet enim jurare in se non sit malum, tamen est periculosum, quia inclinat ad malum et perjurii et irreverentiæ nominis Domini. Sicut licet præesse non sit malum, inclinat ad malum, scilicet elationis et superbiæ; et ideo est periculosum, et ideo voluntas transiens super actus tales est inordinata et libidinosa, nisi ad bonum finem actualiter ordinetur. Unde in talibus inordinatio est pro privatione finis vel ordinis; et ideo appetere jurare vel præesse est malum, nisi ad bonum finem actualiter ordinetur. Et quia ista inclinatio frequenter reducitur ad actum in consuetudine; ideo videtur dicere *Glossa*, quod prohibet consuetudinem tantum, et hoc est propter periculum. Unde dicitur Ecclesiast. XXIII, *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Neque per cœlum* id est per superiores creaturas. *Neque per terram*, id est per inferiores creaturas. Jurare autem per creaturam prohibet duplici ratione quam tangit *Glossa*, Matth. V, Non juremus per creaturas, venerantes eas ultra quam debemus: nec viles eas æstimantes, ut nihil jurare putemus. Unde quatuor modis contingit jurare per creaturam: aut ipsam tamquam aliquid divinum venerando: aut juramentum factum tamquam per rem vilem contemnendo. Aut Deum, qui in ipsa re lucet et præsidet, testem invocando: aut ipsum quo ad usum quem inde jurans sperat dispositioni divinæ relinquendo. Duobus primis

modis est illicitum; duobus aliis licitum, *Neque aliud quodcumque juramentum*, id est neque per alium modum jurandi: sicut dicitur, Testis est mihi Deus, vel Deum invoco testem, vel coram Deo, vel, Deus scit quod sic est. Omnibus istis modis juratur. Matth. v, *Ego autem dico vobis non jurare omnino*. Augustinus, « Juratio falsa perniciosa; vera periculosa; nulla, secura. » *Sit autem*, pro sed *Sermo vester est, est: non, non :* ubi debetis dicere est, hoc est aliquid affirmare, dicatis est: similiter ubi debetis dicere non, hoc est aliquid negare, dicatis non. Vel sic. Sit sermo vester, est est; id est, sicut est in corde, sic sit et in ore; quasi dicat: in veritatem puram dicatis sine juratione. *Ut non sub judicio decidatis,* id est deorsum a statu gratiæ cadatis, et sic judicemini condemnationis judicio. Vel quia mendacium dicitis, vel quia pejeratis.

Tristatur autem aliquis vestrum etc. Hic docet remedia contra adversitatem. Et primo contra malum pœnæ. Secundo contra malum culpæ, *Confitemini etc.* In prima primo contra malum pœnæ, quod est in corpore *Infirmatur quis in vobis*. Dicit ergo, *Tristatur aliquis vestrum*, *Glossa*, quia in pressuris ingemiscere prohibuit. Nunc quid contra gerendum, id est agendum ostendit, *Tristatur aliquis vestrum*, scilicet pro violentia tribulationum vel pro damno rerum, vel amicorum, vel periculo corporum, vel pro culpa, vel illata injuria, *oret*, obsecrando et petendo, *Æquo animo*, non turbato. *Glossa :* non murmuret, nec judicia Dei vituperet, sed flexis genibus ad Ecclesiam currat, ut Deus consolationem immittat, *Et psallat*, dulcedine psalmorum tristitiam expellendo. Oratio pertinet ad nostram necessitatem, Psalmodia ad Dei laudem. Oratio est in petendo, Psalmodia in gratias agendo. Gregorius, Cum vox psalmodiæ per intentionem cordis agitur, aut prophetiæ mysteria, aut compunctionis gratia inspirantur. *Infirmatur quis, Glossa*, Sicut dederat contristato, sic dat et infirmanti consilium, qualiter se contra murmurationis stultitiam tuebitur. *Infirmatur quis*, id est si infirmatur. *Glossa*, Tristatus, per se oret, infirmatus, corpore vel fide: qui majorem sustinet plagam, plurimorum et seniorum adjutorio meminerit se curari in vobis, id est in numero fidelium. Nec intelligendum est hic de qualibet infirmitate, sed de gravi seu desperata. *Inducat*, non ait inducantur. In quo ostendit quod sacramentum extremæ unctionis quod hic institutum legitur, non nisi petentibus verbo vel signo dari debet, secundum morem Ecclesiæ. *Præsbyteros Ecclesiæ,* apud quos scilicet residet potestas ministrandi sacramentum. Nec dicit sacerdotes, sed presbyteros: in quo significatur et officium, ut sint sacerdotes, et qualitas, ut sint maturi et sapientes. Nam presbyter senior interpretatur. *Glossa*, Non ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referat, ne forte quid per eos allocutionis vel consilii nocentis accipiat. Sed contra. Non refert a quocumque episcopo quis ordinetur, dummodo ordinet secundum formam Ecclesiæ; ergo a simili non refert a quocumque presbytero fiat unctio. Responsio, Quo ad unctionem non est facienda discretio: sed quia ad hoc sacramentum exigitur oratio, quæ melior est unius quam alterius, quia majorem habet efficaciam: propter hoc debet eligi. Nec est simile de aliis sacramentis; quia in aliis non exigitur ita bonitas personæ sicut in isto: sed sufficit quod servetur forma Ecclesiæ. Propter hoc quæritur, quare magis exigitur oratio in unctione quam in aliis. Responsio: quia hoc sacramentum institutum est ad duo: scilicet ad remissionem peccati, quæ fit per unctionem; et alleviationem infirmi, quæ impetratur per orationem. Sed quæritur, cum semper sit oratio, quare non semper impetratur alleviatio. Responsio. Hoc est, quia vel indignus est qui petit, vel pro quo petitur, Vel melius, quia non semper expedit; et quia unctio quæ fit de oleo significat peccati remissionem, quia oleum sanativum: ideo confertur semper remissio peccati. Est enim sacramentum novæ legis quod efficit quod figurat. Quæritur etiam, Si hoc sacramentum possit iterari. Responsio, Quod sic: tum quia morbus est iterabilis, tum quia characterem non imprimit. Iteratio tamen sacramenti dicitur dupliciter: uno modo, idem est quod iterata benedictio sacramenti, et sic nullum sacramentum iterabile est: alio modo iteratio dicitur iterata susceptio; et sic quædam iterantur, et quædam non. Illa enim quæ imprimunt characterem, non iterantur. Aliter sic, presbyteros Ecclesiæ, non hæreticos, sed catholicos. *Et orent super eum*, id est super ejus necessitatem. *Ungentes eum oleo*.

simplici, benedicto tantum. Nota quod in baptismo, quod est sacramentum intrantium, fit unctio ex *chrismate*, quod componitur ex oleo et balsamo. In extrema unctione, quæ est sacramentum exeuntium, solo oleo benedicto : quia intrantibus necessaria est conscientia nitida, quæ intelligitur in oleo ; et fama odorifera, quæ in balsamo. Exeuntibus vero sufficit conscientia. *In nomine Domini*, scilicet consecrato ; vel in nomine Domini, id est in nominis ejus invocatione. *Glossa*. Quando inungitur, nomen Domini invocetur. Unde simul debet fieri unctio et invocatio. Ex iis quæ hic dicuntur, patet quod ex necessitate hujus sacramenti est, ordo, Presbyteros, oratio, orent, unctio, ungentes. Hæc autem unctio ortum habuit a missione prima Apostolorum, quando *infirmos ungebant oleo et sanabantur*, Matth. VI. *Et oratio fidei*, in fide facta : supra primo, *Postulet in fide*. *Salvabit infirmum*. Non dicit, Sanabit infirmum ; quod est corporis salute corporali et spirituali quando dignus est et expedit. Psalm. *Homines et jumenta*, id est animas et corpora, *salvabis, Domine*. *Et alleviabit eum Dominus*, ab infirmitate corporis ; vel simpliciter, ut levius ferat, si tamen expedit ut in corpore allevietur. *Et si in peccatis sit*, scilicet venialibus, *dimittentur ei*, virtute scilicet sacramenti. Aliquando enim incurritur infirmitas ex peccato. Effectus duplex hujus sacramenti, sed digne accedens semper suscipit primum ; secundum vero non, qui non semper expedit.

Confitemini ergo etc. Hic ponit remedia contra malum culpæ. Et primo ponit remedium confessionis. Secundo mutuæ orationis, *Et orate pro invicem*. Tertio mutuæ exhortationis, *Si quis autem ex vobis*. In secunda parte primo hortatur ad orationem. Secundo ostendit orationis virtutem, *Multum enim valet*. Tertio ostendit exemplum Eliæ, *Elias homo erat etc.* Dicit ergo *confitemini* ; quasi dicat : Ita dimittentur ei peccata, scilicet si fuerit ea confessus, ergo confitemini. *Alterutrum peccata vestra*. *Glossa*. Quotidiana et levia coæqualibus ; gravioris culpæ immunditiam sacerdoti pandamus, et quando jusserit ipse, purgare curemus. *Peccata vestra*. *Glossa*. peccata vestra quæ fiunt ex ignorantia vel ex infirmitate humana committuntur ; quæ vero ex deliberatione, non nisi per pœnitentiam. Ergo secundum istam *Glossam*, confessio venialium est in præcepto. Contra : Hieronymus dicit, Quod pœnitentia est secunda tabula post naufragium, per venialia vero homo non patitur naufragium. Responsio. Non tenetur homo confiteri venialia intentione cujus oppositum sit transgressio, nisi in casu, verbi gratia, si non haberet mortale tenetur in quadragesima confiteri aliquod veniale ad implendum præceptum Ecclesiæ. Vel dicendum, quod ex vi sacramenti non tenetur quis venialia confiteri, sed ratione statuti Ecclesiastici, quando non habet alia quæ confiteatur. Quæ institutio edita est in concilio generali sub Innocentio tertio, ubi dicitur, Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno confiteatur, et hoc ut quilibet peccatorem se recognoscat. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Item ut ad Eucharistiam cum majori reverentia accedat, et ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupi inter greges lateant. Confessio autem quo ad mortalia est in præcepto, quo ad venialia in consilio. Ideo de mortalibus debet fieri presbytero, sed de venialibus etiam potest fieri socio, quia non necessario requirit virtutem clavium. Unde generalis confessio venialium, secundum usum Ecclesiæ, fit quotidie illis qui non sunt presbyteri, in Prima in Completorio, in Missa. Hic autem habetur plene et expressa institutio confessionis, quæ fit homini : in veteri quidem Testamento, quia Deus nondum erat homo, Deo confiteri sufficiebat. Psalm. : *Dixi, confitebor injustitiam meam*. In novo vero Testamento, quia Deus est homo, oportet fieri confessionem Deo et homini Dei vicario. Hanc autem confessionem Christus, quantum ad illud quod erat formale, instituit, quando claves Petro dedit. Illud autem quod erat materiale instituendum insinuavit, quando dixit, Lucæ XVII, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Ecclesia vero postmodum instituit, sed beatus Jacobus Jerosolymitanus episcopus promulgavit, sicut dicitur hic. Ecclesia vero postmodum magis determinavit dicens, Omnis utriusque sexus fidelis etc. Notantur autem hic conditiones confessionis : scilicet quod sit integra, Confitemini, id est simul fatemini. Et quod sit pura, Peccata, non merita. Quod sit propria non aliena, Vestra. *Et orate pro invicem*, confessor et confitens, vel omnes fideles. Gregorius.

Quanto graviori carnalium cogitationum tumultu premimur, tanto ardentius orationi insistere debemus. *Ut salvemini*, ecce quid orandum. Petendum est enim quod pertinet ad salutem. Joan. XVI. *Si quid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis*. Et debetis orare. *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Non dicit totum valet, sed multum : ad hoc enim quod oratio sit efficax, exiguntur quatuor : scilicet quod fiat pie, perseveranter, et ad salutem, et pro se. Justus ergo cum orat pro alio, non semper impetrat. Dicit ergo quod petat pie, perseveranter, et ad salutem, quia potest esse impedimentum ex parte ejus pro quo orat. Ideo dicit, Multum, non totum. Hæc conditio, ad salutem, intelligitur ibi, *Ut salvemini*. Hæc conditio, pie, cum dicitur, justi. Hæc conditio, perseveranter, cum dicitur, assidua. Quarta conditio deficit. Dicit ergo : multum valet deprecatio justi assidua, non peccatoris, quia peccatores non sunt digni ut exaudiantur. Joan. IX, *Scimus quoniam peccatores Deus non audit*. Assidua, non momentanea et rara. Lucæ XVIII, *Oportet semper orare et non deficere :* ad Colossen. ultimo, *Sine intermissione orate*. Et nota, quod ostensa est virtus orationis in quatuor elementis, in cœlo et in inferno et in terra. Actuum IV, *Commotus est locus in quo erant*. In mari, ut patet exemplo Jonæ, Jonæ II. Item in aere, ut patet hic, in retentione pluviarum. Item in igne, ut patet in tribus pueris, Daniel. II, Et in Aaron, Numeri XVI. Item in cœlo, ut patet in statione solis. Josue I, Et in retrogradatione, Isaiæ XXXVIII. Item in inferno. Eccls. XVLIII. *Qui sustulistis mortuum ab inferis. Elias :* quasi, exemplo patet quod multum valet, quia *Elias homo erat*, id est fragilis sicut homo, quia nondum in paradiso translatus. *Similis nobis*, *Glossa*, Mentis et carnis fragilitate. Mentis quidem, quia timore Jezabel fugit : carnis, quia a vidua sustentari indiguit. De utroque habetur III Reg. XIX. Quamvis autem esset nobis similis virtute gratiæ. *Et oratione*, una scilicet, non pluribus, *oravit*, id est corde et ore oravit. *Et non plueret super terram*, ad edomandam ut tangit *Glossa*, regis superbiam, et idololatræ gentis audaciam. *Super terram*. Israel specialiter. *Et non pluit annos tres et menses sex*. In hoc significatur cessatura pluvia verbi Dei tribus annis, et diminutio temporis Antichristi, Daniel. VII, *Usque ad tempus et tempora et dimidium temporis*. *Et rursum oravit*, ut tangit *Glossa*, postquam per tanti temporis inediam cor regis et populi ad pœnitentiam inflexum vidit. Oravit scilicet semel. Si ergo, ut tangit *Glossa*, Elias una oratione tanta impetravit, quid ergo multi fideles multis orationibus? *Et cœlum dedit pluviam et terra dedit fructum suum*. *Glossa*, Fructus et aquas, quas terris, negaverat, restituat.

Fratres mei si quis etc. Hic ponit tertium remedium : quia non solum pro mutua salute orandum, imo etiam pro fratrum conversatione laborandum. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit veritate*, fidei vel morum. *Et converterit*, ad viam veritatis reduxerit. *Glossa*. Vel bene monendo, vel tacite exempla bonæ actionis ostendendo. *Quis*, quasi dicat : rarus est qui hoc faciat. *Scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ*, id est vitæ. Nam vita nostra est quasi quædam via : aut in infernum si est mala, aut in paradisum si est bona. *Salvabit animam ejus*, occasionaliter. Deus vero causaliter. *A morte*, æterna scilicet. *Glossa*. Si magnæ mercedis est a morte eripere corpus quandoque moriturum, quanti meriti est a morte liberare animam in cœlesti patria sine fine victuram. Proverb. XXIV, *Erue eos qui ducuntur ad mortem*. Aliqui libri habent, *Animam suam*, id est illius qui facit eum converti. *Et operit multitudinem peccatorum*. *Glossa*. Ab aspectu æterni judicis superpositione vitæ melioris, abscondit : pallium vero quo operit, charitas est. I Petri IV, *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Operire autem peccata coram Deo qui omnia videt, est facere quod non habeat. Notandum vero quod non tantum per hoc salvat animam ejus et operit peccata ejus, sed etiam sua. Unde et dicit *Glossa :* Quidam codices habent, salvabit animam suam a morte : et vere qui errantem corrigit, per hoc ampliora gaudia vitæ cœlestis sibi acquirit. *Multum valet deprecatio justi*. Primo dissolvit vincula. Actum XII, *Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Et parum post sequitur : *Subito ceciderunt catenæ de manibus ejus*. Secundo fugat dæmonia. Matth. IX, *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio*. Tertio liberat a mor-

te ; exemplum de Susanna, Daniel xiii, *Exaudivit Dominus vocem*, et subditur quod liberata fuit a morte. Quarto a tentatione, Matth. xxvi, *Vigilate et orate ne intretis in tentationem*. Quinto potestates adversas superat : exemplum de Moyse, Exodi xvii, *Cum elevaret manus vincebat Amalec*. Sexto nos mundat Augustinus : « Orationibus mundamur, lectionibus instruimur : bonum est utrumque si liceat ; melius est tamen orare quam legere. » Septimo iram Dei placat. Exod. xxxii, de Moyse, et Numeri xiv, Dimitte, obsecro, peccatum populi tui. Et sequitur, dimisi ei secundum verbum tuum. Octavo desideria nostra Deo præsentat. Augustinus : « Magna est virtus orationis, quæ quasi persona quædam ad Deum intrat, et illius mandata peragit quo caro pervenire nequit. » Nono infirmos sanat, sicut hic : *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit*.

B. PETRI APOSTOLI EPISTOLÆ I. CANONICÆ

CAPUT I.

Petrus Apostolus Jesu Christi etc. Secundum quod sumitur divisio hujus libri ex parte auctorum, liquet eam divisionem esse bimembrem. Nam eo in libro ponuntur Epistolæ Petri duæ : in quarum prima principaliter fit instructio in moribus : in secunda principaliter in fide. Vel secunda inducitur ad confirmationem primæ. Vel prima, secundum Bedam, scribitur inferioribus sive imperfectis : secunda autem majoribus sive perfectioribus. Hæc autem epistola potest dividi in tres partes : scilicet in exordium, capite i. Et in narrationem, capite ii, iii et iv. Et in conclusionem, capite v. In exordio autem præparat animum eorum ad exhortationem sequentem, captando eorum benevolentiam, ut libentius audiant. Et primo, eos salutando. Secundo, de bonis eorum gratias agendo, ibi, *Benedictus Deus et Pater*. Tertio, in malis seu adversis, quæ sustinent, eos consolando, ibi, *In quo exultabitis*. Quarto, divina eis beneficia revelando, ibi, *Propter quod succincti lumbos*. In salutatione quidem, primo describitur persona salutans. Secundo describuntur personæ salutatæ, ibi, *Electis advenis*. Tertio forma salutationis, ibi, *Gratia vobis etc.* Dicit ergo textus, *Petrus*. Hanc primam epistolam, ut tangit *Glossa*, scribit Petrus proselytis, id est his qui primo de gentilitate ad judaismum, et postmodum de judaismo ad Christum conversi erant, qui et pro fide patiebantur, et dispersi erant. Scribit autem eis a Roma tempore Claudii Cæsaris. Dicit igitur, *Petrus. Glossa* : Nomen celebre : hoc enim nomen divinitus fuit ei impositum, Joan. i, *Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus* : Et confirmatum, Matth. xvi, *Tu es Petrus etc.* Nomen autem suum præponit epistolæ ut det auctoritatem ipsi epistolæ, quia caput erat totius Ecclesiæ. *Apostolus* : Ecce nomen officii. Nobile officium est esse nuncium sive legatum Christi. *Jesu Christi*, id est missus a Jesu Christo. Hoc dicit ad differentiam pseudoapostolorum, qui apostoli Christi non erant. Unde non missi prædicabant. Jerem. xxiii, *Non mittebam eos, et ipsi currebant*. *Electis*, scilicet a Domino. *Advenis*, id est, proselytis, sicut dicit *Glossa* : Qui de gentilitate venerunt ad judaismum, et de judaismo ad fidem Christi. *Dispersionis*. Potest esse constructio intransitiva, id est dispersis : vel transitiva, id est qui sunt de dispersione quæ facta est, post mortem Stephani. Actuum viii. Vel aliarum etiam persecutionum quæ aliquando factæ sunt a Judæis, aliquando a gentibus. *Ponti* provincia Græciæ juxta mare. *Galatiæ* alia provincia a qua Galatæ dicti sunt. *Cap-*

padociæ. Regio est pontica, confinis Armeniæ. *Asiæ* minoris in qua prædicavit Joannes : Asia vero major media pars orbis est. *Et Bithyniæ*. Alia provincia est. Omnes istæ provinciæ sunt Græcorum in Asia majori, cujus pars est Asia minor. De his autem provinciis oriundi erant illi quibus scribit Petrus Apostolus. Vel in his provinciis dispersi erant. *Secundum præscientiam*. Electis, inquam, non secundum merita, ut ait *Glossa*, sed secundum præscientiam. *Dei patris*. Rom. VIII. *Quos præscivit hos prædestinavit*. Elegit, inquam, in sanctificationem, remissionem scilicet peccatorum, Ephes. I, *Elegit nos ut essemus sancti et immaculati*. *Spiritus*, non solum carnis, qualis erat sanctificatio Judæorum. *In obedientiam* impletionis divinorum præceptorum. *Et aspersionem sanguinis Jesu Christi*, id est redemptionem scilicet pœnarum debitarum pro peccatis. Sicut enim in veteri lege omnia consecrabantur, et sanctificabantur sanguine, ut dicit Apostolus, Heb. IX. Ita in nova omnia consecrantur sanguine Christi. *Gratia*, id est remissio peccatorum, quæ fit per gratiam. *Vobis et pax*, id est reconciliatio ad Deum. *Glossa*. Sine gratia Christi ad pacem reconciliationis ejus non pervenitur. *Multiplicetur*, Glossæ. Ut quod bene cœpistis, perfecte compleatur.

Benedictus Deus. Hic captat benevolentiam de bonis eorum gratias agendo. Primo, de bonis gratiæ. Secundo, de bonis gloriæ ibi, *In hæreditatem*. Tertio, de custodia virtutis, ibi. *In vobis qui in virtute Dei*. Dicit ergo, *Benedictus*. Deum benedicere est ipsum de suis beneficiis laudare. A gratiarum autem actione incipit : tum propter divinam dignitatem, quia ipse est cujuslibet actionis fons et principium : sive propter necessitatem propriam. Qui enim indiget manducare, non potest melius incipere quam gratias de præteritis agere. *Deus et Pater*, ille qui est in natura divinitatis, qui et Pater in proprietate personalis distinctionis. Nec propter hoc sunt diversa secundum rem, sed secundum rationem. Et potius ponitur ibi copulativa conjunctio, quasi repetendo quam copulando. In Patrem vero refundit gratiarum actionem, quia ipse est auctor omnium bonorum. Jacob. I, *Omne datum optimum etc*. Pater inquam, *Domini*, quo ad beneficium creationis, *nostri*, quo ad beneficium incarnationis, *Jesu* quo ad beneficium salvationis, *Christi*, quo ad beneficium unionis, vel gratiæ gratum facientis. *Qui secundum misericordiam suam magnam*. Sicut dicitur Eccl. XXX, *Secundum magnitudinem ejus, sic et misericordia illius;* sed magnitudo est infinita, ergo et misericordia. Psalm CXLIV. *Magnitudinis ejus non est finis*. Bernardus, « Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino metas habet divina clementia. Si invocetur, erit qui exaudiat : si est qui pœnitet, erit qui indulgeat. » Qui, inquam, secundum suam misericordiam magnam, non secundum merita nostra. *Regeneravit nos*, ad vitam spiritualem redimendo, qui prius genuit nos ad vitam naturalem creando : vel generatos ad mortem, regeneravit ad vitam. Et hoc per lavacrum regenerationis et renovationis quod effudit in nos abunde, ad Titum II : *In spem vivam*, scilicet regeneravit nos ; hoc est, ut spe viva speremus habere vitam æternam. Et dicit, vivam, ad differentiam illius quæ degenerat in præsumptionem. Item ad differentiam spei illorum qui sperant bona peritura et transitoria, quorum spes est mortua et non viva. Sapien. III, *Vacua est spes illorum etc*. Hanc autem spem habemus maxime *Per resurrectionem*, id est per fidem resurrectionis, per quam dat nobis firmam spem quod resurgemus : quia si Christus resurrexit, et nos resurgemus. *Glossa :* Mortuus est ne moreremur. Resurrexit ut resurrectionem speraremus. *Jesu Christi ex mortuis*. *Glossa interlinealis* : « Remoti ex loco et numero mortuorum, quia ipse solus fuit inter mortuos liber. » *In hæreditatem*, in futuro habendam : scilicet regeneravit nos in vitam æternam, quæ nobis est hæreditaria, non transitoria. Hæreditas enim est possessio immobilis a patre in prolem descendens, non divisa, sed integra. Gregorius : « Hæreditas illa est omnibus una et singulis tota. » Bernardus « O præclara hæreditas non decessu patrum et successu filiorum obtinenda. Non inter fratres et sorores dividenda : non angustior multitudine hæredum, quia participatio ejus in idipsum ; non insufficiens, sed omnibus bonis repleta. *Incorruptibilem*, in se. *Glossa*. Ut nec senio, nec morbo nec alia mœstitia tangamur. » Apoc. XXI, *Absterget Deus omnem lacrymam etc*. *Et incontaminatam* ab aliis. *Glossa* : « In qua nullus immundus potest intrare. » Apoc. ult. *Foris canes et*

[illegible] Et Sapien. vii, Nihil inquinatum in eam incurrit. Et Apoc. xxi, *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Et immarcescibilem*, quia habentibus eam, *Glossa*: Quia nec in ipsis bonorum mentibus hominum non subrepit illa conversatio valet aliquando vilescere; sicut hujus præsentis sæculi solet aliquando in fastidium verti ex longo usu; id est, quantumcumque homo esuriat et sitiat, tamdiu posset comedere et bibere quod fastidiret. Et quantumcumque homo sit fessus, tamdiu posset in lecto pulchro jacere quod fastidiret. Hoc autem facit fidelitas creaturarum, quæ non permittit hominem in ipsis creaturis quiescere, sed ad creatorem suum remittit. *Conservatam in cœlis*. Beda: « Non in præsenti dandam, sed tempore futuro reddendam nobis in cœlo. » Psalm. cxxvi, *Cum dederit dilectis suis somnum. In vobis*, id est, pro vobis et futuram in vobis; vel conservatam per id quod in vobis est, scilicet per gratiam et liberum arbitrium, et per bona merita vestra. *Qui in virtute Dei custodimini*, non vestra. Psal. cxxvi, *Nisi Dominus custodierit civitatem, etc. Per fidem*, quæ facit fortes homines ad perseverandum; unde scuto comparatur, Ephes. ultim. *In omnibus sumentes scutum fidei*. Custodimini inquam. *In salutem æternam. Paratam revelari*, id est ostendi et dari quæ modo latet. *In tempore novissimo*, id est in die judicii. Apoc. x, *Tempus ultra non erit*.

In quo exultabitis. Hic præparat animum auditorum, et captat benevolentiam, eos in malis quæ sustinent consolando. Primo, promittendo præmia. Secundo, proponendo exempla, ibi, *De qua salute, etc.* Item in prima, primo ponendo fidei perfectionem in præsenti. Secundo, honorem in judicio generali, ibi, *Inveniatur in laudem*. Tertio salutem animarum in judicio particulari, ibi, *Quem cum non videritis*. Dicit ergo: Custodimini in salutem paratam revelari in novissimo tempore. *In quo*, scilicet tempore novissimo, *Exultabitis*. *Glossa interlinealis*, Sicut triumphatores. Isa. ix, *Sicut exultant victores capta præda etc.* Anselmus: « Pleno corde, plena mente, pleno toto homine; non illud totum gaudium intrabit in gaudentes sed gaudentes intrabunt in gaudium. » Exultabitis inquam, hoc modo, hac conditione.

Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus. Act. xiv, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*. *Glossa*: Quia non nisi per tristitiam potest ad gaudia perveniri. Vel sic, *Exultabitis* inquam, si pro quantumvis modicum *oportet contristari etc.* Vel sic, *Exultabitis*, ut exultare possitis tunc modicum, sed *nunc si oportet contristari etc.* Supra, ut dicit *Glossa*. Ne deficiatis, modicum dicit quo ad tribulationum acerbitatem; nunc, quo ad ipsarum brevitatem. II Corinth. iv, *Id quod in præsenti est momentaneum tribulationis nostræ etc.* Si oportet, inquit, quo ad ipsarum inevitabilitatem; unde et tribulationes dicuntur necessitates. Psal. xxiv, *De necessitatibus meis eripe me*. In variis tentationibus tam interioribus quam exterioribus quo ad ipsarum multiplicationem. Psal. xxxiii, ***Multæ tribulationes justorum etc.*** Item, Modicum, inquit, respectu gaudii, quod inde sequitur; respectu pœnæ æternæ, quæ evaditur; respectu divinæ offensæ quæ committitur; respectu consolationis, quæ immittitur; respectu passionis quam Christus patiebatur. Nunc, inquit, quia brevis est tribulatio; sed longa, id est æterna remuneratio. *Ut probatio fidei vestræ*, quasi: ad hoc oportet contristari *ut probatio fidei vestræ*, id est ipsa fides per tribulationes probata vel ipsa patientia probans, ***Multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur***, ut opus placeat Deo summo artifici, ut tangit *Glossa*. Fides vestra quam alicui artifici aurum materiale. Item *Glossa*, Patientia sanctorum auro comparatur; quia sicut in metallis aliquid auro pretiosius non est: ita hæc apud Deum omnium laude dignissima est. *Inveniatur*. *Glossa*, Ut probatio fidei vestræ inveniatur quod modo occultum est. *In laudem*, scilicet hominum. *Et gloriam*, scilicet Angelorum. *Et honorem*, Dei: nam laudabuntur a ceteris hominibus, glorificabuntur a sanctis, honorabuntur a Deo: vel laus in stola corporis, gloria in stola animæ, honor in judiciaria potestate totius conjuncti ex anima et corpore. *In revelatione Jesu Christi*, id est in die judicii. Nam Christus occultus in primo adventu manifestabitur in secundo; tunc cognoscetur judicia faciens qui nunc ignoratur injurias patiens, ut dicit beatus Bernardus, quem scilicet Jesum Christum, *cum*, id est quamvis, *Non videritis*, oculis scilicet corporis, sed solum oculis fi-

dei, *diligitis* : quia, ut ait Augustinus, Immensa possumus diligere, incognita nequaquam. *In quem*, scilicet Jesum Christum, *Nunc quoque*, in tempore, scilicet persecutionis non sicut illi, Luc. VIII, qui in tempore persecutionis defiiciunt. *Non videntes creditis*, Augustinus: « Fides est credere quod non vides. » Tales beati dicuntur. Joan. XX, *Beati qui non viderunt et crediderunt*. Sed dicet quis :« in quem vel quomodo creditis ? Sunt enim tres gradus seu modi credendi : videlicet, Credere Deum esse, unde Paul. Heb. XI, *Oportet accedentem ad Deum credere quia ipse est etc*. Rursus oportet credere Deo, scilicet esse vera quæ ipse dicit. Iterum oportet credere in Deum, sicut dicimus, Credo in Deum, id est in ipsum tendere per bona opera et per observantiam præceptorum ejus. Duo prima non sufficiunt, quia quasi omnes credunt et fatentur Deum esse. Alii credunt Deo, id est his quæ scripta sunt de Deo et Christo per Prophetas et Evangelistas et Apostolos etc., quod tamen etiam credunt hæretici. Sed præcipuum est credere in Deum modo prædicto. Et in hoc errant mali Christiani qui non servant mandata Dei quasi reputantes non esse peccatum etc. Similiter et Saraceni et Judæi qui non sunt baptizati, omnes tales damnabuntur nisi convertantur et agant pœnitentiam etc. *Credentes autem*, idest in fide perseverantes, *exultabitis*, non tantum interius gaudebitis, sed etiam exterius. Psalm. CXLIX, *Exultabunt sancti in gloria*, *Lætitia inenarrabili*, ab hominibus, *Et glorificata*, idest a Deo laudata. Isaiæ LXIV, *Oculus non vidit absque te etc*. Bernardus. « O suavis affectio eo purior, quo in eo nihil de proprio relinquitur, eo dulcior quo divinum est totum quod sentitur. » *Reportantes*, quod modo portatis in spe : tunc iterum portantes in re, *Finem fidei vestræ salutem animarum*. Salus enim animarum finis est animarum nostrarum. Rom. VI, *Finis vero est vita æterna*. Finis enim est optimum in unoquoque. Salus vero animæ optimum nostrum est. Salus enim animæ est liberatio ab omni malo, imperfecta in præsenti per gratiam : in futuro perfecta per gloriam. Dicitur autem finis fidei, quod etiam sit finis aliarum virtutum, quia fides est initium salutis.

De qua salute exquisierunt etc. Hic consolatur eos exemplis prophetarum, salutem, quam ipsi habent multo tempore perscrutantium. Et primo tangitur prophetarum perscrutatio, de inquisitione nostræ salutis. Secundo revelatio facta illis, ibi : *Prænuncians eas*. Tertio denuntiatio facta verbis, ibi : *Quibus revelatum est etc*. Continua sic : ita reportabitis salutem animarum vestrarum, *De qua salute*, scilicet animarum, exquisierunt affectu, quasi extra se quæsierunt, quia salus justorum a Domino non a seipsis. *Et scrutati sunt*, intellectu. *Glossa*, In occulto, scilicet contemplationis a Domino vel ab Angelis. *Prophetæ*. *Glossa*, qui tantam cognitionem habebant. Non dicit philosophi, sed prophetæ, *Qui de futura in vobis gratia*, scilicet redemptionis, *prophetaverunt*, palam hominibus loquendo et exponendo quæ in occulto internæ contemplationis cognoverunt, *Scrutantes*, *Glossa*, quotidiano usu. *In quod*, idest quo anno vel sub quo principe, Danielis IX, *Vel quale tempus*, bellicosum an pacificum : vel quo ordine per partem ordinis vel aliquo modo, *significaret in eis spiritus Christi*, id est Spiritus sanctus increatus in eis existens. Rom. VIII, *Si quis spiritum Christi non habet etc*. Vel spiritus Christi est Angelus revelans eis mysteria, secundum *Glossam*, *prænuncians*, id est divinum adventum nuntians. *Eas quæ in Christo sunt passiones*, quod Christus multa debuit pati ; non dicit actiones, quia agit de patientia. Et quia difficilius est mala pati quam bona agere. Et dicit passiones, non unam, sed multas ; quia non solum quæ in capite Christo fuerunt, sed etiam quæ in corpore ejus quæ est Ecclesia, *Et posteriores glorias*, tam animæ quam corporis. Et quippe sunt glorificationes Domini, ut tangit *Glossa*, una qua resurrexit, altera qua in cœlum ascendit in conspectu discipulorum. Restat tertia, cum in majestate venerit. Dicit autem posteriores passionibus, quia passio est via ad gloriam, Luc. ult., *Nonne hæc oportuit Christum pati etc*. Vel posteriores glorias vocat, diu a patribus qui erant in limbo desideratas. *Glossa*, id est tardas et diu desideratas, *quibus*, scilicet prophetis exquirentibus et perscrutantibus, *Revelatum est*. *Glossa*, inter cetera occulta, hoc etiam intimatum est, *Quia non sibimetipsis*, id est in diebus suis ventura, sed longe post : unde non pronunciabant sibiipsis salutem illam ut suis temporibus futuram, *Vobis autem ministrabant*,

autem, pro sed. *Vobis ministrabant*, id est tanquam ministri, non domini, prænuntiabant. Prædicator enim est verbi minister, non auctor. Psalm. XLIV: *Lingua mea calamus scribæ etc.* *Ea quæ nunc nuntiata sunt vobis*, tempore scilicet gratiæ non quasi futura, sed jam impleta, scilicet mysteria de Christo, annuntiata inquam. *Per eos* scilicet Apostolos. *Qui evangelizaverunt vobis*, id est prædicaverunt. *Spiritu sancto*, non spiritu proprio aut maligno. *Glossa*, non mendose, id est mendaciter, id est phantastice, sed Spiritu sancto dictante, *misso* eis in die Pentecostes. Act. II: *De cœlo*. Ex quo patet quod eodem spiritu prophetæ prædixerunt futura, quo Apostoli annuntiabant facta. Unde *Glossa*: Spiritus in prophetis, Spiritus in Apostolis. Inde patet quod prophetæ et Apostoli eamdem salutem nuntiabant, illi venturam, isti impletam; una namque Ecclesia cujus pars præcessit adventum Christi et pars sequitur; evangelizaverunt inquam illum, scilicet Christum. *In quem desiderant Angeli prospicere*. *Glossa*: tanta est hominis qui passus est pro nobis, gloria, ut et Angelicæ virtutes cum sint in æterna felicitate perfectæ, non solum immortalis deitatis magnificentiam, sed assumptæ humanitatis claritatem semper aspicere gaudeant. Sed cum desiderium importet defectum, quomodo Angeli desiderant? Responsio. Est desiderium rei habendæ, ut scilicet habeatur, et illud defectum importat. Est et desiderium rei jam habitæ ut continuetur, et tale defectum non importat. Unde *Glossa*. Cur cernere desiderant cujus faciem cernere nunquam cessant; nisi quia contemplatio divinæ præsentiæ, ita Angelos beatificat ut ejus semper visa gloria satientur, et quod ejus dulcedinem quasi novam infallibiliter esuriunt? Vel, in quem desiderant prospicere, scilicet Spiritum sanctum, qui tantæ majestatis est, ut ejus visio sicut Patris et Filii desideretur ab Angelis. Et nota quod Christum desiderant prospicere propter suam virtutem, ut lux. Justi vero possidere propter suam bonitatem. Prov. XI, *Desiderium justorum omne bonum etc.* Sponsa sponsum cupit tenere propter suam pulchritudinem. Cant. V, *Totus desiderabilis est etc.* Et Eccles. II, *Teneo eum, nec dimittam*. Gregorius. Cœlestes divitiæ habitæ appetitum excitant, terrenæ fastidium generant.

Propter quod succincti lumbos etc. Hic præparat animum auditorum et captat benevolentiam eorum divina beneficia memorando. Primo beneficium gratuitæ vocationis. Secundo beneficium cœlestis adoptionis, ibi: *Et si Patrem invocatis*. Tertio beneficium æternæ redemptionis, ibi: *Scientes quod non corruptibilibus*. Quarto beneficium spiritualis regenerationis, ibi: *Animas vestras castificantes etc.* Ubi primo ostendit dignitatem spiritualis regenerationis. Secundo ignobilitatem carnalis, ibi: *Quia omnis caro*. Dicit ergo: *Propter quod*. *Glossa*, Quia tanta gratia vobis est promissa, ut videatis illum quem nunc vident Angeli, *succincti*, a luxu luxuriæ per cingulum castitatis. *Lumbos* mentis vestræ, non solum carnis, idest luxuriæ fontem. *Glossa*, ut superfluas voluptates a mente resecetis. Ephes. VI, *State succincti lumbos vestros in veritate*. Sicut enim ait Gregorius. Viris in lumbis luxuria est, feminis in umbilico. Et nota quod homo interior suo modo proportionatur exteriori. Unde dicitur habere pedem, idest affectionem, oculum rationem, manum operationem, narem discretionem, renes delectationem. Succincti ergo per castimoniam, *sobrii*, per abstinentiam, *perfecti*, per patientiam quæ opus perfectum habet, Jacobi I, scilicet per charitatem perfectam quæ foras mittit timorem, I Joan. V, *sperate*, *Glossa*, Et securi expectate. *In eam quæ offertur vobis*. *Glossa*, Gratis quia propria merita non sufficiunt, *gratiam*, idest gloriam ex misericordia dandam. Rom. VI, *Gratia Dei vita æterna*, Danda dico. *In revelationem Jesu Christi*, idest in die judicii quando Christus revelabitur. Isaiæ XL, *Videbit omnis caro salutare Dei*. Sperate inquam. *Quasi filii obedientiæ*, idest Filio obedientiæ similes qui fuit obediens Patri usque ad mortem. Philip. II. Vel quasi filii Joan. I, *Quasi unigeniti a Patre*. Obedientiæ inquam intransitive, idest obedientes. Et dicit filii obedientiæ, ut notetur quod obedientia debet esse filialis non servilis. Hoc refertur ad operationem boni. *Non configurati*, idest non conformes vel assimilati, *Prioribus ignorantiæ vestræ desideriis*, provenientibus ex ignorantia et errore, propter quod excusabiliores eratis, etsi non a toto, modo non hoc referatur ad delectationem mali. Postea ponitur exemplar utriusque partis justitiæ. *Sed secundum eum*, idest sitis configurati ad ejus exemplar quod est correctissimum, scilicet

antonomastice; unde dicitur Sanctus sanctorum, Daniel. ix. *Qui vocavit vos*, ad fidem, vocatione interiori per Spiritum sancti gratiam, et exteriori per verbum prædicationis. Vocavit autem. *Ut et ipsi*, idest sicut ipse Christus. *Sitis sancti*, idest mundi et puri ab omni peccato. Vel secundum *Glossam*, idest firmi contra vitia et contra tribulationes. *In omni conversatione*, non in parte conversationis, sed in tota, idest inter domesticos et extraneos, inter bonos et malos, inter sæculares seu laicos et religiosos, inter prospera et adversa. Sunt enim quidam qui conformantur omnibus quibus conjunguntur: nam quando sunt cum sæcularibus, sunt quasi sæculares: quando cum religiosis, sunt quasi religiosi. Tales sunt similes animali quod dicitur chamæleon, quod conformatur omnibus quibus associatur; quando conjungitur rei albæ vel rubeæ, videtur album vel rubeum. Nota quod sic dixerunt quidam de anima, quod sortitur rerum similitudines. Et debetis esse sancti, quoniam scriptum est, *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*. Dignum est enim filios patri conformari, et membra capiti. *Glossa*. Tales vos volo qualis ego sum. *Et si Patrem*. *Glossa*, Ut possitis esse sancti, si Patrem scilicet cœlestem, *invocatis*, in oratione, dicendo illud Pater noster qui es in cœlis etc. Matth. vi. *Eum*, scilicet Deum. *Qui sine acceptione personarum*, ut habetur Act. x, *Non enim personarum est acceptor Deus*. *Judicat secundum uniuscujusque opus*. Nomine autem operis intelligitur hic cogitatio, locutio, operatio. II Corinth. v, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore etc. In timore*. *Glossa*: Ne per negligentiam et desidiam tanto patre sitis indigni. Timor enim negligentiam pellit, secundum id Eccles. vii, *Qui timet Deum nihil negligit*. E contra securitas stulta parit negligentiam. *Incolatus vestri tempore conversamini*: quasi dicat: quamdiu estis in hoc mundo, ubi non habetis manentem civitatem, sitis in timore, licet habeatis Deum patrem. Psalm. cxix, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus etc*.

Scientes quod non etc. Hic ponit beneficium redemptionis æternæ, ubi tangit passionem per quam redempti sumus. Et etiam patientiæ rationem, ibi, *Propter vos qui per ipsum etc*. Et etiam resurrectionem, ibi, *Qui suscitavit eum*. Et ascensionem, ibi, *Et dedit illi gloriam*. Dicit ergo, *scientes*: quasi dicat: debetis timere. *Glossa*. Quanto magis pretium est quo redempti estis, tanto amplius timere debetis, ne revertendo in corruptelam vitiorum Redemptoris animum offendatis. *Quia non corruptibilibus*, scilicet metallis. *Auro vel argento*. Hæc duo tangit tamquam magis pretiosa. *Redempti estis*. Quia primo empti a diabolo per suggestionem, sed redempti a Christo per sanguinis effusionem. *De vana vestra conversatione*. Vana conversatio est quæ occupatur in rebus vanis. Psal. iv, *Ut quid diligitis vanitatem etc*. *Paternæ traditionis*, idest quam a patribus traditam accepistis. *Glossa*, A legis prævaricatione vel a peccato Adæ. *Sed pretioso sanguine*. Quia pretium est totius mundi inappretiabile. Unde dicitur pretiosum, quia pretio plenum. *Quasi agni*, idest qui est quasi agnus mansuetus. Dicitur quasi agnus, ratione innocentiæ et ratione clementiæ, et immunis ab omni peccato: *incontaminati*, idest sine omni peccato actuali, veniali et mortali, *immaculati*, ab originali. *Jesu Christi*. Et quia care empti, ideo magis dilecti. Sicut mercator diligit res quas care emit, et considerata tanti pretii magnitudine debemus nosipsos magis diligere et cariores habere. Hugo *de Arrha animæ*: « Ex hoc jam mihi vilis esse non potero, ex quo Deo tantum placui, ut se mori permitteret ne me perderet. » Augustinus: « O quanta infelicitas: quam lugenda perversitas, cum quisque luxuriosus propter delectationem libidinis unius momenti animam suam, quam Christus suo sanguine redemit, diabolo vendit. » Et nota quod hujus agni lana, idest exemplo conversationis induimur. Lacte, idest dulci doctrina nutrimur. Carnibus, idest sacramento Eucharistiæ roboramur. Sanguine vero redimimur. Christi dico. *Præcogniti quidem*, scilicet a Deo, idest præordinati a Deo pro redemptione mundi, Apoc. xiv, *Qui occisus est ab origine mundi*. *Ante mundi constitutionem: manifestati autem*. Glossa, « Per assumptam humanitatem. » *Novissimis temporibus*, idest in ultima ætate mundi. I Cor. ix, *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt*: quasi dicat: dispositio nostræ redemptionis est ab æterno, sed adimpletio in tempore. *Propter vos*. Glossa, salvandos. *Qui per ipsum*, idest per ejus donum non per vestra merita. *Fideles estis*, tamquam

mortuis, spem. *In Deo*, scilicet Patre. *Qui suscitavit eum a mortuis.* Et Pater eum suscitavit, et ipse seipsum suscitavit, non qualibet suscitatione, sicut alii mortui quando suscitantur, secundum Glossam. Unde sequitur: *Et dedit ei gloriam sempiternam*, non transitoriam. Glossa: Dedit in Ascensione, id est manifestatione gloriæ sempiternæ. Non hoc fecit quia ipse indigeret, sed *Ut fides vestra*, scilicet resurrectionis. *Et spes*, gloriæ sempiternæ (fides enim est de bonis et de malis, ut ait Augustinus, spes vero de bonis tantum *esset*, de habenda gloria resurrectionis quam ipse Christus primus accepit. *In Deo.* Non in carne, non in mundo, a Deo enim omne bonum. *Animas.* Glossa, Invicem diligite vos. *Animas vestras castificantes*, id est casta facientes non solum corpora, sed et animas, ut uni viro, scilicet Christo, servetis fidem, quia ipse est sponsus animæ. II Corinth. xi, *Despondi enim vos uni viro etc. In obedientia charitatis.* Glossa, In obediendo Deo ex charitate, servando ejus mandata; obedientia enim non debet esse ex timore. *In fraternitatis amore.* Non enim sufficit dilectio Dei sine dilectione proximi. Matth. xxii, *Diliges Dominum ex toto corde, et proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis etc. Simplici ex corde.* Non ex aliquo [illegible] boni amore. Sic enim esset amor mercenarius. Vel simplici, non duplici, sicut illi qui verbo dilectionem simulant, et in corde odium celant. *Invicem diligite*, id est unus alterum et e converso. Joan. xiii, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Et hoc *attentius*, quam hucusque fecistis, ut de bono in melius proficiatis. Bernardus: « In præsenti vita non proficere, deficere est; cum nihil in hac vita in eodem statu permaneat. » Et hoc debetis facere, quia *renati*, id est iterum nati regeneratione spirituali. Prius enim eratis nati generatione carnali. Joan. iii, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. Non ex semine corruptibili*, scilicet materiali, qualis est nativitas corporalis. *Sed incorruptibili*, scilicet verbo Dei. Lucæ viii, *Semen est verbum Dei. Per verbum.* Hic determinat medium nativitatis per verbum: vel increatum, scilicet Dei Filium. Aut per verbum creatum doctrinæ: ista redemptio est Evangelium. Aut per verbum sacramentale, quo scilicet perficitur sacramentum. *Dei vivi*, in se et in se et vitam tribuentis, ad differentiam idolorum. Baruch vi, *Mortui sunt Dii illorum. Viventis* autem non quæcumque vita sed æterna. *Et permanentis in æternum.* Et in se verbum increatum et in effectu, quia vita quam dabit durabit in æternum. *Quia omnis caro ut fœnum.* Hic ostendit ignobilitatem generationis carnalis, quasi non ex semine corruptibili renati estis, quamquam omnis caro fœnum, id est transitoria sicut fœnum. Caro autem comparatur fœno. Et ut dicit *Glossa* super illud Isaiæ xl, *Omnis caro fœnum*, Fœnum nascendo habet virorem, crescendo decorem, deinde florem; sed ardore solis siccatum redigitur quasi in fimum, et tandem in pulverem. Sic homo per ætatum successiones amittit decorem, et cadit in mortem. Jacob. i, *Exortus est sol cum ardore et arefecit fœnum. Et omnis gloria ejus. Glossa*, Omnes delectationes carnis. *Tamquam flos fœni*, qui cito evanescit. *Exaruit fœnum*, id est corruptum est subtractione naturalis humoris et caloris interioris, id est caro defecit aliqua infirmitate. *Et flos ejus decidit*, scilicet exterioris decoris. *Verbum autem Domini manet in æternum.* Verbum increatum manet æternaliter in seipso; Verbum vero creatum in suo effectu, et in suo significato. Psal. cxviii, *In æternum, Domine, permanet verbum tuum. Hoc est autem verbum*, manens non transiens. *Quod evangelizatum est.* Per me et per alios Apostolos. *In vos.* Hoc ideo dicitur, quia verbum ipsum intra ipsos est penetrativum, secundum illud Hebr. iv, *Vivus est sermo et efficax et penetrabilior omni gladio.* Nota de hoc, redempti estis de vana vestra conversatione etc. Redemptione scilicet copiosa. Psal. cxxix, *Apud Dominum misericordia, et copiosa etc.* Quia sine argento, gratiosa est. Isaiæ lii, *Gratis venundati estis etc.* Pretiosa, non corporalibus auro vel argento etc. Æterna; ad Hebr. ix, *Per proprium sanguinem introivit semel etc.* Gloriosa. Ex parte redimentis, quia Filius Dei. Galat. iv, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Et ex parte redempti. Psal. cii, *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te etc.* Et Apoc. v, *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Ad hoc autem, quod proficiat ipsius redemptio, sunt quinque necessaria. Primum est confessio culpæ. Prov. xx, *In misericordia* scilicet judicis, *et*

veritate scilicet confitentis *redimitur iniquitas*. Secundum est postulatio veniæ. Psal. xvii. *Ego autem ad Dominum clamavi*, veniam scilicet postulando, *et Dominus salvavit me*. Et parum post, Redimet in pace animam meam. Tertium est largitio. Daniel iv. *Peccata tua eleemosynis redime*. Et Proverb. xiii. *Redemptio animæ viri, divitiæ ejus*. Quartum est expletio pœnitentiæ injunctæ. Soph. iii. *Ut provocatrix et redempta civitas non audivit vocem, et non suscepit disciplinam*. Quintum est veritas fidei. Eccles. xlix. *In fide veritatis suæ redemerunt se*.

CAPUT II.

Deponentes igitur etc. Post exordium aggreditur narrationem, in qua instruit eos primo et principaliter ad bene vivendum. Secundo, ad bene convivendum. Tertio, ad compatiendum. Primo ad bene vivendum instruit generaliter omnes. Secundo, instruit specialiter secundum diversas personarum conditiones, ibi, Charissimi obsecro vos. In prima parte, primo instruit hortando ad meritum. Secundo constituendo fructum, ibi, Propter quod continet Scriptura. Tertio commendando statum, ibi, Vos autem genus electum. Quarto allegando beneficium, ibi, Qui aliquando non populus etc. Ad meritum autem invitat primo statum incipientium. Secundo proficientium, ibi, Sicut modo geniti. Tertio perfectorum, ibi, *Ad quem accedentes*. Dicit ergo, *deponentes*, tanquam grave pondus. Peccatum enim est pondus gravissimum, quod patet quia subito traxit gravissimam creaturam, scilicet angelicam de supremo loco ad infimum. Hebr. xii. *Deponentes omne pondus et circumstans etc. Omnem malitiam*. *Glossa*. Voluntatem nocendi aliis, scilicet aperte, vel in persona sua vel in persona sibi conjuncta, scilicet in uxore vel in possessione sua. Et ideo dicit, omnem, *Et omnem dolum*. *Glossa*. Deceptionem scilicet occultam. *Et simulationes*. Malignandi sub specie justitiæ. *Glossa*, Simulatio est cum aliud est in corde, aliud in ore. *Et invidias*, odium scilicet alienæ felicitatis in corde. *Et omnes detractiones*, diminutionem alieni boni in ore. Et dicit omnes, quia multis modis committitur detractio: aut bonum quod inest non inesse negando, aut obtuscando, aut diminuendo, aut malum quod non est inesse dicendo: aut intentionem in bono opere pervertendo: aut consentiendo aliquibus, qui aliis detrahunt, quibus aperte detrahere non audent: et talis non minus peccat quam detrahens: imo aliquando gravius. Proverb. xi: *Remove a te os malum, et labia detrahentia. Sicut modo geniti infantes*, idest innocentes per munditiam vitæ, non senes inveterati in malitia culpæ. Et quia innocentes solent esse sine discretione, subdit, *rationabiles*, idest ratione utentes per sapientiam. *Glossa*, Etsi infantes per malitiam remotam, tamen rationabiliter per sapientiam. I Corinth. xiv. *Nolite pueri effici sensibus. Malitia autem parvuli estote*. Et quia usus rationis potest esse in bono et in malo, ideo subdit: *Sine dolo lac concupiscite*, idest simplicem doctrinam de uberibus matris Ecclesiæ. *Glossa*, Simpliciora rudimenta fidei de uberibus matris Ecclesiæ quærite, idest de utriusque testamenti doctoribus. In hoc quod dicit, *Sicut modo geniti*, removet malitiam operis: In hoc quod dicit, *infantes*, removet malitiam oris: dicitur infans quasi non fans. In hoc quod dicit, *sine dolo*, removet malitiam cordis. In hoc quod dicit, *rationabiles*, docet discretionem boni operis. In hoc quod dicit, *lac concupiscite*, docet simplicitatem intentionis vel desiderium sacræ lectionis. Unde *Glossa*: Tangit illos qui ad audiendas lectiones sacras fastidiosi adveniunt, ideoque ad perfecta salutis incrementa tardius perveniunt. *Ut in eo*, lacte scilicet simplicis doctrinæ a principio vobis ministrandæ, *crescatis*, idest proficiatis usque ad sumendum cibum solidioris doctrinæ, pervenientes a cognitione humanitatis Christi usque ad cognitionem divinitatis. Crescatis inquam. *In salutem*, perveniendo scilicet, quasi status debitus augmenti, scilicet spiritualis. Hoc dicit contra illos qui dicunt corporaliter in statura corporis, aut spiritualiter in cognitionem mentis crescunt potius in damnationem, quam in salvationem. Eccl. ix, *Qui addit scientiam, addit et dolorem*. Nota de aliquibus qui crescunt sicut linea, scilicet in longitudine corporis non temporis, non tamen in profunditate humilitatis, vel in latitudine charitatis, nec altitudine contemplationis. Nota etiam de aliquibus qui crescunt sicut pellis super carnem, scilicet in carnalibus sive operibus, sive affectionibus

et desiderare. Unde Psal. CIII: *Extendens cælum sicut pellem.* Ita crescatis in salutem ad hoc perducti. *Si tamen gustastis*, gratiam scilicet spiritualem, de qua Psal.: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Et hoc est quod sequitur: *Quoniam dulcis est Dominus.* Palato sano, quamvis amarus videatur palato febricitanti. *Glossa.* Hoc pacto concupiscite, si quando estis divina dulcedine experti. Nam qui nihil dulcedinis gustat, non est mirum, si hic terrenis desideriis similari non cessat. Et nota quod dulcis est Dominus. Primo, in cogitatione ad meditandum. Cant. II: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Secundo, in voce, scilicet spiritualiter ad audiendum. Cant. II: *Vox enim tua dulcis et facies tua decora.* Tertio in ore ad loquendum et prædicandum. Psal. CXVIII: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Quarto in aspectu ad videndum. Eccl. XI: *Dulce lumen et delectabile oculis.* Quinto ad experiendum. Eccl. XXIII: *Nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei; gloria magna est sequi Dominum.* Ista autem dulcedo multa est numerositate. Ps. XXX: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine.* Item longa est duratione, quia sine fine. Psal. XV: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem*, scilicet intentionis; sed sine fine durationis. Item magna affectione. Sapient. XVI: *Panem de cælo præstitisti eis, habentem in se omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem: substantiam enim tuam et dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas.*

Ad quem accedentes etc. Hic invitat ad societatem perfectorum. Dicit ergo: *Ad quem*, scilicet Dominum Christum, qui attrahit, quia dulcis, *accedentes. Glossa.* Fide et imitatione, *lapidem*, per stabilitatem superædificationis, id est fundamentum super quod ædificatur ædificium virtutum et fabrica Ecclesiæ. I Corinth. III: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Jesus Christus*, id est fides Jesu Christi. *Vivum*, in se, et vivificantem fideles, quia *justus ex fide vivit*. Rom. I. *Ab hominibus*, scilicet Judæis, *reprobatum. Glossa.* Cum dicerent: *non habemus regem nisi Cæsarem*, ut habetur Joan. XIX. *A Deo autem*, Patre. *Glossa.* Qui non fallitur in sua dispositione, *electum*. Ad conjunctionem *Ecclesiæ*; unde *Glossa. Ut faceret utraque unum*, conjungendo scilicet duos populos, Judæorum scilicet, et gentilium, quasi duos parietes in sua fide. Ephes. II. *Et honorificatum.* In Ascensione. Psal. VIII: *Gloria et honore coronasti eum.* Hebr. II: *Videmus Jesum gloria et honore coronatum. Et ipsi*, scilicet nos Apostoli, jam in ipso sumus superædificati. *Tanquam lapides*, id est solide in fide, *vivi*, bonis *operibus, sine quibus fides mortua est*. Jacobi II. Vel vivi. *Glossa.* Non insensibiles, sed per discretionem eruditi, *superædificamini*. Super lapidem Christum tanquam super spirituale fundamentum ædificamini, scilicet vosipsos. *Domus spirituales.* In quibus Deus habitat per gratiam. I Corinth. III: *Templum Dei sanctum est quod estis vos. Glossa.* Indemnes contra pluviam, ventos, et flumina. Contra, inquam, pluviam carnalis concupiscentiæ. Contra ventum superbiæ, contra flumina cupiditatis et avaritiæ. *In sacerdotium sanctum*, id est ut sitis sacerdotes sancti in templis spiritualibus conscientiarum vestrarum, Deo sacrificantes, secundum illud Apoc. V: *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Ponit abstractum pro concreto, ut insinuet perfectionem et dignitatem hujus sacerdotii: *sanctum*, id est sanctificatum oleo gratiæ Spiritus sancti, ita scilicet ut sitis digni, *offerentes*, id est offerre in ara cordis vestri *Spirituales hostias*, Bonorum scilicet eleemosynarum et orationum ac hujusmodi, non carnales animalium. Psal. XLIX: *Immola Deo sacrificium laudis.* Vel spirituales hostias, id est nosmetipsos spiritualiter viventes. *Acceptabiles Deo*, Qui spiritus est, et ideo spirituales hostias requirit, non carnales. Psal. L: *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ. Per Jesum Christum.* Hoc, secundum *Glossam*, refertur ad omnia præcedentia, quæ fieri non possunt nisi per Jesum Christum. *Glossa.* Quod ædificamini, quod sacerdotes estis, quod offertis, hoc totum per Jesum: cujus gratia omnia habetis. *Propter quod continet Scriptura.* Hic ostendit fructum. Et primo, in evitatione confusionis. Secundo, in acceptione honoris, ibi: *Vobis igitur honor.* Dicit ergo: propter quod. *Glossa*, Ad confirmandum quod Dominus propter firmitatem suam dictus sit lapis. *Continet Scriptura*, prophetica Isaiæ XXV: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem* etc., *ecce*, inquit, pro admiratione, *ponam*, inquit Deus Pater, Filium suum in carnem mittendo. *In Sion.* Per

Sion, quæ erat arx civitatis Jerusalem, significatur literaliter terra Judæorum, in qua ortus est Dominus. Spiritualiter vero Ecclesia fideliter Deum per fidem speculantium. *Lapidem*, scilicet Christum, qui est lapis firmitate, summum, perfectione *angularem*, duorum parietum Ecclesiæ conjunctione. *electum*, singulari dignitate, *pretiosum*, redemptionis virtute pretii nostri salutaris : hic est lapis abscissus de monte, id est natus ex beata Virgine, sine manibus, id est sine virili semine. Daniel II. *Hic est lapis septem oculorum per universam terram discurrentium*. Zach. III. *Hic est lapis quem reprobaverunt ædificantes, qui factus est in caput anguli*, scilicet in passione. Psal. CXVII. *Et qui crediderit in eum*. Alias credidit in eum, scilicet fide formata per dilectionem operantem. Non enim dicit ei vel eum, sed in eum. *Non confundetur*, æterna scilicet confusione. Et nota quod hæc litera est Septuaginta interpretum, Isa XXVIII. Ubi nos habemus sic, *Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, in fundamento fundatum : qui crediderit non festinet*. Ponit autem hic Petrus summum loco hujus quod dicit, In fundamento fundatum, ad notandam differentiam spiritualis ædificii et terreni. Quia fundamentum spiritualis ædificii est in summo, terreni vero in imo. *Vobis igitur*. Ita qui credidit non confundetur, imo honorabitur. *Vobis igitur honor credentibus*, hoc est, exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis. Credentibus enim in Deum est honor in præsenti, et erit in futuro. Fides enim facit hominem filium Dei, quod valde est honorificum : e contrario *Non credentibus autem*, id est in Christum credere nolentibus factus est ipse Christus *Lapis quem reprobaverunt ædificantes*. Ut fiat hic distinctio secundum Bedam : quasi dicat : Hi sicut illi reprobaverunt eum in præsenti, nolentes eum ponere in ædificio cordis sui ; Sic ipse reprobavit eos in futuro : Luc. XII, *Qui negaverit me coram hominibus, denegabitur coram Angelis Dei*. *Ædificantes*, pontifices, scribæ et pharisæi, qui erant architecti et rectores populi Judaici. *Hic factus est in caput anguli*, id est principium juncturæ Christianæ religionis, quæ est quasi angulus in quo fit conjunctio duorum populorum quasi duorum parietum, scilicet Judæorum et gentium. Colossen. I, *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*. Et e contrario *Factus est lapis offensionis*, scilicet lædens pedem affectus in præsenti, ut sic cespitent de peccato in peccatum non habentes firmitatem, quia Christo innixi non sunt. *Et petra scandali*, in futuro, ut tunc omnino corruant, et præcipitentur in infernum. Sumptum autem est hoc de Isa. VIII, *In lapidem autem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, et in laqueum etc. His qui offendunt verbo*, id est scandalizantur in verbo Evangelii, vel male loquuntur de Deo, ut faciunt blasphemantes Judæi et negantes. Augustinus. « Non minus peccant qui Deum blasphemant jam regnantem in cœlis, quam qui eum crucifixerunt adhuc mortalem in terris. » *Nec credunt*, in eum scilicet Christum. *In quo et positi sunt*. Act. XVII, *In ipso vivimus, movemur et sumus*. Vel ait, In quo positi sunt, id est ad quod ordinati sunt naturaliter. *Glossa*. Per naturam, Ad hoc facti sunt homines ut credant Deo, et ejus voluntati obtemperent.

Vos autem genus etc. Hic instruit eos commendando statum : quasi dicat : Illi sunt tales qui non credunt. *Vos autem*, credentes scilicet, estis *Genus electum :* quasi dicat : hoc est testimonium quod antiquo populo datum fuit, dum Deum colebat : quia eum reprobavit, ab eis ad vos translatum est qui membra ejus facti estis. Estis genus Abrahæ, scilicet per imitationem. Matth. III. Luc. III, Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Vel genus Dei per conformitatem, Act. XVII. *Genus autem cum simus Dei etc*. Genus inquam electum ab infidelibus qui reprobati sunt, distinctione secundum *Glossam*. *Regale sacerdotium*, imitationis dignitate. Apoc. V, *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes*. Sed cum dicitur, Exod. XIX, *Vos eritis in regnum sacerdotale :* quare dicitur hic regale sacerdotium ? Responsio : ad innuendam prærogativam novi Testamenti respectu veteris : in novo enim Testamento sacerdotium præeminet regno, sicut spiritus præeminet corpori. Regnum enim consistit in regiminine corporali, sacerdotium vero in regimine spirituali. Ideo potestas sacerdotalis ponitur in substantivo, regalis autem in adjectivo. *Gens sancta*. A peccatis munda per gratiam. *Populus acquisitionis*, id est acquisitus non modico pretio, sed pretioso sanguine Christi. I Corinth. VI, *Empti estis pretio magno*. Non credentes vero, populus sunt

perditionis. Ad hoc autem estis electi et acquisiti. *Ut virtutes*, id est opera virtutis ejus, quae fecit in opere redemptionis humani generis. *Annuntietis*, id est praedicetis illa annuntiando omnes virtutes ejus. Sicut filii Israel post transitum maris Rubri, in quo Aegyptii sunt submersi, carmen triumphale cecinerunt. *Ejus*, scilicet Christi. *Qui de tenebris*, culpae ignorantiae et infidelitatis. *Vos vocavit*, vocatione interiori per Spiritum, et exteriori per evangelium. *In admirabile lumen suum*, scilicet fidei et gratiae, quae illuminat intellectum et inflammat affectum. Et dicit hic lumen admirabile, quia illuminat mirabiliter videnda et credenda. Psal. *Revela oculos meos, et considerabo de lege tua*. Vos inquam. *Qui aliquando non populus*, eratis, supple per culpam. *Nunc autem*, scilicet tempore gratiae, *Populus Dei estis per fidem et gratiam*. *Qui non consecuti misericordiam*, hoc est, remissionem peccatorum, *Nunc autem*, id est tempore gratiae, *Misericordiam consecuti*, id est peccatorum remissionem. Hinc probatur, ut dicit *Glossa*, quod hanc epistolam scripsit his qui de gentibus ad fidem venerant. Sumuntur autem duo hi versus ex prophetia Osee II, in qua agitur de vocatione gentium. Et tangit hic duplex beneficium, quo incorporati sunt Ecclesiae et Deo reconciliati.

Charissimi obsecro vos. Hic instruit ad bene vivendum specialiter secundum diversas personarum conditiones. Primo liberos, secundo servos, ibi, *Servi subditi estote*. In prima parte liberos monet ad carnis puritatem. Secundo, ad conversationis honestatem, ibi, *Conversationem vestram etc.* Tertio ad mentis humilitatem, ibi, *Subjecti estote*. Quarto, ad bene operandi libertatem, ibi, *Quia sic est voluntas Dei*. Quinto ad aliorum honorificationem, ibi, *Omnes honorate*. Dicit ergo, *charissimi*. *Glossa*: Hucusque generaliter instruxit Ecclesiam, hic diversos fidelium personas solerter hortatur dicens, *Charissimi*. *Glossa*: quia estis sanctificationi nati, ergo Charissimi. Chari, quia homines propter dignitatem imaginis Dei. Chariores, quia fratres propter communionem christianae religionis. Charissimi, quia spirituales filii propter curam apostolici regiminis. *Obsecro*, per sacra adjuro; non ait, praecipio, cum tamen posset, volens insinuare charitatem potius quam auctoritatem.

Tanquam advenas et peregrinos. Advenae sunt qui in loco alieno manent. Peregrini vero, qui semper de loco ad locum transeunt. Dicuntur ergo hi advenae, quia de gentilitate ad fidem venerant non ex fidelibus orti. Dicuntur autem peregrini, quia sub persecutione steterunt. Act. VIII, *Dispersi sunt*. Vel advenae dicuntur quia animae eorum non de natura terrestri, sed potius coelesti sunt, scilicet conformitate. Peregrini vero, quia de terra ad coelum tendunt. Psalm. XXXVIII: *Advena ego sum apud te et peregrinus*. Nota de peregrino, quantumcumque sit extra terram suam corpore, cor tamen ejus est in patria sua. *Abstinere*, id est freno abstinentiae temperare. Vel abstinere, id est absque eorum, scilicet desideriorum carnalium retentione esse. Tenetur enim homo per consensum et delectationem, per opus et consuetudinem, et pro remotione istorum abstinendum est *A carnalibus desideriis*, id est ab his quae caro desiderat, quae sunt opera gulae et luxuriae. Hae sunt duae filiae sanguisugae, id est carnis. Proverb. XIX. *Quae militant adversus animam*, id est ut milites pugnant et impugnant, non inquantum anima est, sed inquantum anima est spiritus. Galat. v, *Caro concupiscit adversus spiritum*. Conversationem vestram, id est actus exteriores. *Inter gentes habentes bonam*, id est inter gentiles viventes, non tantum inter fideles, sed etiam inter illos seu coram illis qui non sunt conversi ut provocetis eos ad fidem. Ad Coloss. IV, *Honeste ambuletis ad illos qui foris sunt*. *Ut in eo quod detractant de vobis*, scilicet frequenter, vel detrahendo tractant. *Tanquam de malefactoribus*, id est ac si essetis malefactores, reputantes vos tales credendo in Christum et idola relinquendo vos malefecisse, et propter hoc tribulationem sustinere seu pati. Imponebant enim pagani christianis quod magicam artem exercebant. *Ex bonis operibus*, id est propter bona opera quae facitis. *Vos considerantes*, diligentius intuentes. *Glorificent Deum*, omnis boni auctorem. Matth. v, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum etc.* *In die visitationis*. Factae in praesenti per misericordiam, quando a Deo visitabuntur et convertentur exemplo operum vestrorum; de qua visitatione habetur Luc. I, *Per viscera misericordiae Dei nostri in quibus visitavit nos, oriens*

ex alto. Sive visitationis vestræ factæ in præsenti per tribulationum pressuram. Cum enim videbant eorum patientiam, credebant hoc esse eis ad magnum meritum apud Deum, et sic Deum laudabant. Sive visitationis quæ erit in futuro, scilicet in die judicii, ubi boni præmio, mali vero flagello visitabuntur.

Subjecti igitur estote etc. Hic monet eos ad mentis humiliationem seu humilitatem. *Glossa.* Ut conversatio vestra omnibus placeat non resistatis alicui dignitati aut personæ aut principatui, cum Deus subdi vos voluit : imo *Subjecti estote omni creaturæ humanæ. Glossa.* Fidelibus et incredulis. Et est accommoda distributio pro his sub quorum sunt potestate. *Propter Deum* sic ordinantem. Rom. XIII. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Vel propter Deum, id est secundum amorem, non propter hominum favorem. Vel propter Deum hujus exemplum ostendentem, de quo dicitur Luc. II : *Et erat subditus illis,* scilicet parentibus suis. Vel propter Deum, id est in his per quæ ordinamur ad Deum, ut fratrem nostrum, non in his quæ sunt contra Deum. *Sive regi quasi præcellenti,* id est qui major et præcellens aliis, dignitate et potestate. *Sive ducibus,* id est potestatibus minoribus. *Tamquam ab eo,* scilicet Deo vel rege. *Missis. Omnis enim potestas a Deo est,* Rom. XIII. Missis inquam, *ad vindictam malefactorum,* id est pœnam, *laudem vero bonorum.* In remunerationis gloriam. Finis enim legis et ministrorum ejus est punitio malorum, et remuneratio bonorum. Sed tamen judices aliquando pervertunt officium seu judicium, malos quidem sublevando, bonos vero opprimendo. Quod tamen ipsis bonis ad laudem pertinet, ut dicit *Glossa,* malis autem ad punitionem. Et debetis subditi esse, *Quia sic est voluntas Dei,* ut scilicet illa faciatis. *Ut benefacientes,* scilicet bene conversantes et malis bene utentes, *Obmutescere faciatis,* subtrahendo illis materiam loquendi et detrahendi *Imprudentium hominum ignorantiam,* quia ignorantes bonitatem vestram prius detrahebant vobis. *Quasi liberi. Glossa,* Et hæc benefacite quasi liberi, scilicet ex amore non ex timore : unde Lyranus : Quasi est expressivum virtutis, quasi, id est sicut vere liberi estis. Sic dominis libere et voluntarie serviatis. *Et non quasi velamen habentes malitiæ. Glossa.* Libertas vestra non obvolvat corda vestra in velamen malitiæ, ut tanto licentius peccetis, quanto minus jugo servitii estis pressi. Hoc autem dicit apostolus contra quosdam qui dicebant, quia Filius scilicet Dei nos liberavit, vere liberi sumus, et nemini servire debemus ; et ideo superioribus negabant jura sua. Tales erant Judæi dicentes, Joan. VIII, *Semen Abrahæ sumus et nemini servivimus unquam.* Talia sunt aliqua monasteria et aliquæ personæ quæ habent libertatem quasi velamen malitiæ, quia gaudent privilegio exemptionis ne visitentur ab Ordinariis, et sic liberius peccant. Ad Galat. V : *Vos in libertatem vocati estis fratres :* ne tamen libertatem in occasionem detis carnis : sed per charitatem servite invicem. *Sed sicut servi Dei,* sitis humiliter servientes. *Glossa.* Servitus Dei humilitatem requirit ; vult ergo dicere, Servite principibus humiliter, sicut servi Domini, quia in ipsis Domino servitis.

Omnes honorate etc. Hic monet ad aliorum honorificationem, *Omnes,* inquit, non solum reges et duces, sed unumquemque pro modo suo, ut dicit *Glossa,* Honorate quidem honore reverentiæ. Rom. XII, *Honore invicem prævenientes,* quia in omnibus est Dei imago, quæ est ratio honorandi. *Fraternitatem diligite,* ut et majores diligant minores sicut fratres. Frater enim est nomen æquiparantiæ. *Deum timete* timore filiali non servili. Non dicit, nunc diligite vel honorate, quia timor Domini initium est dilectionis ejus, ut habetur Eccles. XV. *Regem,* quasi Dei ministrum. *Honorificate. Glossa* quasi præcellentem ampliori honore venerandum. Matth. XXII. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Dicit autem, honorificate, id est honorem extra facite. Omnes enim debemus honorare regem interius et exterius. *Obsecro vos tamquam advenas,* etc. Notandum quod in tota illa epistola quæ legitur in Ecclesia Dominica III post Pascha, monet nos Apostolus ad tria. Primo, ad abstinentiam a carnalibus desideriis quibuslibet, quoad seipsum, ibi, *Obsecro vos etc.* Secundo, ad honestatem conversationis quo ad proximum, ibi, *Conversationem vestram.* Tertio ad subjectionem humilitatis quo ad Deum, ibi, *Sancti estote, etc.* In prima primo notatur admonitionis ratio, ibi, *Obsecro vos tamquam advenas etc.* Secundo, ipsa admonitio, ibi, *Abstinete vos, etc.*

Servi, subditi estote etc. Hic specialiter

instruit servos, quibus primo dat documentum. Secundo ostendit adimpletionis meritum, ibi, *Hæc est enim gratia*. Tertio inducit exemplum, ibi, *Quia Christus passus est etc.* Dicit ergo, *Servi*. *Glossa*, Hucusque exhortatus est liberos ad subjectionem, nunc hortatur servos ad eamdem, dicens, *Subjecti estote*, subjectione obedientiæ et reverentiæ. *In omni timore*. Omne enim et totum et perfectum dicitur, idem, id est in timore filiali; vel in omni timore, scilicet interiori et exteriori. *Non tantum bonis*, quoad Deum. *Glossa*, Fide, vita, moribus. *Et modestis*, quo ad personam moderate, scilicet in parcentibus et condonantibus quando commissum est aliquid contra eos. *Sed etiam dyscolis*, indisciplinatis et indoctis. *Glossa*. Scholastici sunt eruditi: discoli indocti et agrestes. Alia littera habet difficilioribus: quasi sunt illi qui nihil gratanter accipiunt, similes Holoferni. Nec tamen ista ferocitatem pectoris ejus mitigarunt. Judith III. *Hæc est enim gratia*, id est in hoc acquiritur Dei gratia. *Glossa*. Per hoc efficitur homo gratus Deo. *Si propter Dei conscientiam*, id est bonam conscientiam deitatis confortamini, in qua et habitat Deus. Vel propter conscientiam Dei, id est propter intentionem placendi Deo, qua Deus sit nobiscum. Vel propter conscientiam Dei, id est fidem Dei, ut ponatur conscientia pro fide: sicut e contrario, Rom. XIV, *Omne quod non est ex fide peccatum est*. *Sustinet quis*, scilicet patienter sine murmuratione cordis. Et dicit, sustinet, id est sensualitatem sub ratione tenet, ne scilicet ratio succumbat. *Tristitias*, id est pœnas a dominis illatas, unde solet oriri tristitia. *Patiens injuste*, id est sine merito suo. Patitur enim quis juste cum patitur per peccatum: patitur injuste, cum sine suis demeritis patitur, sed ut soli Deo placeat, ut possit dicere illud Psal.: *Propter te mortificamur tota die etc.* *Quæ enim est gratia*, id est acquiritur, vel debetur ex hoc. *Si peccantes*, id est rebelles in servitio dominorum, nolentes eis servire. *Et colaphizati*, id est colaphis cæsi a dominis propter hoc, ut dicit *Glossa*, ut ad obedientiam informentur, *suffertis*, id est sustinetis. *Glossa*, id est si exteriorem pœnam suffertis, et non amore justitiæ, nullum præmium accipietis. *Sed si bene facientes*, id est quamvis bene facientes et dominis vestris in debitis obedientes. *Patienter*, sine murmuratione et indignatione, *sustinetis*. *Glossa*, mala illata a dominis. *Hæc est gratia*, id est per hoc acquiritur gratia. *Apud Deum*, patientiæ vestræ remuneratorem. Infra III, Si quid patimini propter justitiam, beati. *In hoc enim*. *Glossa*, ut patiamini. *Vocati estis*, ad fidem. II ad Tim. III, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo etc.* *Quia Christus passus est pro nobis etc.* Hic introducitur exemplum passionis Christi. Primo ostendit in Christo patiendi causam. Secundo, patientis innocentiam, ibi, *Qui peccatum non fecit*. Tertio passionis efficaciam, ibi, *Qui peccata nostra etc.* Efficaciam autem tangit quadruplicem: scilicet pro peccatis mortuorum satisfactionem, vivificationem, sanationem ibi *Cujus livore etc.* *Eratis enim sicut oves errantes*. Dicit ergo *Quia et Christus*, quasi dicat: debetis pati exemplo Christi. *Glossa*. Multum glorificat servos, quos benefacientes et absque culpa vapulantes affirmat imitatione dominicæ passionis. *Passus est*, non dicit quid, ut sic innuat sustinuisse omne genus passionis. Psal.: *Omnes fluctus tuos induxisti super me*. Pro nobis, tam Apostolis quam aliis, tam præsentibus quam absentibus seu futuris. *Christus enim pro omnibus mortuus est*, II Corinth. V. Vel pro nobis, id est loco nostri qui eramus morti adjudicati. Unde passus est, ut nos a morte liberaret: sicut solet dici, ego solvam pro te, id est loco tui. Sicut enim pro membris infirmis curandis, imo pro toto corpore sanando, caput sanum, id est os quod est in capite, aliquando bibit amaram medicinam; ita Christus pro nobis, qui sumus membra ejus, imo pro toto corpore suo quod est Ecclesia, sanando, amaram sustinuit patientiam. Vel pro nobis, id est amore nostri. Joan. XV, *Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam etc.* *Vobis*, scilicet absentibus id est qui ipsam passionem non vidistis, sicut nos præsentes. Ideo dicitur vobis. *Relinquens exemplum*. Cum prius dixisset, Christus passus est pro nobis, quia Apostoli non indigebant exemplo qui ipsum Christum viderant et passio ejus in animabus eorum erat impressa: dicit, vobis relinquens, quasi retro linquens, sed nobis præsentialiter tradens exemplum. *Glossa*, tribulationum, contumeliarum, flagellorum et mortis crucis. Joan. XIII, *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, et vos faciatis*. *Ut sequa-*

mum, quasi a longe, quia cum eo ire non possumus. Gen. XXXIII, *Præcedat Dominus meus servum suum, et ego paulatim sequar vestigia sua, sicut video parvulos meos posse*. Matth. XXVI, dicitur de Petro quod *secutus est Jesum a longe usque atrium principis sacerdotum*. Joannes autem sequutus est de prope : in quo intelligitur bona vita : sed Petrus de longe, in quo intelligitur scientia. Interpretatur enim Petrus agnoscens. *Vestigia ejus*, non rem. Job XXXIII, *Vestigia ejus sequutus est pes meus*. Sed contra dicitur Eccles. II, *Quid est homo ut possit sequi regem factorem suum?* Responsio, vestigia divinitatis homo non potest sequi, quia sicut dicitur, Job XI, *Celsior cœlo est et quid facies? Profundior inferno etc*. Sed vestigia humanitatis potest. Bernardus : « Omnes viæ Christi secundum carnem sunt spontanea paupertas, cumulata vilitas, tam assumpta quam illata pœnalitas. » *Qui*, Christus *Peccatum non fecit*, in opere : quasi dicat : debetis sequi vestigia ejus, ut scilicet sine culpa pati non timeatis. *Nec inventus est dolus in ore ejus*, id est in sermone seu locutione. *Dolus*, id est falsitas vel simulatio. Et dicit non est inventus, scilicet a scribis et pharisæis qui eum *observabant ut caperent eum in sermone*, Matth. XXVII. Et quod non peccavit ostendit per partes. *Qui cum malediceretur*, id est blasphemaretur verbo ; Joan. VIII, *Nonne bene dicimus nos quia samaritanus es etc*., *Non maledicebat*. Patet ibidem, Ego quidem dæmonium non habeo. Contra : dixit Judæis Joan. VIII, *Vos ex patre diabolo estis*. Et Matth. XII, *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali?* Et alibi Matth., *Væ vobis scribæ et pharisæi etc*. Responsio, Dura correctio procedens ex charitate non est contumelia ; sed procedens ex livore vindictæ et ex intentione conviciandi, est contumeliosa. *Cum pateretur*, gravissimum crucis tormentum facto. *Non comminabatur*, sed orabat pro eis. Luc. XXIII, *Pater ignosce etc*. Et nota quod dicit, cum pateretur, alias enim charitative eis comminabatur. Lucæ XIII, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Matth. X, *Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati*. In quo instruit nos, quod quando infertur nobis contumelia vel injuria, locus est patientiæ non correctionis ; quia tunc videretur plus procedere ex vindicta et impatientia quam ex charitate et misericordia. Sic ergo Christus patiebatur, non ex necessitate vel coactione. *Tradebat autem*, autem pro sed, id est sed voluntarie tradi se permittebat. *Judicanti se injuste*, scilicet Pilato, et pontificibus Judæorum. *Qui peccata nostra*, communiter omnium, ut dicit *Glossa*, Ipse et non alius. Sicut filii Israel imponebant hirco emissario, Levit. XVI. *Pertulit*, id est perfecte tulit. *In corpore*, quod morti pro nobis exposuit. *Super lignum*, crucis ; ut qui per lignum crucis vincebat, per lignum quoque vinceretur. Hoc est lignum benedictum, de quo Sapient. XIV, *Benedictum lignum, per quod fit justitia*. Vel lignum salutiferum, in eodem, Transeuntes mare per ratem liberati sunt. Pertulit inquam, *Ut peccati mortui*, sicut ipse mortuus est mortali vita veteri et passibili. Et dicit peccatis mortui, id est a peccatis separati, sicut mors est separatio animæ a corpore. In mortuo enim non est sensus neque motus. Sic nec in nobis debet esse sensus id est affectus peccati ad intra, nec motus sive opus ad extra. *Justitiæ vivamus*. Sicut ipse resurgens vivit nova vita gloriosa, Rom. VI, *Quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus*. *Cujus livore*, id est summa dilectione. *Glossa*, sola dilectione, consequens pro antecedente. Amor enim summe intensus facit evacuationem spirituum, et sic relinquitur color pallidus vel lividus. Poeta :

Palleat omnis amans.

Hac inquam dilectione, *Sanati estis*. Ephes. II, *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos*. Vel cujus livore, id est passione inferente ejus carni livorem, sanati estis a morbis, scilicet peccatorum vestrorum. Vel cujus livore, id est carne livida, vel Judæorum invidia, ut exponit *Glossa*. Sed quomodo sanati sumus per Judæorum invidiam ? Responsio, Occasionaliter : quia per invidiam eorum traditus est ad mortem, per quam mortem sanati sumus. *Eratis enim :* quasi diceret, e indigentes cum essetis infirmi. Eratis enim præcipue vos de indigentibus orti. *Sicut oves*, sine pastore, *errantes*, per diversa abrupta vitiorum, vagantes, morsibus luporum expositi, sæpius in pœnam puniti et dilacerati. *Sed conversi estis*, qui prius eratis aversi, *nunc*, id est tempore gratiæ et passionis Christi

gratiæ. *Ad pastorem*, id est Christum; qui ad modum boni pastoris ovem perditam requisivit. Luc. xv, dicens: *Nonne dimittit nonaginta novem, etc.* Inventam imposuit et reduxit ad ovile. Isa. xl: *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit. Et episcopum animarum vestrarum*, id est Christum, qui est *pontifex futurorum bonorum*. Ad Heb. ix. Animarum dicit, non possessionum, sicut mali moderni intendunt possessionibus, non animabus. Jerem. iii: *Quasi vinculis operum facti sunt.* Christus dicitur animarum pastor, eas reficiendo; Episcopus vero, id est superintendens et visitator, ut dicit *Glossa*, eas a malo custodiendo et corrigendo. Nota, in hoc quod dicit, *Qui peccata nostra etc.* maxime nobis manifestatur dilectio Salvatoris. Primo, in causa patiendi; quia non pro amicis, sed pro inimicis animam suam posuit. Hoc notatur cum dicitur, *Peccata nostra*. Item supra illud, *Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*. Secundo, in qualitate et quantitate passionis; quia non quamcumque mortem, sed vilissimam et gravissimam elegit sibi mortem, crucis scilicet, quod notatur cum dicitur, *Super lignum*. De hujus mortis vilitate dicitur Sapient. ii. *Morte turpissima etc.* De ejus acerbitate dicitur Thren. i, *O vos omnes qui transitis per viam etc.* Tertio in totalitate patientis; quia non in uno membro ut capite truncati vel transfixi, sed in quolibet. In primis in capite coronam mirabilem spineam, in pedibus et manibus clavos, in latere lanceam. Quod notatur, ibi, *In corpore suo*, toto scilicet. Unde Isa. i: *A planta pedis etc.* Volve et revolve illud Dominicum corpus, et ubique invenies dolorem, ubique cruorem. Quarto in solutione pretii superabundantis, quod notatur ibi, *Pertulit*. Notatur autem abundantia, quia plus solvit quam homo debuit. Unde Augustinus. Si æqua pensetur hinc culpa hominis et pretium redemptionis, non tantum distat oriens ab occidente, vel centrum a summo cœli cardine.

CAPUT III

Similiter et mulieres etc. Supra monuit ad bene vivendum in se, hic monet ad convivendum in membris suis. Et primo specialiter conjuges. Secundo generaliter omnes fideles, ibi, *In fide autem omnes unanimes*. In prima parte primo monet mulieres. Secundo viros, ibi, *Viri similiter*. In prima igitur parte primo monet mulieres ad subjectionem virorum. Secundo ad sui decentem ornatum, ibi, *Quarum non sit extrinsecus etc.* Tertio proponit utriusque exemplum, ibi, *Sic enim aliquando etc.* Dicit ergo *similiter*, id est, Ita servi et liberi debent esse subditi propter Deum. *Similiter et mulieres subditæ sint*, subjectione obedientiæ et reverentiæ. Nam et si quæ ad debitum conjugale sunt pares et sociæ, ideo quia de costa formatæ, tamen quo ad ministrationem et disciplinam debent esse subditæ quia vir est caput mulieris. I Corinth. xi. *Viris suis. Glossa.* Non adulteris. *Ut et si qui*, scilicet mariti, *Non credunt verbo. Glossa*, Evangelii vel verbo fidei. *Per mulierum conversationem*, scilicet bonam. *Glossa.* Bene se habentium et humiliter patientium. *Sine verbo. Glossa*, prædicationis. « Efficacior quippe est, ut ait Bernardus, vox operis quam sermonis. » Et dicit, sine verbo : non enim debet mulier prædicare verbo, sed exemplo. I Tim. ii, *Docere mulierem non permitto. Lucrifiant*, id est convertantur ad fidem. Sicut dicit *Glossa* II Corinth. vii, *Sanctificatur vir infidelis per fidelem mulierem. Considerantes*, viri increduli. *Sanctam conversationem vestram.* Ex tertia persona transit ad secundam, dirigens sermonem ad mulieres, ut ex modo loquendi qui magis est familiaris alliciat eas ad bonum. Conversationem dico habitam et conservatam. *In timore*, scilicet Dei qui est principium et custodia sanctitatis. Gregorius : « Anchora cordis timor. » Eccl. xxvii, *Si non in timore Dei te tenueris instanter*, id est cito, *subvertetur domus tua.*

Quarum non sit etc. Hic hortatur ad sui decentem ornatum : quarum, scilicet mulierum cultus exterior. *Non sit extrinsecus capillatura*. Plicatio sive tricatio capillorum. Alia littera habet capillorum implicatio sicut fit in tortis crinibus. *Glossa*. Videtur quod mulieres eorum qui in tribulatione erant contemnebant viros suos, et ut aliis placerent se pulchre ornabant. Sed contra, I Corinth. xi. *Mulier si comam nutriat, gloria est illi.* Responsio. Nutrire potest, sed non debet artificialiter se ornare vel ostentare ad alios ad libidinem excitandam; sed debet ha-

bere velamen super caput suum propter Angelos, idest clericos, I Corinth. XI. Vel capillatura dicitur capillorum propriorum curiosa aptatio vel capillorum alienorum appositio, *aut*, supple non sit mulierum cultus. *Circumdatio auri*, idest ornamenta aurea circumdantia, ut sunt coronulæ aut circuli aurei, *aut*, supple non sit. *Indumenti vestimentorum cultus*, idest indumenta nimis chara vel pretiosa super alia vestimenta, quibus in festis utantur : ut dicatur indumentum vestimentorum, sicut virgo virginum. Cyprianus : « Serico et purpura indutæ, Christum induere sinceriter non possunt ; auro et margaritis et monilibus adornatæ, ornamenta cordis et pectoris perdiderunt. » Quod si Petrus mulieres admonet coercendas qui excusat cultus illarum per maritos, quanto magis id observare virginem fas est cui nulla ornatus sui competit venia? Intelligitur autem hoc de virgine non desponsanda, sed in virginitatis proposito permansura. Et nota quod si hoc non licet mulieribus, multo minus viris; unde Gregorius in *Homil.* : « Pensate quæ culpa sit viris appetere a quo curavit pastor ecclesiasticus et feminas prohibere. » Ex textu igitur et *Glossa* quæ dicunt quod serico et purpura indutæ Christum induere non possunt, videtur quod ornatus mulierum sit illicitus, immo quod sit peccatum mortale. Nihil enim impedit induere Christum, nisi peccatum mortale. Iterum Gregorius : « Si cultus pretiosarum vestium culpa non esset, nequaquam evangelica lectio tam vigilanter dixisset, quod dives qui in inferno torquetur, purpura et bysso induebatur. » Contra : *Glossa* dicit hic quod per maritos possunt se excusare mulieres. Nempe de bigamia dicit Augustinus, quod peccatum non erat, quando mos erat ; ergo mos regionis et debitus finis, si non potest aliter maritum suum de adulterio revocare, excusant. Responsio. Quidam dicunt simpliciter quod ornatus nimius est illicitus, nec dignitas personæ, nec mos regionis vel civitatis excusat a toto, sed a tanto, sed solum ista causa ut vir ab adulterio revocetur. Alii dicunt quod si non faciat causa superbiæ vel vanitatis, vel provocandi adulteros, sed ut servetur mos regionis vel gradus dignitatis vel revocetur vir a fornicatione, non est peccatum majus vel minus, mortale vel veniale secundum radicem, vel secundum causam. Alii dicunt quod in illis ornatibus, in quibus fit præjudicium naturæ, sicut in pictura faciei et hujuscemodi quæ pervertunt naturam, solum hoc excusat, ut vir ab adulterio revocetur, non conditio personæ, nec consuetudo loci. In aliis vero excusant et consuetudo loci et dignitas personæ. Gregorius et Cyprianus loquuntur de ornantibus se propter superbiam, vel ut placeant adulteris. *Sed qui absconditus est homo*, quasi non sit cultus mulieris exterior, sed potius *Cordis*, id est homo interior, scilicet ratio, *Qui absconditus est*, inquam, aliis hominibus et soli Deo cognitus. I Reg. XVI. *Homo videt ea quæ foris patent, Deus autem intuetur cor:* homo inquam manens, *In incorruptibilitate spiritus*, quamvis non corporis. *Glossa*, Quia exterior homo videtur corruptus, et beatitudinem integritatis, quæ est proprie virginitatis, habere destitutus, imitamini incorruptionem spiritus per abstinentiam ; et quod corpore non potestis mente præstate : has enim Christus divitias, et hæc vestræ conjunctionis quærit ornamenta. Et Pythagoras : « Vera ornamenta matronarum pudicitia, non vestes sunt. » Spiritus, inquam, *Quieti* ab operatione mali, *modesti*, modum servantis in operatione boni : vel quieti in adversis, modesti in prosperis, *Qui*, scilicet spiritus quietus et modestus, *Est in conspectu Dei locuples*, in divitiis spiritualibus Deo placentibus, de quibus Isaiæ XXXIII. *Divitiæ salutis sapientia et scientia. Sic enim aliquando*, hic ponit exemplum. Sic enim aliquando, id est tempore patriarcharum et ante tempus gratiæ, quanto magis nunc, *Et sanctæ mulieres*, uxores sanctorum, *Sperantes in Deo*. *Glossa*, Non in ornatu vestium, sicut mulieres lascivæ. *Ornabant se*, Interius non exterius, non vestibus sed moribus. Augustinus : « Nec affectetis vestibus placere sed moribus. » *Subjectæ propriis viris*, Subjectione reverentiæ et obedientiæ. *Glossa*, Etiam in his quæ videbantur gravia. Genes. III, *Sub potestate viri eris*, *Sicut Sara*, quæ est exemplum sanctarum mulierum, sicut Abraham virorum. Isaiæ LI, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quæ peperit vos*. *Obediebat Abrahæ Dominum eum vocans*. *Glossa*, Ex reverentia, Genes. XVIII, Postquam senui et dominus meus vetulus est etc. *Cujus*, scilicet Saræ, *Estis filiæ* Imitatione fidei etsi non successione generis. Erant enim proselytæ, *benefacientes*, in

agendo et maritos honorando. *Et non pertimentes ullam perturbationem.* In patiendo si aliquid mali infertur a maritis vel a persecutoribus. Et nota quod non dicit timentes, quia timere est naturale et omnino caveri non potest, sed pertimentes, id est perfecte timentes, hoc est supra modum timentes, ita quod timore præceptum dimittant vel aliquid inconveniens committant. Virtus enim etsi aliquando turbatur, non tamen perturbatur; cadit enim in ipsam turbatio propassio, sed non turbatio passio, secundum illud Proverb. XII: *Non contristabit justum quidquid etc.*

Viri similiter cohabitantes secundum scientiam etc. Hic monet viros ad bene conversandum uxoribus, sicut se bene habere debent mulieres ad viros: similiter viri mariti earum sint. *Cohabitantes*, reddentes debitum conjugale. *Secundum scientiam*, id est discrete et cum moderamine, non sicut equus et mulus quibus non est intellectus, ut generent filios ad cultum unius Dei. In hoc autem quod dicit cohabitantes, significatur æqualitas in redditione debiti conjugalis. Et nota quod triplex est concubitus. Primus conjugalis qui fit causa concreandæ et educandæ prolis ad cultum Dei. Alius est maritalis et fragilis qui fit causa vitandæ fornicationis. Tertius impetuosus et lascivus qui fit causa implendæ libidinis, non ut in suo etc. Primus est meritorius. Secundus est peccatum, sed veniale. Tertius est peccatum mortale. De quo Augustinus dicit, quod : « vehemens amator uxoris adulter est etc. » *Impartientes honorem*, scilicet in necessariorum administratione et reverentiæ exhibitione. Sic præcipitur Exod. XX, *Honora patrem et matrem.* Glossa. Si abstinueris a coitu, honorem ei tribuis. *Quasi infirmiori vasculo*, id est fragiliori vasculo. Vasculum dicitur corpus mulieris ob susceptionem seminis et conceptionem prolis. I Corinth. XII, *Quæ putavimus inferiora esse corporis membra, his abundantiorem honorem circumdamus.* Et nota quod dicit impartientes, id est in parte tribuentes. Soli enim Deo honor totaliter est impendendus. *Tamquam*. Ecce alia causa. *Cohæredibus vitæ et gratiæ*, Gratiæ quidem in præsenti et vitæ æternæ in futuro. *Ut non*. Ecce tertia ratio. *Impediantur orationes vestræ*, scilicet concubitus assiduitate. Beda : « impediri orationem officio conjugali commemorat, quia quærens uxori debitum reddere orare non posse. » Quod si, juxta Apostoli sermonem, sine intermissione orandum est, nunquam ergo mihi conjugio serviendum est, ne ab oratione cui semper instare jubet ulla præpediat hora. Responsio, Illud Apostoli quod ibi ponit *Glossa*, *Sine intermissione orate*, intelligendum est horis et temporibus constitutis. Vel potest dici quod non cessat orare qui non cessat bene facere. Item ille servire dicitur, qui hoc facit causa libidinis. Vel loquitur de illo qui liber est et solutus, cui non expedit se subdere conjugali servituti, ut tute possit semper vacare orationi.

In fide autem omnes unanimes compatientes etc. Supra hortatus est ad bene convivendum fratribus, et specialiter conjuges. Hic vero hortatur generaliter omnes docendo bene conversari etiam inter malos. Allegans primo suæ convocationis beneficium. Secundo cœleste præmium, ibi : *Qui enim vult vitam etc.* Tertio adversariorum impotentiam ad nocendum, ibi : *Et quis est qui vobis etc.* Quarto Christi exemplum, ibi : *Melius est enim ut benefacientes*. In prima parte docet qualiter se habeant ad bonos. Secundo qualiter ad malos, ibi : *Nulli malum etc.* Tertio reddit rationem utriusque. *Quia in hoc vocati estis.* Dicit ergo, *In fide autem*. *Glossa*. Diversas personas, diversas conditiones, diversos sexus docui. Jam nunc omnes admoneo inquam, *In fide autem*, tenenda et defendenda quasi fundamento : *omnes*, tam liberi quam non liberi, tam viri quam mulieres, *unanimes*, unum scilicet de fide sentientes, ita quod nec cogitatione discrepetis. Vel unanimes, id est cor unum et animam unam habentes, non dissentientes. Unde Act. IV, *Erat eis cor unum et anima una in Deo.* Istud autem quod sequitur, Estote in oratione, non est de textu. Nec antiqui libri habent, nec *Glossa* exponit. Sed Ecclesia hoc addit in epistola ad ornatum et ad devotionem populi excitandam, vel ad manifestationem scientiæ. *Compatientes*, scilicet miseriis proximorum, ut sic vos ostendatis unius corporis esse membra. Si enim patitur membrum unum, compatiuntur et alia membra. *Fraternitatis amatores* fraternæ unitatis et concordiæ conservatores. *Glossa*, Ne destruatis fraternitatem, ne per hoc a fidelibus recedatis, immo nec a Deo. Quia dicit Isidorus, « Qui a fraterna dilectione secernitur, a divina participa-

tione privatur. » Et notandum, quod amanda est fraternitas ut non ita cito cadamus. Proverb. xv, *Frater qui juvatur a fratre, quasi civitas firma.* Item ut si ceciderimus, citius resurgamus. Eccles. iv, *Væ soli : quoniam si ceciderit, non habet sublevantem se.* Item ut facilius a Deo quod petimus impetremus. Matth. xviii, *Si duo ex vobis super terram consenserint de quacumque re quam petierint, fiet illis a Patre meo qui in cælis est.* *Misericordes*, Bona vestra pauperibus communicando. *Glossa*, Impendendo in eleemosynas. *modesti*, servantes scilicet modum in omnibus. *Glossa*, Omnia cum modo facientes, attendentes omnes circumstantias loci et temporis et personarum. *humiles*, ne de his superbiatis. Sicut dicit *Glossa*, Humilitas omnium bonorum conservatrix est. Gregorius : « Qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. » *Non reddentes malum pro malo*, in factis, *Nec maledictum pro maledicto*, In verbis, *Sed e contrario benedicentes*, scilicet sitis. Quod est perfectæ et abundantis patientiæ. Rom. xii, *Benedicite et nolite maledicere.* *Quia in hoc vocati estis*, idest ad hoc ut patientiam habeatis. *Ut benedictionem hæreditate possideatis*, benedictionem passivam. Illam scilicet qua dicetur Matth. xxv, *Venite benedicti Patris mei etc. Possidete regnum etc.* *hæreditate*, idest in hæreditatem, scilicet firmiter et perseveranter, sicut hæreditatis possessio firma est : quasi dicat : Bene justum est, ut qui æternam expectant benedictionem, semper in ore eorum resonet benedictio non maledictio. *Glossa*, Quod quisque in futuro invenire desiderat, hoc in præsenti meditari et agere satagat.

Qui enim vult vitam diligere etc. Hic allegat cæleste præmium. Primo proponens magnitudinem præmii. Secundo docens modum perveniendi, ibi : *Coerceat linguam suam a malo.* Tertio dans fiduciam obtinendi, ibi : *Quia oculi Domini etc.* Dicit ergo, *Qui enim vult vitam diligere.* Qui enim, quasi dicat, debet se benedicere et non maledicere. Vult vitam diligere, idest ostendere se dilectionem vitæ habere faciendo opera per quæ ad vitam pervenitur. *Et videre*, idest videndo habere. In spiritualibus enim idem est videre quod habere. *Dies bonos*, claritatis æternæ. Dicuntur enim dies gloriæ, dies boni, ad differentiam dierum præsentis vitæ qui mali sunt, secundum illud Ephes. v, *Redimentes tempus quoniam dies mali sunt.* Dicuntur autem dies esse in patria pluraliter, non propter successionem quæ ibi non erit, quia sol justitiæ qui nescit occasum semper lucescit, et utrumque hemisphærium, rationis inferioris et superioris, lumine suæ humanitatis et divinitatis illuminabit. Sed dicuntur dies pluraliter propter infinitam durationem. Mich. v, *Egressus ejus a diebus æternitatis.* Et propter gaudiorum diversitatem in sanctis. *Coerceat.* Hic ostendit meritum, ad perveniendum ad illud præmium. Primo meritum oris. Secundo, meritum operis, ibi, *Declinat autem a malo.* Tertio meritum cordis, ibi, *Inquirat pacem etc.* Dicit ergo. *Coerceat linguam suam*, scilicet freno discretæ taciturnitatis, Ecclesiast. xxxviii, *Verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos.* Et dicit, coerceat, id est simul cum extremis suis, quæ sunt cogitatio et operatio, arceat. *A malo*, aperto. *Et labia tua ne loquantur dolum*, malum scilicet occultum. Psalm : *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, et sicut novacula acuta fecisti dolum.* Ponit autem duo quibus verba formantur ; scilicet linguam interius, et labia exterius. Et nota, arcenda est lingua a malo multiplici : scilicet falso. Sapien. i, *Os quod mentitur occidit animam.* Item a nocivo, Psal. : *Lingua eorum gladius acutus.* Item otioso, Matth. xii, *De omni verbo otioso etc.* Item a doloso, Psalm.: *Hic ne loquatur dolum.* *Declinet autem a malo.* *Glossa.* Etiam si datur occasio ut peccet : unde non debet eam accipere sed declinare. Hæc est prima pars justitiæ. *Et faciat bonum.* Hæc est secunda pars justitiæ. Primo enim oportet extirpare vitia, quam inserere virtutes. *Inquirat pacem. Glossa*, ut rem absconditam : non autem quærat eam falso, sed ex animo, unde dicit : inquirat, id est intus quærat pacem, scilicet futuram, quæ exsuperat omnem sensum, Philippen. iv. Vel præsentem, cum Deo et hominibus. Rom. xii : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* *Et persequatur eam.* Persequatur, id est perfecte sequatur. *Glossa*, ut rem fugitivam. Hebr. xii : *Pacem sequimini et sanctimoniam etc.* Inquirat affectu, sequatur effectu. *Quia oculi Domini*, id est respectus divinæ misericordiæ ad remunerandum. Et dicit in plurali, quia misericordiæ Domini multæ. *Super justos.* Ad observandum et

persequendum est. Ubi enim amor, ibi oculus. Deus autem justos diligit, ut habetur Psal. *Et aures ejus*, id est voluntas exaudiendi, *in preces eorum*, id est sunt intentæ ad exaudiendum. Psal. *Qui plantavit aurem non audiet, qui finxit oculum non considerat?* Dicit autem, in preces, ad significandum, quod celeriter exaudit. Isa. LXV: *Antequam clament ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam. Vultus autem Domini etc.*, id est indignatio quæ in vultu solet apparere. *Super facientes mala.* Ut puniat eos. Nec dicit, super, quasi dicat, puniet eos, aut supra condignum, vel aliter: sed notat eorum punitionem. Psal. XX: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* Tota auctoritas ista sumitur ex Psal. XXXIII: videlicet, *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Et quis est etc. Hic allegat impotentiam adversariorum ad nocendum. Ubi primo excludit metum persecutoris. Secundo monet audaciam confessionis, ibi, *Dominum autem Jesum Christum.* Tertio imponit modum audaciæ, ibi, *Sed cum modestia.* Metum autem persecutoris excludit. Primo, negando persecutionis nocumentum. Secundo, asserendo profectum, ibi, *Sed et si quid patimini propter justitiam, beati.* Tertio, inducendo auctoritatem ad ipsum, ibi, *Timorem autem eorum etc.* Dicit ergo, *Et quis est.* *Glossa.* Ideo debetis declinare a malo et facere bonum, quia nemo potest vos retrahere si perficere volueritis, imo prosunt dum nocere volunt. Et quis est, an homo aut diabolus. *Qui vobis noceat*, id est nocere potest, vos a bono violenter retrahendo, et ad malum violenter impellendo. *Si boni*, genitivi casus et neutri generis. *Æmulatores fueritis*, id est zelantes bonum, vel amatores boni aut imitatores: quasi dicat: Nullus nocebit. Beda. « Perfectum boni æmulatorem nemo lædere potest ». *Glossa.* Si verba contumeliosa, si rerum damna, si inferantur corporum tormenta, non nocent, sed patientiam exercent. *Sed et si quid*: quasi dicat: non nocent, sed prosunt. Item quasi dicat, modicum quid est, *patimini.* In præsenti tempore. *Propter justitiam.* Viæ tenendam, et patriæ consequendam. *Beati* estis jam in spe, tandem in re. Matth. III. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Multiplex est ratio quare debemus pati. Primo, ut sic Christi vestigia sequamur. I Petri II. *Christus passus est pro nobis relinquens exemplum etc.* Secundo, ut sic sanctis conformes simus. I ad Tim. III. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo etc.* Tertio, ut consolationum Christi et sanctorum participes simus. II Corinth. I. *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum etc.* Quarto ut in bono gratiæ conservemur. I Pet. ult.: *Deus autem omnis gratiæ qui vocavit vos in æternam gloriam suam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet.* Quinto, ut per hoc peccata vitemus. I Pet. IV. *Qui passus est in carne, desiit a peccatis.* Sexto, ut animæ a dæmonibus præserventur seu custodiantur. I Pet. IV. *Qui patiuntur secundum voluntatem Dei fideli creatori commendant animas suas.* Septimo, ut in æternum remuneremur. Matth. V. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Eccles. I. *Usque ad tempus sustinebit patiens.* Cum hoc ita sit. *Timorem eorum etc.*, scilicet persecutorum, id est timoris materiam. *Glossa.* Quæ in eis timenda videtur, ut sunt regia potestas et hujusmodi. *Et non conturbemini*, id est quamvis terreamini, fortassis secundum sensualitatem: non tamen conturbemini, secundum rationem. *Glossa.* Recedendo a fide et dilectione Dei. Sumitur autem hæc auctoritas ex Isaia VIII. *Dominum autem*, autem ponitur pro sed. *Christum.* Qui Dominus est, secundum divinitatem. Christus, id est unctus, secundum humanitatem. *Sanctificate*, id est sanctum ostendite. Vel sanctum, id est firmum facite eum in corde firmiter retinendo. Et sit non tantum oris sed cordis intentione, sicut Deus dicitur exaltari. *In cordibus vestris*, non tantum in ore, non tantum in codice. Isa. VIII, Dominum exercituum ipsum sanctificate. Vos dico, *parati*, per providam mentis audaciam, *semper*, omni tempore prosperitatis et adversitatis. *Ad satisfactionem.* Per verba et opera, ut dicit *Glossa.* Per verba, dicendo, sic tenet Ecclesia: sic tenuerunt sancti: et in hac fide mortui sunt. Et per opera, faciendo opera quæ decent habentes fidem, id est opera sanctitatis et veritatis. *Omni poscenti vos*, sive fideli, sive infideli. Poscenti, scilicet ad discendum, non calumniandum: secundum illud Matth. VII. *Nolite sanctum dare canibus. Rationem de ea quæ in vobis est spe et fide.* Hoc autem fit duobus modis secundum *Glossam.* Vel verbo, et hoc pertinet ad sapientes.

Vel facto, et hoc ad omnes pertinet. *Glossa* : duobus modis de fide et spe nostra rationem reddere debemus : ut quærentibus rectas causas spei et fidei intimemus, et ipsam fidem et spem inter pressuras illibatam teneamus ostendentes per patientiam quod rationabiliter eam conservandam didicimus, pro cujus amore nec adversa pati, nec mortem subire formidemus. *Sed cum modestia*, in loquendo contra disputandi contentionem et clamorem. *Ex timore*, reverentiæ in investigando, ne nimis subtiliora et ardua inquiratis. *Conscientiam habentes*, bonam absque scrupulo peccati mortalis. *Glossa*, ut quod exterius ostenditis, intus habeatis, ne dicatur hoc quod dicitur in Psalm. XLIX, *Peccatori dixit Deus, quare assumis etc. Ut in eo quod detrahunt de vobis*, id est de hoc quod detrahunt vobis. *Et qui calumniantur vestram in Christo conversationem*, falsa crimina imponendo, scilicet persecutores vestri. Conversationem vestram, quo ad mores: in Christo manentem, quo ad fidem, *confundantur*, confusione salubri, ut confusi in seipsis, id est tristes et dolentes et verecundi de sua iniquitate, et de offensa Dei, sequantur vos allecti exemplis vestris. Eccles. IV, *Est confusio adducens gloriam etc. Melius est enim*. Hic allegat Christi exemplum. Ubi primo tangit patientis innocentiam. Secundo patiendi causam motivam, ibi, *Ut nos offerret Deo*. Tertio passionis efficaciam, ibi, *Quia et vos*. Quarto passionis gloriam per resusrectionem, ibi, *Per resurrectionem Jesu Christi*. Dicit ergo. *Melius est enim* : quasi dicat : Debetis bene conversari, nec dimittere bonum faciendum propter calumniatores. Melius est enim, id est vobis honorabilius est et utilius. *Ut bene facientes*, scilicet pati, *Quam malefacientes*, id est melius est pati sine meritis quam pro meritis. Et pati pro meritis in multis est cumulus damnationis. Unde si aliquis bene utitur pœna, illa est ad dimissionem sui reatus. Pati vero sine meritis, meritum est. Et hoc, *Si voluntas Dei velit*, si Deus hoc dare voluerit alicui. Per hoc innuitur quod pati sine culpa est ex voluntate Dei. Distinguit autem hic *Glossa* tria genera patientium. Quia qui justus patitur, Christum imitatur. Qui vero flagellis corrigitur, latronem dextrum imitatur, qui cum Christo in paradisum intravit. Qui vero nec flagellis corrigitur, sinistrum latronem imitatur, qui post crucem in tartarum ruit. Bene dico, quod melius est : et hoc patet exemplo Christi. *Quia et Christus semel pro peccatis*. Christum frequenter proponit nobis in exemplum. Et, ut dicit Augustinus, « Summa christianæ religionis est imitari quod colis ». *Semel inquam pro peccatis nostris*, delendis et abluendis. Ad Rom. VI. *Mortuus est propter delicta nostra. Justus pro injustis*. In quo major ostenditur benignitas. Et nota quod dicit, Semel mortuus est, quasi non iterum moriturus : ad destruendam hæresim quæ dicit eum semel passum ad redemptionem hominum : et iterum passurum in aere ad redemptionem dæmonum. Insuper ad retrahendam falsam securitatem peccantium, quia ita peccant post Christi mortem, quasi pro peccatis eorum esset iterum moriturus. Item moraliter ad significandum quod nos debemus mori semel peccato : hoc est peccatum totaliter et postmodum non committere ; secundum illud Eccl. XXI, *Fili, peccasti? ne adjicias iterum. Ut nos offerret Deo*, Patri scilicet, vel in præsenti vitam nostram laudabilem in conspectu Patris ostendendo : vel in futuro nos in regnum Patris introducendo, secundum *Glossam*. Mortificatos quidem carne, quo ad carnalia vitia. *Vivificatos autem spiritu*, id est vita spirituali. *Glossa*, Spiritu sancto vel nostro : debemus enim esse mortui quoad carnalia, sed vivi quo ad spiritualia. Rom VIII, *Si spiritu facta carnis mortificamini, vivetis. In qua. Glossa* ut Deo offerrentur. *Spiritu veniens*, ipse Christus per inspirationem in terram, quamvis nondum per carnem assumptam. Vel spiritu, id est per spiritus Angelicos per quos locutus est hominibus illius temporis, *prædicavit*, non in persona propria, sed per Noe et alios sanctos illius temporis, prædicavit, inquam. *His qui in carcere erant*, carnis scilicet vel peccati vel erroris, vel hujus exilii, Psal. CXLI, *Educ de carcere animam meam*. Non enim erant de se valentes egredi per seipsos. Alia littera habet, in carne conclusi erant, id est carnalibus desideriis. Vel in carne, quasi in corpore corrupto, quod dicitur carcer, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam. His dico. *Qui increduli fuerant*, ipsi prædicanti pœnitentiam Et diluvium futurum comminanti, *aliquando*, scilicet ante diluvium *Quando exspectabant Dei patientiam*. Putantes quod

Deus patienter sustinuerit eos, vel quando expectabat eos, scilicet ad pœnitentiam. Dei patientia differens vindictam. Unde Isa. xxx: *Propterea expectat vos Deus ut misereatur vestri. In diebus Noe.* Gen. vi. Luc. xvii: *Edebant, et bibebant, nuptui tradebant etc., et venit diluvium etc. Cum fabricaretur arca*, in conspectu eorum ad terrorem. *In qua*, scilicet arca. *Pauci* credentes. *Glossa*, qui spem in Deum habebant. *Id est octo animæ*, pars pro toto, id est octo homines, scilicet Noe, uxor ejus, tres filii ejus, et eorum uxores. *Salvæ factæ sunt per aquam*, Arcam in sublime erigentem; sicut dicitur quod navis salvatur quæ vadit per aquam. Aliqui libri habent per arcam; sed credo quod fictio est. Notandum quod per arcam significatur Ecclesia, quæ collecta est de diversis fidelibus, sicut arca composita fuit de diversis lignis in qua pauci respectu damnatorum salvantur: quia Matth. vii dicitur, *Arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci inveniunt eam.* Pauciores ambulant per eam, sed paucissimi perseverant in ea, et finem vitæ assequuntur. Per hoc autem quod dicit quod octo animæ salvæ factæ sunt, dat intelligere quod nullus salvatur qui non habet fidem resurrectionis, quæ significatur per octonarium, quia Christus octava die resurrexit, et generalis resurrectio erit octava ætate. Ista salvatio est per aquam baptismalem. Vel per aquam, id est per tribulationem. Psalm.: *Transivimus per ignem et aquam etc. Quod*, id est cujus simile. *Vos*, scilicet credentes. *Nunc*, scilicet tempore gratiæ. *Facit baptisma*, existens *similis formæ. Glossa.* Per omnia assimilatum illi arcæ; quia quicquid tunc carnaliter, hic geritur spiritualiter. Sicut enim arca fuit de lignis levigatis, id est dolatis: sic Ecclesia Christi de sanctis per angustias et tribulationes dolatis et afflictis. Item sicut arca fuit de lignis imputrefactibilibus seu imputribilibus: sic Ecclesia de incorruptis hominibus. Item in arca pauci salvati sunt, scilicet tantum octo animæ, per quod signatur paucitas salvandorum. Matth. xxii, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Unde nota quod paucitas salvandorum præfigurata fuit tempore legis naturæ, quando scilicet omnes[1] exceptis octo qui salvati sunt in arca diluvii, sicut habetur hic. Item fuit præfigurata tempore legis Mosaicæ, ubi legitur Num. xiv, de omnibus quos eduxit Dominus ex Ægypto, fere sexcentis millibus per desertum (per quod significatur pœnitentia) non intrarunt nisi duo terram promissionis, scilicet Josue filius Nun, et Caleb filius Jephonne. Item fuit præfigurata tempore prophetarum, quando filii Israel ducti sunt in captivitatem, et pauci relicti sunt in terra promissionis. Ezech. xii, *Relinquam ex eis viros paucos a gladio et fame et pestilentia.* Unde Psalm.: *Pauci facti sunt et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore.* Sed tempore gratiæ fuit actu expressa et annunciata. Matth. xxii, *Multi sunt vocati, pauci etc.* Item per Noe homines salvi facti sunt in arca: sic per Christum in Ecclesia. Noe enim requies interpretatur, et significat Christum, in quo est requies animarum. Item quia extra arcam non est aliquis salvatus: sic nec extra Ecclesiam. Item multiplicatis aquis elevabatur arca: sic per tribulationem crevit Ecclesia. Baptisma ergo quod salvat nos est similis formæ. Non illud baptisma in quo tantum est *Depositio*, id est ablutio *Sordium carnis*. Sicut est baptismus in aqua, sine spiritu: qualis baptismus Judæorum de quo Matth. xviii. Et baptismus Joannis, de quo Joan. i, *Ego baptizo vos aqua, etc.* Qualia etiam sunt baptismata hæreticorum et omnium ficte accedentium. Sed baptismus in quo est *Interrogatio bonæ conscientiæ. Glossa.* Exigitur a baptizato pura conscientia per Ecclesiæ ministrum baptizantem; scilicet de observantia rectæ fidei et morum. Utrum scilicet baptizandus credat: utrum pompis diaboli abrenunciet, quod fit in catechismo. *In Deum.* Conscientiæ dico tendentis in Deum per fidem. Tale autem baptisma, ad quod cum bona conscientia acceditur, salvos facit. Salvat, inquam, *Per resurrectionem* exemplar. Quia sicut Christus resurrexit a morte ad vitam: sic nos in baptismo a vitiis in virtutes. Rom. vi. Sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis, ita et in novitate vitæ ambulemus. *Jesu Christi*, qui, scilicet Christus, *Est in dextera Dei*, id est in supremo loco beatitudinis. Vel in ejus æqualitate secundum divinitatem. Vel in potioribus bonis ejus secundum humanita-

[1] *Supple*: « perierunt, vel quid simile. »

tem quæ per dexteram significatur. Matth. ultimo. Sedet a dextris Dei. *Deglutiens*, idest destruens plena mortis victoria. *Mortem*, in resurrectione in se secundum rem. In nobis per spem. In hoc quod dicit, deglutiens, notatur plena mortis victoria : ut sicut quod destruitur non apparet, sed tum absorbetur, sic in eo per resurrectionem. Nullum enim vestigium mortis apparuit. I Cor. xv, *Absorpta est mors in victoria*. Item in hoc notatur desiderium mortis Christi pro salute humani generis : quod enim deglutitur avide sumitur. Luc. xii, *Baptismo autem habeo baptizari et quomodo coarctor usque dum perficiatur*. Item in hoc notatur quod ejus passio fuit amara. Amaræ enim passiones cito deglutiuntur. Item in hoc notatur quod ejus dolor mortis cito transit, sicut illud quod deglutitur cito transit. Hoc autem facit jam in se, sed etiam faciet in nobis in generali resurrectione, quando præcipitabit mortem in sempiternum. Isa. xxxi. Unde sequitur, *Ut nos*, qui sumus membra ejus *Efficeremur hæredes vitæ æternæ*. Alia littera habet, *Ut vos efficeremini*, hæredes vitæ æternæ, idest possessores ipsius vitæ æternæ stabiliter. Augustinus, Vicisti nos in morientibus, vita es in resurgentibus. Victoria tua qua absorbuisti corpora morientium, temporalis fuit. Victoria qua absorpta est vita resurgentium, æterna manebit. *Profectus in cœlum*, in die ascensionis. Act. i, *A summo cœlo egressio ejus etc*. *Subjectis sibi Angelis*, qui prius erant subjecti secundum rem, tunc subjecti facti sunt secundum manifestationem. Philippen. ii. Ut in nomine ejus omne genuflectatur, cœlestium etc. *Angelis* (*interlinearis* primus ordo), *Et Potestatibus* (*interlinearis*, secundus ordo), *Et virtutibus*, (*interlinearis*, tertius ordo). Notandum vero quod ordo appellatur hic Hierarchia secundum Dionysium. Hierarchia enim est ordo divinus. Per Angelos enim intelligitur hic Hierarchia intima. Per potestates media : per Virtutes suprema. Nam Virtus, secundum Dionysium, nomen generale est omnium Angelorum. In omnibus enim reperire est virtutem et operationem. Unde quandoque nomine virtutum, omnes etiam omnium ordinum intelliguntur. Daniel. iii, *Benedicite omnes Virtutes Domini Domino*, hic autem præcipue intelligitur per Virtutes, tertia Hierarchia ; quia virtus est nomen bonitatis et excellentiæ, secundum illud, Virtus est optimum de re, et virtus est influentia ultimum de potentia. Et ideo illi qui divinam bonitatem excellentius recipiunt, merito virtutes vocantur.

CAPUT IV.

Christo igitur passo etc. Supra instruxit eos ad bene vivendum, et convivendum fratribus ; hic vero instruit eos ad compatiendum Christo capiti, id est ad compatiendum, exemplo Christi. Ubi primo animat eos respectu passionum imminentium. Secundo respectu jam præsentium, ibi, *Charissimi, nolite peregrinari*. Animat autem respectu passionum imminentium : primo, patiendi rationes proponendo : secundo, virtutum armis eos muniendo, ibi, *Estote itaque*. Assignat autem quinque rationes. Quarum prima sumitur ex imitatione Salvatoris. Secunda ex consideratione utilitatis ex hoc provenientis, ibi, *Quia qui passus est in carne*. Tertia ex congruitate temporis, ibi, *Sufficit enim præteritum tempus*. Quarta ex intentione evangelicæ prædicationis, ibi *Propter hoc enim et mortuos*. Quinta ex propinquitate finis, ibi, *Omnium autem finis*. Dicit ergo, *Christo igitur passo etc*. *Glossa*. Quia deglutivit mortem, et nos vitæ æternæ hæredes erimus. Christo igitur tamquam exemplari præcipuo patiendi. *Passo in carne*, non in natura divinitatis : sed in natura assumptæ carnis; quod significatum fuit in ariete immolato, et in Isaac liberato, ut habetur Gen. xxii. *Et vos eadem cogitatione armamini*, id est ejus passionem recolite, et patimini pro eo similia. *Glossa*. Sicut ipse sponte, et nos sponte. Sicut ipse omnia tolerat, et nos toleremus. Et bene dicit, armamini, quia memoria dominicæ passionis contra insultus et tentationes diaboli munit et roborat. Bernardus : tanta est virtus crucis Christi, ut si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati prævalere possit invidia : sed continuo ad memoriam ejus, totius peccati et mortis, scilicet spiritualis, fugatur exercitus. » Similiter Gregorius : « Si passio Christi ad memoriam « revocetur, nihil tam durum quod non « æquo animo toleretur. » Thren. iii, *Dabo eis scutum cordis laborem tuum*. Nota quomodo Dominus armatus fuit in cruce. Habuit enim in capite quasi ga-

botas, non de aere vel argento, sed de spinis. Habuit loricam non de aere vel ferro, sed carnem immaculatam de Virgine assumptam; habuit in manibus non lanceam vel gladium, sed magnos clavos manibus affixos; in pedibus quasi calcaria clavos infixos. Pro equo vero habuit lignum crucis. *Qui passus est in carne*, id est, armamini cogitatione patiendi, exemplo Christi: quia inde provenit utilitas. Quia qui passus est in carne; carnales scilicet concupiscentias per edomationem carnis extinguendo; vel corpus pro justitia martyrio exponendo. Hoc est, duplici modo, secundum *Glossam*, potest quis Christo crucifigi. Ad Galat. V, *Christo confixus sum cruci*. *Desiit a peccatis*, quasi, mortuus peccato intendit Dei servitio. Isidorus: Mori oportet in carne mundo, ut vivamus in animo Christo. Et sumitur hic caro pro toto homine tam interiori quam exteriori. Unde sensus est: Qui passus est in carne, id est, in se toto homine: in anima per contritionem, in carne per macerationem. Talis desiit a peccatis omnibus tam carnalibus quam spiritualibus. *Ut non jam desideriis hominum*, hoc est, desideriis carnalibus. Sic enim vocat homo in carnalitate. I Corinth. III, *Nonne homines estis carnales etc. Sed voluntati Dei vivat*, id est secundum voluntatem Dei faciendo bona opera. *Quod reliquum est temporis*, id est, ad modicum quod restat sibi de spatio vitae, supple ad agendum vel ad vivendum. *In carne*, id est in vita ista corruptibili et fragili. Notandum quod dicit, Quod reliquum est temporis, id est reliquias temporis sui. Forte multa fercula fecit homo diabolo; unam partem temporis exponendo in luxuriis; aliam in superbia et elatione cordis; aliam in gula; aliam in avaritia; saltem reliquias temporis sui det Deo, et vivat secundum voluntatem Dei. *Sufficit enim etc. Glossa*. Jam cessat a peccatis; et merito, quia consideratis immanitate scelerum, sufficit. *Praeteritum tempus*, impendisse secundum voluntatem gentium; sufficit tempus praeteritum, imo nimis est: quia totum tempus ad poenitentiam est datum. Apoc. II, *Dedit illi tempus ut poeniteret*; unde in peccatis expenditur superflue. *Ad voluntatem gentium consummandam*, id est quod expendistis cum gentibus fratres gentiliter viventes; quasi diceret: de tempore multum amisistis; sed perpetratio peccatorum quam fecistis in tempore praeterito, debet vobis sufficere. Vel ad voluntatem gentium consummandam, id est malarum gentiliter viventium quibus vos conformastis peccando, unde et tempus praeteritum consumpsistis in vanum. *Qui*, scilicet gentiles, vel gentiliter viventes. *Ambulaverunt*, passibus mentis, non passibus corporis de malo in pejus proficiscendo. *In luxuriis*, id est luxuriandi actu. *Desideriis*, luxuriandi voluntate secundum *Glossam*. *Vinolentiis*, id est inebriandi consuetudine, quae luxuriae occasio est. Alia litera habet, violentiis in pauperum oppressione, *comessationibus*, epularum solemnium assiduitate, *potationibus*, id est potandi superfluitate. Isidorus: Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ideo dicitur Rom. XIII, *Non in comessationibus etc. Ebrietatibus et illicitis idolorum cultibus*, in quibus consistit fornicatio spiritualis. Ponitur autem istud ultimum quasi maximum. Unde Sapient. XIV, *Infandorum idolorum cultura omnis mali causa, initium et finis*. *Glossa*, A parvis ad maximum pervenitur; non quod peccata praecedentia sint parva quae sunt in seipsum vel proximum; sed quia istud est directe in Deum. *In quibus*, vitiis praedictis quae vix reliquistis, *nunc*, scilicet post conversionem vestram, *obstupescunt*, propter insolitam vitae novitatem. *In quo*, id est in qua, *admirantur*, propter vitae magnitudinem et difficultatem, quia stupor est timor ex consueta imaginatione. Admiratio vero est timor ex magna apprehensione. Vel stupor de declinatione mali; admiratio de operatione boni. *Glossa*, Quasi impossibilis videtur incestuosis castitas, gulosis abstinentia, superbis humilitas etc. *Non concurrentibus vobis*, id est cum eis concurrentibus sive concordantibus. Prov. I, *Pedes eorum ad malum currunt. In eamdem luxuriae confusionem*, scilicet qua sunt, et vos aliquando fuistis. *Blasphemantes*, id est vituperantes vitam vestram, quia jam estis eis dissimiles. Nec curetis de hoc si benefacientes blasphemamini ab eis. *Qui*, id est quia ipsi. *Reddent rationem*, scilicet in judicio de operibus suis. Eccles. XI, *Cuncta quae fiunt adducet Dominus in judicio pro omni errato, sive bonum sive malum sit. Ei qui paratus est judicare.* Ad differentiam judicum hujus saeculi, quos oportet causas examinare antequam judicent. Ipse autem novit omnia, unde non indiget tali exami-

natione : et quia ipse semper est paratus judicare et nos semper debemus esse parati ut judicemur. Matth. xxv, *Et vos estote parati etc.* Judicare inquam, *Vivos et mortuos*, id est illos qui tunc vivi et mortui reperientur, et bonos et malos. Act. x, *Constitutus est a Domino judex vivorum et mortuorum. Propter hoc enim*. Hæc est quarta ratio, quæ sumitur ex intentione evangelicæ prædicationis. *Glossa*, Ideo non debetis curare malorum blasphemationem, quia propter hoc : vel sic, propter hoc, scilicet judicii periculum evitandum, *Et mortuis*, morte spirituali, *Evangelizatum est*, id est prædicatum est verbum Evangelii. *Ut judicentur quidem*, in præsenti a semetipsis, id est puniantur et quasi condemnentur, *Secundum homines in carne*, id est de factis suis humanis quæ commiserunt in carne, carnaliter scilicet viventes. I Corinth. xi, *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Vivant autem secundum Deum in spiritu*, id est vita spirituali, quæ est secundum Deum, id est secundum Dei voluntatem. Rom. viii, *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Omnium autem finis etc.* ita judicabit Deus et non tardabit judicium generale in fine mundi. Judicium autem personale est in morte cujuslibet. *Vel omnium finis*, id est mors, ad quam sicut ad finem omnia terminantur, *appropinquabit*. Eccles. xi, *Nescit quod tempus eum prætereat et mors appropinquat.* Isidorus : « Vita præsens, quia ipsis suis incrementis deficit, brevis est. Suo enim augmento perit, dum illud quod videtur in futuro perfici, in præterito periit. »

Estote itaque prudentes etc. Hic animat eos virtutum armis muniendo, ponens septem virtutes. Primo discretionem. Secundo devotionem, ibi : *Et vigilate in orationibus*. Tertio charitatem, ibi : *Ante omnia*. Quarto hospitalitatem, ibi : *Hospitales*. Quinto liberalitatem, ibi : *Unusquisque sicut accepit*. Sexto loquendi rectitudinem, ibi : *Si quis loquitur etc.* Septimo fidelem ministrationem, ibi : *Si quis ministrat etc.* Dicit ergo, *Estote itaque*, quia scilicet finis appropinquat et incerta est hora, *Itaque estote prudentes*, id est futura prævidentes. Deuteron. xxxii, *Utinam saperent etc.* Prudentiam autem præponit, quia « prudentia, ut ait Bernardus, non tam est virtus quam auriga virtutum. » Prudentia autem ponitur hic quasi ante custodem seu custodiam. Humilitas vero quasi retro custodiam. *Et vigilate*, ad habendam scilicet prudentiam diligentes et solliciti estote, non pigri aut somnolenti, *In orationibus*, non in ludis aut luxuriis, aut comessationibus, aut ceteris malis : sed in orationibus ; non in una tantum, sed pluribus. Unde *Glossa*, frequentibus. Et dicit, *Vigilate*, sicut dicit *Glossa*, ne aliud cogitet, quam illud quod deprecatur. Augustinus : « In Psalmis et hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde quod profertur in ore. » Item *Glossa*, Cum stamus ad orandum, omnis carnalis cogitatio absistat : intentio cordis sincera Deum non sono vocis, sed sensu animi orat. Debemus ergo vigilare. Primo ipsum Deum incessanter diligendo. Cant. v, *Ego dormio et cor meum vigilat :* quasi dicat : Et in dormiendo cogito de Deo. Secundo ipsum devote laudando, non dormitando sive in particularibus orationibus sive communibus, ut in missa, vesperis matutinis et aliis horis canonialibus et Ecclesiasticis. Thr. ii, *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Tertio ipsum sollicite deprecando, I Petr. iv. Id est in isto cap. : *Vigilate in orationibus.* Quarto ipsum Deum affectuose desiderando. Isaiæ xxvi, *Anima mea desiderabit te in nocte, in principio vigiliarum.* Notandum : si omnibus vigilandum est, maxime prælatis qui habent custodire gregem etc. Ex prima parte *Glossæ* videtur, quod non valet oratio quæ in mente non vertitur. Cujus contrarium patet ; quia non possumus vitare, quin aliquid aliud cogitemus. Ex ultima parte *Glossæ*, videtur quod non oportet orare voce. Responsio, ad primum, Non dicit *Glossa*, quod quis nihil aliud cogitet ; sed dicit quod ad hoc est vigilandum. Non enim possumus facere quin alia cogitemus ; sed ea cito repellere debemus, ne in eis moram faciamus. Ad aliud dicendum, quod *Glossa* non dicit orationem vocalem non esse bonam et pro loco et tempore necessariam ; sed quia mentalis est melior quæ est cum desiderio, desiderium enim animæ loquitur Deo Psalm. ix, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus ; præparationem cordis eorum audivit auris tua. Ante omnia*, id est præ ceteris virtutibus. Ipsa enim est mater et forma virtutum, sine qua aliæ virtutes nihil valent ad meritum, *mutuam*, ab uno alteri reddendam. Rom. xiii, *Nemini quidquam debeatis nisi etc. In vobismet-*

ipsos, id est intra vos in corde, et non tantum in signis exterioribus. I Joan. III, 18: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Et, inquam, *in continuam*, id est propter id quod in vobis est aeternum, scilicet imago Dei, et non temporalia. *Charitatem*, id est charitatis dilectionem spiritualem, non carnalem. Augustinus in regula: « Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio. » *Continuam*, non interruptam. *Habentes.* Loquitur magis de continua charitate habenda, quam de vigiliis vel orationibus. Quia, ut dicit Beda, « Semper diligere valemus; semper autem vigilare in orationibus fragilitate carnis obstante, non possumus. » *Quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Ne appareant scilicet ad puniendum. *Glossa*: id est quod puniat Deus. Proverb. x: *Universa delicta operit charitas. Hospitales invicem*, quia non solum in affectu, sed in effectu est. Sitis hospitales invicem, id est susceptores hospitum. *Sine murmuratione*: quasi dicat: Et si laboretis, fratres recipiendo in hospitio, tamen hilariter hoc facite, non murmurantes de longo labore; *unusquisque*: quasi, sive sit de majoribus, sive de minoribus. *Sicut accepit*, scilicet gratis. Matth. x, *Gratis accepistis, gratis date. Gratiam*, id est quodlibet donum gratuitum, *In alterutrum*, id est ad utilitatem aliorum. *Illam administrantes*, id est quilibet in alterutrum, sicut membra in uno corpore sibiinvicem serviunt. Oculus enim videt toti corpori et pes portat totum corpus. *Sicut boni*, non avari, sed diffusivi, *Dispensatores multiformis gratiae Dei.* Dicit dispensatores, ut innuat, quod talia non sunt dispensanda tamquam nostra, sed tamquam nobis ad dispensandum aliis tradita sive credita. I Corinth. IV, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores etc.* Dicitur autem gratia multiformis propter multiplices effectus gratiarum, vel propter diversos habitus virtutum, vel secundum *Glossam*, Multa multiformis gratiae, id est multipliciter formatae, secundum desiderium uniuscujusque. Hoc est dicere quod usus gratiae formatur juxta applicationem animi ad id quod desiderat. Et si quis se applicat ad patientiam, magis datur usus gratiae patientiae, et sic de aliis. *Si quis loquitur*, id est scientiam et officium loquendi habet. *Tamquam sermones Dei.* Notatur forma illius verbi proferendi; ut scilicet sit aedificatorium, sicut sermo Dei. ad Ephes. IV, *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad aedificationem fidei. Si quis ministrat*, scilicet aliis, id est si quis habet officium ministrandi, sive temporalia, sive spiritualia, *Tamquam ex virtute quam administrat Deus*; id est non reputet se facere ex virtute propria, sed ex gratia divina. I Corinth. IV, *Quid habes quod non accepisti a Deo? Ut in omnibus*, factis vestris et verbis, *Honorificetur Deus*, id est totum fiat in honorem Dei. Ad Coloss. III, *Omnia in gloriam Dei facite. Per Jesum Christum Dominum nostrum*, tamquam per nostrum mediatorem; et merito, quia omnia a Patre per ipsum fluunt; *cui*, scilicet Deo vel Christo, *Est gloria* in se, *Et imperium*, quo ad alios. *In saecula* futura consecutiva, *saeculorum*, praesentium sine fine; non quod in futuro sint plura saecula per successionem, sed per aeternitatem quae omnia saecula continet.

Charissimi, nolite peregrinari in fervore etc. Hic animat eos ad patientiam exemplo Christi respectu passionum jam praesentium, in quibus jam erant, exhortans eos ad patiendum. Primo perseveranter. Secundo libenter, ibi: *Sed communicantes etc.* Tertio fiducialiter, ibi: *Si exprobramini.* Quarto innocenter, ibi: *Nemo autem vestrum.* Quinto gloriantes, ibi: *Si autem ut Christianus.* Sexto humiliter, ibi: *Itaque et hi qui patiuntur.* Dicit ergo, *charissimi. Glossa*: Haec bona facite et pro nulla tribulatione cessate. Et vocat eos charissimos. Charos quidem quia homines. Chariores, quia fideles. Charissimos, quia vitae aeternae haeredes. *Nolite peregrinari*, id est reputare vos alienos a Christo capite vel a societate membrorum Ecclesiae. Vel nolite peregrinari, id est a statu fidei, ac ab amore Dei alienari. Qui enim peregrinatur locum suum dimittit. Locus autem animae Deus est, a quo non debemus peregrinari. *In fervore*, id est tribulationis ardore. Unde tribulatio camino et fornaci comparatur. Eccles. XXVII, *Vasa figuli probat fornax.* Quia, ut dicit Gregorius, « quod forma auro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio viro justo. » *Qui ad tentationem vobis est*, id est ad probationem. Et sic ad bonum vestrum; et inde non debetis timere damnum vestrum. Solet enim Deus tentare bonos. Genes. XXII, *Tentavit Deus Abraham etc. Quasi novi aliquid*

vobis contingat, quod scilicet non contigerit aliis : quasi dicat : Tentari et persecutionem pati non est novum, sed antiquum et frequens : nec factum solum vobis, sed omnibus sanctis. II Timoth. iii, *Qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Alia littera habet, Nolite mirari in fervore, etc. Et hoc dicitur quibusdam, qui quamdiu sunt in sæculo, non sentiunt tentationem aliquam : sed statim quando sunt aggressi pœnitentiam vel religionem, tentantur et de hoc mirantur, sed non est mirandum. Et dicit Gregorius : « Illos pulsare diabolus negligit, quos quieto jure se possidere sentit. » Christus in deserto tentatus est, Matth. iv. Judith. xi, *Dixit Holofernes, Nunquam volui nocere viro, qui voluit servire Nabuchodonosor. Sed communicantes Christi passionibus*, id est ad similitudinem ejus patientes. Et dicit, *communicantes*, quasi in parte capientes, quia ad fastigium ejus non possumus ascendere. Vel communicantes, id est cum Christo patientes. Et dicit passionibus in plurali. Quia tota vita Christi fuit passio, et quia multa passus est. Matth. xx, *Tradetur gentibus ad illudendum et flagellandum et conspuendum etc. Gaudete.* Pro regis vestri conformitate in præsenti. Jacobi i, *Omne gaudium existimate fratres etc.*, *ut* scilicet multo gaudio passionum. *In revelatione gloriæ ejus*, id est in futuro judicio, quando gloria Christi revelabitur, *gaudeatis*, mente, *exultantes*, corpore. Habebunt enim sancti gaudium interius et exterius, spirituale et corporale : non quod gaudium sit in corpore tamquam in subjecto : sed tantum erit gaudium in anima, quod per tripudium manifestabitur, et apparebit in corpore. Psal. lxxxiii, *Cor meum et caro mea exultaverunt etc.* Item Psal. *Exultabunt sancti in gloria. Exultabunt* primo, de puritate conscientiæ. Proverb. xvii, *Cor gaudens exhilarat faciem*, id est conversationem exteriorem. Eccles. xxx, *Non est oblectamentum etc.* Secundo de virtutis adeptione. Isa. xi, *Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis*, id est virtutibus, igitur meritis. Tertio, de bona operatione. Proverb. xxi, *Gaudium est justo facere justitiam.* Quarto, de tribulationum pro Christo perpessione, sicut hic, communicantes Christi passionibus gaudete. Act. v, *Ibant Apostoli gaudentes etc.* Quinto de divini auxilii confortatione. Habacuc iii, *Ego autem in Domino gaudebo etc.* Sexto, de mercedis æternæ promissione. Matth. v, *Gaudete et exultate ; ecce enim merces vestra etc.* Septimo, de peccatorum conversione. Philipp. iv, *Fratres mei charissimi et desideratissimi*, *gaudium meum et corona mea, sic state in Domino.* Octavo, de profectu conversorum et utilitate : unde illud, *Gavisus sum quoniam inveni te cum filiis tuis ambulantem in veritate. Si exprobramini :* quasi dicat : etiam debetis gaudere ; quia si exprobramini, id est opprobria sustinetis, *In nomine Christi. Glossa*, permanentes in confessione nominis ejus. Vel in nomine Christi id est pro nomine ejus, eo quod a Christo appellamini Christiani. *Beati estis.* Jam in spe, tandem in re. Lucæ vi, *Beati eritis cum vos oderint homines, et exprobaverint etc. Quoniam quod est honoris*, de bono opere. *Et gloriæ*, De testimonio conscientiæ. *Et virtutis Dei*, in resistentia passionis et tentationis illatæ vel oblatæ : et sic exponitur de beatitudine. Vel quod est honoris quantum ad animam, quia est magnus honor parificari Angelis miseratione creatoris. Et quod est gloriæ, quantum ad stolam corporis, quod et reformabitur. Reformabit enim corpus humilitatis nostræ etc. *Et virtutis Dei*, quoad impassibilitatem utriusque et incorruptionem. *Surget enim in virtute.* Et de his tribus, Rom. ii, *His qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus vitam æternam.* Istud inquam totum *Super vos requiescet.* In hoc notatur quod habebunt jam dicta invisibiliter et inamissibiliter. *Et requiescet super vos spiritus*, scilicet sanctus. *Qui est ejus*, scilicet Christi. Et dicitur Christi, quia procedit ab eo secundum divinitatem, ad confutandum errorem Græcorum. Vel ejus etiam secundum humanitatem, qui ei datus est non ad mensuram. Hic spiritus modo requiescit in nobis per pacem pectoris. In futuro autem, per pacem æternitatis : tunc requiescet sine omni motu et turbatione. *Super vos.* Non solum in vobis : in quo notatur plenitudo, non solum sufficientiæ, sed et supereffluentiæ. *Nemo autem vestrum etc.* Quia beatus qui patitur in nomine Christi. Nemo, inquit, vestrum, scilicet fidelium. *Patiatur quasi homicida*, id est pro crimine suo. Quia ut dicit *Glossa*, Martyrem non facit pœna, sed causa. Ibi enim, ut dicit *Glossa*, nullum præmium expecta-

tur, sed forte initium est pœnæ. Quod intelligendum est, si invitus omnino patiatur, aut maneat in voluntate peccati seu peccandi. Tangit autem quatuor crimina, quibus proximo nocetur, quæ lex punit. Primo dicit, *Homicida*, qui nocet in propria persona proximi. Secundo dicit, *aut fur*, qui in substantia occulte; *aut maledicus*, qui in fama; *aut alienorum appetitor*, id est invasor, qui nocet in substantia manifeste. Vel dicitur alienorum appetitor, qui nocet proximo in uxore sua. Ponit autem peccata in proximum, non in se ipsum, quia talia lex puniebat. *Si autem ut Christianus*, id est Christi imitator et discipulus sine culpa sua patitur, *Non erubescat*. Quia pati pro Christo potius est gloria, quam erubescentia. Act. v, *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii etc.*, *autem*, pro sed *Glorificet Deum*, scilicet laudando, et ei gratias agendo, *In isto nomine*, scilicet Christiano, pro quo patitur, de hoc quod pro isto nomine digne habitus est pati. *Quoniam tempus est Glossa.* Ideo patiendum est pro nomine Christi, quoniam tempus est in præsenti placitum et optimum. *Ut judicium*, scilicet divinæ ultionis, quod nullum apud Christum remanet impunitum, ut dicit *Glossa*. *Incipiat a domo Dei*, id est a sanctis qui sunt de familia Dei, et numero et merito; terminabitur vero tempore futuro in diabolo; quia boni puniuntur in præsenti temporaliter, mali vero in futuro æternaliter. II Mach. vi, Non enim sicut in cæteris nationibus Deus patienter expectat, ut eos cum judicii dies venerit, in plenitudine peccatorum puniat. *Si autem judicium*, scilicet ultionis divinæ, incipit *Primum a nobis*, scilicet fidelibus, qui de peccatis pœnitendo jam veniam impetravimus. *Quis finis eorum qui non credunt Evangelio?* scilicet erit: quasi dicat, nullus. *Glossa*. Si cruciat hic quos amat et flagellat filios: quid debent sperare servi iniqui et nequissimi? Luc. xxiii, *Si in viridi hoc faciunt, quid erit in arido?* Proverb. xi, *Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?* *Et si justus quidem*, Reddens Deo et proximo quod suum est, *Vix salvabitur*. *Glossa*. Laborando, decertando cum magno certamine et cum magna difficultate. Act. xiv, *Per multas tribulationes oportet intrare etc.* *Impius*, quo ad Deum. *Et peccator*, quo ad mores. *Ubi parebunt?* id est nusquam hic apparere meruerunt, qui a Deo, qui ubique est et locus omnium, se elongaverit. Apparebunt vero, secundum *Glossam*, in terribili loco, scilicet in inferno, non in cœlo vel in mundo. Psal. xxxvi, *Quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Vel loci est locatum salvare, et locali locum appetere. Hoc autem non est reperire in inferno: ideo non dicuntur esse in loco. *Itaque et hi etc. Glossa*, Quia judicium incipit a domo Domini. Itaque et hi, scilicet fideles, *Qui patiuntur secundum voluntatem Dei*, id est sicut Deus vult eos pati, scilicet sine culpa sua: unde subdit, *In benefactis*: hi inquam, *commendent animas suas. Glossa*. Commendent animas suas Deo, de se nihil præsumentes, ut hic secundum quod vult purget, et beatificet in futuro. *Fideli creatori*, qui habet voluntatem conservandi, quia fidelis est: Potestatem, quia creator est. II Tim. i, *Scio cui credidi; et certus sum, quia potens est etc.* Unde et Dominus in passione sua Deo Patri spiritum suum commendavit. Luc. xxiii, *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Nota super illud, *Si vix justus salvabitur etc.* Notandum quod multæ sunt causæ, quare justus vix salvabitur. Una causa est, propter meritorum nostrorum indignitatem. Rom. viii, *Non sunt condignæ passiones etc.* Secundo, propter corporis et animæ contrarietatem: ad Galat. v, *Caro concupiscit adversus spiritum etc.* Tertio, propter carnis gravitatem et corruptionem. Sapient. ix, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Matth. xi, *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti etc.* Quarto, propter viæ arctitudinem. Matth. vii, *Arcta est via quæ ducit ad vitam.* Quinto, propter bonorum operum difficultatem, quia virtus consistit circa difficile. Sexto, propter justitiæ nostræ incertitudinem. Isa. lxiv, *Justitiæ nostræ, tamquam pannus menstruatæ.* Gregorius, « Justitia vestra ad examen divinæ justitiæ adducta, injustitia est: et sordet in discretione judicis, quod in consideratione fulget operantis. » Septimo, propter judicis districtionem. Psalm. cxlii, *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Anselmus, « Quæ nunc bona esse putas, quæque nunc mala esse non putas, apparebunt illi, idest in judicio, nuda facie, ingentia peccata. »

CAPUT V.

Seniores ergo etc. Post exordium in i cap. posuit narrationem in tribus sequentibus cap.: hoc ult., ponit conclusionem, in qua ex præmissis recapitulando infertur. Ponitur primo auditorum exhortatio. Secundo, epistolæ commendatio ibi, *Per Sylvanum fidelem.* Tertio, scribentis affectio, ibi, *Salutat vos, etc.* Auditorum autem exhortatio ad observantiam prædictorum, tria continet. Primo, officium majorum. Secundo, minorum ibi, *Similiter et adolescentes.* Tertio omnium, ibi, *Omnes enim invicem.* In prima parte, primo, ponitur exhortationis forma. Secundo, materia, ibi. *Pascite qui in vobis est gregem.* Terto, finis, ibi, *Ut cum apparuit.* Dicit ergo, *seniores. Glossa,* Et quia oportet pati, et qui pascuntur, animas suas commendant Deo. Seniores, inquam, quasi ætate, vel cura; scilicet presbyteros; quia presbyter græce, senior latine dicitur. *Qui in vobis sunt.* Non dicit super vos, sed in vobis, quia rector debet esse inter subditos quasi unus ex ipsis, Eccl. XXXI. *Obsecro.* Non impero, sed per sacra adjuro, insinuando potius charitatem quam auctoritatem, *consenior,* Ego scilicet. *Glossa.* Favorem captat ex senili ætate: ex hoc etiam innuit, quod magis sibi credendum est, qui in antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia, ut habetur Job XII. *Et testis Christi passionum.* Tum quia ipsum patientem vidi: tum quia propter eum multum sustinui. *Qui et ejus,* gloriæ æternæ. *Quæ revelanda est,* id est manifestanda. *In futuro,* scilicet in die judicii. Isaiæ *Revelabitur gloria Domini. Communicator fui,* scilicet in Christi transfiguratione, et in ejus resurrectione mihi facta apparitione. Et de quo obsecrat subdit, *Pascite inquit,* scilicet verbo et exemplo et spirituali subsidio. Unde ter dictum est Petro, Joan. ult. *Pasce oves meas, pasce, pasce.* Non dicit, tonde, vel excoria. Jer. VI, *Pascet unusquisque eos qui sub manu sua sunt,* id est sub jurisdictione. *Gregem Dei,* id est congregationem ovium Christi fidelium. Act. XX, *Attendite vobis in universo gregi etc. Qui in vobis est. Glossa,* Inter vos, vel vos ipsi estis, qui debetis considerare gregem vestrum non tamquam minorem, sed vos communes exhibere ei. Eccl. XXXII, *Rectorem te posuerunt, noli extolli: sed esto in illis, id est* inter illos, *quasi unus ex ipsis.* Contra hoc faciunt sæpius multi prælati pascentes semetipsos, et gregem derelinquentes. Ezech. XXXIII, *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Et ibidem, *Quod crassum erat comedebatis etc.* Postea docet modum pascendi triplicem *sed spontanee:* non invite, non cupide, non superbe. Unde dicitur, *providentes. Glossa,* Illis subditis de omnibus necessariis tam animæ quam corporis. Prælati enim sunt oculi corporis ecclesiastici, et ideo toti corpori debent providere. Cant. V, *Oculi ejus sicut columbæ. Non coacte,* non propter necessitatem inopiæ vitandam exerceatis pastoralem curam. *Sed spontanee.* Ita quod necessitas victus ad hoc non pertrahat. Non est spontaneus, quem paupertas urget: ut voluntarius, quem cupiditas trahit. *Secundum Deum,* ut nihil nisi divinum prædicetis. Contra illos qui prædicant mendacia propter quæstum. Et sic sumitur ly secundum, materialiter. Vel secundum Deum, id est servando formam quam Christus servavit, prædicando et providendo in gentibus quantum in se erat. Et sic sumitur hic ly secundum formaliter. Vel secundum Deum, id est ut Deum finem vestrum ponatis, nihil aliud quærentes præter ipsum. Vel propter ipsum, scilicet principaliter. Et sic sumitur finaliter: quasi dicat: Propter ipsum debetis regere et prædicare non temporalia, *Neque turpis lucri gratia,* gratia, id est causa, provideatis vel prædicetis: quasi dicat: Nullius quæstus amor vos compellat, vel dignitatis appetitus; sed amor Dei et utilitas proximi. Unde subdit, *Sed voluntarie,* id est gratuite. *Glossa,* Cuncta opera religionis debent esse voluntaria. *Neque,* supple, sitis pascentes vel providentes. *Ut dominantes,* alios scilicet vobis imperiose subjectos esse volentes. Et notandum quod dicit, *Neque ut dominantes:* non solum non dominantes: quia nihil debent externus prætendere, per quod possit de eis opinari, ut videantur velle dominare, *In cleris,* id est in dignitatibus sorte divinæ electionis obtentis. Nam clerus idem est quod sors, secundum illud Psalm. LXVII, *Si dormiatis inter medios cleros etc.* Unde removet hic triplex motivum suscipiendi ac exequendi officium prælationis seu prælaturæ et prædicationis, scilicet penuriam, avaritiam et superbiam. *Sed forma facti gregis,* scilicet sitis, id est exemplar bene vivendi, ut

per quæ alii informentur ad sanctitatem et honestam conversationem. Forma inquam non substantialis sed accidentalis, quæ separata a substantia nihil est. Sic prælatus separatus a grege nihil valet; unde idolum dicitur Zachar. XI: *O pastor et idolum derelinquens gregem, etc.* Item forma ad cujus aspectum informentur alii et concipiant fœtus similes. Sicut ad aspectum virgarum oves *Jacob* concipiebant secundum colores quos videbant, Gen. XXX. Sed quomodo possunt alios formare qui in seipsis sunt informes et monstruosi? Bernardus: « Monstruosa res est sedes prima, vita ima; gradus supremus, status infimus; vultus gravis, actus levis; sermo multus, fructus nullus; ingens auctoritas et animi instabilitas ». Vel forma factiva et non fictiva. Gregorius: « Informis est vita pastoris qui modo calicem Domini signat, modo tales aviculas qui in avibus cœli ludit, modo canes instigat ». Non sic fuerunt forma antiqui prælati, ut apostoli, martyres et confessores, qui non causa dominandi, sed laborandi prælaturas suscipiebant. Philipp. III: *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Et hoc *Ex animo*, non ficte sicut hypocritæ, qui omnia faciunt ut videantur ab hominibus. *Ut cum apparuerit*; quasi dicat, hoc præmium consequemini cum apparuerit, in judicio scilicet, qui modo est absconditus. *Princeps pastorum*, id est Christus qui est summus pastor Joan. X: *Ego sum pastor bonus. Percipietis*, id est perfecte recipietis, *Immarcescibilem*, id est incorruptibilem, *Gloriæ coronam*, id est vitam æternam quæ non habet principium nec finem ad modum coronæ. II ad Timoth. IV: *Reposita est mihi corona justitiæ.* Vel coronam vocat immarcescibilem aureolam quæ debetur prædicatori Dei; de qua Philipp. IV: Fratres mei desiderantissimi, gaudium meum et corona mea.

Similiter adolescentes subditi estote etc. Hic ponitur exhortatio minorum. Dicens, *similiter*, scilicet ex animo et non ficte, *adolescentes*, qui indigentiæ repressione et subjectione, quia adolescentia et voluptas vana sunt. Eccles. XI. *Subjecti estote*, non rebelles, *senioribus*, id est prælatis superioribus, eis obediendo. Hebr. ultim.: *Obedite præpositis vestris et subjacete eis.* Bernardus: « Magnum est inobedientiæ vitium, per quod Angelus cœlum homo paradisum et Saul regnum perdiderunt ». *Omnes autem invicem etc.* Hic docet officium omnium. Et primo qualiter se habeant ad se invicem. Secundo qualiter ad Deum, ibi: *Humiliamini.* Tertio qualiter ad adversarium, ibi: *Sobrii estote.* Quarto ad hoc promittit eis divinum auxilium, ibi: *Deus autem omnis gratiæ.* Dicit ergo, *Omnes autem*, scilicet tam prælati quam subditi. *Glossa*, Et senes et juvenes debent humilitatem habere: senes regendo, juvenes obsequendo. *Invicem*, minores ad majores, et e converso *Humilitatem insinuate.* Non tantum interius in corde habete, sed etiam exterius in factis et verbis et signis ostendite, ut sitis parati unus alteri subvenire; quod notatur per verbum, insinuate. Quod enim in sinu est, promptum et paratum est. Isidorus. Agnoscat se episcopus servum esse non dominum: talem igitur subditis se præstare debet, et non solum auctoritate, verum etiam et humilitate clarescat. *Quia Deus superbis resistit.* Spiritualiter eos amplius ceteris peccatoribus puniendo, ut patet in Lucifero. *Humilibus autem dat gratiam*, specialiter propter majorem sui examinationem gratia replendo, ut patet in Beata Virgine, Luc. I. Item habetur Jacob. IV. Notandum de vase, secundum quod magis habet de vacuitate, magis habet de capacitate; superbus vero nihil. Videat ergo quilibet in seipso quantum habet de vacuitate humilitatis, quia tantum habebit de capacitate gratiæ gratum facientis. Et ex quo dat gratiam humilibus, *Humiliamini igitur*, humilitate non voluntaria non coacta, *Sub potenti manu Dei*, id est sub Deo qui manum, id est virtutem habet potentem. Unde vel nos humiliabimus nos ei, vel ipsa opprimet nos, quia ipsam ejus manum effugere impossibile est, ut habetur Sapient. X. Loquitur autem modo humano quo quis solet humiliari, quia videt manum potentem extentam et paratam ad ictum desuper venientem. Et hoc, *Ut vos exaltet*, quia, Qui se humiliat exaltabitur, Luc. XVIII. *In tempore visitationis*, id est in die judicii, quando Deus judicabit mundum. Soph. I, *Scrutabor Jerusalem in lucernis et visitabo super viros etc.* Vos dico, *Omnem sollicitudinem*, *Glossa*, corporis et animæ, *projicientes*, id est procul a vobis ejicientes. Matth. VI: *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus aut quid bibemus etc.*, *In eum*, *Glossa*. Sicut an-

chora in mari, sicut navis quæ est in periculo submersionis per anchoram quæ in profundum maris projicitur, firmatur, et sic secura efficitur : sic qui totum projicit se in Deum, firmatur in ipso. Augustinus : « Projice te in Deum : non est tam crudelis ut se subtrahat et te cadere permittat. » Psal. LIV, *Jacta cogitatum tuum in Domino etc.* *Quoniam ipsi cura est de vobis*, scilicet specialis, licet sit ei cura generalis de omnibus. Sapient. VI, Pusillum et magnum ipse fecit, æqualiter est ei cura de omnibus. Unde dicit Psalm. *Dominus sollicitus est mei*, scilicet specialiter. Notandum est autem quod triplex est sollicitudo : quædam providentiæ spiritualis quo ad animam ; de qua I Corinth. VII, *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini*. Secunda est providentia corporalis quo ad corpus ; de qua ubi supra dicit Apostolus, Volo vos sine sollicitudine esse : non quod sit mala ex toto et de se, sed quia impedit a majori bono, scilicet a contemplatione æternorum. Tertia est providentia curiositatis, de qua Matth. VI, *Dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis etc.* Ista est superfluitatis vel de præternecessariis. Prima præcipitur, Rom. XII, *Qui præest, in sollicitudine*. Secunda permittitur. Tertia prohibetur.

Sobrii estote et vigilate etc. Hic docet qualiter se habeant ad adversarium, nempe resistendo ei. Ubi primo hortatur eos ad vigilantiam. Secundo ad resistentiam, ibi : *Cui resistite*. Tertio subjungit utriusque causam, ibi : *Scientes eamdem*. Dicit ergo, *Sobrii estote :* quasi dicat : Ita facite ut et vos collaboretis adjutrici gratiæ, et ad hoc sobrii estote corpore. Sobrietas enim multum juvat si habeatur in omnibus actibus nostris tam verbis quam factis, et in maceratione corporis : unde ad Titum II, *Sobrie et pie et juste vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ Dei*. *Et vigilate animo*. Præponit autem sobrietatem vigiliis, ut causam effectui. Luc. XXI, *Attendite ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate*. Et hoc necessarium habetis, *Quia adversarius vester*, id est qui semper fidelibus adversatur *diabolus*, id est deorsum fluens. Semper enim deorsum fluit quantum ad se merito. Et intentione quantum ad alios. Isaiæ XIV, *Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci*. Vel dicitur diabolus quasi duplicem bolum in nobis quærens, scilicet corpus et animam. *Tamquam leo, per superbiam et elationem, rugiens*, per continuatam nocendi esuriem, *circuit*, propter malitiæ suæ fraudem et superbam infatigabilitatem, *quærens*, propter fallendi studiositatem, *Quem devoret*, propter sui implacabilem crudelitatem. Unde Job. I, *Circuivi terram etc. Glossa,* Tamquam hostis obsidens muros clausos. Explorat an sit aliqua pars murorum minus stabilis cujus aditu ad interiora penetret ; offert oculis formas illicitas et faciles voluptates et levia esse peccata, ut visu destruat castitatem et omnem virtutem. Aures per canora tentat, ut molliat Christianum rigorem. Linguam convicio provocat. Manum injuriis lacessentibus ad cædem instigat, honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat. Et cum latenter non potest fallere, aperte addit terrores : in pace subdolus, in persecutione violentus. Sicut ergo qui vult accipere castrum aliquod circuit ipsum, videlicet si est ibi in muro aliqua ruptura vel defectus alicujus virtutis per quem possit ingredi. Job III, *Quasi rupto muro et aperta janua irruerunt super me*. *Cui resistite*, suggestionibus ejus non consentiendo. Jacob. IV, *Resistite diabolo et fugiet a vobis*. *Glossa*, Tantum debet esse animus paratus ad resistendum, quantum diabolus paratus ad impugnandum. *Fortes in fide*, tamquam scuto. Ephes. VI, *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Fortitudo terrestris non valet ei resistere, sed solum cœlestis. Job. XLI, *Non est potestas super terram etc.* Notandum quod Petrus ponit ex parte nostra quatuor, quæ sunt contra quatuor ex parte diaboli. In hoc enim quod dicitur adversarius, notatur ejus perversitas ut noceat. Zach. III, *Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei*. In hoc quod dicitur leo, notatur ejus fortitudo ne quis ei resistat. Job XLI, *Non est potestas etc.* Item in hoc quod dicitur, *Rugiens*, notatur ejus crudelitas ne cui parcat. Jerem. VI, *Crudelis est et non miserebitur*. Item in hoc quod dicitur, circuit, notatur ejus sollicitudo ne quis effugiat. Job. I, *Circuivi terram etc.* E converso Petrus ponit contra adversarium resistentiam, cum inquit, *Resistite*. Jacob. IV, *Resistite diabolo etc.* Gregorius, Non est timendus hostis qui non vincit nisi volentem. Item fortitudini diaboli opponit fortitudinem virtutum, unde dicit, *Fortes*.

Contra instabilitatem opponit fidei manentis firmitatem; unde dicit, In fide, ut Ecclesiast. xv, In fide et lenitate sanctum fecit illum. Contra infirmitatem ponit vigilantiam; unde dicit, Vigilate, I Corinth. ultimo, Vigilate et state in fide. Scientes, ita dico: Resistite scil. Scientes eamdem passionem, idest consimilem tribulationem et tentationem. Fit fieri, scilicet diabolo. Fraternitati vestræ quæ in mundo est, idest fratribus vestris per mundum dispersis; quasi dicat: Non existimetis vos solos hæc sustinere a diabolo; imo hoc est commune omnibus sanctis. II Timoth. iii, Omnes qui pie volunt vivere in Christo etc. Vel sic: scientes eamdem passionem ei quæ in mundo est, id est eamdem tentationem quam facit diabolus mundanis hominibus, vestræ fraternitati fieri, idest vobis fratribus; quasi dicat: Non putetis evasisse tentationem eo quod fideles estis; imo magis eo ipso caveto. Eccles. ii, Fili accedens ad servitutem Dei etc.

Deus autem omnis etc. Hic promittit divinum auxilium. *Glossa*, quod ex vobis est facite. *Deus autem omnis gratiæ*, scilicet dator est, videlicet fidei, spei, et aliarum virtutum; vel omnis gratiæ, quia bonorum temporalium, spiritualium et æternorum. *Qui vocavit vos*, vocatione interiori per inspirationem, et exteriori per prædicationem. *In æternam gloriam suam*, idest ut sitis participes gloriæ suæ quæ æterna est. *In Christo Jesu*, idest per Christum Jesum. Vel in Christo Jesu, id est vos existentes in Christo Jesu, sicut membra in capite. Vel in Christo Jesu, idest in fide et pro fide Christi Jesu. Vos dico. *Modicum passos*, respectu præmii quod estis recepturi. II Corinth. iv, Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate gloriæ æternæ. *ipse*, scilicet qui vos vocavit, *perficiet*, in bono. *Confirmabit*, contra malum culpæ. *Solidabitque*, contra malum pœnæ. Vel perficiet rationem cognitione veritatis. Confirmabit concupiscibilem in amorem bonitatis. Solidabit irascibilem in detestationem totius perversitatis. Vel perficiet contra mundum, confirmabit contra carnem, solidabit contra dæmonem. Vel perficiet contra concupiscentiam carnis, confirmabit contra concupiscentiam oculorum, et consolidabit contra superbiam vitæ. *Ipsi gloria*, in se. *Et imperium*, ad alios. *In sæcula*, consecutiva *sæculorum*, idest in æternum, *amen*. Confirmatio est prædictorum. *Per Sylvanum fidelem fratrem.* Hic ponit epistolæ suæ commendationem; quasi dicat: Prædicta servare debetis; nam ego per fidelem fratrem (*Glossa*, qui mihi necessarius erat, sed causa salutis vestræ eum dimisi) *vobis, ut arbitror, breviter scripsi. Glossa*, ut cito possitis intelligere. Et dicit, ut arbitror, quia aliquando qui loquitur putat breve esse quod aliis longum videtur. *Obsecrans vos* idest ad faciendum adjurans. *Et contestans*, idest testimonia scripturarum affirmans. *Hanc esse veram Dei gratiam*, scilicet fidei Christi quam vobis prædico ad ejus imitationem. Et dicit hanc gratiam esse veram, ad differentiam illius quæ vana est; de qua Prov. ult. *Fallax gratia et vana pulchritudo. In qua statis*, idest permanetis juxta doctrinam meam. Vel in qua statis immobiles in adversis. Ad Galat. iv, *State et nolite iterum jugo servitutis contineri. Salutat vos Ecclesia.* Hic ostenditur affectio scribentis. Et primo salutat eos ex parte aliorum. Secundo mandat salutari adinvicem ex parte sua, ibi, *Salutate*. Tertio ipsemet eos salutat, ibi, *Gratia vobis etc.* Dicit ergo, Salutat vos Ecclesia, idest congregatio fidelium. *Quæ est in Babylone collecta. Glossa*, Romam vocat Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ, in cujus medio sancta Ecclesia adhuc rudis et parva jam fulgebat, sicut in Babylone gens Israelitica captiva. Et specialiter, *Marcus*, scilicet Evangelista. *Filius meus*, idest quem baptizavi et instruxi. *Salutate invicem*, in signum scilicet communis fidei et charitatis. *In osculo sancto.* Glossa, pacifico, columbino, non ficto, non subdolo. Hinc inolevit in Ecclesia osculum pacis. Simile, II Corinth. ii, *Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus.* Sicut a gratia incepit, ita a gratia finem facit: ut sicut ad locum unde exeunt flumina revertentur, ut habetur Eccl. i, *Vobis omnibus*, inquam, supple, sit gratia. *Qui estis*, scilicet permanentes, idest qui permanetis fide et opere *In Christo Jesu.* Quia non est in altero salus, Act. iv.

B. PETRI APOSTOLI EPISTOLA II. CANONICA

CAPUT I.

Simon Petrus etc. Liber iste divisus est in quatuor partes juxta numerum auctorum ; vel in septem juxta numerum epistolarum. In prima Petri posita est principaliter instructio in moribus. Hic autem ponitur principaliter instructio in fide. Dividitur autem hæc epistola in partes tres. Primo enim provocat ad conservationem catholicæ veritatis. Secundo revocat a seductione hæreticæ pravitatis in secundo capitulo. Tertio subjungit causam utriusque, tertio capitulo. Provocat autem ad conservationem catholicæ veritatis quadrupliciter. Primo pleniorem eis cognitionem veritatis optando. Secundo ad opera virtutis eos exhortando, ibi, *Vos autem curam omnem.* Tertio pro eis suam in veritate conformandi similitudinem indicando, ibi, *Propter quod vos semper incipiam etc.* Quarto veritatem susceptam eis commendando, ibi, *Non enim indoctas fabulas etc.* In prima parte primo ponitur persona salutans. Secundo personæ salutatæ, ibi, *His qui coæqualem.* Tertio forma salutationis, ibi, *Gratia vobis.* Quarto explanatio formæ, ibi, *Quomodo omnia.* In qua tangitur cognitio quam in eis optat adimpleri. Dicit ergo, *Simon.* Hanc epistolam, ut dicit *Glossa*, scribit eisdem quibus et præcedentem ; scilicet electis dispersionis, proselytis, Ponti, Galatiæ, Asiæ et Bithyniæ. Cujus intentio est hortari eos. Et primum bene vivere, contra deceptionem hæreticorum, sicut in præcedenti contra persecutiones tyrannorum. Dicit ergo, inquam. *Simon Petrus.* Duo nomina ejus ponit : quorum prius primum fuit ei impositum, et fuit mutatum in secundum. Joan. I, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Dicitur autem Simon propter obedientiam divinæ legis. Petrus propter agnitionem veritatis, *servus*, propter humilitatem conversationis. *Et Apostolus*, propter auctoritatem officii, vel dignitatis. *Apostolus*, inquam, Jesu Christi. *Glossa*, Nuncius salvatoris et regis nostri, qui auctoritatem contribuit mittendi, *his*, scilicet proselytis electis advenis, dispersionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ. *Qui coæqualem fidem*, idest eamdem, quia una fides, unum baptisma, ad Ephes. IV, *nobiscum*, id est cum Apostolis ex statu Judaismi naturalis ad Christum conversis. Cum tamen illi primo ex gentilitate venerunt, *Sortiti sunt*, divina electione adepti. Ephes. I, *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus.* Et bene, sortiti : quia sicut sors non accipit personam, ita nec divina electio acceptrix est personarum. Ad Galat. IV, *In Christo Jesu non est servus, nec liber: non est masculus, nec femina. In justitia Dei nostri*, intransitive, quia Deus justus est, non in meritis propriis. Et appellatur hic justitia meritorum non exigentia, sed cum decentia bonitatis divinæ. Vel transitive, quasi sortiti fidem non mortuam, sed quæ est in justitia bonæ operationis, non justitia humanæ prudentiæ : sicut est politica justitia, vel consuetudinalis, vel justitia legis Mosaicæ : sed justitia perfecta Evangelii, quæ non tantum in timore, sed et in amore : quæ non tantum cohibet manum, sed animum. Quæ est *Dei nostri et salvatoris Jesu Christi*, id est quam ipse Christus in Evangelio docuit : Matth. V, *Nisi abundaverit justitia vestra etc.* Vel Dei nostri, scilicet Christi secundum divinitatem effective. Et Salvatoris Jesu Christi, secundum humanitatem meritorie. Hanc enim ipse meruit sua gratuita passione : hominis vero formaliter, *gratia*, qua fit remissio peccatorum. *Et pax*, id est reconciliatio. *Vobis adimpleatur.* Impletur enim gratia alicui, quando habet sufficientem ad salutem. Sed adimpletur, quando datur ad divinorum cognitionem operum : unde subdit. *In cognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri;* id est ad cognoscendum opera, quæ circa ipsum facta sunt quo ad nostram salutem. De quibus addit. *Quomodo donata sunt vobis omnia ;* scilicet ut cognoscatis quo-

modis. *Id est quantum liberaliter donata sunt per gratiam suam vobis*. Id est ad utilitatem vestram omnia dona. Rom. VIII: *Qui proprio Filio suo non pepercit, quomodo non omnia nobis donavit etc.* Et Jacobi I, *Omne datum optimum*. Dona dicit non infirmitatis, non imperfecta, sicut sunt dona legis. *Sed divinæ virtutis sunt*, id est quæ faciunt hominem virtuosum et divinum, quæ scilicet dona sunt *Ad vitam*, scilicet spiritualem quæ ad nosmetipsos. *Et ad pietatem*, quoad proximos. Vel ad vitam, scilicet obtinendam in futuro, et pietatem conservandam in præsenti, quæ est cultus Dei. Vel ad vitam quo ad mores bonæ conversationis, et pietatem quo ad cultum Christianæ fidei et religionis. *Per cognitionem ejus*, scilicet Christi, quia cognoscimus Christum per fidem. *Donata sunt* omnia dona ad vitam sustinendam, ut dicit *Glosa*. Per cognitionem enim Salvatoris omnia mysteria divinitatis, quibus salvamur, cognoscimus. *Qui*, scilicet Christus. *Vocavit nos*, Apostolos, specialiter vocatione exteriori, et non solum interiori. *Et in propria gloria sua*, scilicet ostensione gloriæ transfigurationis, Matth. XVII. *Glosa*: Quando transfiguratus est in monte. *Et virtute*, scilicet miraculorum operationis, quia multa miracula fecit coram eis. Vel vocavit nos scilicet salvandos efficaciter, et omnes sufficienter. Propria, inquam, gloria sua et virtute, id est per seipsum gloriosum et virtuosum. Non alium misit ad vocandum et salvandum, imo in propria persona venit. Unde *Glosa*, Non Angelum, non Archangelum ad nos salvandos misit; non in nobis aliquid boni per quod salvemur invenit; infirmos et ingloriosos sua virtute reparavit. *Glosa*: sua virtute efficienter et gloria sua finaliter. *Per quem maxima*. Hic tangit utilitatem cognitionis promissam. Est autem triplex hic littera. Quidam libri habent, per quem; et sic refertur ad Christum. Quidam autem habent, per quam; et sic refertur ad cognitionem. Alii autem habent, per quæ, et sic refertur ad dona. Dicatur ergo per quem, id est Christum; vel quam, id est cognitionem; vel per quæ, scilicet dona. *Donavit nobis Deus*, scilicet Deus Pater, modo in spe, tandem in re. *Maxima et pretiosa promissa*, id est vitam æternam, in Scriptura sacra frequenter nobis promissam. Luc. XXII. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Et Matth. V, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum etc.* Et vocat vitam æternam promissa pluraliter, ob pluralitatem gaudiorum et donorum; quia illic est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quæ sunt etiam maxima. Magna sunt dona naturæ, majora gratiæ, maxima gloriæ. Dicuntur etiam pretiosa, quia pretio meritorum redduntur seu dantur. *Ut per hæc*, scilicet gratiam et pacem juxta unam *Glosam*, et sic refertur ad illud quod dictum est supra, Gratia vobis et pax. Vel ut per hæc, id est dona gloriæ. *Efficiamini*; quasi dicat: Non solum nobis propter nos donavit, sed ut a nobis transirent ad vos. *Consortes divinæ naturæ*: non consortio æqualitatis, quod est trium personarum solum; sed consortio participationis, quod est omnium fidelium per gratiam in præsenti, et gloriam in futuro. De hac societate, I Joan. I: Ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas sit cum Patre et Filio Jesu Christo. *Fugientes*; quasi dicat: Sic eritis consortes. Ita tamen si fugiatis. *Corruptionem ejus concupiscentiæ quæ in mundo est*. Non ait quæ mundi est tantum, sed quæ in mundo est; ut comprehendat non solum concupiscentiam oculorum, sed et concupiscentiam carnis et superbiam vitæ. I Joan. II, *Omne quod in mundo etc.* Dicit etiam corruptionem, quia omne peccatum, secundum Augustinum, est corruptio modi, speciei et ordinis. Concupiscentia enim radix est omnium malorum.

Vos autem curam. Hic provocat ad veritatis conservationem, eos ad opera virtutis exhortando. Et primo ponit quatuor graduum spiritualium distinctionem. Secundo eorum utilitatem, ibi, *Hæc enim si vobiscum sint*. Tertio monet ad eorum studiosam observationem, ibi, *Quapropter fratres*. Utilitatem autem ponit duplicem. Prima est in adeptione boni. Alia est in evasione mali. *Cui enim non præsto sunt*. Dicit ergo, *Vos autem curam omnem*; quasi dicat: Non solum fugite concupiscentiæ corruptionem, sed vos *Sub inferentes*, id est principaliter Deo operante inferentes, et ei cooperantes. In omnibus enim bonis operibus principalis auctoritas est gratiæ, secundaria liberi arbitrii. I Corinth. XV, *Non ego sed gratia Dei mecum*. Curam omnem, id est perfectam, non tepidam. Contra: I Petr. ultimo, *Omnem sollicitu-*

dinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Responsio. In eum principaliter projicite vestram sollicitudinem. Vel projicere monet per confidentiam bene operando, non per negligentiam. ***Ministrate in fide vestra etc.*** Ponit octo gradus virtutum quibus ascenditur ad cœlum, sicut octo gradibus quos ponit Ezechias ascendebatur in templum, Ezech. x. Quorum tres primi ordinant respectu boni : tres medii ordinant respectu mali : duo ultimi respectu charitatis, quæ proficit in utroque. Respectu boni ordinat fides in movendo : virtus in eliciendo et exequendo, scientia in dirigendo et rectificando. Tres autem sequentes ordinant respectu mali : vel mali culpæ fugiendi, sicut abstinentia : vel mali pœnæ tolerandi, sicut patientia : vel mali utriusque in altero revelandi. Et sic pietas. Duo ultimi ordinant ad perfectionem in utroque : scilicet dilectio proximi et amor Dei : quia in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ, Matth. xxii. Dicit ergo, ***ministrate***, id est tanquam ministri et non tanquam dominantes ostendite exemplo illius, qui non venit ministrari etc., Matth. xxii. ***In fide vestra.*** In ascensu virtutum incipit a fide tanquam a fundamento, et per alias virtutes tanquam per parietes ascendens terminat in charitate tamquam in complemento. *Virtutem*, id est bonæ operationis fortudinem : fides enim sine operibus mortua est, Jacob. ii. In ejus figura legitur Petrum, id est agnoscentem, et Andream, id est virilem, fuisse fratres, Joan. i. Et quia non contingit recte operari, sine discretione, ideo sequitur tertius gradus. *In virtute autem scientiam*, *Glossa*, discretionis, Quid, Cui, Quando vel Quomodo. Bernardus : « Discretio non tam est virtus, quam auriga virtutum, sine qua virtus vitium est. » Rom. xii, *Rationabile obsequium vestrum.* Levit. i, *In omni sacrificio offeres sal.* Gregorius : « Fortitudo quæ plus potest, sine rationis moderamine præceps ruit. » Ideo combinatur donum consilii et fortudinis, Isaiæ xi. Ideo et fortitudini Judæ additur consilium Simonis, I Mach. ii. Et quia sub specie discretionis solet blandiri voluptas : nec etiam sufficit habere discretionem in agendi, nisi abstineatur a malis : ideo subdit, *In scientia autem abstinentiam*, ut scilicet a malis abstineamus. Et accipitur hic abstinentia communiter, pro fuga cujuscumque mali. Eccles. iii, *Cor sapiens* ***intelligibile abstinebit se a peccatis.*** I Corinth. ix, ***Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Glossa***, Ne in vacuum scientia cœlestium cedat, si sese ab illecebris sæculi aliquis non coerceat. Et quia abstinentes, ut dicit Gregorius, de facili obtinent patientiam, ideo addit : *In abstinentia autem patientiam. Glossa*, Abstinentiam patientia sequitur ; ut qui a voluptatibus mundi se continet, adversa quoque sustineat. Et quia patientia nutritur per opera pietatis, in subveniendo proximo vel consolando, vel corrigendo, ideo addit, ***In patientia autem pietatem.*** Effectum scilicet compassionis, et subventionem in malis alienis, ut et erga persecutores pietatis opera Christianitatis exerceant. Matth. v, ***Orate pro persequentibus et calumniantibus vos***, Et quia posset aliquis opera pietatis persecutoribus impendere ex timore, et non amore, subdit, *In pietate autem fraternitatem*, id est fratrum amorem : quasi dicat : In pietate illa sit amor fraternitatis non timor persecutoris. I Petri iii, ***Fraternitatis amatores.*** Et quia dilectio fratris cum omnibus prædictis non debet in seipsos sistere, sed amorem Dei, ut ad fidem referri, ideo subdit, ***In amore autem fraternitatis charitatem***, id est Dei amorem. Ad Coloss. iii, ***Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.*** Hoc est oleum, quod super infertur omnibus liquoribus. ***Hæc enim***, scilicet octo prædicta, *Si vobiscum adsint.* Per præsentiam habituum in affectu et promptitudinem. ***Et superent.*** Per dominationem in effectu. Et dicit, nobis adsint per consensum liberi arbitrii. I Corinth. xv, ***Non ego sed gratia Dei mecum. Non vacuos.*** Minus dicit, et plus significat : quasi, plenos nos constituent meriti in præsenti. ***Nec sine fructu***, mercedis in futuro. Sapient. iv, ***Bonorum laborum gloriosus est fructus. Vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione***, id est in die judicii, quando cognoscetur Deus judicia faciens, qui modo contemnitur misericordiam faciens, ut dicit Bernardus. Vel in cognitione, quia cognovistis Dominum nostrum Jesum Christum per fidem. Et sic propositum notat habitudinem causæ efficientis. Vel non constituet vos vacuos, nec sine fructu in cognitione, id est ad cognoscendum Dominum nostrum Jesum in patientia, quæ cognitio est totus fructus, quia vita æterna. Joan. xvii, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant*

ss verum Deum etc. Cui enim. *Glossa.* Et vere hæc sunt tenenda. *Cui enim non præsto sunt hæc.* *Glossa,* Octo luminaria. Qui hoc non habet in præsentia et promptitudinem ad operandum. *Cæcus est,* ne videat cœlestia. *Glossa.* A lumine divini solis est alienus. Apoc. III: *Nescis quia cæcus es.* *Et manu tentans.* Quia ignorat quomodo inferiora sunt diligenda, et opere tractanda. Vel manu tentans, id est instabilis ad bona opera. Unde *Glossa:* Qui scientiam rectæ operationis non habet, quod sibi rectum videtur operatur, quasi manum ad opus quod non videt extendens. Gregorius, « In iter quod non prævidet extollit; ideoque miser in ruinam proditoris quam præscire nequibat incidit. » Isa. LIX: *Palpavimus sicut cæci parietem, et quasi absque oculis attrectavimus.* Et Job. XII: *Palpabunt quasi in tenebris, et non in luce.* Qui enim aliud quam Deum amat et quærit, nunc ad ista, nunc ad illa manum extendit. Et insuper, *Oblivionem accipiens.* Per culpam ingratitudinis. *Purgationis.* *Glossa.* Per baptismum vel pœnitentiam factæ. *Veterum suorum delictorum.* *Glossa.* Originalium vel actualium in quibus assueverat. Originale dicitur vetus delictum a causa, quia a veteri homine, id est Adam : trahitur vero actuale ab effectu, quia ad vetustatem trahit. Psalm. VI: *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Sed cum non sit nisi unum originale, quomodo *Glossa* dicit originalium in plurali ? Responsio. Unum est origine, sed multa personarum diversitate. Vel unum ab unitate reatus, multa a multitudine virium corruptarum. Unum ergo formaliter, sed multa materialiter.

Quapropter fratres magis. Hic monet ad earum studiosam observationem. Et hoc triplici utilitate : quarum prima est certitudo spei. Secunda cautela peccati, ibi, *Hæc enim facientes.* Tertia introitus regni, ibi, *Sic enim abundanter.* Dicit ergo, *Quapropter fratres.* *Glossa.* Quia cæcus est qui hæc non habet, ideo majori studio ad hæc retinenda laborate. *Satagite,* id est satis agite. *Ut per bona opera,* scilicet exteriora faciatis, id est ostendatis. *Vestram vocationem,* ad fidem ex tempore. *Et electionem,* per prædestinationem ab æterno, ut scilicet certi sitis vos esse vocatos et a Deo electos. *Glossa,* Benefaciendo faciatis vos certos de præmio vestræ vocationis et electionis. Unde per bona opera quæ facit homo suæ electionis potest habere certitudinem, non quidem scientiæ sed conjecturæ; non rei, sed spei. Rom. VIII, *Certus sum quod neque mors, neque vita etc.* Et nota quod ista electio modo est occulta. Occultum enim modo est, qui electi et reprobi sunt : quia utrique modo simul sunt. Et multi qui modo sunt boni, sunt reprobi. Et qui modo sunt mali, sunt electi. Sed in die judicii, quando Dominus ventilabit et purgabit aream suam ; tunc apparebit, qui electi et qui non. Et quod pauci electi et multi reprobi ; quia multum invenietur de palea, et parum de tritico. Unde Matth. III, *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam,* id est Ecclesiam. Istud ventilabrum est judiciaria sententia, quæ modo est in ore, id est in prædicatione, sed tunc erit in manu, id est in executione. *Hæc enim facientes,* Prædicta octo opera virtutum. *Non peccabitis aliquando* ; Ad vitam æternam attingetis, ubi ulterius non peccabitis. Aliquando, id est nunquam : in præsenti, scilicet mortaliter. Venialia enim nullus vitare potest : et tunc intelligitur conjunctim. *Sic enim,* id est hæc opera faciendo. *Abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum,* id est dabitur vobis augmentum gratiæ et virtutum per quas intratur in regnum. *Glossa :* virtutes per quas intrabitis ad vitam. Ex hac *Glossa* videtur quod habeamus virtutes ex operibus : quod falsum est : non enim quia bonum facimus, sumus boni. Responsio. Non virtus, sed augmentum ex abundantia, et perfectio virtutum habetur per exercitium bonorum operum. Et dicit, ministrabitur, quia per vestrum ministerium et meritum acquiretur. Dicit etiam, in regnum ad differentiam regni mundi, quia est breve et transitorium. Eccl. X, *Omnis potentatus brevis vita.* Luc. I, *Regni ejus non erit finis : regnum,* inquam quod est *Domini nostri salvatoris Jesu Christi.* Domini nostri, per creationem : Salvatoris Jesu Christi, per redemptionem et recreationem. *Propter quod vos incipiam etc.* Hic provocat eos ad veritatis catholicæ conservationem, suam pro eis in veritate confirmandis sollicitudinem judicando. Et circa tria ostendit se illis sollicitum. Primo, ut in veritate confirmentur quantum ad irascibilem. Secundo, ut ad eamdem excitentur quantum ad concupiscibilem, ibi, *Justum autem arbitror.* Tertio, ut ejus semper

recordentur quantum ad rationabilem, ibi, *Dabo autem operam*. Dicit ergo, *Propter quod etc. Glossa*, Quia a Deo utilia sunt vobis hæc, ut sit vobis introitus patens in regnum. *Incipiam vos semper commonere*; id est tam sollicite et frequenter vos commonebo, ac si nunquam antea novissem. In quo exprimitur fervor sanctorum, qui quantumcumque laboraverint circa subditos, videtur eis quod nihil profecerunt. Psalm. *Dixi nunc cœpi* etc. Gregorius : « Nescit mens per torporem facere, quæ semper suadet per desiderium inchoare. » Et notandum, commonere, id est omnes simul vos monere. *De his*, id est de gradibus prædictis, ut per eos simul ascendamus ad domum Domini. Vos dico, *scientes*, id est qui scitis peccata, *Quidem*, id est certe. *Et confirmatos vos in præsenti veritate* : quasi dicat : Quamvis scientes et confirmati in doctrina veritatis, tamen ego monebo vos, ut scita opere compleatis, ut et magis confirmemini. Quia sicut dicit Bernardus : « Frequenter oportet reminisci quod mundus iste cogit oblivisci. » *Justum autem arbitror*. Ita incipiam vos semper monere, *autem*, id est quia justum arbitror. *Suscitare vos in commonitione*, id est per commonitionem provocare vos ad proficiendum, quasi dormientes, juxta illud Proverb. VI, *Discurre, festina suscitare amicum tuum*. *Quamdiu sum*. In hoc tantillo temporis quo sum. *In hoc tabernaculo*, id est corpore meo, quo scilicet milito contra vitia. *Glossa*, In corpore, in quo iter hujus vitæ agitur, et contra adversarios veritatis certamen agitur. *Certus*, Per revelationem. *Quod velox est depositio tabernaculi mei*, id est corporis mei. *Secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi*, id est revelavit mihi. Vel significatione remota. Joan. ult., *Cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis*. Vel melius, significatione propinqua, cum dictum est Petro fugienti Neronem a Domino : Venio Romam iterum crucifigi. Et notandum quod mortem vocat depositionem quia in morte deponitur corpus a sanctis tanquam grave onus. Sapient. XI, *Corpus quod corrumpitur aggravat hominem*. Hoc dicitur per quamdam metaphoram ; quia sicut milites post victoriam tabernacula deponunt, et ad proprias domos redeunt : sic sancti corpora deponunt post victoriam vitiorum. *Dabo autem. Glossa*, Quia cito transiturus, ideo dum vivo dabo *operam*, vos commonendo non solum semel, sed et *frequenter*, id est instanter et diligenter, *habere vos*, ut habeatis *memoriam*, prædictorum. *Post obitum meum*, id est post mortem meam. Dicitur autem obitus ab ob, id est contra, et eo, is. Unde obire est contra vel obviam ire. Et ideo transitus sanctorum, dicitur obitus, quia tunc vadunt obviam sponso, sicut dicit *Glossa*. *Ut horum omnium memoriam faciatis*, id est doctrinam memoratam opere impleatis. Psal. CII, *Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea*.

Non enim indoctas etc. Hic provocat ad confirmationem veritatis catholicæ, ipsam commendando : quam probat, primo, testimonio Apostolorum, in novo Testamento. Secundo, testimonio prophetarum in veteri. Sed habemus firmiorem testificationem per Apostolos, tripliciter. Primo specialiter, de visu. Secundo simul de visu et auditu, ibi, *Accipiens enim a Deo Patre*. Tertio de auditu specialiter, ibi, *Et hanc vocem etc.* Dicit ergo, *Non enim. Glossa* : quasi dicat, Ideo sum sollicitus, quia magna res est quam doceo. *Non indoctas fabulas*, scilicet doctrina indignas, *sequuti*. Fabula est, ait Tullius, in qua nec veræ, nec verisimiles res narrantur. » Tangit autem juxta *Glossam*, et errorem paganorum secundum fabulosas narrationes Deos sibi fingentium, et errores hæreticorum Scripturas sanctas fabulose interpretantium. II Tim. IV, *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Psal CXVIII, *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*. *Sed notam fecimus vobis*. Prædicando manifeste, non obscure vel parabolice. *Domini nostri Jesu Christi virtutem*. Per quam omnia creavit et continet. *Et præscientiam sapientiæ*, qua omnia novit et prævidet. I Corinth. I, *Nos autem prædicamus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. *Sed potius speculatores facti sumus*, id est inspectores *Illius magnitudinis*, scilicet magnæ excellentiæ et claritatis quam in transfiguratione ostendit, Matth. XVII. Quasi dicat, docemus ea quæ vidimus non solum, sed et quæ audivimus. Audivimus enim testimonium Patris. *Accipiens enim* fuit, scilicet Christus secundum quod homo. *A Deo Patre honorem*, quando facies ejus et vestimenta fulserunt sicut sol. *Et gloriam*, quando perhibuit testimonium dicens, Hic est filius meus dilectus. Vel

honorem, cum dixit ipsum esse Filium suum; et gloriam, quasi clarissimam quantum ad claritatem in qua refulsit. Accipiens, inquam. *Voce delapsa*, id est de cœlo lapsa. *Ad eum*, scilicet Christum glorificandum. *A magnifica gloria*, id est a Patre glorioso et magnificante Filium. *Hujusmodi*, id est illo modo: *Hic*, non alius, *Est Filius meus*. Mihi consubstantialis. Hilarius: Nos filii Dei sumus, sed non talis hic Filius: ipse enim Filius est nativitate, non creatione; veritate, non nuncupatione; origine, non adoptione. *Dilectus*, quia Spiritu sancto qui amor est ab utroque procedens mihi connexus. *In quo mihi complacui*. *Glossa*, per quem beneplacitum meum ostendi, et in eo nihil nisi quod mihi placet inveni: *ipsum*, discretive, *audite*. *Glossa*, Quia nullus ei succedit legislator. Deuter. xviii, *Tamquam me, ipsum audietis*. Hæc enim verba quæ dicuntur hic, scribuntur etiam Matth. iii et xvii, et Marc. ix. *Et hanc vocem nos audivimus*, specialiter ego Petrus et Joannes et Jacobus, sicut tres Evangelistæ testantur Matthæi et Marci ubi supra. Et Lucas nono cap.: ut sic in ore duorum vel trium stet omne verbum. Deut. xix. *De cœlo*, quia in cœlo aereo formatam, et ministerio cœlestis Angeli figuratam, et Patris cœlestis significativam, *allatam* ad terram. Nec dicit prolatam: quia non ex ore animalis sonuit, nec instrumentis naturalibus formata fuit, sed artificio Angelico. *Cum essemus cum ipso*, Christo familiares, et sectaremur eum. *In monte sancto*, id est Thabor, ubi transfiguratus est. De ista autem claritate quam Christus ostendit in transfiguratione, Quæritur utrum esset gloriosa, vel similis gloriosæ: et videtur quod sic, secundum Hieronymum. Quia talis tunc apparuit, qualis in judicio apparebit. In contrarium est, quia semel habita inamissibilis est. Item *Glossa* hic dicit, quod claritas ista signum erat resurrectionis suæ. Non ergo erat ista claritas, quæ erit in resurrectione. Responsio. Credo quod claritas ista fuit gloriosa similitudine analogiæ, non univocationis: fuit enim quædam claritas formata in corpore a divinitate, quam apprehenderant Apostoli sensu exteriori. Per illam autem quam videbant oculo corporali, intellexerunt claritatem gloriæ, quam tamen oculo corporali non videbant. Hinc est quod quædam auctoritates dicunt, quod ostendit Apostolis claritatem gloriosam. Quædam autem dicunt quod non, sed similem gloriosæ ostendit sensui, sed vere gloriosam ostendit intellectui.

Et habemus etc. Hic probat veritatem catholicam testimonio prophetarum in veteri Testamento. Et primo tangit firmitatem. Secundo, claritatem, ibi, *Cui bene facitis attendentes*. Tertio, auctoritatem, ibi, *Hoc primum intelligentes*. Dicit ergo, *Et habemus etc.*, ad hoc ostendendum præter prædicta, *Firmiorem propheticum sermonem*, scilicet in David. Et dicit *Glossa*: Ad probandum Christi dignitatem dicit, Dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et idem, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Sermonem, inquam, firmiorem, id est lucidiorem. *Glossa*: quia clarius aliis prophetis de Christo prophetavit ipse David. Vel firmiorem vobis, scilicet Judæis, quam sit sermo meus: quasi dicat: si minus creditis mihi, credatis prophetæ, qui est firmior vobis quam ego, vel quam sit sermo meus. Quamvis enim sermo Apostolorum esset simpliciter firmior sermone prophetico, non tamen quantum ad istos; quia magis credebant Judæi prophetis quam Apostolis. Vel dicit firmiorem, quia visioni contradicere poterant, quæ facta fuit in secreto: sed prophetiæ nullus contradicere audebat. *Cui* scilicet sermoni prophetico, *Benefacitis attendentes*, scilicet propter sui utilitatem et inconcussam veritatem: unde subdit: *Quasi lucernæ*, id est quæ est quasi lucerna, quæ illuminat intellectum ad veritatis cognitionem, *lucenti*, quia accendit affectionem: unde veritas sacræ Scripturæ illuminat intellectum, ideo dicitur lucerna: quia accendit affectum, ideo dicitur ardens: et ideo est scientia perfecta: unde lucere solum vanum est, ardere parum; sed lucere et ardere simul perfectum. Lucenti inquam seu ardenti *In caliginoso loco*, id est in nocte hujus sæculi, quæ est plena caligine ignorantiæ, tenebris peccatorum, et nebulis errorum. Notandum autem quod doctrina prophetica bene dicitur lucerna, id est lux in testa. Quia Psal. xvii, *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*. *Glossa*, obscure. Interlinearis, in prophetis, sed doctrina Evangelica est lux splendens non in testa, sed super candelabrum posita. Proverb. vi, *Mandatum lucerna est, et lex lux*: scilicet Evangelii. Lucet inquam in hoc caliginoso loco tamdiu, *Do-*

nec dies, id est aperta Dei visio, et claritas plena. De qua Psal. LXXXIII, *Melior est dies una in atriis tuis etc.* *Illucescat*, id est intus luceat. Hæc enim lux non solum erit superficialis, sed profundabit se usque ad intimum animæ. Et donec *Lucifer oriatur*, scilicet clarus intellectus secundum *Glossam*, non ænigmaticus. Vel lucifer, *Glossa*, Christus qui fecit lucem, qua illuminavit mundum. Potest ergo intelligi per diem aperta cognitio deitatis. Per luciferi ortum aperta cognitio humanitatis Christi, quæ fuit diei nuncia, sicut lucifer prænuncius solis. Erit enim beatitudo sanctorum in utroque. Joan. XVII, *Hæc est vita æterna ut cognoscant te etc.* Vel per diem intelligitur cognitio sanctorum post judicium : per luciferi ortum cognitio ante judicium. Major enim erit claritas sanctorum post, quam ante. Et claritas solis major est quam luciferi. Vel per diem futuræ visionis : per luciferi ortum cognitio præsentis contemplationis. *In cordibus vestris;* nam in seipso nec oritur nec occidit, nec perficit, nec destruit, sed in vobis. *Hoc primum intelligentes*, audientes prophetiam quæ illuminat intellectum et inflammat. Insuper quia immutabiliter verax est : quod patet ex hoc quod a solo Deo est. Non ergo negligatis, sed sitis hoc præmium intelligentes, id est principalius intelligentes *Quod omnis prophetia :* hoc dicit quia triplex est genus prophetiæ secundum triplex genus visionis, scilicet corporalis, spiritualis et intellectualis, *Scripturæ*. Hoc addit ad differentiam prophetiæ quæ consistit in factis. Sicut Ezechias fecit se portari per foramen parietis. Et Isaias ivit nudus et discalceatus. *Propria interpretatione non fit*, id est proprii cordis ficta expositione. *Glossa*, Propria prophetantis voluntate, sed Spiritu sancto in eo loquente, *Glossa*, Sicut prophetæ non sua, sed Dei verba scribebant, ita lector non sua interpretatione vel propria expositione uti debet ne a fide exorbitet. *Non enim voluntate humana*, vel loquentis vel audientis. Quod intelligendum est quantum ad illius traditionem mentis, non quantum ad actum probationis sive denuntiationis; nam denuntiare erat in libertate prophetarum non arreptitiorum. Unde I Corinth. XIV, *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. Allata est aliquando prophetia*, a Deo scilicet in prophetam. Allata, ut dicit Dionysius, prophetia Dei fertur de sursum ministerio Angelorum, id est revelatur prophetis per Angelos quid et quomodo debeant prophetare, *Sed Spiritu sancto*, non maligno, *inspirati*, id est intus spirati, ejus scilicet inspiratione et revelatione edocti et instructi. Job XXXII, *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Locuti sunt sancti Dei homines*, id est prophetæ qui erant nuntii Dei. Et potest esse ly sancti nominativi casus vel genitivi. Beda, « Ea sola dicebant quæ a Spiritu sancto didicerant. » Ex hoc autem quod dicitur, non fit propria interpretatione, docemur non ad nostrum sensum Scripturam exponere seu texere, sed nostrum intellectum sententiis prophetarum et aliorum sanctorum expositionibus subjicere. Gregorius *super Ezechielem :* « Qui in expositione sancti eloquii, ut auditoribus placeat, aliquid fingit, sua non Dei verba loquitur. » Nota super illud supradictum, *Cui benefacitis attendentes*, scilicet sermoni prophetico, *quasi lucernæ ardenti etc.* Nota quod quando via est obscura et lubrica et præceps, et aquis plena et inimicis circumdata, vel quando aliquis pastor custodit gregem sibi commissum inter lupos, vel civitatem in medio inimicorum, vel sponsam in medio lupanarium, aut etiam thesaurum pretiosissimum : talis debet esse multum attentus etc. Via nostra est vita nostra præsens : quæ si bona est, ducit ad vitam futuram, quæ est æterna; si vero mala, ducit ad mortem infernalem quæ est perpetua. Ista vita obscura est per ignorantiam. Proverb. IV, *Via impiorum tenebrosa.* Psalm. LXXXI, *In tenebris ambulant etc.* Et ideo debet quilibet esse attentus etiam multum etc. Secundo via nostra est lubrica per luxuriam. Thren. IV, *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum.* Sicut enim in via lubrica statim cum ponitur pes, ex hinc lubricat illuc : ita aspectus lubricat in cogitationem, cogitatio in affectionem, affectio in delectationem, delectatio in consensum, consensus in operationem, operatio in consuetudinem. Et ideo oportet quod homo multum sit attentus. Unde Proverb. VII, *Mulier vaga et garrula quietis impatiens, etc.* Et infra, *Nunc ergo fili mi, audi me et attende verba oris mei ne abstrahatur etc.* Tertio via est præceps per superbiam, signanter ad illos qui sunt in alto honoris et dignitatum constituti. Augustinus, Quanto enim in loco

superbiam, laudes in periculo majore versantur. Scitis enim quod alta ædificia ventorum tempestatibus infestata citius ruunt. Unde præpositus noster cecidit qui tamen validis adversantibus, id est validis tentationibus, nunquam ruit. Ideo tales maxime debent esse attenti. Eccles. xi, Attende tibi ne forte cadas et adduceres animæ tuæ inhonorationem. Item via est laqueis plena, per cupiditatem et avaritiam. Osee v, Audite hoc sacerdotes et attendite domus Israel, quia vobis judicium est; quoniam laqueus facti estis speculationi, id est subditis quos debetis speculari, et quasi rete expansum super Thabor. Item quia hominibus, id est dæmonibus circumdati per multiplicem eorum astutiam. Ideo petebat David, Psalm. xxxi, Erue me a circumdantibus me. Et Job xix, Obsederunt in gyro tabernaculum meum. Ideo dicitur Eccles. xi, Ab immundis tuis attende. Item Eccles. xiii, Cave tibi et attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subversione tua ambulas, id est cum illis qui non quærunt nisi subversionem tuam. Item specialiter sacerdotes et prælati debent esse attenti: quia sunt pastores custodientes gregem Domini in medio luporum. Sive etiam rectores custodientes civitatem munitam, id est Ecclesiam in medio inimicorum. Sunt etiam paranymphi custodientes sponsam dilectissimam in medio lupanarium. Sunt etiam dispensatores bonorum Domini sui custodientes thesaurum pretiosissimum in medio latronum. De omnibus istis, Act. xx, *Attendite vobis et universo gregi* quo ad primum: *in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere* quo ad secundum: *Ecclesiam Dei quæ est ejus sponsa*, quo ad tertium; *quam acquisivit sanguine suo*, quo ad quartum.

CAPUT II.

Fuerunt vero et pseudo prophetæ etc. Hic revocat a seductione hæreticæ pravitatis, quibus primo prædicit perditionem futuram. Secundo comminatur pœnam, ibi: *Si enim Deus Angelis.* Tertio ostendit pœnæ promerentiam, ibi: *Magis autem eos.* Quarto describit eorum malam vitam, ibi: *Hi vero velut irrationabilia.* In prima parte ubi perditionem hæreticorum prædicit, primo ab errorum adinventione. Secundo a veritatis negatione, ibi: *Et eum qui emit eos etc.* Tertio ab aliorum seductione, ibi: *Et multi sequentur.* Quarto a divina reprobatione, ibi: *Quibus judicium etc.* Dicit ergo, *fuerunt. Glossa,* Ita vos commoneo et tot auctoritatibus utor ne decipiamini per pseudo, qui sicut olim fuerunt, ita et erunt. *Fuerunt vero,* inquam quasi prophetæ fuerunt Spiritu sancto locuti. Vero pro sed, fuerunt *Pseudo prophetæ*, id est falsi et mendaces. *In populo*, scilicet Israelitico, sicut Balaam, Numeri xxiv. Et Jerem. xxv, Prophetaverunt in nomine meo mendacium. Et in eodem, *Non mittebam eos et ipsi currebant*, *Sicut et in vobis*, populo christiano, *erunt*, *Glossa*, Jam sunt, sed timore comprimuntur: verum post obitum meum manifestabuntur, *Magistri*, usurpatione auctoritatis, *mendaces*, in impugnatione veritatis, id est hæresum inventores et inventarum defensores, II ad Timoth. iv, *Coacervabunt sibi magistros prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent etc., qui*, scilicet hæretici, *introducent*, id est in corda hominum, scilicet suorum credentium ducent, *sectas*, id est falsas doctrinas dictas vel a secando. Unde *Glossa*, doctrinas *perditionis*, quæ secant et separant a Deo. Unde hæresis idem est quod divisio. Vel a sectando verbo frequentativo. *Glossa*, sectas latine, hæreses græce. Cum quis errorem quem semel concepit semper sectari nullatenus cessat, quod proprium est hæreticorum. Sectas inquam *perditionis*, ab affectu, quia ducunt ad perditionem, *Et eum* scilicet Christum, *Qui emit eos*, id est sanguine redemit, I Petr. i, *Non corruptibilibus auro et argento etc. Deum esse negant*, ideo merito perditionem incurrunt. Unde potest dici de Deo et illis sicut de liberante latronem a patibulo, quem latro nunquam diligit. Negare vero illum dicuntur dupliciter secundum *Glossam.* Vel quia nondum venisse nuntiant, vel aliquos errores interserunt, non qualem veritas ostendit, ut dicit *Glossa*, sed qualem sibiipsi fingunt et prædicant. Ipsi dico, *Superducentes sibi*, id est super se ducentes et ad damnum suum. *Celerem perditionem*, id est perditionem quæ cito veniet. Vel sicut exponit *Glossa*, *Super ducentes*, id est super veritatem inducentes celerem perditionem, id est effectum celeris perditionis, scilicet errorem. *Glossa*, Negata veritate inducunt falsitatem pro qua cito periclitabuntur. Et tamen *multi sequuntur eorum luxurias*, eos in luxuria car-

nali imitantur. Vel eorum doctrinis, quibus luxurias et suavia prædicant, consentiendo. *Glossa*, Concupiscentias prædicant, quibus carnales homines facile consentiunt. De talibus dicit Judas in Canonica sua, *Subintroierunt quidam homines Dei nostri gratiam transferentes in luxurias.* Sic et talium luxuria est proximo nociva, et etiam Deo injuriosa, quia illi sunt, *Per quos*, scilicet hæreticos vel eorum sequaces, *Via veritatis*, id est christianæ religionis (Psalm. cxvIII) *Blasphemabitur*, id est vituperabitur : *Glossa*, Non solum in eis, sed etiam a credentibus illis. Puta ab aliis infidelibus videntibus mala eorum. Cum enim se fingant christianos et vivant in luxuriis et in immunditiis, excitant alios in odium christianæ religionis, existimantes propter eorum malam vitam omnes christianos esse hujusmodi. *Via veritatis, Glossa*, id est castitas et bona opera, quibus itur ad cœlum. Nota quod via veritatis in duobus consistit, scilicet in credendis et in operandis. Prima blasphematur per fidei corruptionem. Secunda per morum depravationem. Isaiæ LII, *Jugiter tota die nomen meum blasphematur*, *Et in avaritia*, causa lucri temporalis, *Negotiabuntur de vobis*, ut aliquid lucri acquirant, sicut homo negotiatur de panno, ut aliquid lucretur, *Fictis verbis*, id est falsis doctrinis et adulationibus, *Glossa*, non causa religionis, sed avaritiæ, ut aliquid lucrentur, fingunt novas doctrinas : nec vos emunt Deo, sed de vobis aliquid commodi acquirunt, I Timoth. vI, *Existimantes quæstum esse pietatem.* Conveniunt autem hæc verba prædicatoribus quæstuariis qui in prædicatione sua quæstus causa falsa interserunt, indulgentias vendunt. Contra hoc I Thess. II, *Non enim fuimus aliquando in sermone adulationis, nec in occasione avaritiæ*, *quibus*, scilicet hæreticis, Magistris mendacibus et eorum sequacibus. *Judicium*, scilicet condemnationis, *Jam olim*, ab æterno a Deo prævisum : Deus enim ab æterno disposuit et præordinavit pœnam etsi non culpam. Vel jam olim, id est ab initio temporis præparatum. Isaac xxx, *Præparata est ab heri*, *Tophet*, id est a prima die qua potuit dici heri Tophet, id est pœna inferni. *Non cessat.* Beda, id est præsentialiter excruciat, nec finem habebit. Sed quomodo hoc dicit, cum illi quibus loquebatur Petrus, adhuc vivebant, nec in gehenna essent ? Responsio. Non dicit quod omnes cruciat, sed aliquos ; et quod eos postmodum perpetuo cruciabit. Vel potest dici quod jam in hac vita habeant partem gehennæ, scilicet remorsum conscientiæ. *Et perditio eorum*, id est perditionis auctor diabolus. *Glossa*, Diabolus modo decipiens, post tormentaturus. Dicitur autem emphatice perditio, quia irreparabiliter perditus est, et nihil aliud quam perditionem intendit ad majorem expressionem malitiæ ipsius. Unde et qui eum imitantur dicuntur filii perditionis, sicut Judas Joan. xvII. Et Antichristus II ad Thessalonicenses II. *Non dormitat*, id est sine interrumptione continue perditionem eorum augmentat et de peccato in peccatum ruere facit. Bernardus, « Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel, quia non dormitat nec dormit qui impugnat Israel. » Unde ex hoc sumitur argumentum quod diabolus continue peccat.

Si enim Deus etc. Hic comminatur pœnam. Ubi primo exemplis spiritualibus asserit hæreticorum damnationem futuram. Secundo exemplum elicit generalem sententiam, ibi, *Novit Deus pios.* Tertio, exempla ponit tria. Primo de casu Angelorum. Secundo de diluvio hominum, ibi, *Et si originali mundo.* Tertio de subversione Sodomorum, ibi, *Et civitates Sodomorum.* Ubi tangit primo nocentum punitionem. Secundo innocentis liberationem, ibi, *Et justum Loth.* Tertio, liberationis meritum et rationem, ibi, *Aspectu enim et auditu.* Dicit ergo, *Si Deus Angelis. Glossa :* licet dignioris naturæ sint, *peccantibus*, scilicet peccato superbiæ. *Non pepercit*, sed statim vindictam in inferno, supple, eos fecit *detractos*, id est de cœlo tractos. *Rudentibus inferni*, id est conatibus superbiæ qui ducunt ad infernum. Rudentes enim sunt funes quibus vela in alto suspenduntur, et flante vento navis impellitur. Et significat secundum Bedam conamina dæmonum, quibus contra erigere se voluerunt ; per quæ vento superbiæ impulsi, rapti sunt in profundum inferni. Rudentibus ergo dicit superbiæ conatibus quasi funibus. Proverb. v, *Funibus peccatorum suorum quisque constringetur. Tradidit in tartarum*, id est in infernum, *cruciandos*, ut crucientur. Et tradidit eos, *reservari*, id est ut reserventur. *In judicium*, scilicet ultimum, tunc in profundum cruciandi, et gravius puniendi, secundum Augustinum et *Glossa*,

Vel sedibus litteram sic. Tradidit in tartarum rudentibus, id est ut reserventur in judicium cruciandos, scilicet magis quam prius. Huic consonat alia translatio quæ est, in carceribus inferni caliginis retrudens tradidit judicio puniendos. Quæritur de hoc quod dicit *Glossa* super illud: Si angelis peccantibus etc. Probatio a majori. Contra : peccatum Angeli majus est quam peccatum hominis, ergo non sequitur si damnat Angelum magis peccantem, quod damnat hominem minus peccantem. Responsio. Re vera comparando peccatum peccato non sequitur, sed comparando naturam naturæ, quia Angelica natura dignior est ; et ideo sequitur, Si Angelo non pepercit, nec parcet homini. Quæritur etiam de hoc quod dicit *Glossa*: Angeli digniores naturæ sunt. Contra Augustinus dicit : Anima et Angelus natura sunt pares et officio dispares. Responsio. Natura ibi sonat in aptitudinem, quia possibilis æquari Angelis, non in actum, Matth. XXII. Quæritur et de hoc quod dicit Rudentibus inferni tradidit etc. Contra : ad Ephes. VI, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et adversus potestates et mundi rectores tenebrarum harum*. Quod exponitur de dæmonibus in hoc aere caliginoso habitantibus et nos impugnantibus. Responsio : sicut dicit Beda *super canonicam Jacobi*, « Dæmones ubicumque sunt ardent et habent pœnam suam. » Et ponit exemplum de febricitante, qui æque torquetur in lecto eburneo sicut in ligneo. Modo ergo usque ad diem judicii habitant aliqui dæmones in hoc aere caliginoso. Unde Hieronymus dicit quod « sicut radius plenus est atomis, sic aer ipse plenus est dæmonibus. » Unde Beda et *Glossa* : in tartarum, id est in hunc aerem inferiorem. *Et si originali etc.* Hic ponit exemplum de diluvio hominum. *Si enim Deus originali mundo non pepercit*. Gen. VI, id est hominibus secundum originem primi peccati viventibus. Vel mundum originalem dicit homines qui ante diluvium fuerunt, non habentes legem nisi quam ab origine, id est natura traxerunt, non habebant nisi legem naturalem. *Sed octavum Noe*. Octavus dicitur propter ipsam historiam, quia in numero octo personarum liberatarum fuit, et forte ultimus et sic octavus arcam intravit. Gen. VI. I. Petri III, *In qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt*. Vel octavus propter figuram, quia illud judicium mundi figura fuit ultimi judicii, quod erit in principio octavæ ætatis resurgentium, secundum *Glossam*. *Justitiæ præconem*. Et si non verbo, tamen exemplo, quia justus erat, Gen. VI, *Glossa*. Quia justitiæ opera faciens, qualiter vivendum esset coram Deo, ostendit. Item per hoc quod fabricabat arcam, eos ad justitiam movebat. Hunc inquam talem, *custodivit*, a diluvio in arca. Sapient. X, *Per contemptibile lignum gubernans justum*; *diluvium*, id est aquarum inundantiam ab inferioribus, superioribus aquis concurrentem. *Mundo impiorum*, id est impiis mundi. Gen. VI, id est hominibus mundi qui erant impii. *Inducens et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum*. Plus nominat istas civitates quam tres reliquas quæ fuerunt Adama, Seboim, et Segor : et hoc quia erant principaliores et famosiores, et magis peccatrices. *In cinerem redigens*, combustione ignis et sulphuris. Gen. XIX. Hinc dicit Augustinus in lib. *de Civitate Dei*, quod fructus illius terræ sunt pulcherrimi exterius, et nil habent interius nisi cinerem, et fumum reddunt fœtidum si carpantur. *Eversione damnavit*. Quia illa regio in alienam naturam versa est, scilicet in lacum salis, qui dicitur mare mortuum, quia nec pisces nec aves in eo vivunt sicut in aquis aliis. *Exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens* : quasi dicat : Per hoc significans quod maxime puniendi essent qui illos imitarentur. Impie, idest contra pietatem in Deum, vel in proximum peccando. Etsi supple *Justum Loth* nepotem Abrahæ. Gen. XIX, quia Dei cultor et hospitalis, nec malis consentiens, *oppressum*, id est graviter afflictum. *A nefandorum injuria*, quia peccatum illud minime nominandum. Vocat Apostolus talia peccata passiones ignominiæ, Rom. I. *Ac*, oppressum, scilicet a *Luxuriosa conversatione eripuit*. Per Angelos qui eum cum uxore ac filiabus extra civitatem duxerunt. Gen. XIX, *Dissimulante eo egredi apprehenderunt manum ejus, et posuerunt extra civitatem*. Sap. X, *Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem descendente igne in Pentapolim*. *Aspectu ejus*, licet multa turpia videret, *Et auditu*, etsi multa et inhonesta audiret. *Justus erat*, aspectu et auditu : vel alieno, quia nil injustum in eo videbatur. Vel proprio, quia bonis actibus insistebat, nec visis nec auditis flagitiis se fucabat, id est obscurabat secundum *Glos-*

sam. Justus inquam erat. *Habitans apud eos*, id est licet habitaret inter illos, scilicet malos inter quos difficile est servare justitiam, sicut dicit *Glossa*, Psalm. XVII, *Cum sancto sanctus eris etc. Qui de die in diem*, id est continue et incessanter, *Animam justam*, ejus, scilicet, *Iniquis operibus*, quæ faciebant contra Deum et proximum, quæ sicut dicit *Glossa*, videbat et corrigere non poterat, *cruciabant*, cruce scilicet spirituali doloris et compassionis, licet non exterioris vexationis. Ps. CXVIII, *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam*. Augustinus : « Omnes mali persequuntur bonos non ferro aut lapidibus, sed vita et moribus. » *Novit Dominus bonos*. Ex prædictis exemplis elicit generalem sententiam, quod divina bonitas punit malos et liberat bonos : unde dicit, *novit* : quasi dicat, sic Deus punivit malos et liberavit Noe et Lot. Bonos igitur novit Dominus notitia non solum speculativa, qua scit etiam mala quæ non est ipse facturus. Sed dico practica, qua solum novit bona quæ est ipse facturus. *Pios*, *Glossa*, Sicut Noe et Lot, *De tentatione*, id est tribulatione, *eripere*, id est extra rapere, Psalm. XC, *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum etc*. Isa. XLIII, *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te*. Sic patet in Noe. *Et cum ambulaveris in igne non combureris*, sicut patet in Lot, *Et novit iniquos*, *Glossa*, Sicut diabolum, originalem mundum et Sodomitas, *reservare*, id est iterum servare, in anima scilicet et corpore, *In die judicii*, cruciandos amplius, scilicet quam prius. Et ante diem judicii solum animæ pœnas luunt, et in judicio graviora expectant, quando in corpore et anima cruciabuntur.

Magis autem eos qui post carnem etc. Hæc est tertia pars in qua ostendit pœnæ præeminentiam ; tangens primo hæreticorum majorem fructum damnationis quam aliorum. Secundo damnationis magnitudinem confirmans exemplo Angelorum, ibi : *Ubi Angeli fortitudine*. Primo majoritatem damnationis ostendit triplici de causa. Primo luxuriæ. Secundo superbiæ, ibi : *Dominationemque*. Tertio perfidiæ, ibi : *Sectas non metuunt*. Dicit ergo *Magis autem* : quasi ita reservantur omnes peccatores in diem judicii puniendi, magis autem, *Glossa*, magis reservabit puniendos sive cruciandos, *eos*, scilicet hæreticos et eis credentes, *Qui post carnem*, id est carnis concupiscentiam, non naturam (Sic enim accipitur caro, Galat. V, *Caro concupiscit adversus spiritum etc.*) *ambulant*, passionibus interioribus affectionum et exterioribus operationum. Sapient. V, *Ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, In concupiscentia immunditiæ,* ecce luxuria, id est in concupiscentias immundas perficiendas. Contra illud Eccl. XVIII, *Post concupiscentias tuas ne eas*. Hi similes sunt brutis quæ trahuntur per suas concupiscentias et sequuntur eas. Psalm. XXXI, *Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus*. *Glossa* : Qui more animalium brutorum luxuriantur, pro reatu fœdæ corruptionis majora patientur in judicio quam generales iniqui, *Dominationemque contemnunt*. Ecce superbia, *Glossa*, Dominum nostrum judicem justum talium cognoscere nolunt. Dominationem autem Dei vocat dominationem simpliciter, quia ejus dominatio est nullius. Psalm. LXXXII, *Dominus universorum tu es*. Item quia singularis. Esther XIV, *Domine mi qui rex noster es solus, adjuva me solitariam et cujus præter te non est auxiliator alius*. Item est interminabilis. Psalm. CXLIV, *Dominatio tua in omni generatione et generationem*. *Audaces*. *Glossa*, ad majora crimina. Ex quo enim homo Deum contemnit, fit audax et præceps ad omne periculum et flagitium. Hæc est audacia temeritatis sine ulla repressione divini timoris, de quibus Eccles. VIII, *Quia non cito profertur contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala*. *Sibi placentes*, *Glossa*, in perpetratis male : vel sibi placentes, id est curantes placere sibi non proximo. Ambrosius *super Epistolam ad Rom*. cap. XV, « Ille sibi placere dicitur qui ita facit quod sibi bonum videtur, ut non curet, sive placeat sive non placeat proximo. » Vel sibi placentes, id est seipsos amantes. II Timoth. III, *Erunt homines seipsos amantes etc*. *Sectas non metuunt introducere*, id est errores obstinatos : quæ dicuntur sectæ a secando, propter ecclesiasticæ unitatis divisionem, vel a sectando propter æstimationem. Ipsi dico, *blasphemantes*, scilicet Deum, contra quem sectas inducunt et ad blasphemandum alios accendunt. Sensus ergo est prædictorum. Certum quod omnes iniqui damnabuntur generaliter, sed inter illos magis

hæresim. Et inter hæreticos illi magis qui declinant a fide causa superbiæ, quam qui causa luxuriæ: et illi maxime qui sectas introducunt; ut sicut gradus est in peccatis, sic et in suppliciis. Hæc autem pœna tanta erit, quod non poterunt eam portare. Quod ostendit per locum a majori, cum dicit, *Ubi Angeli fortitudine et virtute etc.* Et est sensus: Si Angeli mali qui sunt natura fortiores quam homines, vix possunt pœnam ferre, quomodo poterunt eam sustinere? Exponitur autem hoc dupliciter de malis Angelis. Primo modo sic: Cruciandos reservabit prædictos. *Ubi Angeli mali*, scilicet Lucifer et ejus socii. *Cum sint majores*, hominibus quantitate non molis, sed virtutis, *fortitudine*, ad operandum. *Et virtute*, ad sustinendum, quia nihil habent de carne quæ infirma est, *non portant*, id est vix portant tanquam onus importabile. Et dicit non portant, quamvis re vera portent, ut magis innuat pœnam eorum intolerabilem. *Et judicium execrabile*, id est judicii Domini pœnam quam ipsi execrantur semper remurmurandam. Quod judicium est *Adversum se*, quia etsi consensum culpæ, tamen contrarium naturæ. Vel adversum se, id est contra ipsos in eorum damnationem: quasi dicat: Si Angeli vix poterunt pœnam inferni tolerare, quomodo poterunt homines pœnam inferni sustinere? Secundo modo sic secundum *Glossam*, ubi ponit tria de peccatis prædictis. Quia scilicet post carnem ambulant, Deum contemnunt, Sectas faciunt. *Angeli non portant*, id est vix ferre possunt, *Execrabile judicium*, ut prius exponendo. Non quod dæmones hæc fecerint, sed aliis suggesserint. Et tunc est sensus: si dæmones tantum suggestores sic torquentur importabiliter, quanto magis homines hoc facientes?

Hi vero velut irrationabilia pecora etc. Hic describit hæreticorum malam vitam. Et primo agit communiter de hæreticis. Secundo magis specialiter de hæresiarchis, ibi: *Hi sunt fontes*. Communiter in hæreticis tangit primo veritatis blasphemiam. Secundo conversationis luxuriam, ibi: *Voluptatem existimantes*. Tertio aliorum corruptelam, ibi: *Pellicientes animas*. Quarto intentionis avaritiam ibi: *Cor exercitatum in avaritia*. Quinto certam malitiam, ibi: *Derelinquentes viam rectam*. Luxuriam autem conversationis ostendit in quadruplici corruptione. Primo secundum judicium. Secundo secundum tactum ibi: *Deliciis multis affluentes*. Tertio secundum gustum, ibi: *In conviviis suis*. Quarto secundum aspectum, ibi: *Oculos habentes*. Dicit ergo, *Hi vero*, scilicet hæretici, reservantur magis cruciandi. Vero id est quia hi, *Glossa*. Magistri scilicet hæretici qui docent errores, *Velut irrationabilia*, quo ad corruptionem fidei, *pecora*, quo ad corruptionem morum, *naturaliter*, id est natura sua irrationali et brutali tendunt, scilicet *In captionem*, id est in laqueum culpæ quo capiuntur a diabolo: post culpam vero, *In perniciem*, id est in pœnam gehennalem: vel in perniciem, id est in culpæ obstinationem quæ facit hæreticum quasi dicat: Sicut bruta moto brutali vadunt in captionem et perniciem: hoc autem dicit pro tanto, quia hæretici non solum humanas, sed et brutales sequuntur concupiscentias. Psalm. XLVIII, *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis etc.* *Glossa*, Sicut irrationabilibus naturale est causa pabuli sæpe in captionem et perniciem ignoranter incidere: ita hæretici comparati jumentis insipientibus, propter appetitum suæ corruptionis explendum incorruptam Ecclesiæ catholicæ doctrinam blasphemantes et vitam, laqueos sibi perditionis nectunt. Ipsi dico, *In his*, id est de his, *Qui ignorant*, scilicet de articulis fidei, *blasphemantes*: quasi dicat: quia ignorant articulos fidei; ideo blasphemant. Causa autem quare ignorant, est, quia nolunt ratione apprehendere quod supra rationem est et naturam: ut quod Deus incarnatus, passus, mortuus et hujusmodi. Et ideo in corruptione sua, id est pro corruptione in suo sensu, vel pro peccato, quod est causa corruptionis, *peribunt*, *Glossa*, a consortio sanctorum. Sicut enim modo voluntarie se separant a consortio Ecclesiæ militantis: sic inviti separabuntur in futuro a consortio Ecclesiæ triumphantis. Ipsi dico, *percipientes*, id est perfecte capientes. *Mercedem justitiæ*, in futuro, id est pœnam æternam quæ est merces injustitiæ. *Glossa*, Pœnam pro malis operibus. Vel mercedem injustitiæ in præsenti, scilicet ruinam in majoribus peccatis. *Glossa*, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc: Apocal. ult. *Voluptatem*, quasi: et merito, quia *existimantes*, id est reputantes voluptatem, *diei*, id est voluptatem bonam. *Glossa*, voluptas bona recte dies vocatur, quia sancti in Domino delectantur. Voluptas

mala, nox, quæ est opus tenebrarum. *Delicias coinquinationis et maculæ*, scilicet bonas et lucidas esse judicant quæ sunt malæ et execrabiles. Unde *Glossa*, Injusti delicias coinquinationis et maculæ existimant voluptatem diei, quia cum vacent deliciis impurissimis et execrandissimis, has optimas et quasi lucidas judicant. Ecce judicii perversitas, de qua Isa. v, *Væ qui dicitis bonum malum et malum bonum*. Et dicit coinquinationis, quo ad inquinamentum corporis : maculæ quo ad inquinamentum animæ : maculant enim peccata carnalia corpus et animam, peccata vero spiritualia animam solam. I Corinth. vi, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur etc.* Vel delicias coinquinationis quo ad peccatum luxuriæ humanæ qua simul plures inquinantur, scilicet agens et patiens. Quod notatur in hoc quod dicit, coinquinationis. Maculæ vero quo ad peccatum gulæ. Vel voluptatem diei, idest temporis gratiæ, de quo dicitur, *Dies autem appropinquavit*. Rom. xiii, Existimant delicias coinquinationis et maculæ qui perverse judicant, et credunt, quod in tempore gratiæ debeat homo talibus immunditiis deservire. Moraliter autem : modo in diebus festis magis vacatur delitiis et crapulis et ebrietatibus, quasi hoc esset in honorem sanctorum et in exultationem diei festi. Augustinus *ad Aurelium* : « Comessationes et ebrietates, ita concessæ et licitæ putantur, ut in honore martyrum celebrentur : quæ fœditas non tam flagitiosa est, quam sacrilega. » *Deliciis affluentes*. Ecce corruptio secundum tactum : quasi : non solum existimantes quo ad errorem rationis : sed etiam affluentes quo ad approbationem voluptatis, duplici fluxu, scilicet cordis per consensum delectationis, et carnis per effectum operis ; ideo dicit affluentes. Eccles. ii, *Non prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur*. Sapient. ii, *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. In conviviis suis*. Ecce corruptio secundum gustum. *Luxuriantes vobiscum*, id est utentes incentivis ad luxuriam, in speciebus, saporibus et fortibus vinis. Hieronymus : « Vinum fuge ut venenum : quid enim oleum flammæ addis? Juventus et vinum duplex voluptatis incendium est. » Et dicit vobiscum, *Glossa*, ut ibi vos decipiat : quod dicit, quia efficax modus attrahendi homines est vocare eos ad convivia et delitiose eos provocare. Ipsi dico, *Oculos habentes plenos adulterii*, id est in oculis cordis repræsentatur libido corporis. Augustinus, « Impudicus oculus impudici cordis est nuntius, » *Et incessabilis delicti*, id est luxuriæ, quæ *nunquam dicit sufficit*. Prov. xix, et Oseæ iv, *Fornicati sunt et non cessaverunt* : quia, ut dicit Hieronymus : « Quando vires deficiunt desideria inardescunt. » *Pellicientes*, id est decipientes, *Animas instabiles*, quæ non habent fundamentum fidei formatæ, nec anchoram spei, et sunt sine timore Dei. Beda dicit, Pellicentes a, pelliceo pellices, secundæ conjugationis : usitatius tamen dicitur a pellicio, pellicis, tertiæ conjugationis : et est pellicere idem quod pellibus ornare. Et inde dicuntur hæretici pellicere, id est sub specie veri decipere intellectum et sub specie boni quasi sub specie formosa decipere affectum : unde de ipsis dicit Dominus, Matth. vii, *Veniunt ad vos in vestimentis ovium quæ sunt pelles*. Et I Timoth. iii, *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Secundum *Glossam*, Pellices sunt meretrices, a pello pellis, quia superveniente lumine expelluntur, vel a pollutione, unde polluunt animas, id est a vero sponso Christo recedere et in diabolo adulterari faciunt. *Cor exercitatum in avaritia habentes*. Plus est cor avaritia exercitatum quam cor avarum. In corde avaro notatur corruptio affectus : in exercitatione vero labor vel sollicitudo. Adversus quos Jerem. vi, *A majori usque ad maximum omnes avaritiæ student*. *Glossa*, Quidquid agunt causa avaritiæ faciunt. Alia littera habet, excæcatum. Exod. xxiii, *Non accipies munera quæ excæcant etiam prudentes* : hinc est quod Tobias, qui tamen sanctus erat, stercoribus calidis hirundinum excæcatus fuit. Hirundines quæ in altum volant significant sanctos, quorum conversatio in cœlis. Stercora hirundinum calida sunt temporalia, quæ sancti tamquam stercora relinquunt : unde dicebat Apostolus ad Philipp. iii, *Omnia arbitratus sum ut stercora*. His stercoribus multi qui debent esse sancti excæcantur : unde Thren. iv, *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora* ; et ideo, *Maledictionis æternæ filii*, id est hæredes, id est mali filii, scilicet diaboli per imitationem, qui primo maledictus fuit, hoc est malo pœnæ addictus. *Derelinquentes rectam viam*, id est viam Dei

quæ ducit ad vitam æternam, vel etiam viam rectam, quam tamen ex ratione cognoscebant, quid credere et quomodo vivere deberent, sicut dicit Glossa. Unde Jerem. II: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ* etc. *Erraverunt* in invio incredulitatis et infidelitatis. Sapient. v: *Erravimus a via veritatis.* Erraverunt dico. *Secuti viam Balaam*, venientes, *Ex Bosor*, nomen est villæ vel civitatis de qua erat, id est sequuti sunt passibus morum non pedum ejus cupiditatem et malitiam. Qui motus cupiditate ex certa malitia ivit, ut malediceret populo Israel quem sciebat benedictum a Domino, Num. XXII. *Qui mercedem iniquitatis*, id est munera sibi promissa et oblata pro causa iniqua, scilicet ut malediceret populo Dei, vel mercedem iniquitatis, id est pretium damnationis, quæ dicitur merces iniquitatis, quia fuit merces pro iniqua promissione quam intendebat adimplere contra Deum, *amavit*, affectu cupiditatis. Vel dicit mercedem iniquitatis, quia a rege honorari debebat; quem honorem tantum appetebat, quod ipsum voluntati Dei præponebat; quod erat magna iniquitas, scilicet temporale Deo præponere. Merito vero Balaam qui interpretatur populus vanus, ex Bosor quod interpretatur, carneus hæretici comparantur, ex sensu et vita carnali vanitatem erroris sequuti quo ad fidem; carnei quo ad conversationem. *Correptionem vero habuit*, et verbi per asinæ locutionem et pedis attritionem, *Suæ vesaniæ*, id est insani erroris; vesania enim erat magna contra Dominum irreverentia, ut populo Dei Deo prohibente malediceret. Tanto ergo fuit pejor, quanto non noverat emendare per correctionem. *Subjugale*, scilicet asina, *mutum*, id est non habens aptitudinem naturalem loquendi; *animal*, sine usu rationis. *In hominis voce loquens*, id est simili humanæ voce loquens. Erat enim vox articulata angelico ministerio per linguam asinæ prolata, sicut et diabolus per linguam serpentis locutus fuit, Genes. III. Unde habetur Num. XXII: *Aperuit Dominus os asinæ et locuta est.* *Prohibuit*, transire scilicet recedendo et contra naturam loquendo, de flagellatione conquerendo, pedem ejus conterendo, et non expresse de hoc arguendo, *Prophetæ*, Balaam, *insipientiam*. Qua ibat ad maledicendum populo Dei. Sic, ut dicit *Glossa*, aliqui hæretici, tam stulta dogmata proferunt, ut pagani, scilicet stulti, illorum detestentur insaniam. Sic, ut dicit *Glossa*, docti clerici ab indoctis laicis aliquando merito lacerantur, bona vita eorum reprehenditur. Quod est propter eorum avaritiam, ut dicit *Glossa*.

Hi sunt fontes sine aqua et nebulæ etc. Hic agit magis specialiter de hæresiarchis aggravando, ostendens causas damnationis eorum. Primo per propriam in se corruptionem. Secundo aliorum seductionem, ibi: ***Superbia enim vanitatis.*** Tertio diaboli servitutem, ibi: *Qui in errore conversati*. Quarto mundi inquinationem, ibi: *Si refugientes*. Quinto veritatis agnitæ defectionem, ibi: ***Melius enim erat eis.*** Sexto vitæ turpitudinem, ibi: *Contingit enim eis*. Dicit igitur, specialiter horum primi Magistri hæresiarchæ, ***Hi sunt fontes sine aqua.*** Dicuntur fontes propter emanationem doctrinæ: sed sine aqua veritatis et sapientiæ, de qua Jerem. II: *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti ut bibas aquam turbidam?* sed sunt sine aqua sapientiæ salutaris. Et notandum quod ubi est fons sine aqua, ibi est lutum: sic in istis non est aqua inundantis gratiæ, sed lutum inquinans erroribus et cupiditatibus terrenis; et merito, quia derelinquunt fontem aquæ vivæ, Jerem. II. Unde intellige fontes non lavantes, sed potius coinquinantes. *Et nebulæ*, propter obscuritatem solem intelligendum obscurantem. *Glossa*. Obscurantes nebulæ dico, non resolvendæ in pluviam sanæ doctrinæ, sed *turbinibus exagitatæ*. Turbo est commotio aeris per conflictum concursus ventorum, et inde aliquando sequitur tempestas; sed hæretici conflictu vitiorum et philosophiæ rationum exagitati magis inducunt in auditoribus tempestatem, quam salutiferum rorem et terræ fecundationem. Notandum quod boni prælati dicuntur nubes, propter salutiferum rorem, et terræ subditorum irrigationem, et Spiritus sancti exagitationem: unde Isaiæ LX: *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* non dicit, qui ut aves volant, quæ volant contra nidum suum, et sicut volunt et quando volunt, et ubi volunt. Sed mali dicuntur nebulæ propter obscuritatem. ***Quibus caligo tenebrarum reservatur***, id est retro in posterum servatur. Et dicit tenebrarum in plurali, ob duplices tenebras, scilicet spirituales et interiores, in præsenti, quæ sunt peccata, quibus reservantur permissiva reservatione ut amplius fiant mali et amplius sordescant, ut dicit *Glossa*. Vel corpora-

les et exteriores in futuro, quibus reservantur reservatione punitiva. Matth. xxii, *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores*. Dicit autem, *Caligo tenebrarum*, id est quæ teterrimæ et obscurissimæ erunt in inferno quasi palpabiles. Job x, *Terram tenebrosam, et opertam mortis caligine*. *Superbia enim vanitatis*, quasi, et merito. Ipsi enim, *loquentes*, id est prædicantes vel docentes, quia eorum doctrina loquacitas est, unde et comparantur ranis, quæ non faciunt nisi clamare. Apoc. xvi, *Vidi de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modum ranarum*. *Superbia*, id est in superbia finaliter, vanitatis materialiter et initialiter, quia pro superbia vana prædicant. Augustinus, Hæreticus est qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur. Et notandum quod superbia proprie est in affectu, vanitas in intelligentia sive intellectu. Superbia vero in appetendo excellentiam : vanitas de se magna sentiendo. *Pelliciunt*, id est quasi pellices et meretrices corrumpunt sive decipiunt, ut supra expositum est. *In desideriis carnis luxuriæ*, id est luxuriæ carnalis, non tamen spiritualis. Per desideria enim, quæ docent, trahunt homines ad sectas suas. Talia enim sunt ad quæ libenter trahitur homo. Beda in *Glossa :* « Quis non libenter audit, manducemus et bibamus, et in æternum regnabimus ? » *Eos qui paululum effugiunt*. *Glossa*, Qui paululum refugiunt et ad suum revertuntur errorem. Vel paululum, id est eos qui parvulo tempore a peccato abstinuerunt, et cito recidivant. Vel paululum effugiunt qui non perfecte peccata fugiunt ; fugiunt peccata quidem carnalia et non spiritualia. Item fugiunt peccata, sed non circumstantias et pericula peccatorum. *Qui*, hæretici. *In errore*, quo ad se, et quo ad alios. *Glossa*, Quia errant, et alios errare faciunt. *Conversati*. Quia tota eorum conversatio est erronea quo ad fidem et mores. Psalm. cvi, *Errare fecit eos in invio, et non in via*. *Libertatem*, id est, pro peccatis impunitatem, vel peccati immunitatem, dicentes illicita licere : sed hæc libertas mala est, de qua Rom. vi, *Liberi fuistis justitiæ*. *Illis* scilicet credentibus. *Promittentes* dicentes, Deus non est tantum crudelis, ut puniat æternaliter pro peccato momentaneo. *Cum ipsi*, scilicet hæretici *Servi sunt corruptionis*, id est peccati quod corrumpit bona naturalia, et spoliat gratuita. Vel corruptionis, id est fomitis, sustinendo ipsum regnare in suo corpore, et ad omne peccatum trahere. Vel corruptionis, id est diaboli, qui est auctor. *Glossa*, quasi dicat : Cum sint servi et peccati et diaboli, aliis libertatem dare non possunt, qui nemo dat quod non habet. Et quod sint servi, probat per jus commune. *A quo enim quis superatus est, ejus et servus est*, id est ejus subjectus. Joan. viii, *Qui facit peccatum, servus est peccati*. Loquitur ad similitudinem servitutis acquisitivæ, qua olim capti ab hostibus eorum servi efficiebantur. Similiter capti a diabolo et a peccato, servi sunt et diaboli et peccati. Cum ergo servus minor sit domino suo, et ipsi servi sint peccati, et peccatum sit nihil, ipsi, inquantum peccant, sunt minus quam nihil. Quia non solum non habent esse moris, sed et ejus oppositum : qualecumque esse habeant.

Si enim refugientes etc. Hic ostendit mundi coinquinationem. Si enim. *Glossa*, Vere sunt servi acquisiti, quia cum prius liberi essent, nunc coguntur servire gravius quam antea. *Si enim*, ipsi vel quicumque alii. *Refugientes*, prius quando fuerunt ad fidem conversi. *Coinquinationes mundi*, id est peccata quibus inquinantur homines mundani, et alios inquinant, quæ et mundus mundis immittit, de quibus I Joan. ii, *Omne quod in mundo est, aut est concupiscentia etc.* *In cognitione*, id est per cognitionem quam susceperunt. Fides enim purificat ab inquinationibus. Act. xv, *Fide purificans corda eorum, sicut radius solis abstergit lutum platearum*. *Domini nostri*, ratione creationis. *Et salvatoris* ratione recreationis, *Jesu*, ratione officii salutaris, *Christi*, ratione dignitatis regalis, secundum quam unctus est oleo lætitiæ præ participibus suis. *His*, scilicet coinquinationibus mundi quas fugerant. *Rursus implicati*, id est involuti sicut in retibus, consensu operis et consuetudinis. Proverb. vii, *Irretivit eum multis sermonibus, et sequitur eam quasi bos ductus ad victimam*. *Superantur*. Prædominante vitio naturæ spiritui, id est sensualitate carni. *Facta sunt eis*, scilicet talibus recidivantibus seu apostatantibus. *Posteriora*, scilicet peccata. *Deteriora a prioribus*, scilicet peccatis. Vel status posterior post recidivationem vel apostasiam deterior est statu priori ante conversionem seu conversationem. Talis

enim magis offendit Deum quam ante baptismum vel pœnitentiam : frangit enim pactum quod pepigit cum Deo in pœnitentia vel baptismo : sicut periculosior est infirmitas recidivantis quam prius ægrotantis. Unde talis culpa est major propter circumstantiam ingratitudinis ex remissione præcedentium peccatorum. Ideo dicitur Luc. xi, *Fiunt novissima illius hominis pejora prioribus.* Et hoc quia resurrectio difficilior, ad Hebr. vi. Impossibile est eos qui gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesque venturi sæculi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Impossibile, id est difficile. In signum hujus deteriorationis uxor Loth, quæ prius erat substantia rationalis, per respectum retro versa est in creaturam seu statuam salis, et facta est irrationalis, Gen. xix. Et vere deteriora. *Melius enim erat*, id est, minus malum, cum sit comparatio abusiva non propria. Propria quando utrumque extremum comparationis participat æqualitatem in qua fit comparatio : abusiva quando alterum tantum : magis abusiva quando neutrum, ut hic. Matth. xxvi, *Melius ei erat si natus non fuisset etc. Eis,* scilicet recidivantibus et impœnitentibus. *Non cognoscere viam justitiæ*, id est justitiam quæ est via recta ducens ad vitam. Unde accipitur hic justitia generaliter non specialiter, sed pro rectitudine fidei et morum seu vitæ. Et intelligendum est ceteris paribus. Tunc enim excusabiles essent saltem a tanto. *Quam post cognitionem ejus retrorsum*, id est, ad priora peccata. *Converti*, id est, totaliter verti sine reditu pœnitentiæ finalis, per transgressionem scilicet, *Ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* Vel charitatis specialiter, quod est traditum a Christo et ejus Apostolis, Joan. xix. *Mandatum novum do vobis, etc.* Vel generaliter mandato evangelico. Unde Psalm. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Et accipitur singulare pro plurali. Sed contra hoc objicitur, quia dicit Ambrosius : « Perfidi etsi æternum pereant, tamen eis prodest ex parte credidisse. » Responsio, Intelligendum est hoc quo ad peccata in quibus recidivant, non universaliter quo ad omnia. Item quo ad peccata in quibus recidivant intelligendo quo ad intentionem non quo ad numerositatem : quia si nunquam conversi fuissent, plura peccata ejusdem generis haberent, sed non ita gravia. Unde *Glossa*, Quia præter illa mala quæ sicut prius agunt, prævaricatores promissionis sunt. Item hoc quod dicitur intelligendum est in eodem genere peccati, plus peccat fidelis quam infidelis ob notitiam peccati ; secundum quod dicitur Jacobi iv, *Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi. Contigit enim*, *Glossa*, Idem probat auctoritate sub specie canis. Et vere prius est hoc. Quia contigit, id est contingenter venit, quia non est necessitatis hujusmodi servitus, sed voluntatis eis recidivantibus finaliter seu apostatantibus. *Illud veri proverbii. Glossa*, Illud proverbium vel illa pars libri, quæ continet illud proverbium. *Canis reversus ad suum vomitum.* Sumptum est de Proverbiis xxvi, *Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic stultus qui iterat stultitiam suam.* Hoc autem dicit, quia sicut canis comedit iterum quod evomuit, et immundior est et abominabilior postquam comedit quod evomuit quam ante, sic isti prius loti a peccatis in baptismo vel pœnitentia, cum postea recidivant, immundiores sunt et magis abominabiles quam prius. Talibus nil prodest sua lotio. Eccles, xxxiv, *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid prodest lavatio ejus?* Et supple, tales sunt sicut *Sus lota in volutabro luti*, id est in luto in quo se revolvit. *Glossa.* Sus dum in luto lavatur, sordidior redditur. Sic qui peccatum plangit, nec tamen deserit, pœnæ graviori se subjicit. Jerem. ii. *Quam vilis facta es rursum iterans vias tuas!* Hoc autem apponit Apostolus de suo, quia non est de proverbiis vulgaribus Salomonis. Vel Apostolus addit proverbiis Salomonis. Per suem significantur luxuriosi, qui se in luto luxuriæ immergunt et involvunt et revolvunt.

CAPUT III.

Hanc ecce vobis etc. Postquam provocavit eos ad conservationem catholicæ veritatis, et revocat eos a seductione pravitatis hæreticæ, hic subdit causam utriusque operis, scilicet causam scribendi hanc epistolam : scilicet ut reddat eos cautos maxime contra errores circa futurum judicium. Et primo excitat auditionem auditorum. Secundo ponit instructionem eorum, ibi, *Hoc primum scientes,* ubi primo reprobat de futuro judicio erro-

rem. Secundo manifestat veritatem, ibi. *Latet enim eos.* Tertio exhortatur ad dignam judicii expectationem, ibi, *Cum igitur omnia dissolvenda sunt.* In prima ostendit errantium sententiam : in secunda subdit errandi causam motivam, ibi, *Ex quo enim antiqui.* Dicit ergo, *Hanc etc.* : quasi dicat : Tales hæretici venturi sunt. Et ideo ecce post eadem causa. *Hanc secundam vobis*, id est ad vestram utilitatem. *Charissimi scribo epistolam. Glossa :* de novissimis temporibus, quibus derisores abundant. *In quibus*, epistolis, scilicet prima et secunda, *excito*, ne per torporem dormiatis. *In commonitione,* id est pro commonitione activa scilicet et passiva vestra et aliorum per vos, qua scilicet moneo vos, ut et alios moneatis : hoc importat præpositio associativa. *Glossa*, ut vos commoneam, et alios commoneatis. *Vestram sinceram mentem*, id est sine carne corruptionis fidei et morum. Philipp. II, Et hoc oro ut sitis sinceri, et sine offensa in die Christi. Vel sinceram, id est sine cera, et sine mollicie ac instabilitate : ut nec sitis molles per dissolutionem morum, nec instabiles, nec flexibiles per errorem. II Thess. II, *Rogamus vos fratres, ut non cito moveamini a vestro sensu. Ut memores sitis eorum quæ prædixi vobis verborum,* de fide et moribus, et hæreticis venturis. Verborum, inquam, acceptorum. *A sanctis prophetis.* Supra primo, habemus sermonem propheticum, cui attendentes benefacitis. *Glossa.* Verborum quæ auctoritate sanctorum prophetarum confirmantur. *Et* sitis memores verborum. *Apostolorum sanctorum*, quæ vobis per me et alios Apostolos nunciata sunt, verborum dico, *Præceptorum Domini*, id est quæ sunt præcepta Domini jure creationis, *Et salvatoris,* jure recreationis. Ipse Dominus qui venit salvare nos, hæc præcepta instituit et servare præcepit. Horum autem præceptorum debemus esse memores non solum ad cogitandum, sed etiam ad faciendum. Psalm CII, *Memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea, Hoc primum scientes.* Hic ponit errantium sententiam : ita volo vos esse memores. Vos dico, hoc primum, id est præcipue vel præ ceteris, *Scientes* certitudine fidei, indubitatæ (præscientia enim futurarum hæresum multum valet ad credendi in fide confirmationem) *Quod venient*, non dicit quod mittentur, quia non auctoritate divina, sed usurpatione propria, *In novissimis diebus*, *Glossa*, Tempore Antichristi, tanquam ejus præcursores, II ad Timoth. III, *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa etc. In deceptione*, id est ut decipiant fideles, *illusores*, id est hæretici. *Glossa,* Illudentes fidei et spei Christianorum, quod tempus resurrectionis futurum sibi promittunt frustra, *ambulantes*, id est de malo in pejus proficientes, *juxta*, id est secundum, *proprias concupiscentias*, id est sequentes proprias concupiscentias carnis contra consilium sapientis. Eccles. XVIII, *Post concupiscentias tuas ne eas etc.* Vel secundum Bedam in *Glossa*, « Novis peccatis gaudentes et nova peccata adinvenientes. » Tales ambulant post concupiscentias proprias et non tantum communes, quibus non sufficiunt communia peccata, sed adinveniunt nova. Psalm. LXXX, *Ibunt in adinventionibus suis dicentes,* et corde credendo et ore prædicando, *Ubi est promissio facta*, scilicet antiquis patribus de eorum liberatione? quasi dicat : Ex quo per Christum non est completa, ipse non fuit ille qui promissus est in Scripturis. Impleta autem non videntur, quia adhuc sumus sub culpa et pœna. Vel ubi est promissio de gloria bonorum? quasi dicat, nulla est. *Aut adventus ejus*, scilicet ad judicium : quasi dicat, Non potestis aliqua signa ostendere quod judicium sit futurum ; quasi dicat, Nec promissionibus ejus credendum est, quia non sunt impletæ : nec in adventu ejus est sperandum, quia nullum signum apparet. *Glossa*, Ideo non credunt. *Ex quo enim*, antiqui, *patres*, id est prædecessores, *dormierunt*, id est mortui sunt. Psalm. CXVIII, *Cum dederit dilectis suis somnum etc. Sic omnia perseverant*, id est manent immutata. Quia nihil mutatum est de ordine et causa naturæ. Sed contra. Ecclesi. II dicitur : *Vidi in omnibus vanitatem et nihil permanere sub sole.* Responsio, Creaturæ secundum speciem perseverant ab initio temporis, sed fit mutatio individuorum, nec aliquid perfecte manet sub cœlo quin aliquo modo immutetur. *Ab initio creaturæ*, id est ex quo mundus creatus est, vel ex quo fuit prima creatura, Vel secundum aliam litteram, Sic per omnia sicut prius sine aliqua mutatione perseverant ab initio creaturæ.

Latet enim eos hoc volentes etc. Hic manifestat veritatem dupliciter. Primo infidelium ignorantiam circa judicium

detegendo. Secundo credentium fidem instruendo, ibi : *Unum vero hoc non lateat*, Ignorantiam detegit duplicem. Primo judicium aquæ jam factum. Secundo circa judicium ignis futuri, ibi : *Cœli autem qui nunc sunt*, Dicit ergo, *Latet enim eos*. Ideo debent omnia eodem modo perseverare, quia vel vere nescierunt, vel fingunt se nescire ut vos decipiant, duo Dei judicia, alterum per aquam, quod jam præteriit : alterum per ignem quod restat : *latet*, scilicet vere vel simulatorie, *eos*, scilicet hæreticos, *Hoc volentes*. *Glossa*, nullum judicium esse futurum. Per hoc notatur eorum ignorantiam esse affectatam. Psalm. xxxv, *Noluit intelligere ut bene ageret*. Nolebant autem propter libertatem impune peccandi. Hoc scilicet latet, *Quod cœli*, scilicet aerei. *Glossa*, Iste humidus aer et turbulentus de quo dicitur Jerem. viii, *Milvus in cœlo cognovit tempus suum*. Et Matth. xiii, *Volucres cœli comederunt illud*. *Erant prius*, *Glossa* inter priores creaturas. Vel prius, id est ante diluvium, Sed sicut dicit *Glossa*, Tunc erant alterius modi quam modo : quia tunc erat aer serenior et quietior quam modo, quia tunc non erant tempestates nec forte vapores, *Et terra*, erat prius, scilicet alterius modi, quia fertilior et planior. Ipsa dico, *consistens*, id est aggregatione partium suarum simul stans, *De aqua*, Beda, id est per remotionem aquæ operante Dei verbo congregata est in unum, et ita apparuit arida. Gen. i. *Et* erat consistens, *Per aquam*, id est per aquæ congregationem. Beda, Quia per divinam dispositionem venis aquarum est tota plena, sicut corpus animalis sanguine. Alioquin non staret, sed redigeretur in minutissimum pulverem, secundum Philosophum. Cum enim sit maxime sicca, indiget humiditate qua ejus partes consistant. Ideo dicitur in Psalm. xxiii, et cxxxv : *Qui fundavit terram super aquas* Vel de aqua, id est de primordiali materia quæ dicitur aqua, propter ductibilitatem ejus et obedientiam ad formas diversas. Gen. i, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Illa eadem dicitur terra propter informitatem. Abyssus propter obscuritatem. Vel dicitur terra ex aqua consistens, quia sine aqua non fructificaret. Et hoc totum, *Dei verbo*, ut causa efficiente et conservante. Joan. i, *Omnia per ipsum facta sunt*, *Per quæ*, in quibus duabus partibus aere et terra, *Ille tunc mundus*, qui scilicet erat ante diluvium vel tempore diluvii. Vel etiam ille tunc mundus, quia fuit alterius modi tunc quam nunc, et terræ nascentia meliora quam nunc. Alterius modi autem erat quantum ad qualitates accidentales non quantum ad substantiales vel radicales, *aqua*, id est per aquam diluvii, *mundatus*, a peccatis hominum, quibus erat pollutus, *periit*, quo ad habitatores : mundatus est quo ad habitationem infectam. Hæc autem mundatio signum fuit spiritualis mundationis per baptismum. I Petr. iii, Quod et nunc similis formæ salvos facit baptisma. *Glossa*, Periit terra, quia tanto tempore submersa fructificare destitit. Postea et dissimilem in plerisque locis ab ea quam prius habuerat faciem recepit. Perierunt et cœli secundum speciem hujus aeris. Occupavit enim aqua totam istam capacitatem, ubi aves volitant. Ratio hujus mutationis est, quia ex longa et profunda commixtione terræ aquæ et aeris terra facta est lutosior, aer crassior et aqua densior, *Cœli autem qui nunc sunt*, quasi dicat. Non solum sunt purgati cœli et terra per diluvium. *Autem* pro sed, *Cœli qui nunc sunt*, scilicet aerei. Et dicitur aer cœli pluraliter, propter diversas regiones cœli aerei, et propter ejus plura hemisphæria. Et dicit, *Qui nunc sunt*, non quia sit alia substantia, sed quia qualitas est mutata. Cœlum enim aereum fuit per diluvium aquæ et terræ immixtum. Et ideo aer modo est spissior seu densior et turbulentior, *Et terra*, Similiter quæ nunc est a prima qualitate mutata, quia modo rarior est et subtilior propter aquæ immixtionem, *Eodem verbo*, id est eadem virtute verbi æterni, quod erant in principio positi, *Repositi sunt*, id est iterum positi ad priores usus et officia habitationis hominum et volucrum, et in eadem forma quam modo habent et in eadem positione in loco, ut aer sit sursum, terra deorsum sicut prius. Isti, inquam, cœli et terra sic repositi reservati, id est iterum servati, sicut ante servabantur in diluvio, *igni*, venturo ante faciem judicis quo fiet mundi conflagratio. Psalm. xcvi, *Ignis ante ipsum præcedet*. *Glossa*, *Reservati sunt*, ut purgentur per ignem, scilicet a coinquinatione quam contraxerunt ex peccatis post diluvium, et in melius commutandi. Et hoc, *In diem judicii*, scilicet bonorum et malorum, *Et perditionis impiorum hominum* specialiter, quia in illa die omnes impii perdun-

tur et peribunt et in anima et in corpore, Job XXI, *In die perditionis servatur malus et ad diem furoris ducetur*. Vel in die judicii quo ad definitionem; perditionis, quo ad executionem. Matth. XXV, Notatur autem hic duplex judicium Dei ; unum in aqua, aliud in igne. Primum factum fuit per aquam : quia in primo statu viguit luxuria, in qua sunt duo, scilicet ardor et fœditas ; propter quod facta tunc est purgatio per aquam quæ est refrigerans et purificans. Alterum vero judicium fit per ignem, quia tunc vigebit avaritia et erunt homines infrigidati frigiditate avaritiæ ex defectu caritatis, secundum illud Matth. XXV, *Abundabit iniquitas et refrigescet caritas multorum*. Et ideo fit per ignem qui habet contrariam qualitatem. Vel aliter, Aquæ est purgare et non innovare. Ignis vero facit utrumque ; ideo quia prima purgatio mundi tantum fuit purgatio et non innovatio ; ideo facta est per aquam. Secunda vero quæ non tantum est purgatio, sed etiam innovatio, fiet per ignem.

Unum vero hoc non lateat vos carissimi etc. Hic manifestat veritatem fidei credentium instruendo. Primo de judicii conditione. Secundo de adventus dilatione, ibi : *Non tardat Dominus*. Tertio de judicii districtione, ibi : *Adveniet autem*. Dicit ergo, *Unum hoc etc.*, quia infideles latet judicium prædictum aquæ, futurum judicium ignis negant : negant enim illud, eo quod non venit cito. *Vero*, id est sed, *Unum hoc non lateat vos carissimi*, Minus dicit et plus significat ; quasi dicat : Certi sitis, *Quia unus dies apud Dominum*, est scilicet sicut *Mille anni*, apud nos ; et e contrario, Mille anni apud nos sicut dies unus apud Deum quasi dicat : Quod nos reputamus longum, breve est apud ipsum et cito venturum : unde patienter expectandum, quia sine dubio veniet dies judicii. Et sic respondet illi quæstioni quæ prius facta est : Ubi est promissio etc.? quasi dicat : Prope est nec tardat secundum virtutem. Sed quantum ad nostrum judicium videmus quod parum vivimus. Secundo exponitur sic : Dicunt quidam quod si judicium sit venturum, tamen tot erunt discutienda quod uno die non poterunt discuti, sed multa remanebunt indiscussa ; et ideo non est timendum. Contra quos dicit quod unus dies apud Deum tantum valet ad discutiendum sicut mille anni : id est ita bene discutiet Deus uno die sicut in mille annis. I Corinth. XV, In momento et in ictu oculi. Nec mirum, quia omnia sunt ei præsentia, non successive fluentia, sicut apud nos. Job. X, *Numquid sicut dies hominis, dies tui, et anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam*, scilicet successive sicut homo ? quasi dicat, non. Tertio modo moraliter sic dicunt quidam pseudo. Tot habetis peccata quod non sufficeret totum tempus ad ea punienda : ad quid ergo pœnitentiam faceretis ? quasi dicat : pro nihilo seu frustra. Contra quos dicit, *scitote*, quod unus dies pœnitentiæ, scilicet tantum valet apud Dominum sicut mille anni, id est sicut multi dies pœnitentiæ : sicut patet de latrone bono. Luc. XXIII, quantum ad consequutionem veniæ et gratiæ ac gloriæ habendæ : non tamen tantum valet ad dimissionem pœnæ vel ad velociorem adeptionem gloriæ. Hebr. II, *Plus valent multi anni quam unus dies.*, Ezech. IV, *Diem pro anno dedi tibi*. Sequitur, Et mille anni sicut dies unus. Hoc exponitur dupliciter, secundum duos errores, quos hic elidit. Dicebant quidam quod sicut tempore omnia fluunt, ita multa latebunt judicem. Contra quos dicit, Mille anni erunt apud Deum, id est in ejus cognitione, *Sicut dies unus*, Ponitur continens pro contento : id est quæcumque fient in mille, hoc est in infinitis annis, ita erunt cognita Deo, sicut quæ fiunt uno die. Psalm. LXXXIX, *Mille anni ante oculos tuos sicut dies una quæ præteriit*. Secundo modo sic dicunt quidam, quod non oportet pœnitere, quia in una die totum delebitur ; sicut dicunt hæretici quod quantumcumque sit homo peccator, per appositionem manus alicujus perfecti ex tempore omnia peccata ejus dimittuntur : contra quos dicit : *Mille anni sicut dies unus*, quasi dicat : Non credatis eis qui sic dicunt ; quia mille anni, scilicet pœnitentiæ non plus sufficerent ad pœnam solvendam vel vitam æternam. Sicut unus dies non sufficeret, nisi esset gratia Dei. Ideo dicit Apostolus Rom. VIII, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis etc. Non tardat Dominus* : quasi, cum non sit apud Deum differentia mille annorum et unius diei, *Non tardat Dominus promissionem suam*, id est a promissis suis implendis, sicut dicunt hæretici. Vel secundum aliam literam, Promissum vel promissionem scilicet implere quod promisit de judicio futuro ; unde nondum venit temporis opportunitas, quam ipse

solus novit. Matth. xxiv, *De die illa nemo scit etc*. Sicut nec pater tardat dare hæreditatem filio, expectans tempus adultæ et maturæ ætatis ; nec medicus purgationem ægroto. Et certe non tardat : quia, ut dicit Gregorius, « Omne quod fine clauditur, breve esse cernitur. » Non tardat ergo Dominus ut misereatur nobis. Et Rom. ii, *An ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit etc. Nolens aliquos perire,* id est non volens voluntate scilicet signi, quia omnes præceptis, consiliis, minis, præmiis, a periculis revocat. Ezech. xviii, *Et quare moriemini domus Israel? nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, etc.* Vel secundum Damascenum, non vult aliquem perire voluntate beneplaciti antecedenter, quia facit quod in ipso est ad nostram salutem : vult tamen voluntate consequente istum qui peccat, finaliter eum punire et perire. Dicitur autem voluntas consequens quæ attendit merita finalia ; non quod merita sunt aliquo modo causa vel ratio divinæ præscientiæ vel voluntatis ; sed sunt ejus objectum ; temporale enim bene est objectum æterni. *Sed omnes ad pœnitentiam reverti*, scilicet de peccatis commissis, et de bonis omissis et amissis. Matth. iii, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et quia patienter expectat, ideo perseverare non debemus in peccato : dicit enim Isidorus : « Metuendum valde est, ut neque pro spe veniæ quam promittit Deus perseveranter peccemus : neque quia juste peccatis pœna infligitur, desperemus ; sed utroque periculo deviato, et a malo desistamus, et de Dei misericordia speremus. » *Adveniet autem dies :* quasi dicat : bene dico quod non tardabit Dominus. *Autem* pro sed ; *Dies Domini*, id est dies judicii in quo fiet omnino voluntas Domini. Nunc autem dies nostra est, in qua nostras facimus voluntates. Luc. xix, *Et quidem in hac die tua etc.* Psalm. lxxiv, *Cum accepero tempus etc.*, *adveniet,* id est ad nos de cœlo ad terram veniet. Habac. ii, *Si moram fecerit, expecta eum etc. Ut fur*, id est ex improviso sicut fur in nocte : unde adventus judicii comparatur furi. I Thess. v, *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Luc. xxii, *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret etc.* Nota quod dies judicii dicitur dies, quia erunt ibi omnia manifesta. Dan. vii, *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Item dicitur dies quantum ad bonos : nox quantum ad malos. *In quo*, scilicet die judicii, *cœli*, aerei, non ætherei. Matth. xiii, *Volucres cœli comederunt illud. Magno impetu*, id est magna violentia conflagrantis et purgantis mundum. Psal. xcvi, *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit etc. Transient,* transitu accidentali a priori qualitate et statu, id est a vetustate corruptionis in novitatem status incorruptibilis : ab impuritate contagii mundanæ conversationis, in puritatem naturæ subtilis, non tamen transitu substantiali, ut substantialiter corrumpatur. Joel. ii, *Ante faciem ignis vorans, et post eum exurens flamma.* Sicut enim dicit Gregorius : « Tantum ascendet ignis judicii quantum ascenderunt aquæ diluvii. » Quod intelgendum est quantum ad effectum purgationis : inquantum enim ad effectum innovationis plus ascendet. Vel cœli allegorice dicuntur Sancti. Psal. xviii, *Cœli enarrant gloriam Dei.* Qui purgabuntur isto igne, si aliquid in eis purgandum fuerit : nec solum aer. *Elementa vero*, quatuor quibus mundus consistit, ille maximus ignis absumet : nec cuncta in tantum consumet ut non sint : sed duo ex toto consumet, duo vero in meliorem restituet faciem. Sed contra. I Corinth. vii, *Præterit enim figura hujus mundi. Glossa*, non substantia, sed figura præteriit. Consistit autem substantia mundi in connexione quatuor elementorum. Item jam remaneret locus vacuus aliorum duorum elementorum, vel alia duo rarefierent, vel extenderentur ultra medium suum. Item terra quæ dignior est, manet in æternum. Eccl. i, Ergo multo magis substantia aliorum elementorum. Responsio, Licet aliqui dixerunt, secundum *Glossam* Bedæ, duo ex toto consumi, aquam et ignem scilicet, alia duo manere secundum statum alterum, scilicet terram et aerem : tamen verius est quod omnia quatuor manebunt, secundum substantiam, non secundum statum generationis et corruptionis mundanum. Cessabit enim motus corporum supercœlestium, qui est totius alterationis et transmutationis principium. Unde super illud Matth. viii, *Donec transeat cœlum et terra. Glossa*, Donec elementa a mutabili in immutabilem formam mutentur. Ipsa ergo inquantum elementa sunt generabilium et corruptibilium principia, solventur omnia : sic enim colligationem habent, et conveniunt in generationis et

corruptionis officium et locum. Secundum vero substantiam propriam permanebunt habentia qualitates suas convenientes ad illum incorruptionis statum, secundum Augustinum ad *Glossam* Bedæ. Responsio, Ideo dicit illa duo, scilicet ignis et aqua consumentur ex toto non per proprietatem, sed per quamdam appropriationem, eo quod hæc duo sunt maxime activa quantum ad vim convertendi alia in se, quæ vix penitus consumentur. Alia vera magis passiva sunt. Et quia passibilitas in impassibilitatem convertetur, dicit quod mutabuntur in meliorem faciem. Primum videtur fieri per assumptionem ejus quod interfuit. Secundum vero per restitutionem ejus quod defuit. Vel in toto consumentur, id est in eo quod habebant potestatem convertendi quasi omnia in sui naturam. Caliditas autem in igne et frigiditas in aqua omnino consumentur : inquantum vero sunt principia patiendi, convertentur in melius, quia amplius non passibilia.

Cum igitur hæc etc. Hic exhortatur ad dignam expectationem seu præparationem, tangens primo præparationis condignæ causam. Secundo modum, ibi, *Propter quod charissimi.* Causam vero tangit duplicem. Primo timorem pœnæ. Secundo spem gloriæ, ibi, *Novos vero cœlos,* Dicit ergo, *Cum igitur hæc omnia.* Continua sic. Veniet judicium, et subito, et mundus in adventu judicii peribit. Cum igitur hæc omnia quatuor elementa *Dissolvenda sint,* a statu solubili in statum insolubilem mutanda. *Glossa* tamen *Interl.*, vocat omnia, homines : unde dicit : quandoquidem in tanto judicio mali in pejus, boni in melius sunt mutandi, *quales*, id est quam sanctos, et quam perfectos : *Oportet vos*, credentes hæc futura, *Esse in sanctis conversationibus*, quantum ad vosmetipsos secundum *Glossam*. *Et pietatibus*, quo ad alios, secundum *Glossam.* Pluraliter nominat utrumque : quia conversationis sanctæ sunt duæ partes, scilicet activa et contemplativa; et pietatis sanctæ : scilicet corporalis et spiritualis. Addit vero sanctis, ad differentiam conversationis malæ et pietatis malæ quam quis impendit vitio. *Expectantes*, per spem præmii, quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis. *Et properantes*, per bonam operationem meriti, et merito properantes, quia via longa et dies pauci. I Corinth. VII, *Tempus breve.* Item quia ad magna vocati. Rom. VIII, *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et justificavit et magnificavit.* Item quia jamdiu expectati. Isaiæ XXIX, *Expectat Dominus ut misereatur vestri.* Item ne simus exclusi. Hebr. IV, *Festinemus ingredi in illam requiem.* Cant. II, *Surge propera amica mea. In adventu*, id est in præparatione ad inventum ; non quia essent visuri illum, sed ut certitudinaliter sperent illum. *Diei*, judicii, *Domini,* nostri Jesu Christi, quia ipse tunc judicabit. Tota quidem Trinitas judicabit auctoritate, sed Christus inquantum homo, ministerio disceptationis et promulgationis sententiæ. Matth, XXV. *Per quem*, Dominum scilicet, quia hoc fiet virtute supernaturali, non enim natura ignis est descendere, sed ascendere. Vel per quem, adventum Domini, *cœli*, aerei non ætherei, *Ardentes solventur*, Igne conflagrationis a statu corruptibili ad statum incorruptibilem. *Et elementa*, scilicet alia ut terra, *Ardore ignis.* Qui erit maximus, et ex concursu ignito superiorum et inferiorum ut putatur, *tabescent*, id est quo ad statum pristinum deficient. Sed numquid cœlum empyreum est purgandum, cum illic perpetratum sit peccatum Angelorum? Responsio, Cœlum non fuit inquinatum illo peccato, cum propter loci puritatem, qui non est inquinabilis cum sit lux pura : tum propter peccati, ut Angelici, spiritualitatem, tum propter peccantium velocem expulsionem. *Novos vero cœlos :* quasi dicat : Isti cœli solventur. Et novos cœlos, non dicit alios, sed in melius adnovatos seu renovatos. *Et novam terram*, id est in melius innovatam, et in meliorem formam. Apoc. XXI, *Vidi cœlum novum et novam terram. Et promissa ipsius*, id est præmia a Christo promissa. Luc. XXII, *Vos estis qui permansistis mecum etc.* et Matth. V, *Expectamus*, spei certitudinem. Isa. LXV, *Ecce ego creo cœlos novos et novam terram etc. In quibus*, scilicet cœlis et terra innovatis, et in quo tempore et statu innovationis, *justitia,* id est retributio vitæ æternæ pro meritis gratiæ, *habitat*, id est habitabit perpetuo sine fine. Ponit præsens tempus pro futuro ob certitudinis magnitudinem. Unde, sicut dicit *Glossa*, Tunc cuique fidelium pro modo certaminis corona reddetur justitiæ. Nec hoc dicit propter hoc quod justi habitaturi sunt in mundo inferiori post judicium sicut nunc ; sed quia mundus erit pars habitationis eorum. Sicut rex non manet in coquina, et tamen dicitur pars

habitationis suæ. Et nota quod non dicit misericordia, sed justitia; quia modo misericordia regnat, sed tunc justitia regnabit. II Tim. ult., *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Reddere enim pertinet ad justitiam. Vel loquitur de cœlis et terra allegorice, ut per cœlos intelligantur contemplativi, per terram activi, per gloriam innovati, in quibus justitia creata vel increata habitat in præsenti per meritum, sed in futuro per præmium. Et tunc habitabit in eis immobiliter et in quiete, sicut in sua hæreditate et possessione : non sic nunc ubi quotidie ejicitur. Psalm. III, *In æternum exultabunt, et habitabis in eis.*

Propter quod carissimi etc. Hic tangit primo præparationis condignæ modum, post immunditiam vitæ. Secundo in spei longanimitate, ibi, *Et Domini nostri Jesu Christi longanimitatem.* Tertio in constantia fidei, ibi, *Vos igitur fratres.* Quarto in sollicitudine proficiendi, ibi, *Crescite vero in gratia.* Propter quod. *Glossa.* Dies Domini veniet. O vos, *charissimi*, charitate speciali mihi conjuncti, *hæc* scilicet Dei promissa, vel a me prædicta de cœlo et terra, *expectantes*, per certitudinem spei, *satagite*, id est bene operando satis agite, vel studiose laborate, sicut Martha satagebat circa frequens ministerium, Luc. x, *Inveniri*, id est ut inveniamini, *ei*, id est ab eo vel ad ejus honorem, vel ei id est non hominum judicio. I Reg. XLVI. *Homo videt ea quæ foris parent*, *Deus autem intuetur cor. Immaculati.* A venialibus in corpore, id est in sensualitate. Pro tanto dicuntur esse venialia in corpore, quia carnis fragilitate contrahuntur causaliter non formaliter. *Et inviolati. Glossa.* A criminalibus in mente, scilicet ratione. Vel primum refertur ad peccata carnalia, secundum ad spiritualia, *In pace*, id est in peccatis remissis pacificati. Rom. v, *Justificati igitur ex fide pacem habeamus etc.* Vel in pace pectoris ad Deum, et ad seipsum, et ad proximum. *Et Domini nostri Jesu Christi longanimitatem*, id est longam expectationem. Psal. CII, *Longanimis et multum misericors. Salutem arbitrabimini*, id est causam salutis vestræ. Beda, « Intelligite quod ideo Dominus longanimiter expectat, ut misereatur nostri. » Et ut plures salventur, ut habetur Isa. XXX : propterea, *Sicut et charissimus frater noster Paulus*, id est, Ita hortor faciendum sicut etc. Nota humilitatem sanctorum. Petrus Paulum commendat et suam doctrinam ejus scriptura confirmat. Paulus dicit de seipso, I Corinth. XV, *Ego sum minimus Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus. Scripsit vobis*, in hoc ostendit quod Paulus ea quæ quibusdam Ecclesiis specialiter scripsit, omnibus Ecclesiis generaliter scripsit. Paulus dispersis de Judæa specialiter non scripsit sed gentibus, *Secundum datam sibi sapientiam*, id est cognitionem cœlestium a Deo, scilicet in ejus raptu. II Corinth. XII, *Quando audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Glossa*, Ecce primus Apostolorum oblitus fuit primatus et datarum sibi clavium : datam Paulo miratur sapientiam, quia mos est electorum, ut magis aliorum, quam suas mirentur virtutes. Et per has se ad profectum excitent. Scripsit inquam vobis, *Sicut et*, scripsi supple, *In omnibus epistolis loquens in eis,* scilicet epistolis, *De his*, scilicet quæ prædixi vobis et super quibus vos monui, scilicet de Christi adventu. Et de commendatione gratiæ et de hæreticis futuris : quasi non solum una ejus epistola, sed et omnes ejus epistolæ ad vestram utilitatem scriptæ sint. Sed quomodo Petrus, qui erat major, auctoritate Pauli minoris doctrinam suam confirmat? Responsio. Inducendo auctoritatem epistolarum Pauli, potius intendit illis dare auctoritatem approbando, quam jus per eas confirmando. Vel hoc facit non ex necessitate, sed ex humilitate. Vel forte licet Petrus major esset in cura, Paulus tamen major in scientia. *In quibus*, scilicet epistolis, *Sunt quædam difficilia intellectu,* id est ad intelligendum. Quod forte faciebat, ut celaret earum tenorem hæreticis. Sed quomodo simplices quibus scribebat intelligebant? Responsio. Misit epistolas discipulis qui eas exponebant. Sed adhuc objicitur, de hoc quod dicitur Proverb. XIV, *Doctrina prudentum facilis est.* Responsio, Forte aliud est de scriptura, aliud de doctrina; quia præsentes docendo se possunt opponere contradicentibus, obviare absentibus, scribendo non. Scilicet, *Quæ indocti*, supple hæretici, indocti quo ad scientiam divinam, *Et instabiles*, quo ad fidei perseverantiam, quia divina non statuunt seu sapiunt, nec curare volunt. Ideo, autem indocti sunt, ut dicit *Glossa*, quia inter doctos, ut erudiantur non permanent, *depravant*, male interpretando et minuendo,

pervertendo et mutando, *Sicut et ceteras Scripturas. Glossa*. Nullus veteris Testamenti vel novi liber est in quo hæretici aliquid non perverterunt, vel diminuendo, vel addendo, vel mutando, *Ad suam ipsorum perditionem*, id est damnationem: hujusmodi enim depravatio Scripturarum causa est eis perditionis in præsenti et in futuro. Damnationis in præsenti, quia nunc præscinduntur ab Ecclesia militante; et damnationis in futuro, quia ab Ecclesia triumphante. *Vos igitur fratres*, quia insipienter multifarios adducent errores, *Vos præscientes*, hoc scilicet quod venturi sunt hæretici et judicium venturum antequam veniat, ut melius cavere possitis. Gregorius: « Minus jacula feriunt, quæ prævidentur; » et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra communimur, *Custodite*, scilicet vosmetipsos diligenti sollicitudine. Deuter. IV, *Custodi temetipsum et animam tuam sollicite*, *Ne insipientium*, scilicet hæreticorum, *errore*, quo errant et alios errare faciunt, *traducti*, id est ultra mensuram, seu metas et terminos fidei ducti. Proverb. XXII, *Ne transgrediaris terminos antiquos etc. Excidatis a propria firmitate; Glossa interlinearis:* fidei, quæ est *petra super quam fundatur Ecclesia*. Matth. VII, Sicut ergo illi qui volunt capere unum castrum forte, nituntur primo destruere fundamentum, ita hæretici volentes Ecclesiam destruere, nitebantur et nunc etiam nituntur maxime destruere fidem. Et quia ad firmitatem non sufficit fundamentum nisi supra sit ædificatum, ideo sequitur, *Crescite vero*, Cremento scilicet spirituali, *in gratia*, quo ad effectum, et cognitione, quo ad intentum seu intellectum, *Domini nostri Jesu Christi et Salvatoris*. Utrumque enim Domini est, scilicet gratia et fides. Domini, jure creationis: Salvatoris jure recreationis, *Ipsi Gloria*. Hic tandem totum terminat in laudem Dei. Psalm. CXIII, *Non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam. Et nunc. Glossa interlinearis*, inter quotidianas adversitates, *Et in diebus æternitatis*, id est inter æternas delectationes. Vel nunc id est in præsenti et in diem æternitatis, id est in futuro, ubi erit dies æternæ et inenarrabilis claritatis, de qua Psalm. LXXXIII, *Melior est dies una in atriis tuis super millia*. Diem dicit in singulari, quia erit unica dies, sine interpellatione noctis. *Amen*. Confirmatio est. Deo gratias.

B. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLA I. CANONICA

CAPUT I.

Quod fuit ab initio etc. Hæc est tertia pars hujus libri continens Epistolas Joannis tres. Quarum prima generalis est, duæ aliæ speciales. Una cuidam matronæ. Altera cuidam patrifamilias. In prima agit de affectu et effectu charitatis communiter ad Deum et ad proximum. In secunda specialius ad Deum. In tertia specialius ad proximum. Hæc autem epistola prima dividitur in tres partes. Nam primo commendat doctrinam suam in isto cap. Secundo hortatur ad ejus observantiam. cap. II et III. Dissuadet doctrinam contrariam cap. IV et V. In prima parte commendando, primo, tangit certitudinem doctrinæ ex parte doctorum. Secundo ejus utilitatem ex parte auditorum, ibi: *Quod vidimus et audivimus*. Tertio utilitatis consequendæ modum, ibi: *Si dixerimus societatem etc*. Certitudinem vero ex parte dictorum tangit dupliciter. Primo in sciendo quo ad se. Secundo in docendo quo ad alios, ibi: *Et vidimus et testamur etc*. Dicit ergo, *Quod fuit ab initio etc*. Quæritur quare secundum modum aliorum epistolas scribentium et aliarum duarum epistolarum suarum, hic non præmittit salutem. Respon-

sio, Ut principium epistolæ suæ principio evangelii sui concordaret, ubi dicit, *In principio erat Verbum etc.* Ut sic appareret ejusdem esse scriptorem evangelii et epistolæ. Et quasi hoc opus operi evangelii præcedenti continuaret. Dicit ergo, Quod fuit ab initio etc. Constructio sic potest ordinari, *Nos Apostoli et vidimus et testamur et annunciamus vobis*, illud quod fuit ab initio æternaliter, scilicet Verbum Dei. Nec exprimit quid sit illud, eo quod ineffabile est et infinitum. *Fuit.* Tria tempora sunt, scilicet præsens, præteritum et futurum. In his quod perfectionis est Deo convenit: quod imperfectionis non. Præteritum vero de Deo dicitur propter perfectionem. Præsens propter actualitatem. Futurum propter durationem. Alias vero nullum tempus de Deo convenienter dicitur. Nec præteritum, quia non est: nec præsens, quia transit; nec futurum, quia nondum est, *Ab initio*, originis, scilicet a Patre. Joan. I, *In principio erat Verbum.* Vel durationis, et hoc dupliciter: vel ab initio initiante, scilicet æternitate, id est ab æterno. Vel ab initio initiato, scilicet temporis. In ipso enim temporis initio verum erat dicere, quod fuit: et hoc dicitur Joan. I, *In principio erat Verbum.* Unde prius fuit quam initium temporis, non tempore, sed æternitate. Prius enim, secundum Augustinum, dicitur quadrupliciter: Natura, dignitate, tempore, æternitate. Videte si non attestatur epistola sua ubi modo audistis, In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum. Quod fuit inquam ab initio Filius Dei, secundum divinitatem et æternitatem. *Quod audivimus,* mediate per legem et prophetas vel immediate per seipsum in mundo loquentem. Hebr. I, *Olim Deus loquens patribus in prophetis novissime etc*, *Quod vidimus oculis*, ipsum, scilicet in carne apparentem. Baruch III, *Post hæc in terris visus est et cum hominibus conversatus est.* Unde Luc. IX. dictum est eis Apostolis, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Quod perspeximus*, ipsum diligenter et perfecte non superficialiter inspeximus. Luc. XXIV, *Videte manus meas et pedes meos.* Vel perspeximus, id est diligenter et perfecte inquisivimus, an ipse esset de quo prædixerint prophetæ et an in ipso implerentur Scripturæ. *Et* illud scilicet quod, *Manus nostræ contrectaverunt*, ipsum palpando, *De verbo vitæ*, Non secundum verbi naturam, sed secundum carnem assumptam. Luc. XXIV. *Palpate et videte.* Hic sumitur argumentum quod non solum Thomas palpavit, sed et alii secundum *Glossam, Et vita,* id est ipse idem Christus. Joan. XIV, *Ego sum via, veritas et vita, Manifestata est*, interius per fidem, exterius per prædicationem, per miraculorum operationem. In hoc autem quod dicitur, manus nostræ contrectaverunt, insinuatur nobis certissima cognitio quantum ad veritatem humanam; sensus enim certissimus est tactus, *Et vidimus;* quasi dicat, hoc inquam nos Apostoli vidimus certitudinaliter cognoscendo, *Et testamur*, Audacter asserendo. Et probant assertionem, martyria sustinendo. Nam martyr græce, testis latine dicitur, Act. I, *Eritis mihi testes etc.* Isa. XLIII, *Vere vos testes mei, dicit Dominus.* Et notandum quod testimonio promittit visionem, quia certitudo visionis requiritur ad hoc quod testimonium sit efficax, *Et annunciamus vobis*, publice scilicet prædicando : erant enim nuncii Domini. Psalm. LXIII, *Annuntiaverunt opera Dei etc*, *Vitam æternam*, id est Christum qui est vita æterna : visio enim Christi Dei et hominis est vita æterna. Joan. XVII, *Hæc est vita æterna etc.* Dicitur autem Christus vita æterna per essentiam quo ad se et per se, et per causam quo ad nos : *quæ* vita æterna, id est Christus, *erat*, ab æterno secundum divinitatem. Joan. I, *Verbum erat apud Deum. Apud Patrem*, ut alius apud alium, secundum personarum distinctionem, *Et apparuit nobis*, in fine temporum, secundum carnem, Habac. III, *Apparebit in fine et non mentietur etc.*

Quod vidimus et audivimus et annunciamus etc. Hic commendando doctrinam, ostendit ejus utilitatem ex parte auditorum. Prima est communio Ecclesiæ. Secunda participatio gratiæ, ibi, *Et societas vestra.* Tertia est gaudium cordis, ibi, *Et hæc scribimus.* Quarta est illuminatio mentis, ibi, *Et hæc annunciatio.* Dicit ergo, *Quod vidimus.* Repetit, causa majoris certitudinis. Genes. XLI. Quod autem secundo vidisti ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est. Vel trina repetitio fit propter tres differentias sensuum; scilicet corporalis quæ est carnis, et intellectualis, quæ est rationis, et spiritualis quæ est verbum fidei. Quod scilicet verbum Dei. *Vidimus*, in carne, *Audivimus.* In sermone. *Annunciamus,* in prædicatione, *Vobis*, Qui nec audivi-

stis nec vidistis, minus felices in hoc, ut dicit *Glossa*, quam illi. Unde Luc. x, *Beati oculi qui vident quæ vos vidistis*. Nec obstat quod dicitur Joan. xx, *Beati qui non viderunt etc*. Non dicit beatiores; nam secundum statum communem meriti, beatius est credere quod non videtur, quam quod videtur. Secundum vero statum specialem illorum qui viderunt, quia ampliorem gratiam receperunt, beatius fuit audire et videre, quam audire tantum, sic intelligitur *Glossa*. *Ut* scilicet et vos, qui prædicta non vidistis. *Societatem habeatis nobiscum*, majoribus, qui prædicta vidimus. Societatem inquam in præsenti, in communione Ecclesiæ quo ad fidem et bona opera. Psalm. cxviii. *Particeps ego sum omnium timentium te etc*. *Et societas nostra sit*, in futuro non tantum hominum, sed ad invicem scilicet cum Deo secundum illud Joan. xiv, *Ad eum veniemus et mansionem etc*. *Cum Patre*, In quo est omne bonum. Jacob. i, *Omne donum optimum etc*. *Et Filio ejus*, per quem omne bonum. Joan. i, *Omnia per ipsum facta etc*. *Jesu Christo*, hoc addit ad differentiam filiorum adoptivorum. Ab amborum societate non separatur Spiritus sanctus ; sed intelligitur, ut secundum *Glossam*, Simus hæredes Dei, cohæredes Domini nostri Christi. Rom. viii. Sic ergo per societatem sanctam transitur ad societatem divinam. *Glossa*, ergo per nostram societatem transibitis ad societatem Dei. Prima est gratiæ in præsenti. Secunda gloriæ in futuro. *Et hoc scribimus vobis*. *Glossa* : non tantum transitorie nunciamus, sed et memoriæ commendamus. *Ut gaudeatis*. *Glossa*. In hoc sequuti unitatem Ecclesiæ. *Et gaudium vestrum sit plenum*. In futuro, in Angelorum societate : nunc enim non est gaudium plenum : quia *risus dolori miscetur*, Proverb. xxxiv. Sed tunc erit plenum non solum plenitudine sufficientiæ vel indeficientiæ, sed et superfluentiæ. Ita enim gaudium replebit animam, quod undique superfluet ; et sub et supra, et intus et extra, a dextris et a sinistris : ut sit beatus totaliter in gaudio, sicut piscis in aqua, et homo in domo propria. Matth. xv, *Intra in gaudium Domini tui*. De hoc triplici gaudio, Joan. xvi. *Ut gaudium meum sit in vobis, et gaudium vestrum impleatur*. *Et hæc est annunciatio*, quam scilicet vobis annuncio, id est res digna annunciatione. *Quam audivimus*, auditu interiori per fidem ; et exteriori per prædicationem. *Ab eo*, a Christo scilicet, *Et annunciamus vobis*, aliis, scilicet qui ab eo non audistis. Psalm. lxiii, *Annunciaverunt opera Dei, etc*. *Quoniam Deus lux est*, per essentiam, non corporalis. Joan. ix, *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*. Et Joan. iii, *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*. *Et tenebræ*, peccati, erroris, ignorantiæ, injustitiæ, quæ sunt tenebræ spirituales. *In eo non sunt ullæ*, scilicet per participationem. Jacob. ii, *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*. II Corinth. vi, *Quæ enim societas lucis ad tenebras?* Augustinus : « Deus est lux quam non capit locus : nox quam non capit tempus : odor quem non spargit ventus : cibus quem non minuit edacitas : amplexus quem non divellit societas. » Et nota, quod est differentia inter lucem et lumen : quia lux est ipsa luminis forma ; lumen vero est lux, ut est in aliquo corpore recepta et incorporata. Unde Christus proprie dicitur lux in sua divinitate : in se lumen prout est unita in humanitate. Isa. lx, *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum*. Dicitur ergo Christus lumen ratione unionis, quia lumen, sicut dictum est, est lux incorporata. Et in Christo lux divinitatis est carni unita. Psalm. xxxv, *In lumine tuo*, scilicet deitatis, *videbimus lumen*, scilicet humanitatis ratione delectationis. Eccl. ix, *Dulce lumen et delectabile oculis videre solem*. Ratione illuminationis. Luc. i, *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent*. Vel dicitur lumen, quia illuminavit nos exemplis. Isa. xl, *Ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui*. In doctrinis. Isa. ii, *Domus Jacob, venite ambulemus in lumine Dei nostri*. Item beneficiis : hæc contra tenebras culpæ, ignorantiæ, inscientiæ.

Si dixerimus quoniam etc. Hic ostendit utilitatis consequendæ modum. Primo in honestate conversationis. Secundo in humilitate reputationis, ibi, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*. Ad honestatem conversationis duo tangit. Primo declinationem mali ; secundo operationem boni, ibi, *Si autem in luce ambulemus*. Humilitatem reputationis tangit in tribus : primo in præsentium peccatorum cognitione quo ad seipsum ; secundo in eorumdem confessione quo ad alium, ibi, *Si confiteamur peccata* ; tertio in præterito-

rum peccatorum recordatione ante Deum, ibi. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, etc.* Dicit ergo, *Si dixerimus*, quia Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt. *Iterum si dixerimus*, nos quicumque apostoli, vel alii, dictione cordis vel oris. *Quoniam societatem habemus. Glossa,* per fidem et charitatem quoniam Deo sociant. *Cum illo*, scilicet Domino, qui lux est. *Et in tenebris. Glossa*, peccatis. Unde peccata dicuntur opera tenebrarum. Ad Rom. XIII. *Abjiciamus*, inquit, *opera tenebrarum*. Dicuntur autem peccata tenebræ, quia dæmones tenebrosi ad ea nos impellunt. In tenebris fiunt, animam tenebrosam faciunt, ad tenebras æternæ damnationis ducunt. Psal. XXXIV, *Fiat via illorum tenebræ et lubricum.* Jerem. XXIII, *Via illorum quasi lubricum*, in tenebris scilicet; impellentur enim, et corruent in ea. *Ambulamus,* idest de malo in pejus proficiemus. *Glossa* peccato peccatum addentes. Hæc est pessima ambulatio, de qua Joan. XIII, *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Mentimur*, ecce peccatum commissionis. *Et non facimus veritatem*, ecce peccatum omissionis. Vel secundum *Glossam*, Mentimur in nobis, et non facimus veritatem, dum alios ad idem mendacium exemplo nostro inducimus. *Glossa.* Jam ergo habere qui vult societatem cum luce, pellat tenebras peccatorum. *Si autem in luce*, vitæ bonæ alios exemplo illuminantis, secundum illud Joan. I, *Vita erat lux hominum*, *Ambulaverimus,* id est si de bono in melius proficimus. *Glossa.* Homo in luce ambulat, qui virtutum operibus ad meliora proficit. Ephes. V, *Ut filii lucis ambulate etc. Sicut et ipse est in luce*, id est in seipso qui est lux. I Tim. VI, *Qui lucem habitat inaccessibilem.* Et dicit *est,* immutabiliter et immobiliter. Non ait, ambulat, quia Deus non proficit. Unde *Glossa*, Deus esse in luce dicitur quia summam ubi proficere valeat non invenit. *Societatem habemus ad invicem*, gratiæ scilicet et charitatis. Et unus cum alio, cum membro suo, et omnes cum capite nostro, scilicet Christo. *Et sanguis Jesu Christi etc. Glossa*, sacramentum Dominicæ passionis. *Filii ejus*, scilicet Dei Patris. *Emundat,* idest evidenter mundat. *Nos* qui sumus de societate Ecclesiæ merito, non solo numero. *Ab omni peccato*, scilicet originali, actuali, mortali, et veniali. *Glossa :* sacramentum dominicæ passionis omnia peccata, originalia et actualia laxavit. Apoc. I, *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Sanguis enim Christi, cum ipse sit mundissimus, mundat et non inquinat. Apoc. VII, *Laverunt stolas suas etc. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus. Glossa.* Sicut ambulamus in luce, ita sumus mundi : non tamen debemus putare nos, quamdiu vivimus, omnino posse a peccato mundari. *Si dixerimus inquam.* Glossa, elati de aliqua justitia. *Quoniam peccatum non habemus*, ullum nec mortale nec veniale. Dicitur autem peccatum haberi large non proprie, cum non sit habitus sed privatio. *Non habemus. Glossa*, non ait non habuimus, ne forte de præterita vita dictum intelligatur, *Ipsi nos seducimus.* Hæc enim præsumptio separat nos a Deo. Sap. X, *Perversæ cogitationes separant nos a Deo. Et veritas in nobis non est*, idest Deus qui est veritas. Joan. XIV. *Ego sum via, veritas et vita. Glossa*, Deus ab elatis se subtrahit. Jacob. IV. *Deus superbis resistit etc.* Hujus autem ratio est : quia contraria contrariis expelluntur, ergo veritas falsitate. Falsitas autem est se putare absque peccato esse. Prover. XX, *Qui potest dicere*, *mundum est cor meum?* etc. Et Proverb. XXIV : *Septies in die cadit justus.* Sed e contrario, *Si confiteamur*, id est, si simul fateamur confessione cordis Deo, et confessione oris Dei vicario. Jacobi ultimo. *Confiteamini alterutrum peccata vestra :* quoniam sine peccato in hac vita esse non possumus. Prima salutis spes est ipsa confessio. *Peccata*, non bona, ut qui se jactant confitendo, exemplo Pharisæi. Luc. XVIII, *Jejuno bis in sabbato. Nostra* non aliena : ut qui alios accusant confitendo, vel super alios se excusant. Contra quos Psalm. XXXI, *Dixi : confitebor adversum me, etc. Fidelis est,* promissa humilibus conferendo. *Et justus* peccata pœnitentibus remittendo. Vel fidelis, promissa reddendo. Et justus secundum merita retribuendo. *Ut remittat nobis peccata nostra. Glossa,* majora peccata, scilicet mortalia; hæc enim sunt peccata simpliciter, quia peccatum, secundum Augustinum, est factum vel dictum vel concupitum contra legem Dei. *Et emundet nos ab omni iniquitate.* Iniquitatem vocat minora peccata sicut venialia. Vel remissio peccati refertur ad dimissionem pœnæ, emundatio iniquitatis ad dimissionem culpæ. Et dicit, omni : tria sunt genera hujusmodi minorum peccatorum ; scilicet

lignum, fœnum, stipula. I Corinth. III. Vel remissio in præsenti, emundatio, id est perfecta scilicet mundatio in futuro. *Si dixerimus, quoniam non peccavimus. Glossa.* Si confiteamur, mundamur; sed si nos honorare volumus, dicendo, non peccavimus. *Glossa*, quasi non egemus absolvi. Contra illud Rom. V, *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei. Mendacem facimus eum*, scilicet Deum. *Glossa* Bedæ, « Nec infans unius diei est sine peccato. » Et sumitur illa ab illo verbo, Job. XV, secundum aliam translationem, Quid est homo ut immaculatus sit : ut justus appareat natus de muliere. Et Proverb. XIV, *Septies in die cadit justus*. Cadit inquam, in charitate scilicet, non a charitate. Et hoc insinuatur per hoc quod dicit, in die, non a die. Vel eum facimus mendacem, qui docet nos pro peccatis quotidianis orare. Matth. V, *Dimitte nobis debita nostra. Et verbum ejus*, vel increatum, scilicet Christus, qui est verbum Patris. Joan. I. *In principio erat Verbum.* Vel etiam creatum, scilicet instructionis, quo instruimur ad humilitatem. Matth. XI, *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde. Non est in nobis*, id est efficaciam non habet in nobis.

CAPUT II.

Filioli mei etc. Hic hortatur ad doctrinæ suæ observantiam. Agens primo de materia diligendorum capitulo isto. Secundo, de forma seu modo diligendi, cap. III. In prima parte, quia contraria juxta se posita magis elucescunt, primo ostendit quid diligendum. Secundo quid non diligendum, ibi, *Scribo vobis filioli.* In prima parte primo hortatur ad dilectionem Dei ; secundo ad dilectionem proximi, ibi, *Charissimi non mandatum novum etc.* Ad dilectionem Dei hortando, primo movet cavere Dei offensam in malo, quod est dilectionis impedimentum ; secundo facere ejus voluntatem in bono, quod est dilectionis promotivum, ibi, *Et in hoc scimus.* Offensam cavere monet primo declinando a peccato, quod est duplex. Primo per ignorantiam. Secundo per pœnitentiam sive emendam, ibi : *Sed et si quis peccaverit.* Promotivum et observativum est mandatorum observantia. Ad quam hortatur primo ratione signi, ibi : *Et in hoc scimus.* Secundo ratione damni, ibi : *Qui dicit se nosse Deum.* Tertio ratione lucri, ibi : *Qui servat verbum ejus.* Quarto ratione debiti, ibi : *Qui dicit se in ipso manere.* Dicit ergo, *filioli*, adhuc in fide tenelli et infirmi. Per diminutivum autem notatur tenerrimus affectus scribentis, *Mei, Glossa*, Quibus debeo providere et vos mihi obedire, *hæc*, scilicet præmissa, *Scribo vobis.* Glossa, ut in memoria teneatis. Non solum dico, *Ut non peccetis*, dicendo non peccavimus, quod est peccatum præsumptionis. Vel ut non peccetis aliquo genere peccati : quia sicut dicitur Jacob. II, *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus. Sed et si quis peccaverit, Glossa*, Post admonitionem ceciderit, non desperet, sed pœniteat, *advocatum*, in causis animarum non possessionum. Et non solum advocatum, imo et advocatam cum dicimus : Eia ergo advocata nostra, *habemus*, nos fideles. *Glossa*, Joannes vir justus contemperans se infirmis, non dicit habetis, sed habemus, ponens se in numero peccatorum, ut habeat advocatum. Non est autem advocatus, secundum *Glossam*, nisi eum vocantibus displiceant sibi peccata. Clama et ipse audit et liberat. Joel. III, Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. *Apud Patrem*, ut iram Patris habeat placare, repræsentando Patri naturam humanam cicatricibus signatam, et ita sua merita allegantem non nostra. Hebr. VII, *Semper vivens ad interpellandum pro nobis, Jesum*, id est Salvatorem, ad quem pro salute nostra intercedere pertinet ex officio, *Christum*, id est unctum plenitudine gratiæ ad quem pertinet compassionis zelo, quia pius ; *justum*, sine culpa propriæ offensæ, ad quem pertinet ex vitæ merito, quod non repellatur, ut indignus. Istud autem dicit ad differentiam aliorum advocatorum, ut ostendatur secundum *Glossam*, quod cum sit justus injustas causas non suscipit, quod faciunt alii advocati e converso. Ejus vero pro nobis intercessio fuit triplex. Primo autem ante passionem devota oratione. Joan. XVII, *Ego pro eis rogo.* Secundo in cruce sanguinis effusione. Unde sanguis Christi melius quam sanguis Abel dicitur clamare. Hebr. XII. Tertio post ascensionem cicatricum repræsentatione. Hebr. V, Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Bernardus : « Securum habes, homo, ad Deum accessum ; ubi ante Patrem Filium, ante Filium habes matrem. Mater ostendit filio pectus et

ubera. Filius ostendit Patri latus et vulnera, nec ulla esse repulsa potest ubi occurrunt tot charitatis insignia. » *Et ipse*, scilicet Christus, *Est propitiatio pro peccatis nostris*. Dicitur autem propitiatio vel active, id est propitians nos Deo, hoc est propitiator. Rom. III, *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine etc*. Vel propitiatio passive, Ipse est hostia oblata pro expiatione nostra. Infra tertio, *Misit Dominus Filium suum unigenitum propitiationem pro peccatis nostris*. Hoc fuit significatum Exod XXV, *Ubi facies propitiatorium ex auro purissimo*. *Non pro nostris tantum, sed pro totius mundi*. Pro peccatis qui sumus ejus membra secundum efficiendam.

Et in hoc scimus quoniam etc. Hic hortatur ad mandatorum observationem ratione signi, ibi: *Advocatum habemus* nos fideles, qui cognoscimus : *Et in hoc scimus*, id est in hoc scire possumus, sicut causa per effectum cognoscitur, *Quoniam cognovimus eum*, advocatum, scilicet Christum, cognitione scilicet approbationis sive experientiæ, Non tantum simplicis speculationis : unde *Glossa :* Hoc est cognoscere Deum, quod amare, *Si mandata ejus servamus*. Maxime illa duo, in quibus *tota lex pendet et prophetæ*. Matth. XXII, *Glossa* I, charitatem, Et dicitur, observamus, id est si fideliter servamus. Gregorius, « Probatio dilectionis exhibitio est operis. » Et Joan. XIV, *Si quis diligit me etc*. *Qui dicit se nosse Deum*, ore; et intellige de notitia approbationis et non simplicis speculationis, *Et mandata ejus non custodit*, opere scilicet, *Mendax est*. Sed videtur quod deberet dicere mentitur, non mendax est. Mendacium enim habitum dicit : habitus nunc ex uno opere malo non relinquitur, sed multis : unde non sequitur : si dicit mendacium mendax est. Responsio, Omnis homo de se mendax est. Psalm. CXV, *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax ;* sed per Deum, cum habet gratiam Dei, efficitur verax. Unde Augustinus : « Deus verax per se, tu verax per Deum. » Quando autem homo non habet gratiam Dei, relinquitur propriæ naturæ, et sic est mendax : sed qui non servat mandata, non habet gratiam Dei ; ergo qui non custodit mandata, mendax est, *Et veritas in eo non est*, Veritas ista in eo non est, sed vanitas. Sapient. XIII, *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, vel veritas, id est Christus, in eo non est per inhabitantem gratiam. Proverb. XV, *Longe est Dominus ab impiis*. Vel mendax est in verbo, et veritas in eo non est facto seu opere. *Qui autem servat verbum ejus*, id est mandata ejus. Unde idem dicitur hic per verbum et supra per mandata : sed mandata dicuntur secundum quod plura sunt distinctione legis : verbum vero secundum quod uniuntur in una radice charitatis. Gregorius : « Præcepta dominica et multa sunt et unum. » Multa quidem sunt diversitate operis, unum in radice dilectionis. *Vere*, non ficte : vera enim charitas ex opere ostenditur, infra eodem. Diligamus non verbo nec lingua, sed opere et veritate. *In hoc charitas Dei perfecta est*. Perfectione scilicet sufficientiæ ; de qua ad Coloss. III, *Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Sed contra, Omnis habens charitatem servat mandata ; ergo omnis habens charitatem est perfectus in charitate. Responsio. Duplex est perfectio : quædam sufficientiæ de qua Matth. V, *Estote perfecti etc*. Et quædam supererogationis, de qua Matth. XIX, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, et da pauperibus; et ita perfecta charitas foras mittit timorem*. Loquitur ergo hic de prima perfectione, non secunda, scilicet in mandatorum observantia. *Scimus*. Certitudine probabilis conjecturæ, non omnimoda, quia Eccles. IX, *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit, Quoniam in ipso*, scilicet Christo, *sumus*, sicut membra in corpore. Act. XVII, *In ipso vivimus, movemur et sumus*. Illud autem esse in, non est aliud quam ei uniri per amorem. *Qui dicit se manere in Christo*, scilicet per charitatem. Charitas enim facit manere in Christo, ut infra IV cap. Qui manet in charitate, in Deo manet. *Debet sicut ille ambulat et ipse ambulare*, id est debet se ei in via morum conformare, ut possit dicere illud, Job XXIII, *Vestigia ejus sequutus est pes meus*. *Glossa* hic : in via justitiæ, charitatis et patientiæ, et orando pro inimicis sicut ipse oravit. Hæc est via cœli non sæculi, Dei non mundi. *Ambulare*, *Glossa*, de virtute in virtutem. Psalm. LXXXIII, *Ibunt de virtute in virtutem*. Debet enim membrum sequi caput suum, discipulus magistrum, servus dominum. Et notandum quod ly sicut, non dicit omnimodam similitudinem, sed qualemcumque. Vel non dicit similitudinem absolutam, sed comparativam : ut scilicet sicut ille suo

modo ambulavit, ita et nos secundum modum infirmitatis nostræ.

Carissimi, non mandatum novum etc. Hic hortatur ad dilectionem proximi dupliciter. Primo ex commendatione mandati dilectionis. Secundo ex necessitate diligentis, ibi : *Qui dicit se in luce esse etc.* Mandatum autem commendat dupliciter. Primo ab antiquitate institutionis. Secundo a novitate virtutis, ibi : *Iterum mandatum novum.* Necessitatem diligentis ostendit in tribus. Primo in damno. Secundo in lucro, ibi : *Qui diligit fratrem.* Tertio in periculo, ibi : *Qui autem odit fratrem suum etc.* Dicit ergo, *charissimi. Glossa*, Attendenda sunt hæc mandata, quia non sunt nova : unde charissimi charissima affectione mihi conjuncti. *Non mandatum novum*, id est incognitum et inauditum, *Scribo vobis*, scilicet mandatum de charitate. *Sed mandatum vetus* id est ab antiquo editum, quia in corde primi hominis scriptum et ab omnibus sanctis patribus observatum, non quia pertinebat ad veterem hominem, *Quod habuistis ab initio*, conditionis sive legis naturæ. Vel ab initio legis Mosaicæ, quia omnia præcepta primæ tabulæ reducuntur ad præceptum de dilectione Dei. Vel ab initio, *Glossa*, fidei nostræ. *Mandatum vetus est verbum*, scilicet charitatis, *Quod audistis, Glossa*, a me et ab aliis prædicatoribus; ideo vetus, *Audistis iterum mandatum novum*, scilicet mandatum de charitate, *Scribo vobis, Glossa*, Eadem charitas vetus mandatum est, quia ab initio commendata : eadem novum mandatum, quia tenebris ejectis desiderium novæ lucis infundit. Vel vetus dicitur, quia in veteri Testamento datum antiquis. Deuteronomii VI. Novum, quia in novo Testamento replicatum et ampliatum modernis. Matth, VI, *Dictum est antiquis etc.* Dicitur autem hoc mandatum novum, quia nos spiritualiter innovat. Rom. VI, *In novitate vitæ ambulemus.* Quia etiam pertinet ad novam legem quæ data est a novo rege. Solet enim dici a novo rege nova lex. Vel propter diligendi modum de novo dictum. *Dictum est enim antiquis. Diliges proximum tuum.* Levitici XIX. Sed in evangelio Joan. XIII dicitur, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Quia veteri dilectioni novam dilectionem, scilicet dilectionem inimicorum adjungit. Matth. V, *Diligite inimicos vestros.* Item quia in novum cœlum tamquam in mansionem introducat. Apoc. XXI, *Vidi cœlum novum et terram novam. Quod verum est, Glossa* non umbratice, quia non cæremoniale, sed morale ; non transitorium, sed perpetuum, manet in via et in patria, charitas enim nunquam excidit, I Corinth. XIII. *Et in Christo*, impletum, *Et in vobis*, implendum. Joan. XIII, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Impletum in Christo fuit, quando ex charitate, quam habebat, morti se exposuit. Joan. XV, *Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut ponat etc.* Et vere novum in ipso et in vobis. *Et tenebræ, Glossa*, Tenebræ ad veterem hominem, lux ad novum pertinet. Potest autem hoc intelligi et de Christo et de tenebris. De Christo sic, Tenebræ, *Glossa*, Miseræ carnis in Christo. *Transierunt, et verum lumen*, immortalitatis, *Jam lucet*, in eo. Vel de tenebris sic. Tenebræ scilicet peccati et infidelitatis, *Jam transierunt et verum lumen*, scilicet fidei et charitatis, jam lucet in vobis, scilicet, Rom. XIII, *Nox præcessit, dies autem autem appropinquavit.* Primo modo pertinet ad miseriam pœnæ. Secundo modo ad miseriam culpæ. *Qui dicit se in luce esse*, id est in Christo qui est lux. Joan. VIII, *Ego sum lux mundi.* Vel in luce justitiæ. Sapient. V, *Justitiæ lumen non luxit nobis.* Vel operationis bonæ. Bona enim operatio quædam lux est. Matth. V, *Sic luceat lux vestra coram hominibus etc. Et fratrem suum*, hominem quemcumque vel Christianum specialiter. Est enim fraternitas naturæ inter omnes, sed gratiæ inter fideles. *Odit*, Interl. Quem Deus præcipit diligi, licet peccatum sit odio habendum, juxta illud Psalm. Iniquos odio habui. *In tenebris est, Glossa*, in peccatis, in quibus natus fuerat. Vel deputatus tenebris inferni. Unde tenebræ intelliguntur hic vel macula culpæ vel reatus pœnæ. *Usque adhuc*, id est usque modo et post baptismum, in quo lumen fidei et aliarum virtutum suscepit. Ex hoc autem quod dicit *Glossa*, In peccatis in quibus natus fuerat, videtur quod plura sunt originalia et quod originale per odium fraternum redeat. Ad primum dicendum est, quod originale est unum in numero per essentiam, sed plura propter corruptionem plurium virium animæ. Unde est unum formaliter, plura materialiter. Et ideo dicitur pluraliter originalia. Ad secundum responsio, Originale pro tanto dicitur redire, quia originali proprie debetur carentia visionis Dei : de-

cedens autem in mortali, caret visione Dei. Vel dicitur redire, quia fomes peccati intenditur per peccatum. Idem autem sunt subjecto fomes et originale : ita qui fratrem odit in tenebris est. Sed contra de dilectione est, *Qui diligit*, dilectione scilicet charitatis. *Fratrem suum*, id est proximum, *In lumine manet*, scilicet fidei. Ardor enim charitatis non est sine luce charitatis. Ecclesiast. II, *Qui timetis Dominum, diligite illum, et illuminabit corda vestra.* Vel in lumine bonæ operationis, sive operum legis. Prov. VI, *Mandatum lucerna et lex lux*, quia charitas nunquam est otiosa. Gregorius : « Amor Dei nunquam est otiosus ; operatur enim magna, si est ; si autem operari renuit, amor non est. » Et dicit manet seu potius permanet, id est perfecte manet, quia tunc bona opera et lux fidei prosunt, ut dicit *Glossa*. *Et scandalum non est in eo :* quia qui diligit proximum non habet quo pes mentis offendatur. Psalm. CXVIII, *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Scandalum enim idem est quod obex, ibi est inæqualitas in via. Ubi autem charitas, ibi est æqualitas in via; quia charitas adæquat viam et removet omnia offendicula. Et ideo in illo qui diligit propter Deum non est scandalum, nec activum, quia nullum scandalizat : nec etiam passivum, quia non scandalizatur quicquid ei fiat. I Corinth. XIII, *Charitas omnia suffert.* Unde *Glossa*, Qui diligit fratrem, tolerat omnia propter unitatem charitatis. Et si fratri adhibet correctionem, non irascitur. Unde sicut ille qui incedit per viam bene illuminatam, non offendit in via, etiamsi in via sint multa offendicula, ille vero qui incedit in tenebris de facili offendit etiam in via plana ; ita qui illuminatus est lumine charitatis, et diligit fratrem suum, non offendit, etiam si in fratre suo videat multa offendicula. Si enim videt aliquod offendiculum in fratre, corripit eum et compatitur et tolerat. E contrario ille qui odit fratrem suum, et est in tenebris odii et de facili offendit. Et si in fratre non sint offendicula, si videt bonum ejus, dolet, tristatur, invidet et pervertit ipsum. Ideo sequitur, *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est*, idest in carentia seu privatione lucis gratiæ, *Et in tenebris ambulat. Glossa*, Per ipsam ignorantiam ambulat de vitio in vitium. Et *interlinearis* dicit, quod proficit in pejus. II Corinth. III, *Mali homines proficient in pejus*, *Et nescit quo eat*, idest operum suorum finem non attendit, nec considerat. *Glossa*, non prævidet ad quam pœnam recipiendus sit. Prov. IV, *Via impiorum tenebrosa.* Nesciunt ubi corruunt, *Quia tenebræ*, scilicet erroris et peccati, *Obcæcaverunt oculos ejus*, spirituales, scilicet intellectum et affectum; quia nec veritatem cognoscit eo quod in tenebris est, nec bonum appetit, quia ad peccatum ruit. Eccles. XI, *Error et tenebræ peccatoribus concreata sunt.* Vel secundum *Glossam*, Recedentes a lumine Christi, peccatis et carnali voluptate ita præpediuntur, ut et si bonum videant, non tamen exequuntur. Isti excæcantur ex malitia. Sap. II, *Excæcavit eos malitia eorum.*

Scribo vobis filioli etc.. Hic ostendit e contrario quid non sit diligendum, retrahens primo eos ab amore mundano. Secundo ab errore hæretico, ibi : *Filioli mei novissima est.* Primum opponitur charitati in affectu. Secundum fidei in intellectu. Primum est causa totius mali in moribus. Secundum in fide. In prima parte ostendit primo quibus mandat, in quo ostenditur præcepti generalitas. Secundo quid mandat, in qua ostenditur præcepti utilitas, ibi : *Nolite diligere mundum.* Ad ostendendum generalitatem mandati, non ponit speciales conditiones hujus alicujus generis, sed generales omnium. Primo secundum conditiones ætatis spiritualis. Secundo secundum conditiones ætatis corporalis inferiores, ibi : *Scribo vobis adolescentes.* Tertio secundum conditiones ætatis corporalis perfectioris, ibi : *Scribo vobis patres.* Dicit ergo, *filioli. Glossa*, nuper geniti vel obedientes patri. Vel sicut dicit *Glossa*, Omnes vocat filios quos ipse in fide præcessit. *Scribo vobis*, non solum prædico, sed et scribo ut memoriam habeatis. Scribo autem illud quod postea sequitur, *Nolite diligere mundum etc. :* quasi dicat : Monui vos ad charitatem ; modo moneo ut caveatis ab impedimentis. Et hoc debetis facere, *Quoniam remittuntur vobis peccata vestra*, per baptismum et pœnitentiam. *Propter nomen ejus*, id est nomen fidelis invocationis. *Glossa*, Non Petri vel Pauli. In primitiva enim Ecclesia baptizabant in nomine Christi, ut sic allicerent baptizatos ad amorem nominis Christi. Act. VIII, *Baptizati erant in nomine Domini Jesu. Glossa,* Præponit causam qua possit eos abstrahere ab

amore mundi. *Scribo vobis patres. Glossa*, non ætate, sed sapientia : quorum est antiqua meminisse et minoribus pandere. Hi sunt reverendi senes, in quibus jam debet amor mundi frigescere : *scribo*, scilicet, hoc quod sequitur, Nolite diligere mundum : et hoc debetis, *Quoniam cognovistis eum qui ab initio est*, scilicet Filium qui est a Patre. *Vel ab initio*, id est ante initium rerum, sicut prius dictum est, Eccles. xxiv, *Ab initio et ante sæcula creata sum :* quasi dicat : Hæc est causa quare debetis abstrahi ab amore mundi, *Quoniam cognovistis eum*, quem mundus non cognovit, id est mundi amatores. Joan. i, *In mundo erat et mundus eum non cognovit. Scribo vobis adolescentes*, scilicet tempore seu ætate. Hoc scilicet nolite diligere mundum, *Quoniam vicistis malignum*, id est mundum qui *totus in maligno positus est*, Infra ultimo : quasi dicat : Vicistis mundum proficiendo ; non debetis respicere mundum diligendo ipsum. Et Luc. ix, *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro etc.* Item cavere debetis ne vincamini ab eo quem vicistis : quia valde esset vobis verecundum. Et notandum quod adolescentibus ascribitur victoria : quia illa ætas specialiter impugnatur incentivis vitiorum. Item quia illa ætas est congrua ad certandum. *Scribo vobis infantes. Glossa*, humiles spiritu. *Scribo*, inquam, *Nolite diligere mundum*, *Quoniam cognovistis Patrem*, scilicet Deum, cognitione fidei : quasi dicat : Et si non sitis apti ad pugnam, quia adhuc estis incipientes in bono ; tamen habetis Dei cognitionem et eum diligitis : unde non debetis diligere illa quæ istam dilectionem impediunt. *Scribo*, scilicet iterum, *Vobis patres*, seniores scilicet ætate et sapientia. Hæc est duplex senectus, de qua Sapient. iv, *Senectus enim venerabilis est etc.* Repetit autem eo quod ipsi magis tenentur ad hoc, ratione ætatis maturioris et sapientiæ majoris, *Quoniam cognovistis eum qui ab initio est*, id est a patre ; vel ab initio, id est ante initium. *Glossa*, Si obliviscamini eum qui ab initio est, perditis paternitatem, *Scribo vobis juvenes*, scilicet nolite diligere mundum etc. *Quoniam estis fortes*, id est præditi fortitudine et virtute ad spirituale certamen. *Glossa*, Fortes non ex vobis, sed ex Deo. Psalm. cxvii, *Fortitudo mea et laus mea Dominus. Et verbum Dei*, *Glossa*, Filius Dei, prædicatio Filii Dei, *In vobis permanet*, id est perfecte manet per intemeratam fidem. Et hoc contra tentationes diaboli, *Et vicistis malignum*, id est mundum. Et quia vicistis eum, turpe esset vobis vinci ab illo.

Nolite diligere mundum, etc. Hic ostenditur qui mandat ; in quo tangitur mandati utilitas. Dissuadet quidem amorem mundi triplici ratione. Primo ex damnositate ipsius amoris. Secundo ex utilitate rei amatæ, ibi : *Quia omne quod est in mundo etc.* Tertio ex defectibilitate, ibi : *Et mundus transit etc.* Dicit ergo, *nolite. Glossa*, Vobis omnibus scribo hæc, *Nolite diligere*, amore concupiscentiæ, *mundum*, *Glossa*, Abundantiam mundi et pulchritudinem ejus. Mundus ergo supponit hic pro universitate concupiscibilium mundi, *Nec ea quæ in mundo sunt. Glossa.* Ut aurum et argentum et omnem fluxum divitiarum. Prohibetur autem hic mundus ad fruendum eo, non ad utendum : unde *Glossa*, Utimini mundo ad necessitatem, sed non diligite ad superfluitatem. Nec per hoc prohibetur quæcumque dilectio, sed inordinata per amoris affectum nimium. Augustinus : « Cum exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum. Et incipiet habitare charitas, extirpata silva vitiorum. » Idem : « Talis est quilibet qualis est ejus dilectio. Terram diligis, terra es : aurum diligis, aurum es : Deum diligis, quid dicam ? Deus eris. Non audeo, inquit, dicere ex me : Scripturam audiamus, Ego dixi, dii estis etc. » Sed cum mundus sit bonus, videtur quod sit diligendus ; ergo videtur prohibitio mala qua dicitur, nolite diligere mundum. Responsio, Diligere id est ex diversis legere seu colligere. Et sic diligere mundum est ipsum omnibus rebus præponere. Et sic mundus non est diligendus : tamen sub Deo est diligendus. Unde non prohibetur quæcumque dilectio, sed illa quæ est supra Deum, de qua dicit Augustinus, Væ tibi si amaveris condita et deserueris conditorem. Vel potest dici quod duplex est dilectio. Quædam ad necessitatem, alia ad superfluitatem. Primo modo mundus potest diligi. Secundo modo prohibetur, *Si quis dilexerit mundum*, præponendo ipso Deo, *Non est charitas Patris in eo :* quasi dicat : Amor Patris est contrarius amori mundi. Augustinus : « Duo sunt amores, Dei et mundi : sed si amor mundi inhabitet, non est quo amor Dei intret. » Idem etiam dicit, quod : « contra-

ria sunt charitas et cupiditas. Et quantum crescit cupiditas, decrescit charitas.» Et e converso Jacob. IV, *Amicitia hujus mundi inimica est Deo*. Unde *Glossa* hic, Unum cor duos sibi adversarios amores non capit. Sicut dilectio Dei est fons virtutum omnium, ita dilectio mundi omnium vitiorum. Isa. XXVIII, *Coangustatum enim est ita ut alter decidat.* Et vere non est charitas patris in eo qui mundum diligit. Quoniam, *Omne quod in mundo est,* id est in mundi dilectoribus. *Aut est concupiscentia carnis*, Et sumitur hic concupiscentia carnis pro generali appetitu inordinato qui incitatur per quinque sensus. *Glossa*, Concupiscentia carnis est desiderium omnium quæ ad voluptatem et delicias corporis pertinent, ut cibus, potus, concubitus. *Et concupiscentia oculorum. Glossa.* Quando visus delectatur, ut in pulchris vestibus et auro et similibus. *Et superbia vitæ. Glossa*, Omnis ambitio sæculi. Eccles. X, *Odibilis coram Deo et hominibus superbia.* Bene dicitur hic tertium superbia, quia magis est supra viam et extra viam humanæ naturæ quam alia duo, quorum concupiscentiæ sunt hominum et aliquatenus naturalia. *Quæ non est ex Patre.* Hoc dicitur ad ostendendum quod sunt detestabiles prædictæ concupiscentiæ. Unde, *quæ*, scilicet concupiscentia generalis quæ communiter se extendit ad omnes prædictas, non est ex Deo Patre, id est ex Deo qui est Pater. Jacob. I, *Nemo cum tentatur dicat quoniam a Deo tentatur. Unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua attractus et illectus.* Vel quæ superbia non est ex Deo Patre, quia excludit charitatem Patris, *Sed ex mundo. Glossa*, ex mundi amore. Et ideo mundus non est diligendus, cum sit Patri contrarius. *Et mundus transit. Glossa*, debemus adhærere Patri non mundo, quia mundus transit. Interlinearis, in novam formam. I Corinth. VII, *Præterit figura hujus mundi.* Et notandum quod tres causæ mundi universales permanebunt : scilicet universalis efficiens, ut corpora superiora, sol et luna et hujusmodi quæ sunt causa efficiens universalis generationis in istis inferioribus : materialis universalis, ut quatuor elementa : finalis universalis ut homo : sed causa formalis mutabitur : unde bene dicitur, transit in novam formam. Et ideo quia mundus transit ; et homo qui diligit mundum, transit cum mundo. Gregorius : « Qui labenti innititur, necesse est ut ipse labatur. » Sed e contrario. Dicit autem, transit, non transibit, propter certitudinem : quasi dicat, Transiit jam in certitudine fidei nostræ, tandem transiet in re. Vel hoc dicit ut significet brevitatem temporis. Breve enim est quia terminum habet, et maxime respectu æternitatis, respectu cujus omne tempus breve est, *Qui autem facit voluntatem Dei*, non tantum dicit, ut illi Matth. VII, *Quid autem vocatis me Domine Domine, et non facitis quæ dico?* Et dicit voluntatem Dei, non suam. *Manet in æternum*, quia talis non moritur, sed de vita mortali ad immortalitatem transfertur. Joan. XI, *Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum*, id est, morte æterna quæ est vera mors, respectu cujus mors corporalis non est, nisi quidam gustus. Joan. VIII, *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum :* quasi dicat : licet gustet in præsenti. « Sicut enim qui labenti, id est mundo, innititur, necesse est ut conlabatur, ut dicit Gregorius supra ; ita e contrario stare oportet eum qui stanti innititur. » Sed objicitur contra hoc quod dicitur, Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis etc. Quia multa alia sunt in mundo, ut aurum, argentum, homines, bestiæ ; nec tamem sunt concupiscentia carnis etc. Responsio, Mundus non accipitur hic pro natura, sed pro abusore vel amatore mundi. Aut est concupiscentia carnis etc. In istis enim tribus omnia vitiorum genera comprehenduntur, ut dicit *Glossa.* Beda *in Glossa.* « Sicut enim qui adhæret Domino, unus spiritus est cum illo, et dicitur Deus, Psalm. LXXXI, *Ego dixi, dii estis, etc.,* sic qui adhæret mundo, potest dici mundus. Sed tunc objicitur ulterius : Si mundus accipitur pro mundi dilectoribus; cum in eis sint multa alia vitia, ut invidia, ira, accidia, videtur quod insufficienter dicat, omne quod in mundo est. Item aut concupiscentia carnis determinatur circa ea quæ spectant ad sensum tactus, aut generaliter circa ea quæ spectant ad omnes sensus carnales exteriores. Si primo modo, quare non dicitur determinate, concupiscentia tactus, sicut determinate concupiscentia oculorum? Si secundo modo, ergo concupiscentia oculorum non debet poni in numerum cum concupiscentia carnis, cum sub illa continentur. Item cum delectatio sit omnium sensuum, quare non nominatur concupi-

scentia sensuum, sicut concupiscentia oculorum? *Glossa* dicit, quod concupiscentia carnis est cum per gustum vel per tactum caro delectatur. Contra, alia *Glossa* dicit ibidem, quod concupiscentia carnis est desiderium omnium quæ ad voluptatem et delicias pertinent. Non ergo solum circa delectabilia gustus et tactus. Item *Glossa* dicit quod concupiscentia oculorum est quando delectatur visu, ut in pulchris vestibus, et auro et talibus. Contra : delectari in talibus pertinet ad concupiscentiam carnis. Ergo non videtur ex opposito distingui concupiscentia oculorum et carnis. Responsio, Divisio vitiorum assignatur penes principalia motiva concupiscentiæ ad malum. Nam concupiscentia carnis assignatur penes motivum inordinate ad voluptates et delitias corporis, cujusmodi sunt maxime in quibus delectatur nutritiva et generativa, et generaliter in quibus est delectatio corporalis. Concupiscentia oculorum assignatur penes motivum inordinate ad aliqua habenda seu possidenda ; sive sint spiritualia, ut scientia : sive corporalia, ut divitiæ. Superbia vitæ penes dominium, scilicet potestatem et gloriam. Sed de experientia pulchritudinis, est notandum quod *Glossa* dicit, Concupiscentia oculorum, est omnis curiositas, quæ fit in discentibus artibus magicis, in contemplandis spectaculis, in supervacuis acquirendis rebus temporalibus, in dignoscendis carpendisque vitiis proximorum. Superbia vitæ cum quis se jactat, etc. Quære *Glossam*.

Filioli, novissima hora etc. Hic retrahit ab hæretico errore. Primo monens cavere doctrinam hæreticorum. Secundo manere in vera doctrina apostolorum, ibi, *Vos autem quod auditis*. Ad cavendum autem falsam doctrinam hæreticorum, quadruplicem introducit rationem. Prima, quia hæresis est Christo contraria. Secunda, quia hæretici separati sunt ab Ecclesia, ibi, *Ex nobis prodierunt*. Tertia, quia ipsi sufficienter imbuti sunt doctrina catholica, ibi, *Sed vos unctionem habetis*. Quarta est, quia doctrina quam eis suadent hæretici, mendax est et perversa, ibi, *Quis est mendax, etc*. Dicit ergo, *Filioli mei*. Ita dixi, nolite diligere mundum. Eodem modo dico : nullo instinctu hæreticorum deficiatis a fide, quia hæc sunt contraria charitati. Et non debetis deficere, quia, *Filioli mei*. Et ideo debetis doctrinam Patris audire et facere. Unde ostendit affectus sui ad eos magnitudinem, et eorum ad ipsum debitam subjectionem. *Novissima hora est*. *Glossa* id est undecima hora : est sexta, sæculi ætas de qua Matth. xx, *Circa undecimam vero horam*. Vel secundum aliam *Glossam*, Novissima hora est, id est, similis novissimæ, quia similis es hæreticorum persecutio persecutioni Antichristi futuræ. Vel secundum aliam *Glossam*. Novissima hora est, quia prope est finis uniuscujusque. I Corinth. x, *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt*. *Et sicut etc*. quasi : et hoc inde patet. *Quia nunc*, id est, in hoc præsenti tempore (Nam a temporibus Apostolorum incœperunt hæretici) *Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt*, *Glossa*. Qui, baptizati et sacro chrismate uncti, per quod facilius possunt decipere, sunt Christo et ejus Ecclesiæ contrarii, antichristi, id est quia per varias hæreses et errores divisi. Contra illud Jacob. III, *Nolite plures magistri fieri*. Et dicit, *Facti sunt*, voluntate sua, suggestione diabolica. Facti ergo sunt Antichristi recedentes a fide Christi, et docentes contra fidem, ut Judæi docentes legalia observanda, ad Gal. v. Et Nicolaitæ docentes carnis delectationes esse licitas. Apoc. II. Vel antichristi dicuntur omnes peccantes contra legem Christi. *Sicut audistis, quia Antichristus venit*, scilicet in membris suis. Vel venit, id est jam quasi instat adventus ejus. De adventu vero Antichristi audierant et in evangelio, Matth. XXIV, *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi :* et per Apostolum, II ad Thessal. II, *Tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus interficiet spiritu oris sui*. Ratio ejus talis est : quoniam Antichristus et sui circa finem mundi sunt venturi, sed jam venerunt : ergo etc. *Unde*, id est ex eorum jam adventu, *Scimus*, fide, *Quia novissima hora*, id est instat finis sæculi. *Glossa*. Absque dilatione veniet dies judicii. *Ex nobis*. *Glossa*. Sed licet sint multi antichristi, non tamen terreant vos si a Judaismo vel paganismo redierunt, ne putetis ex hoc Ecclesiam pati damnum, *Quia et ex nobis prodierunt*. *Glossa :* ab unitate catholica recedentes. Erant enim de Ecclesia numero non merito, sacramentorum perceptione non charitatis communione. *Sed non erant ex nobis*, prædestinatione et electione. Et ideo ex recessu eorum Ecclesia non est damnificata, sicut nec corpus damnificatur cum

humores pravi exeunt de corpore. *Nam si fuissent ex nobis. Glossa.* Prædestinatione et electione Dei. *Permansissent utique nobiscum*, id est finaliter mansissent in consortio fidei seu fidelium. *Sed ut etc.*: quasi dicat : Ideo exire permittuntur, *Ut manifestati sint quoniam non sunt omnes ex nobis*, qui prius latebant, et sub specie fratrum vos decipere poterant. Unde præmittit Deus, quosdam de Ecclesia exire, ne contingat decipi veros fratres a falsis fratribus secum visibiliter manentibus.

Sed vos unctionem etc. Hic ostendit quod sufficienter imbuti sunt doctrina catholica. Vel sic, *Sed et vos unctionem.* Hæc est tertia ratio, quod sufficienter sunt imbuti doctrina catholica. Ubi ostendit primo quod habent doctorem sufficientem interius. Secundo, quod non indigent doctrina exteriori, ibi, *Non scripsimus. Quis est mendax.* Hæc est quarta ratio, quia doctrina hæreticorum mendax est et perversa : quod ostendit, primo ex doctrinæ falsitate : secundo, ex ejus damnositate, ibi, *Omnis qui negat Filium. Sed et vos*, quasi dicat : Debetis permanere, quia vos catholici *Unctionem habetis*, id est gratiam Spiritus sancti, qua eos discernere poteritis, et eorum malitiam retardare seu impedire. *A sancto*, id est Christo, qui est *sanctus sanctorum.* Danielis IX, Sicut membra recipiunt influentiam a capite. Joan. I, *De plenitudine ejus omnes accepimus.* Psal. XLIV, *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ etc. Et nostis omnia*, scilicet necessaria ad salutem, per illuminationem illius unctionis. Glossa, nostis veritatem fidei et vitæ per unctionem Spiritus sancti, nec opus habetis doceri. Unde quia nostis omnia, *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem*, scilicet fidei, sed, *Quasi scientibus eam :* quasi dicat : eo ipso quod veritatem cognoscitis, habetis scientiam discernendi et cognoscendi hæreticos. *Et quoniam. Glossa*, Scientibus. Et hoc, *Quoniam omne mendacium non est*, id est nullum mendacium est sive officiosum, sive otiosum, sive perniciosum, *Ex veritate*, id est ex Deo sive Christo, qui est veritas : imo sibi contrarium, quia Psalm. V, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Unde est a diabolo, qui est mendax et pater mendacii, ut habetur Joan. VIII. Unde *Glossa* Bedæ. Nullum mendacium ex veritate. Et qui mentitur non est ex Christo. Sed contra hoc objicitur : idem est non esse ex Deo, et separari a Deo. Si ergo qui mentitur non est ex Deo, ergo omne mendacium separat a Deo : sed omne quod separat a Deo, est peccatum mortale : ergo omne mendacium est peccatum mortale, quod falsum est. Responsio, Sermones sunt restringendi secundum materiam : unde cum hic sit sermo de hæreticis, qui mentiuntur in doctrina religionis, patet, illud quod dicitur hic, intelligi de mendacio in doctrina religionis. Unde patet ex *Glossa* quod loquitur de mendacio negationis Christi, respectu cujus cetera aut parva, aut nulla esse videntur. Unde sequitur, *Quis est mendax.* Antonomastice gravissimum omnium genus mendacii est, secundum Augustinum, quod fit in doctrina religionis. *Nisi is qui negat, quoniam Jesus non est Christus.* Qui negat, quoniam Jesus non est Messias in lege promissus. *Glossa :* hoc proprium est Judæorum, ut dicant, quoniam Jesus non est Christus ; sed et omnium qui Christi mandatis obtemperare contemnunt. Isti negant, id est facto veritati contrario ostendunt. I Tim. I, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant :* hic est Antichristus, scilicet qui negat, quoniam Jesus est Christus. *Antichristus*, id est contrarius Christo, *Qui*, id est quia ipse, *Negat Patrem et Filium.* Negando Jesum esse Christum, negat et Filium, negat et Patrem. Joan. VIII, *Neque me scitis neque Patrem meum scitis. Glossa.* Frustra confitetur Deum patrem, qui negat Filium, qui ex Deo procedit, et vere ita est, *Quia omnis. Glossa*, Ne quis dicat : Christum non colo, sed Deum Patrem, addit, Omnis, sive Judæus, sive gentilis, sive hæreticus, *Qui negat Filium.* Christum, *Nec Patrem habet. Glossa*, Propitium : et alia *Glossa.* Nec Filium, nec ipsum Patrem habet placatum : vel, Nec Patrem habet. Alia *Glossa*, Nec Filium, nec ipsum Patrem ; scilicet cognitione et confessione. Joan. XIV, *Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis etc. Qui autem confitetur*, id est simul fatetur. *Glossa*, Corde, voce, opere. Rom. X, *Corde creditur ad justitiam etc. Filium, Glossa*, Jesum esse, *Et Patrem habet*, propitium, vel Patrem habet in confessione et cognitione. Joan. XIV, *Ego in Patre, et Pater in me est.*

Vos quod audistis etc. Hic monet permanere in doctrina Apostolorum ; ponens triplicem rationem. Primo utilitatem. Secundo facilitatem, ibi, *Hæc scripsi vobis.*

Tertio necessitatem, ibi, *Et nunc filioli*. In prima parte, Primo ponit admonitionem. Secundo admonitionis utilitatem, ibi, *Si in vobis*. Tertio utilitatis declarationem, ibi, *Et hæc est promissio*. Dicit ergo. Vos autem quod audistis, ut supra : quasi dicat : ita multi Antichristi facti sunt. *Sed vos*, scilicet catholici, *Illud quod audistis*, a me et aliis Apostolis, *Ab initio*, scilicet conversionis vestræ. *In nobis permaneat,* id est finaliter perseveret : quasi dicat : Fides quam audistis a me ab initio conversionis vestræ, perseveret, et quo ad memoriam et quo ad observantiam. *Interlinearis*, Per observationem memoriter teneatis. Et ideo debet manere, *Quia si in vobis permanserit*, id est perfecte manserit, in cujus recordationem eatis per observationem. *Quod ab initio audistis*, Verbum scilicet fidei Christi, scilicet vestræ conversionis, *Et vos in Filio et Patre manebitis*. *Glossa* hic per fidem, in futuro per speciem. Joan. xiv, *Si quis diligit me etc. Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*. Et sicut dicit *Glossa*, Filium præponit Patri, quia nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Joan. xiv. *Et hæc*, scilicet mansio in Patre et Filio perpetua, *Est repromissio*, id est iterata promissio, prius per prophetas, deinde per Apostolos, *Quam ipse*, scilicet Christus qui non mentitur, *Pollicitus est vobis vitam æternam*, hanc promisit. Joan. vi, *Hæc est voluntas ejus*, *qui misit me*, *Patris*, *ut omnis qui videt Filium et credit in eum etc*.

Hæc scripsi vobis de his etc. Hic ostendit utilitatem. Primo ex scriptura. Secundo ex gratia, ibi : *Et vos unctionem*. Tertio ex scientia, ibi : *Et non necesse habetis*. Dicit ergo, *hæc*, prædicta de Antichristo et ejus membris, *Scripsi vobis*, id est ad utilitatem et instructionem vestram, *De his*, scilicet hæreticis, *Qui seducunt vos*, id est seorsum a veritate ducunt. *Glossa*, Vel perversis dogmatibus, vel per aliquas illecebras, vel per adversa sæculi a vita æterna vos retrahunt, *Et vos unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis*. Et unctio, inquam, maneat in vobis. Quam unctionem, id est Spiritus sancti gratiam vos accepistis a Deo. Joan. i, *De plenitudine ejus omnes nos accepimus*. *Glossa*, Curate ut Spiritus sancti gratiam, quam in baptismo consecuti estis, integram in corde et opere servetis. Et notandum quod ista locutio est antiphrastica, sicut et illa, Joan. xiv, *Sermonem quem audistis non est meus. Et necesse non habetis :* quasi dicat : Et si unctio manet, non necesse habetis quidquam utile, quia gratia docet de necessariis ad salutem, licet non de omnibus utilibus. Vel non necesse habetis tantum, ut prius. *Glossa*, Docente interius spiritu, minus indigetis extrinsecus doceri, *Ut aliquis,* homo doctor, *Doceat vos :* sed ita tenete, supple, *Sicut unctio ejus*, id est Christi. *Glossa*, Spiritus sanctus cujus sacramentum est in unctione visibili ; vel unctio charitatis quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis, *Docet vos de omnibus*. *Glossa*, Quæ tenenda sint : quia nemo docenti tribuat, quod ex ore docentis intelligit. Nisi intus sit qui doceat, lingua doctoris in vacuum laborat : nec tamen doctor taceat, sed quod potest agat. *Et verum est*, *et non est mendacium*. *Glossa*, quod prædico : vel melius; illud quod unctio docet : unde alia translatio habet : Et vera est et non est mendax, scilicet unctio. Verum per comparationem ad rem, et non est mendacium per comparationem ad docentem. Vel verum in se, et non est mendacium contrarii ulla permixtione. Ex hoc patet quod fidei non subest falsum; quia Spiritus sanctus, spiritus veritatis est, Joan. xvi, *Et non docet nisi verum*. Et ideo, *Sicut docuit vos*, scilicet unctio, *Manete in eo*, scilicet Christo, hoc est in verbis vel doctrina ejus. Joan. xv, *Manete in me et ego in vobis*.

* *Et nunc filioli manete in eo etc*. Hic ostendit necessitatem primam in futuro, quia aliter non vitabunt confusionem secundam in præsenti, quia aliter non possunt habere justificationem, ibi : *Si scitis, quoniam justus est*. Dicit ergo, *Et nunc*, id est in præsenti, scilicet tempore gratiæ. *Filioli mei :* in quo notatur dilectio ejus ad ipsos et subjectio eorum ad ipsum. Manete in eo, id est in Christo, hoc est in verbis et doctrina ejus, per fidem scilicet et charitatem finalem. Augustinus, Maneamus in verbis ejus ne confundamur cum venerit. Vel manete in eo. *Glossa*, Si quid boni habetis, illi totum attribuite et non vobis : mala vobis et diabolo imputate, *Ut cum apparuerit*, scilicet in futuro judicio. *Glossa*, Ad præmia bonorum et damnationem malorum. *Habeamus fiduciam*, nos et vos, *Et non confundamur*. Confusione damnationis æternæ. Jerem. xx, *Confundantur quia non intellexerunt opprobrium sempiternum*,

ab eo, *Glossa*, pro eo neglecto vel negato. *In adventu ejus*, ad judicium, *Si scitis* : quasi dicat : manere debetis in eo : si enim scitis certitudine spei. *Quoniam justus est*. *Glossa*, Natura, et auctor totius justitiæ. Psalm. x, Justus Dominus et justitiam dilexit. *Scitote*. Eadem certitudine fidei, *Quoniam et omnis qui facit justitiam*, id est opus justitiæ, *Ex ipso natus est*, id est filius Dei est, scilicet per imitationem et conformitatem. Vel ex ipso natus est, id est ex ipso habet quod facit, sicut filius naturalis habet a patre naturali, quod est secundum naturam. Sic filius spiritualis habet a patre spirituali, scilicet Deo, quod est secundum mores. Isa. XXVI. *Omnia opera nostra tu es*.

CAPUT III.

Videte qualem charitatem dedit etc. Supra egit de materia diligendorum ; hic agit de forma sive de modo diligendi. Primo Deum. Secundo proximum, ibi : *Omnis qui non est justus*. In prima parte tangit modum dilectionis nostræ ad Deum, ibi : *Et omnis qui habet hanc spem*. Modum dilectionis ad nos ostendit. Primo in præsenti. Secundo in futuro, ibi : *Carissimi, nunc filii Dei sumus*. Modum autem dilectionis nostræ ad Deum ostendit. Primo acquirendæ. Secundo conservandæ, ibi : *Filioli, nemo vos seducat*. Tertio manifestandæ, ibi : *Omnis qui natus est ex Deo*. Acquirendæ quidem dupliciter. Primo per sanctificationem præteritorum peccatorum. Secundo per cautelam futurorum, ibi : *Omnis qui in eo manet*. Sanctificationis. Primo ostendit exemplar. Secundo materiam, ibi : *Omnis qui facit peccatum*. Tertio auctorem, ibi : *Et scitis quia ille*. Dicit ergo, *videte*, id est diligenter attendite, *Qualem charitatem*, id est quantum et qualia affectus et effectus charitatis. *Glossa*, Quantis et qualibus donis ostendit Deus erga nos paternam charitatem, *dedit*, gratis vobis indignis, *Pater*, Tota Trinitas per proprietatem, Persona Patris per appropriationem, talem scilicet, *Ut filii Dei nominemur*, scilicet christiani a Christo. Et quia non sufficit nomen sine re ; ideo subditur, *Et simus*, scilicet filii Dei. Joan. I, *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri etc*. *Propter hoc*, quia scilicet Filii Dei sumus, *mundus*, id est mundi amatores, *Non novit nos*, scilicet notitia approbationis. *Quia non novit eum*, scilicet Patrem, notitia fidei et approbationis. Joan. I, *Mundus eum non cognovit*. *Glossa*, Quia Filii Dei dicimur, amatores mundi non nos diligunt, non percipiunt nostram dignitatem, non nos reverentur, sed affligunt.

Carissimi, nunc filii Dei etc., quasi dicat : licet modo sumus a mundo despecti, tamen o carissimi mihi chara dilectione conjuncti, *nunc*, id est in præsenti cum mundo sumus despecti, ut dicit *Glossa*, *Filii Dei sumus*. Per adoptionem gratiæ. Rom. VIII, *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt*. *Et nondum apparuit quid erimus*, scilicet per gloriam. Latet enim gloria modo, sicut lucerna lateret in testa ; sed confracta testa apparebit. Judith. *Confractis laguneulis apparuerunt lucernæ*. Licet enim nunc per miracula et per virtutes appareat quod sumus filii Dei, tamen quidquid est in præsenti ad respectum futuri parum est, ut dicit *Glossa*. Ita est de gloria modo, sicut de luce in manibus abscondita, quæ apparet per rimas digitorum. *Scimus*. Certitudine fidei quæ est certitudo de invisibilibus, *Quoniam cum apparuerit*, In secundo adventu, id est perfecte innotuerit omnibus : modo enim paucis fidelibus innotescit, sed tunc in die judicii omnibus apparebit : ab omnibus cognoscetur Dominus judicia faciens, ut dicit Psalm. Unde Bernardus, « Cognoscetur Dominus judicia faciens, qui ignoratur injurias patiens. » *Similes ei erimus*. *Glossa Bedæ*, secundum corpus immortales et impassibiles, sicut ipse Filius. Tunc enim *mortale hoc induet immortalitatem, et incorruptibile hoc incorruptionem*. Corinth. XV. Ista autem similitudo non erit æqualitatis, sed conformitatis ; et in corpore per dotes corporis et in anima per dotes animæ : ad Philipp. III, *Salvatorem expectamus etc*. Ista autem similitudo erit in tribus : scilicet in conformitate naturæ. Genes. I, *Creavit Dominus hominem ad imaginem et similitudinem suam*. Item in conformitate gratiæ. Isa. XLV, *Vocavi te ex nomine tuo, assimilavi te et non cognovisti me*. Item in conformitate gloriæ sicut hic. *Quoniam videbimus eum sicuti est*. *Glossa*, In ipsa deitatis substantia contemplabimur eum, quod in hac vita nulli conceditur. Matth. V, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. *Interlinearis*, Sola visio beatificat. Joan. XVII, *Hæc est vita æterna etc*. Sed videtur quod ma-

gis dilectio : quia dicit Augustinus *in Soliloq.* : « Charitas est quæ beate perfrui desiderat. » Sed beatitudo consistit in fruitione, ergo in dilectione etc. Responsio, *Glossa* loquitur non de visione simplicis notitiæ, sed experientiæ quæ est intellectus practici, et hoc non excludit dilectionem. Sed adhuc quæritur quare magis dicitur de visione quod beatificat. Responsio, Visio potius dicitur beatificare et esse tota merces, quam dilectio, quia visio habet omne illud in quo consistit beatitudo. Habet enim sibi annexam dilectionem, in his vero consistit fruitio ; dilectio vero non habet necessario sibi annexam visionem, immo potest esse indifferenter causa rei tam absentis, quam præsentis, *Et omnis. Glossa.* Quia ad Dei similitudinem pervenitur ; ideo *Omnis qui habet hanc spem in eo*, scilicet adipiscendæ visionis divinæ et beatitudinis, *Sanctificat se. Glossa*, Pie vivendo, desideria sæcularia abnegando : ad Titum II, *Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria etc.* Sanctificationem attribuit homini per cooperationem liberi arbitrii. II Timoth. II, *Si quis se emundaverit ab istis, erit vas sanctificatum et utile Domino. Sicut et ille.* Similitudo ista est remota non propinqua ; imitando, non attingendo, *Sanctus est*, Levit. II, *Sancti estote quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus Deus vester.* Joan. XVII, *Ego pro eis sanctificabo meipsum, ut ipsi sancti sint in veritate.* Tangit autem hic duo quæ requiruntur ad nostram sanctificationem. Primum est divinum adjutorium. Secundum est arbitrii libertas. Deus enim sanctificat nos per gratiam. Nos vero disponimus nos ad sanctificationem per liberum arbitrium. Primum notatur cum dicitur, Qui habet spem in eo. Secundum cum dicitur, Sanctificat se. Alia littera habet, castificat : quam legit Augustinus dicens, Sic omnis qui castus est. Notandum quod homo castificat se et Deus et gratia : homo disponendo, Deus efficiendo et gratia informando. *Omnis etc. Glossa*, qui habet spem sanctificat, sed e contrario, *Omnis qui facit peccatum*, scilicet mortale, illud enim implicite dicitur peccatum a quo denominatur peccator. *Et iniquitatem facit.* Quia contra Dei justitiam et iniquitatem facit. *Et peccatum est iniquitas. Glossa*, Iniquitas est quod est contra legem, vel sine lege : peccatum ergo est iniquitas ; quia quando peccamus, contra legem Dei facimus. Unde Augustinus : « Peccatum est dictum, vel factum vel concupitum contra legem Dei. » Item secundum Augustinum : « Virtus est æqualitas animæ undique rationi consentiens : sed omnis peccans mortaliter privat se virtute, ergo æqualitate inducit inæqualitatem. Et ideo dicit Augustinus *in Glossa* : « Nemo dicat, ego peccator sum, sed non sum iniquus. Omnis enim qui facit peccatum, et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas. » Daniel. III, *Peccavimus, iniquitatem fecimus. Et scitis*, id est scire debetis. *Quoniam ille*, scilicet Christus qui est sanctus sanctorum, *apparuit. Glossa.* In primo adventu. *In hoc* id est propter hoc, *Ut peccata tolleret* id est auferret. Joan. I, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Glossa*, Tollit dimittendo peccata, adjuvando ne fiant, ducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt. Propter hoc dicitur ter, Ecce agnus Dei. Et bis : miserere nobis ; quasi dicat Ecclesia : miserere dimittendo peccata, miserere adjuvando, ne fiant futura. Tertio dicitur : dona nobis pacem, ducendo ad vitam, ubi omnino non fient. Vel dicitur ter : Agnus Dei, propter tres partes corporis Christi mystici. Quidam enim in miseria vitæ præsentis in mundo, alii in purgatorio, alii in cœlo. Bis ergo dicitur miserere nobis propter illos qui sunt in mundo et in purgatorio : sed dona nobis pacem, propter illos, qui sunt in cœlo. Ideo et tripliciter terminatur in missa. Nam in die operis dicitur : Benedicamus Domino, quia laborantes debent gratias reddere Deo. Requiescant in pace, propter illos, qui sunt in purgatorio. Ite missa est, propter illos, qui sunt in cœlo. *Et peccatum in eo non est*, Nec originale, nec actuale : mortale, vel veniale. Petr. II. *Qui peccatum non fecit etc.* Et ratio hujus talis est. Ille in quo non est peccatum, auferre potest peccatum : sed in Christo non erat peccatum, ergo potuit auferre peccatum. *Omnis qui in eo.* Et vere iste est immunis ab omni peccato, quia et illi qui adhærent ei vitant peccata. *Omnis enim.* Fidelis Christianus, *Qui in eo manet*, id est qui Christo unitur per charitatem. *Non peccat.* Ex hoc videtur, quod omnis justus in ipso maneat, et quod nullus justus peccet : quod est contrarium his quæ dicta sunt supra, videlicet, Si dixerimus, quia peccatum non habemus etc. Responsio, Quod hic dicitur intelligendum est per se, scilicet cum

reduplicatione, sic : *Omnis qui in eo manet non peccat. Glossa.* In quantum in eo manet, nec peccat venialiter, nec mortaliter. Vel sic : Omnis qui in eo manet, non peccat, quamdiu scilicet in eo manet, non peccat mortaliter ; quia dum manemus in Christo, nec peccamus venialiter. Vel sic. Omnis qui manet in eo, scilicet numero et merito, sacramentorum perceptione, vel charitatis-communione, fide formata vel informi, non peccat, peccato scilicet infidelitatis, quod dicitur peccatum per antonomasiam et excellentiam. Joan. XVI, *Cum venerit Paracletus, ille arguet mundum de peccato*, scilicet infidelitatis. *Et omnis qui peccat*, peccato mortali, vel qui peccat, id est finaliter in peccato permanet, *Non vidit eum.* Pro tempore quo peccavit, aut in peccato mansit, non vidit. *Glossa.* In fide secundum humanitatem[1]. *Nec cognovit eum*, *Glossa*, gustando suavitatem in deitate. Nam si gustasset quam suavis est Dominus ; nunquam peccando ab ejus gloria se separaret. Unde tangit duo : scilicet videre et cognoscere per gustum, quæ removentur per peccatum. Peccatum enim tollit visionem gratuitam summæ veritatis, et gustum divinæ suavitatis.

Filioli, nemo vos seducat. Qui facit etc. Hic ostendit modum nostræ dilectionis ad Deum conservandæ. Primo faciendo opera quæ Deus diligit. Secundo vitando opera quæ Deus odit, ibi, *Qui facit peccatum.* Dicit ergo, *Filioli mei nemo vos seducat*, id est seorsum a via veritatis ducat, dicendo quod dum peccat aliquis potest manere in Deo, *Qui facit justitiam. Glossa.* Qui habet actum justitiæ, et intentionem. *Justus est*, secundum quod justus dicitur ab exercitio bonorum operum. Non solum ab habitu justitiæ, secundum quod dicit Ambrosius, est bonus qui non est justus, et Rom. v, *Vix enim pro justo quis moritur. Sicut et ille justus est*, id est, ab eadem radice procedit justitia in Christo principaliter, in isto secundario. In Christo naturaliter, in isto per adoptionem. Nec ly sicut dicit ibi similitudinem æqualitatis, sed ejusdem imitationis seu comitationis, sicut exempli ad exemplar. Sed objicitur de hoc quod dicit, Qui facit justitiam justus est : immo potius e contrario, qui justus est facit justitiam. Quia enim boni sumus, bonum facimus. Responsio. In via essendi sequitur, qui justus est justitiam facit. In via cognoscendi sequitur, qui facit justitiam justus est, id est justus ostenditur. Et sic loquitur hic. Vel potest dici, quod justitia dicitur ibi, non justitiæ infusio, sed magis in justitiæ exercitatio : unde qui facit justitiam justus est, verum est magis quia magis exercetur in bonis operibus, sicut Abraham dictus est justificari ex operibus, Jacob. II. *Qui facit peccatum*, ita sicut qui facit justitiam manet in Deo, et illi adhæret ; sed e contrario, qui facit peccatum, scilicet mortale, quod simpliciter peccatum est, *Ex diabolo est. Glossa.* Non carnis originem ducendo, sicut Manichæus voluit de cunctis hominibus ; sed imitationem et suggestionem peccandi ab illo sumendo. Unde Joan. VIII, *Vos ex patre diabolo estis. Quoniam ab initio diabolus peccat :* unde prior peccavit, et est auctor peccati et homo per ipsum peccans. Ab initio enim per superbiam quo ad se peccat. Assidue per invidiam, quo ad hominem. Et his duobus modis diabolus, diabolus est, ut dicit Augustinus. Dicitur autem peccasse ab initio suæ creationis, ut dicit *Glossa.* Incipiens peccare peccavit continue usque in præsens. Et intelligendum est ab initio exclusive, id est post initium : non inclusive, id est in ipso initio. Non enim potuit peccare in principio suæ creationis. Simile Joan. VIII, *Ille homicida erat ab initio.* Sed objicitur contra hoc quod dicit *Glossa* quod continue peccat. Cum enim in eo sit natura bona, videtur quod aliquando possit moveri motu naturali, et tunc non peccabit. Responsio. Quidam dicunt quod non dicitur semper peccare, quia quolibet tempore : sed quia non intervenit motus contrarius, quia non cessat esse malus, cum sit confirmatus in malitia sua. Sicut ergo ille qui non cessat esse bonus, dicitur semper orare, sic diabolus semper peccare. Alii dicunt quod ad litteram continue peccat : sicut enim dicit Bernardus. Sicut non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël : sic non dormitabit neque dormiet, qui impugnat Israël. Unde licet exeat in actum naturalem, quia motum illum quem natura inchoat, voluntas deformat, diligit enim Deum naturaliter, ut conservatorem, sed voluntas ejus motum illum refert ad propriam utilitatem. Sicut avarus naturaliter appetit beatitudinem : sed tanta est perversitas judicii ejus, ut non dicat beatitudinem esse nisi in divitiis. Et ita nunquam exit in appetitum beatitu-

dinis in quantum hujusmodi, nisi prout in divitiis. Et ita appetendo illam beatitudinem peccat, quia illum motum quem natura inchoat, voluntas deformat. Vel dicitur continue peccare, quia ipse fuit principium peccati hominis ab initio conditionis hominis; ideo cum homines non cessant peccare nec ipse cessat peccare. *In hoc apparuit* : quasi dicat : Qui facit peccatum ex diabolo est : propter hoc Filius Dei venit in mundum ut hominem liberaret. Unde in hoc, scilicet, *Propter hoc apparuit*, per carnem, qui scilicet erat invisibilis secundum deitatem. *Filius Dei*, id est Christus. *Ut dissolvat opera diaboli*, illam nativitatem quam a diabolo contraximus. Hæc est mala nativitas, de qua, Job III, *Pereat dies in qua natus sum etc.* Adam enim, ut ait *Glossa*, peccando, diabolo natus tales genuit, qualis ipse fuit.

Omnis qui natus est etc. Hic ostendit modum manifestæ dilectionis. Et primo ostendit quod est proprium filiorum Dei. Secundo per quod discernuntur a filiis diaboli, ibi, *In hoc manifesti sunt.* Ita Christus solvit opera diaboli, quia *Omnis qui natus est ex Deo,* scilicet in baptismo, ut dicit *Interlinearis*. Et loquitur de nativitate regenerationis non generationis. De qua Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit etc. Ex Deo*, effective et exemplariter sicut imago speculi a specie faciei, non materialiter vel substantialiter. *Peccatum non facit*, scilicet mortale, quod est contrarium generationi spirituali. Et intelligendum est cum reduplicatione, inquantum scilicet ex Deo natus est. Vel intelligendum est conjunctim, quandiu natus, id est nativitatis gratiam custodit. *Peccatum inquam non facit*, scilicet mortale. Vel loquitur de eo qui natus est ex Deo, non solum per præsentem justitiam, sed et per prædestinationem æternam. Et talis peccatum non facit finaliter, quia tale peccatum repugnat prædestinationi. *Quoniam semen ipsius*, scilicet gratiæ justificantis, quod vel multipliciter per cooperationem liberi arbitrii infunditur. Isa. I, *Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* Vel semen, id est verbum Dei per quod genitus est. Jac. I, *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.* Lucæ VIII, *Semen est verbum Dei. In eo manet.* Per intemeratam fidem et charitatem. Dicitur autem manere quamdiu firmiter radicatur in corde, non solum in intellectu, sed etiam in affectu. Ipsum autem verbum conservat eum a peccato : unde sequitur *Et non potest peccare*, quasi dicat : Non solum non peccat, sed non potest peccare. *Glossa,* quamdiu verbum retinet. Et intelligitur de potentia disposita et propinqua, non remota. Potest enim potentia naturæ : sed non potest potentia habitus gratiæ; sicut diceretur quod bonus scriptor non potest male scribere. *Quoniam ex Deo natus est*, id est Filius Dei per adoptionem gratiæ, non per nomen naturæ, *Glossa*, ex quo peccatum non est. *Et hoc manifesti sunt*, id est manifeste distincti sunt. *Filii Dei et filii diaboli*, quia illi peccant, isti non. Matth. VII, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Conveniunt autem in natura, sed actu sunt contrarii.

Omnis qui non est justus non est ex Deo etc. Hic agit de modo diligendi proximum monens diligere primo fideliter : secundo firmiter, ibi, *Nolite mirari fratres* : tertio efficaciter, ibi, *In hoc cognovimus* : quarto, veraciter, ibi, *Filioli mei.* Tunc enim vera est dilectio et perfecta, quando est fidelis sine formidine, quando est firma sine interruptione, efficax in operatione, recta in intentione. In prima parte primo persuadet fraternam dilectionem. Secundo dissuadet dilectionis fraudem, ibi, *Non sicut Cain qui ex maligno erat.* Dicit ergo, *omnis,* in hoc inquam manifesti sunt filii Dei et filii diaboli. Et vere, quia, *Omnis qui non est justus*, quo ad Deum justitia generali, non speciali (*Glossa.* Rependens Deo quod debet) *Non est ex Deo*, per generationem spiritualem. Minus dicit et plus significat, quia est ex diabolo. Supra primo, qui facit peccatum, ex diabolo est. *Et qui non diligit fratrem suum*, quo ad proximum, scilicet non ex Deo est : quia dicit *Glossa*, Verus filius legem patris non potest dimittere. Lex Patris est invicem diligere. Et secundum quod dicit alia *Glossa*, Dilectio est certum signum quo distinguuntur filii Dei, et filii diaboli. Alia sunt communia bonis et malis, in hoc fonte non communicat alienus. Quicquid habeas, hoc solum non habeas, nihil tibi prodest : alia non habeas, hoc habens : omnia implesti legis præcepta, quia plenitudo legis charitas. Rom. XIII, Augustinus, « dilectio sola discernit inter filius Dei et filius perditionis sive diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi, respondeant omnes amen, cantent omnes alleluia, baptizentur omnes, intrent om-

nes ecclesias, faciant omnes basilicarum parietes, non discernuntur filii Dei a filiis diaboli nisi charitate. » Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo. *Quoniam hæc est etc.* Et vere est habenda dilectio, *Quoniam hæc est annunciatio*, passiva de proximo diligendo, mandatum vobis annunciatum, *Quam audistis*, nobis prædicantibus, *Ab initio*, vestræ conversionis, vel nostræ prædicationis : quia enim dilectio principium est omnis meriti, ideo ab initio prædicanda fuit. *Ut diligatis alterutrum*, id est, unus alterum et e converso. Joan. XIII, *Hoc est præceptum meum, etc. Non sicut Cain*, id est non existentes sicut Cain exterius se diligere simulans, intus odium servans. Cain prius reprobus, de quo Genes. IV, *Qui ex maligno*, id est diabolo qui dicitur malignus antonomastice. Psalm. V, *Non habitabit juxta te malignus.* Ex maligno ergo fuit per imitationem invidiæ. Sap. II, *Invidia diaboli mors intravit in etc.* Diabolus enim amissa felicitate invidit homini habituro felicitatem quam amiserat. Et ideo tentavit eum et occidit, et sic Cain. Unde sequitur, *Qui occidit fratrem suum*, qui scilicet Cain, occidit fratrem suum innocentem scilicet, sicut diabolus hominem primum *Et propter quid occidit eum?* Numquid ob culpam ejus, vel ob aliquam causam justam? Et respondet, *Quoniam opera ejus maligna erant. Glossa*, vide unde processit homicidium, scilicet ex invidia, *Opera ejus maligna erant. Glossa*, quia invidebat fratri, *Fratris autem ejus justa. Glossa*, per charitatem. Unde licet utriusque oblatio, scilicet Cain de fructibus terræ et Abel de fœtibus ovium, fuerit bona ex genere operis, justum enim erat utrumque offerre creatori ; oblatio tamen Cain ex malitia offerentis fuit deformata, quia obtulit cum invidia, Abel vero cum charitate. Unde *Glossa*, Opera Cain mala non dicit, nisi per invidiam et odium fratris. Opera Abel justa non dicit, nisi per charitatem. Hinc discernuntur homines : nemo attendat linguas, sed facta eorum. Ideo dicitur Gen. IV, *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.*

Nolite mirari fratres si odit etc. Hic est secundus modus diligendi, scilicet firmiter ; quem persuadet duplici ratione. Primo per bonum sic diligentium. Secundo per malum non diligentium, ibi : *Qui non diligit manet in morte.* In primo tangit culpam. In secundo pœnam, ibi : *Et scitis quoniam dicit etc.* ergo, *Nolite mirari, Glossa*, dilectionem habete, non propter mundi odium vel persecutiones dilectionem dimittite. Nolite inquam mirari, *fratres*, quasi insolitum. Joan. XV, *Nolite mirari si odit vos mundus ; scitote quia me priorem odio habuit, Si odit vos mundus, Glossa*, mundi amatores. Et alia *Glossa*, Non mirum si amator mundi fratrem odit separatum ab amore mundi. Et certe non est mirandum. Tria enim solent mirari homines : scilicet magnum, novum, et rarum. Quod autem mundus, id est mundi amatores odiant sanctos, non est magnum. Non enim medicus reputat magnum si phreneticus quem ipse ligat mordet ipsum ; excusat enim eum propter phrenesim suam. Unde super illud Genes. IV, *Consurrexit Cain adversus Abel, Glossa* dicit, contra medicum. Item non est novum. A principio enim mundi fuit istud jurgium inter bonos et malos, ut inter Cain et Abel, inter Isaac et Ismael, inter Jacob et Esau. Item non est rarum, imo valde consuetum, scilicet quod mali odiunt bonos. Et certe non deberent eos odire, sed potius diligere, quia *nos,* fideles, *scimus*, certitudine fidei, *Quoniam translati sumus*, virtute, scilicet divina. Non dicit transimus, quasi virtute nostra. Homo enim est spiritus vadens et non rediens. Non enim mortuus potest suscitare seipsum, sive corpus spiritum : hæc est miraculosa translatio, *De morte*, culpæ, *ad vitam*, gratiæ. Ad Coloss. I. *Eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit nos in regnum Filii dilectionis suæ. Quoniam diligimus fratres,* id est per hoc quod diligimus fratres. Charitas enim est vita ; quia, ut ait *Glossa*, Vita carnis anima, vita animæ Deus : charitas vero conjungit animam Deo. Augustinus, « Humilitas nos Deo subjicit, puritas jungit, charitas unit. » *Qui non diligit,* fratrem scilicet, *Manet in morte*, Interlinearis. Non tantum venturus est in æternam mortem, sed jam nunc est. Quod intelligendum est debito essendi, hoc est debitorem mortis æternæ. Et dicit, manet, id est mansionem habet, quia inde per se exire non potest. Ideo dicitur in Psalm. XXXIII, *Mors peccatorum pessima.* Et sicut dicit *Glossa*, diligere debetis, quia *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Nam primo occidit animam suam, deinde animam proximi quantum in se est, quia provocat ipsum ad odium mutuum. *Glossa*, Omnis qui vel ferro percutit, vel odio

insequitur, homicida est. Vel alia *Glossa*, Qui ex odio insequitur fratrem provocat ad iram et discordiam, et sic quantum in se est occidit eum in anima. Et notandum, quod aliquis est homicida multipliciter : primo provocative, ut qui habet odio fratrem suum. Proverb. x, *Odium suscitat rixas.* Item opere, ut Exod. xx, *Non occides. Item consensu.* Rom. I, *Non solum qui faciunt ea etc.* Item subtractione rei debitæ. Eccl. xxxv. *Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum homo sanguinis est. Et scitis*, certitudine fidei, *Quoniam omnis homicida.* Omnis dicit, quia plura sunt homicidiorum genera : scilicet corporis per odium, oris per consilium vel mandatum, operis per gladium, omissionis per subtractum adjutorium. *Non habet vitam æternam in seipso manentem*, quia non habet charitatem ; ideo nec Deum qui est vita æterna. In se manentem, hoc dicitur ad differentiam vitæ naturalis quæ est vita transiens. Deus autem est vita manens in seipso et in nobis per gratiam. Licet enim sit in nobis per essentiam, præsentiam et potentiam : non tamen dicitur manere nisi per gratiam. Joan. xiv, *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

In hoc cognovimus charitatem Dei etc. Hic monet diligere efficaciter, tangens duplicem effectum. Primo in impendendo seipsum. Secundo in impendendo sua, ibi : *Qui habuerit substantiam etc.* Continua : ita debemus firmiter diligere fratres, ut non propter odium mundi desistamus, ut patet exemplo Domini, *Quoniam in hoc*, scilicet effectu, *cognovimus*, tamquam in signo certissimo, Joan. xiv, *Majorem hac dilectionem nemo habet etc. Charitatem Dei*, scilicet Christi erga nos, *Quoniam ille pro nobis*, indignis, scilicet pro salute nostra spirituali, *Animam suam*, id est vitam suam corporalem, *posuit*, id est morti exposuit. Joan. x, *Animam meam pono pro ovibus meis, Et nos*, exemplo ejus, I Petr. ii, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia ejus. Debemus*, prælati debito præcepti : quia bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Alii debito consilii, *Pro fratribus suis*, salvandis, *Animas ponere*, id est vitam corporalem. II Machab. ult. Præcepit autem Judas qui per omnia corpore et anima mori pro civibus paratus erat. Sed objicitur contra hoc : Si nos debemus pro fratribus animas ponere, cum hoc sit perfectionis, videtur quod omnes tenentur ad opera perfectionis. Responsio, Quidam dicunt quod hoc tantum dictum est prælatis. Alii dicunt quod ad hoc tenentur omnes in casu, vel quando potest liberari a peccato per te et non aliter, si hoc dictet tibi conscientia probabiliter. Vel si probabiliter tibi sit persuasum, exponere debes vitam tuam corporalem pro vita spirituali fratris. Plus enim secundum ordinem charitatis tenetur homo diligere animam fratris, quam corpus suum : licet ad hoc teneantur omnes, tamen differenter. Prælati enim tenentur ex officio. Joan. x, *Bonus pastor animam suam etc.* Tenentur autem et in casu in quo non tenentur alii. Ut quando imminet periculum toti gregi. periculum inquam fidei vel morum. Unde Dominus conqueritur de non opponentibus se. Ezech. xiii, *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel.* Prælati vero tenentur pro fratribus animas ponere ex commisso, scilicet ex perfectione charitatis quam habent, ant habere debent ; quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. De imperfectis vero potest esse dubium quomodo tenentur, maxime secundum illam opinionem quæ dicit, quod minima charitate non possumus resistere quantæcumque tentationi. Responsio, Secundum istam opinionem non tenentur primo sed secundario. Tenentur enim facere quod in se est, orando, confitendo peccata, ut possint dare animas pro fratribus. Et si sic faciunt, Deus facit quod in se est, id est gratiam augmentat, ut possint dare animas. Et tunc primo et principaliter tenebuntur. Secundum vero aliam opinionem quæ dicit, quantulacumque charitate possumus resistere quantæcumque tentationi, utrique tenentur ex commisso, sed differenter. Nam perfectus qui habet perfectam charitatem in qua non est timor pœnæ, tenetur esse promptus ad hoc, et de facili hoc facere, quia perfecta charitas de facili resistit quantæcumque tentationi. Imperfectus vero et si ad hoc tenetur, non tamen tenetur ita esse promptus. Nam quod facit perfecta charitas de facili, imperfecta de difficili. Videtur autem securius dicendum quod soli habentes perfectam charitatem tenentur. Et hoc videtur velle Augustinus. Perfecta enim charitas est ut paratus sis mori pro fratribus. Et ali-

bi : Si quis tantam habuerit charitatem ut paratus sit pro fratribus mori, perfecta est in illo charitas. Et hoc insinuat in litera, quia suadet ponendam animam pro fratribus, exemplo Christi. *Qui habuerit. Glossa* Bedæ, Si vel ex temporis opportunitate vel ex humana infirmitate non contigerit animas ponere, debemus saltem res nostras pro fratribus. Et hoc nutrimentum charitatis. Qui didicit rem suam dare cum poterit, seipsum deponere non dubitabit. Sed si quis habuerit, ex hoc intelligitur surperfluum : quia dicit, non qui habet sed, qui habuerit, id est jamdiu possederit : quilibet autem tenetur ad erogationem superflui. *Substantiam hujus mundi*, id est bona temporalia ad sustentationem vitæ præsentis pertinentia. Unde dicitur substantia a sustentando vel substando , quia debent substare et non dominari hominibus, quia debent diligi ad sustentationem non ad superfluitatem. Dicit autem, « Mundi hujus, » quia in mundo altero non erunt necessaria hæc, eo quod corpus erit spirituale quod nunc est materiale : I Cor. xv. *Et viderit fratrem suum necessitatem habere*, id est indigentiam in necessariis, Dicitur enim necessarium eo quod necesse cessare facit. *Et clauserit viscera ejus ab eo*, id est affectum interiorem non compatiendo et subveniendo, *Quomodo charitas Dei*, quæ scilicet a Deo infunditur, et qua Deus diligitur, *Manet in eo?* quasi dicat : nullo modo. Non enim potest Deus diligi sine proximo, nec e converso. Charitas enim benigna est, id est larga egenis, ut habetur I Corinth. xiii. Isa. lviii, *Cum effuderis animam tuam esurienti per compassionem, et animam afflictam repleveris bonis, orietur in tenebris lux tua et tenebræ tuæ erunt sicut meridies*. Id est annihilabuntur peccata tua quæ sunt sicut tenebræ.

Filioli mei non diligamus verbo etc. Hic monet diligere veraciter, multiplici ratione. Prima est imitatio Dei. Secunda exauditio a Deo, ibi : *Charissimi si cor nostrum etc.* Tertia, mandatum Dei, ibi : *Et hoc est mandatum ejus*. Quarta mansio Dei, ibi : *Et servat mandata ejus etc.* Dicit ergo, *filioli. Glossa,* Quia ergo non est perfecta charitas in eo qui non ponit animam suam pro fratribus, vel saltem non dat substantiam, ut perfectam charitatem habeat, *O filioli mei*, quos scilicet ego per evangelium genui, aut filioli quia de novo conversi, et ideo quia adhuc in fide tenelli, *Non diligamus verbo*, scilicet tantum. Verbo tantum diligit qui tantum promittit et non solvit. Multi enim ostendunt verbo amorem, sed opere nihil. Prov. xiv, *Ubi verba sunt plura, ibi frequenter egestas*, *Neque lingua*, multiplici ratione. Aliqui enim simplici affectione, alii repetitis sermonibus affectum suum nolunt ostendere : *sed opere*, id est exhibitione beneficii, *Et veritate*, puræ intentionis. *Glossa*, ut simplici intentione beneficia præstemus, non propter jactantiam, nec propter aliquod temporale commodum, sed respectu solius Dei, *In hoc. Glossa*, cum opera charitatis facimus in veritate, *Cognoscimus*, cognitione probabilis conjecturæ non scientiæ. *Quoniam ex veritate sumus*, per imitationem scilicet. *Glossa.* Ex Deo qui veritas est eum ejus professionem pro modo nostro imitamur. *Et in conspectu ejus suadebimus corda nostra*, esse scilicet, quia *Deus intuetur cor*. I Reg. xvi. *Glossa.* Tales cogitationes habere corda nostra suademus, qui divinis sint digni conspectibus. Psal. xvi. *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo*. Et dicit suademus, quia cogi non potest. Seneca : « Generosus est animus hominis et facilius ducitur quam trahatur. » *Glossa:* et hoc magnum est per dilectionem. Nam magnum est quod per dilectionem ita mundas habemus cogitationes, quod Deo eas volumus ostendere. *Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum. Glossa.* Si conscientia nostra nos intus accusaret, et vellet latere Deum, non posset, quia, *Major est Deus corde nostro :* quasi dicat : Melius sciet Deus quam nos, et ei erit manifestius quam nobis. Ad Hebr. iv, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo*. Unde subdit : *Et omnia.* Vel sic, ut notetur spes veniæ obtinendæ super his quorum est remorsus conscientiæ. Bene in conspectu ejus suademus, quoniam si, id est quamvis cor nostrum, id est conscientia reprehenderit nos de aliqua culpa, scilicet veniali, non propter hoc mercedem amittimus, quia major est Deus etc. Valens hoc mundare ab hujusmodi remorsu et remurmuratione. Et notandum quod Deus major est corde nostro, et nihil præter Deum majus est corde humano. Et ideo secundum Augustinum, Animam Dei capacem nihil minus Deo replere potest. *Carissimi si cor nostrum.* id est conscientia. *Non reprehenderit nos*,

de aliquo mortali. *Glossa*. Si recti sumus, puram fratrum dilectionem habemus. Vel non reprehenderit nos, in oratione cum dicemus : Dimitte nobis debita nostra. *Fiduciam habemus ad Deum*, id est confidimus in Deo. *Et quicquid petierimus*, digna scilicet petitione. Joan. xvi, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo etc.*, *Glossa*, Ex radice charitatis, *Accipiemus ab eo*, Vel illud quod petimus, vel magis expediens. Luc. xi, *Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit. Quoniam mandata ejus*, scilicet dilectionis Dei et proximi. Matth. xxii, *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ. Custodimus. Glossa*, animo. *Et ea quæ sunt placita. Glossa*, opera charitatis. *Coram eo. Glossa*, in abscondito ubi Deus videt, secundum illud Matth. vi. *Cum facis eleemosynam noli tuba canere, etc. Facimus*, in exteriori opere non coram hominibus ut eis placeamus. Matth. v, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis.*

Et hoc est mandatum etc. Hic ostendit quæ sunt mandata ejus, scilicet fides et dilectio. Et hoc est mandatum primum, et principium, *Ut credamus*, fide operante per dilectionem. *In nomine filii ejus*, confitendo et venerando. Filii inquam ejus, quo ad divinitatem. *Jesu Christi*, quo ad humanitatem ; non quod aliud sit nomen : quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus etc. Act. iv. *Et diligamus alterutrum*, hoc est aliud mandatum, id est unus alterum. *Sicut dedit mandatum nobis*. Joan. xv, *Hoc est præceptum meum ut diligatis etc. Glossa*. Mandatum singulari numero præponit ; et duo subjungit quia hæc nequeunt separari. Contra. Fides potest esse informis , ergo potest separari a charitate ; ergo illa duo possunt separari. Responsio, Credere in Deum est fidei formatæ, non informis : tale Deum credere nunquam separatur a charitate. Hoc autem mandatum docuit. Joan. xiv, *Creditis in Deum et in me credite*. Non potest dici quod loquitur *Glossa*, de dilectione Dei et proximi, quæ sunt plura præcepta materialiter sive in diversitate operum, unum vero formaliter sive in radice charitatis, *Et qui servat mandata ejus*, scilicet quæ prædicta sunt de fide et dilectione, *In illo manet*, in illo, scilicet Deo manet. *Glossa*, ut in refugio, *Et ipse in eo*, ut in vase mundo in præsenti et in futuro. Infra. iv, *Qui manet in charitate in Deo manet etc.* *Et in hoc scimus*, et in hoc : *Glossa*, si dubitemus an in nobis maneat, in hoc tamquam manifesto, *scimus*, per fidem, per omnimodam certitudinem, *Quoniam ipse manet in nobis*, diligentibus, *De spiritu*, scilicet sancto, idest per Spiritum sanctum, *Quem dedit nobis*, idest dona Spiritus sancti quæ dabantur in primitiva Ecclesia visibilibus signis, quando loquebantur linguis et faciebant miracula ; unde Spiritus sanctus descendit super Apostolos in signo visibili. Actuum ii, Descendebat et super credentes baptizatos, Act. x.

CAPUT IV.

Carissimi nolite omni spiritui credere etc. Supra commendavit doctrinam suam, cap. i. Hortatus est ad ejus observantiam cap. ii et iii. Hic dissuadet doctrinam contrariam, ostendens primo quibus non est credendum , quia Christum negantibus. Secundo quibus credendum, quia Christum confitentibus, cap. ult. In prima parte primo dissuadet hæreticorum favorem. Secundo suadet catholicorum dilectionem, ibi : *Carissimi diligamus invicem*. In prima parte primo monet hæreticis non acquiescere. Secundo docet eos a catholicis discernere, ibi : *In hoc cognoscitur Spiritus Dei*. Ponitur autem quadruplex signum. Primum est errores fidei. Secundum persecutio Christi, ibi : *Et hic est antichristus*. Tertium est amor mundi, ibi : *Vos ex Deo estis*. Quartum contemptus apostolicæ doctrinæ, ibi : *Nos ex Deo sumus*. Dicit ergo, *carissimi :* quasi dicat : An Deus maneat in aliquo per spiritum, sed tamen nolite credere passim et indifferenter : quia qui cito credit, levis est corde. Eccles. xxx, *Omni spiritui etc. Glossa*, Spiritualiter loquenti, ut eum eligatis ad imitandum, quia quædam bona communia sunt bonis et malis. Unde, ut dicit *interlinearis*, Hoc opus illa gratia Spiritus sancti quæ appellatur discretio spirituum, Vel omni spiritui, idest homini aperte tantum, quia spiritus per instrumentum corporis loquitur, *Sed probate*, idest experimento cognoscere tentate, idest Thess. v, *Omnia probate : quod bonum est tenete. Spiritus*, idest spiritualiter loquentes vel spirituales se ostendentes, *Si ex Deo sint. Glossa*, Si secundum Deum spirituales sunt. Et quidem spiritus erroris. I Timoth. iv, *Attendentes*

spiritibus erroris etc. Sed quomodo possit probari? cum requiritur ad hoc donum Spiritus sancti, scilicet donum discretionis spirituum, quod non datur omnibus, sed solum spiritualibus, I Corinth. XII, *Alii datur di retio spirituum* : ergo solum illi possunt probare. Responsio, Possunt probare probatione exteriori, per signum scilicet quod dat Dominus. Matth. VII, *A fructibus eorum cognoscetis eos, et hoc possunt facere omnes, sed non probatione interiori. Quoniam multi*, Quoniam. *Glossa*, ideo præmunio vos, multi per varios errores divisi, *pseudo*, idest falsi prophetæ. *Glossa*, Qui sub obtentu fidei errores prædicant et malis exemplis corrumpunt. *Exierunt in mundum*, idest qui prius latebant manifesti sunt : unde dicuntur exire per manifestationem de occulto in manifestum : vel aliter, in præsentia in qua latebant ad hominum cognitionem.

In hoc cognoscitur spiritus Dei etc. Hic ponitur primum signum quod est error fidei, quasi quis quæreret quomodo possumus probare. Respondet, *In hoc cognoscitur Spiritus Dei,* idest esse scilicet Deum vel ex Deo, et in hoc dico quod sequitur, *Omnis spiritus,* idest spiritualiter loquens, *Qui confitetur. Glossa*, voce et operatione, Hæc est dictio de qua dicitur I Corinth. XII, *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Jesum Christum*, Dei filium, *In carne venisse*, scilicet de Virginis utero in mundum. Venit enim in carnem in incarnatione, sed venit in carne in nativitate : venit in carnem in Virginis utero, sed venit in carne in mundo. *Ex Deo est*, Imitatione, non propagatione. Sed contra hoc objicitur, quia multi confitentur verbo, sed facto negant, qui tamen non sunt ex Deo. Responsio. Confiteri est simul fateri : unde confitetur, qui nulla parte diffitetur. Si ergo in ore fateris et opere, corde autem diffiteris, non credis; ideo dicitur, Omnis spiritus, idest spiritualiter, qui confitetur ore et opere. Rom. x, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Et omnis spiritus*, idest spiritualiter vel de spiritualibus loquens, *Qui solvit*, idest dividit, *Jesum*, vel separans deitatem ab eo, ut Arius, ut Apollonius qui ponit divinitatem pro anima, vel carnem ut Manichæus qui ponit quod Christus assumpsit phantasticam et non veram ; vel personæ unitatem ut Nestorius : vel fideles qui sunt ejus membra a capite, scilicet Christo divisa, ut schismaticus qui solvit tunicam Christi inconsutilem, Joan. XIX, *Ex Deo non est*, in quantum hujusmodi, immo ex diabolo. Supra III, *Qui facit peccatum ex diabolo est;* et Joan. VIII, *Vos ex patre diabolo estis. Et hic*, qui scilicet Christum solut *Est antichristus*, id est contrarius Christo. Antichristus est non in persona, sed in figura, sicut Joannes Elias, Matth. XII. Antichristus, id est præambulus antichristi, *De quo audistis.* Per evangelium et per prædicationem Apostolorum, *Quoniam venit*, id est venturus est imminente die judicii : unde ly venit non dicit præsens ut nunc, sed præsens confusum. Vel venit in divina prævisione, qui tandem veniet in secundo. Vel venit in membris suis. *Glossa*, Habitans in mentibus eorum, qui Christo verbo et opere repugnant. Dicit autem, *Et nunc jam*, ut per hoc significetur adventus instantia : quasi dicat, *nunc*, quasi instat. II Thess. II, *Nam ministerium jam operatur iniquitatis.*

Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum etc. Hic ponitur tertium signum quod est amor mundi. Dicit sic, Illi non sunt ex Deo, *Sed vos, filioli, ex Deo estis*, tanquam filii a patre, generatione spirituali, non carnali : imitatione, non propagatione, *Et vicistis eum*, scilicet antichristum, in membris suis, scilicet hæreticis. Vel mundum, id est mundi amatores, quales præcipue erant hæretici. *Quoniam major est. Glossa*, Non vicistis eum virtute liberi arbitrii, sed quia major est Deus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum ; major est fortitudine et potentia. Job. XX, *Si fortitudo quæratur, robustissimus est.* Rom. IX, *Voluntati ejus quis resistet ?* Item sapientia. Psalm. CXLV, *Sapientiæ ejus non est numerus.* Item, *In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, Coloss. II. Item bonitate : dicitur Matth. XIX, *Nemo bonus, nisi solus Deus. Qui in vobis est*, id est intra vos, scilicet Deus, quia « solus humano cordi illabitur, » ut ait Isidorus. *Quam qui in mundo*, id est in mundi amatoribus, scilicet diabolus qui est princeps hujus mundi. Joan. XII, Ipsi quasi in hoc cognosci possunt, quia, *ipsi,* scilicet hæretici, vel ipsi antichristi scilicet, *De mundo sunt*, id est de numero eorum qui terrena sapiunt, quia cœlestia ignorant, ut dicit *Glossa.* Unde mundus est eorum patria et hæreditas, sicut sanctorum cœlum. *Ideo de mundo loquuntur*, id est de mundanis*: loquuntur*, id est docent

errorem persuadendo rationibus mundanis. *Glossa*. Ratione mundanæ sapientiæ probant, non posse Deum hominem fieri, mortuum suscitari, hominem mortalem in cœlis habere mansionem, et alia hujusmodi. Joan. III, *Qui de terra est, de terra loquitur*. Matth. XXVI, *Galilæus es. Nam loquela tua manifestum te facit. Et mundus eos audit*, mundus, id est mundani homines et carnales. Eos audit, id est doctrinæ eorum obediunt et sequuntur eos. II Petr. II, Multi sequuntur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur. *Glossa*. Quia spiritualium corda non possunt avertere. *Nos ex Deo sumus*. Hic est quartum signum, scilicet contemptus apostolicæ doctrinæ. Ita illi sunt de mundo. Sed qui habemus charitatem ex Deo sumus, quia Dei filii et Dei nuncii. *Qui novit Deum*. Notitia fidei et approbationis. Non sic illi, de quibus ad Titum I, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Audit nos*. Aure obedientiæ, obediendo veritati fidei. Psalm. *In auditu auris obedivit mihi. Qui non est ex Deo*. Per imitationem et gratiam, sed ex diabolo per culpam. *Non audivit nos*, id est nostram prædicationem. Joan. VIII, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis et spiritum erroris*. Quia, ut ait *Glossa*, Qui audit nos, habet spiritum veritatis; qui non audit, habet spiritum erroris.

Carissimi diligamus nos etc. Hic suadet catholicorum dilectionem. Ubi primo hortatur ad charitatem. Secundo ad charitatis perfectionem, ibi, *Deum nemo vidit unquam*. Tertio ad perfectionis manifestationem, ibi, *In hoc perfecta charitas*. Monet autem ad charitatem invitans. Primo ex dilectionis præconio. Secundo ex dilectionis exemplo, ibi. *In hoc apparuit charitas etc*. Tertio ex dilectionis debito, ibi, *Carissimi, Si Deus dilexit nos etc*. Ponit autem duplex præconium. Primo, quia charitas a Deo est. Secundo, quia charitas Deus est, ibi, *Qui non diligit*. In secunda parte tangit divinæ dilectionis ad nos duplex exemplum. Primo ex opere, Secundo ex modo operandi, ibi, *In hoc est charitas Dei*. Dicit ergo, *Charissimi*: quasi dicat: Ex Deo sumus. O carissimi fide, spe, mihi juncti. *Diligamus invicem*, scilicet unus alterum. *Glossa*. Verbo et opere. Rom. XII *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*. Et hoc debemus, *Quoniam charitas ex Deo est*. Et proprium et speciale donum ejus, in quo dantur omnia dona charitatis, tam increata, id est Spiritus sanctus, quam creata, id est virtus. Notandum autem quod charitas creata est a Deo infundente. Jacobi I, *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est etc*. Item a Deo præcipiente. Joan XIII, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem etc*. Item exemplo inducente ad hoc. Infra eodem, ibi, *In hoc apparuit charitas Dei in nobis etc. Et omnis qui diligit*, scilicet ex charitate, *Ex Deo natus est*, per adoptionem gratiæ. Quia secundum Augustinum, ipsa est proprium donum filiorum, ipsa est quæ dividit inter filios regni et filios perditionis. *Et cognoscit Deum*. Notitia familiaritatis vel experimentalis cognitionis, quia necessario docet eos. Supra secundo. Sed e contra *Qui non diligit*, scilicet Deum et proximum ex charitate, *Non novit Deum*. Notitia experimentali, quia bonum hujusmodi cognitione cognosci non potest nisi diligatur. Quia in malevolam animam non introibit sapientia Dei, id est experimentalis cognitio Dei. Dicitur enim sapientia quasi sapida scientia. Non novit ergo sapientia experimentali, quantumcumque cognoscat notitia simplici. *Quoniam Deus charitas est*, increata, ad cujus notitiam non pervenitur, nisi per charitatem creatam, ut tangit *Glossa*. Quia simile suo simili cognoscitur. Et vere charitas Deus est. *In hoc enim*, velut certissimo signo. *Apparuit charitas Dei in nobis*, id est ostensa est erga nos. *Quoniam Filium*, non servum. Gregorius : « Nonne ineffabilis est dilectio charitatis, ut servum redimens, Filium tradiderit? » *Suum*, Sibi consubstantialem, proprium, naturalem non adoptivum. *Unigenitum*, non ex multis unum. *Misit Deus Pater*, scilicet qui tantus est ad tantillos. *In mundum*, immo pro mundo salvando. Joan. III, *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum, Ut vivamus*. *Glossa*, Prius mortui. *Per eum*. *Glossa*, resuscitati. Ephes. II, *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos etc*. Et nota quod tangit quatuor rationes, quare donum debet esse gratum et acceptum. Prima est ex parte dantis; quando ille qui dat, dat ex magno amore et dilectione. Unde aliquando non tantum curatur de hoc quod datur, quam de affectu personæ dantis. Et certe istud do-

num datum est nobis ex maxima dilectione seu charitate Patris. Hæc ratio notatur cum dicitur, In hoc apparuit caritas Dei, etc. Secunda ratio est ex parte dati sive missi. Quando illud quod datur est magnum et pretiosum, debet esse multum gratum et acceptum, et placitum. Et certe istud fuit maximum; quod notatur, cum dicitur, Filium suum unigenitum. Tertia ratio est ex parte recipientis, quando ille cui datur donum, multum indiget eo. Et certe multum indigebamus tali dono, quod scilicet nos resuscitaret, quia mortui eramus; quod notatur, cum dicitur, ut vivamus per eum. Quarta ratio est ex parte deferentis illud donum. Aliquando enim propter gratiam personæ deferentis illud donum, ut pulchræ placet puellæ deferre donum. Et ita ob pulchritudinem et gratiam virginis deferentis debet istud donum nobis esse acceptum, quod intelligitur cum dicitur, *Misit Deus Filium suum.* Constat autem quod misit per virginem. Gal. IV, *Misit Deus Filium suum natum de muliere etc. In hoc*, id est in hac missione. *Est charitas*, manifesta : tunc enim dicitur res fieri, ut ait Augustinus, quando innotescit. *Non quasi nos dilexerimus Deum*, ante Filii missionem, et sic eum mitti meruerimus. Ad Rom. VIII, *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Quoniam ipse,* scilicet Deus, *prior dilexit nos*, prædestinando, vocando, justificando. Et in hoc ostenditur gratuita ejus dilectio. Et quod non est mercenaria : quia amantem amare naturæ est; amare autem non amantem gratiæ est. *Et misit Filium suum*, in experimento dilectionis. *Propitiationem*, id est hostiam, ut Deus Pater nobis redderetur propitius, *Pro peccatis nostris*, tollendis. *Glossa*, destruendis. Alia littera habet, propitiatorem, id est sacrificatorem. Ad Rom. III, *Neque quem proponit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius :* unde significatur per propitiatorium de auro mundissimo quod erat super arcam Domini, id est super universalem Ecclesiam. *Ex quo propitiatur Dominus,* Exod. XXV.

Carissimi, si Deus etc. Hic invitat nos ad dilectionem ex dilectionis debito. Si sic Deus dilexit nos, ut patet ex præmissis, tantus tantillos, creator creaturam, justus injustos. Job. VII, *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis etc.* Et nos qui sumus fratres et pares, et non conformes. *Debemus invicem diligere*, exemplo ejus : Joan. XIII, *Exemplum dedi vobis etc.* Et ad Ephes. V, *Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Glossa.* Sicut Deus non expectavit, ut eum diligeremus : sic nos non expectemus ut alii nos diligant, sed prius diligamus. Nota alibi multiplicem rationem, quare invicem nos diligere debemus. *Deum nemo vidit unquam* visione scilicet corporali. Hic hortatur ad charitatis perfectionem, quam faciunt duo. Primo mansio Dei in affectu per nimiam dilectionem. Secundo mansio Dei in intellectu per Christi fidem et confessionem, ibi *Quisquis confessus fuerit.* In prima parte, primo Dei mansio ostenditur. Secunda per quod mansio cognoscitur, ibi, *In hoc cognoscimus.* Tertio per quid probatur, ibi, *Et nos vidimus.* Dicit ergo, *Deum :* quasi dicat : debemus nos invicem diligere et Deum; quia si diligimus, licet non eum videamus, tamen eum habebimus. *Deum*, in essentia propria, non creatura sua, Sic enim vidit Jacob, Genes XXXII, *Vidi Dominum facie ad faciem etc.* Et Isa. VI, *Vidi Dominum sedentem etc. Nemo* nullus homo utens sensu corporeo. Exod. XXXII, *Non videbit me homo et vivet.* Vidit tamen Paulus extra sensus corporis raptus, II Cor. XII, *Vidit* inquam visione scilicet corporali vel visione aperta intellectuali : licet aliquatenus hic videatur per fidem, in futuro autem per speciem. I Corinth. XIII, *Videmus nunc per speculum et in ænigmate etc. Si diligamus invicem :* quasi dicat : licet videri non possit in præsenti, tamen, *Si diligamus invicem*, ex charitate *Glossa :* Sincera charitate non remissa et desidiosa : *Deus in nobis manet*, per gratiam inhabitantem, manet enim sicut in templo suo. I Corinth. III, *Templum Dei sanctum etc. Glossa.* Manet enim inspiciendo bona aspectu approbationis, non solum notitiæ simplicis. *Et charitas ejus, qua* scilicet eum diligamus, *In nobis perfecta est.* Perfectione sufficientiæ, et tendit ad perfectionem excellentiæ. Tunc enim est charitas Dei perfecta in nobis quando eum diligimus non solum in se, sed et in sua imagine. *Glossa.* Incipis diligere, incipit Deus in te esse : cresce in dilectione, et amplius habitando in te faciet te perfectum, ut eum diligas, et etiam inimicum. Sicut et ipse inimicos dilexit. *In hoc cognoscimus.*

Glossa. Quod Deus in nobis manet tali experimento probamus, in hoc scilicet si dilectionem habeamus. *Cognoscimus*, inquam, cognitione conjecturæ probabilis non omnimodæ certitudinis, secundum illud Job XIX, *Si venerit ad me, non videbo eum. Quoniam in eo manemus*, per charitatem qua Deum diligimus. *Et ipse in nobis.* Per charitatem qua Deus nos diligit. Infra eodem, Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. *Quoniam de Spiritu sancto suo*, ab ipso scilicet procedente. *Dedit nobis.* Vel donatione visibili, ut fiebat in primitiva Ecclesia. Act. II. Vel invisibili per gratiam. Rom. V, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum etc.* Et notandum quod non dicit Spiritum, sed de Spiritu, quia ipsi datus est Spiritus totaliter. Joan. III, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Nobis vero particulariter non secundum se, qui est impartibilis, sed secundum dona. I Corinth. XII, *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Ipse autem Spiritus testimonium reddit Spiritu nostro, quod sumus filii Dei* Rom. VIII. Et sic per ipsum cognoscimus, quod Deus manet in nobis, et nos in ipso. Augustinus, Invicem in se habitant, qui continet et qui continetur: habitas in Deo, sed ut continearis: habitat in te, sed ut contineat ne cadas: non cadet quem Deus continet. Psalm. CXVII. *Impulsus eversus sum, ut caderem etc. Et nos vidimus. Glossa.* Per hoc probamus quod de Spiritu suo dedit nobis. *Quia vidimus. Glossa.* Per confortantem Spiritum novimus et testificamur. Hæc autem, ut dicit *Glossa*, non faciunt hi qui Spiritum non acceperunt. Hæc scilicet vidimus. *Et testificamur quoniam Pater misit Filium suum. Glossa.* Ad cognitionem hominum, scilicet in carnem visibilem. *Salvatorem mundi*, per passionem, Tandem mittet eum, ut judicem. *Glossa.* Modo salvatorem, quandoque judicem. Joan. III. *Non enim misit Deus Filium suum ut judicet mundum etc.* Beda. Tantum meminerit quisque quod idem Filius Dei, qui venit ut mitis salvaret, venturus est ut districtus judicet. *Quisquis confessus fuerit. Glossa.* Non solum in nobis Deus manet, sed etiam in omnibus qui confitentur eum. Quisquis inquam confessus fuerit. Hic agit de missione intellectus. Ubi primo ostendit Deum manere in corde credentium. Secundo ostendit eos esse de numero illorum, ibi, *Et nos cognovimus.* Tertio innuit in eis Deum manere, ibi, *Deus charitas est.* Quisquis, inquam, confessus, confessione scilicet perfecta cordis, oris, operis, non solius vocis (ad Tit. I, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*) *Quoniam Jesus est Filius Dei.* Identitate personæ, scilicet quod eadem est persona in utraque natura, et idem est Filius Dei et filius hominis. *Deus in eo manet*, ut in templo suo, I Corinth. III, *Templum Dei estis vos.* Et *ipse in Deo*, ut in refugio, Psalm LXXXIII, Domine refugium factus es nobis. *Et nos cognovimus*, hoc scilicet quod Christus est Filius Dei. *Et credimus charitati*, id est affectui charitatis, scilicet missioni Filii in mundum, quæ fuit ex maxima charitate. Joan. III, *Sic Deus dilexit mundum etc. quam*, charitatem Deus Pater. *Habet in nobis*, id est ad nos, Filium suum nobis donando. Rom. IX, *Qui proprio Filio suo non etc. Deus charitas est:* quasi dicat: patet quod ipse habet charitatem ad nos: quia et ipse Deus charitas est. Idem, ut ait *Glossa*, supra dixit, ut amplius commendet, et ut alium effectum charitatis adjungat. Supra dixerat per charitatem factum esse primum adventum Filii in mundum ad salutem mundi. Hic per eamdem charitatem annunciat salutem fidelium, in secundo adventu in die judicii. Deus, inquit, charitas est. Hoc antonomastice dicitur propter magnitudinem charitatis, ad Ephes. II, *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos etc.* Secundum Augustinum dicitur hoc per essentiam non per causam: per hoc enim quod dicit Joannes, Deus charitas est, simpliciter, non autem in ea, vult Augustinus, quod charitas essentialiter sit Deus; et quod ait, charitas ex Deo est, vult Augustinus, quod charitas est Deus ex Deo. Per hoc autem quod addit quod charitas in Deo nos manere facit, et supra dixerat quod per spiritum quem dedit, cognoscimus quod in ipso manemus, vult quod charitas, quæ est Deus ex Deo, faciens nos manere in Deo, est Spiritus sanctus. Hic opinatus est magister Petrus Lombardus, quod charitas, qua nos diligit, et nos Deum diligimus, non est aliud quam Spiritus sanctus. Sciendum quod charitas qua Deum diligimus duplex est. Vel qua elicitive et formaliter, hoc est habitus creatus: vel qua effective et exemplariter, hoc est Spiritus sanctus. *Et qui manet*, perseveranter *In charitate, in Deo manet*, ut ab ipso contineatur, se-

cundum *Glossam. Et Deus in eo*, ut ipsum contineat, secundum *Glossam*. Vicissim enim in se manent, qui continet et qui continetur. Bernardus, Deus charitas est. Quid ergo charitate melius? Et qui manet in charitate, in Deo manet. Quid ergo charitate securius? et Deus in eo. Quid ergo charitate jucundius? Ex hoc enim quod dicit, Qui manet in charitate in Deo manet, videtur continuari opinio magistri Petri. Sed intelligendum est de charitate infusa; qui enim manet in ea, manet in Deo. Est enim talis naturæ, quod non potest esse nisi ad præsentiam suæ causæ, scilicet Dei influentis, sicut lumen in aere non potest esse nisi ad præsentiam influentiæ solis. Item per charitatem ejus infusam sumus membra ejus, et ideo sumus in illo tamquam membra in corpore. I Corinth. XII, *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro*.

In hoc perfecta est charitas etc. Hic hortatur ad perfectionis manifestationem, primo ex parte diligentis. Secundo ex parte diligendorum, ibi, *Nos ergo diligimus*. Ex parte diligentis dupliciter. Primo per spei securitatem. Secundo per timoris pœnalis exclusionem, ibi, *Timor non est in charitate*. Ex parte diligendorum per dilectionem Dei et proximi, non alterius tantum. Ubi primo ostendit, quod diligendus est Deus; secundo, quod non potest diligi Deus, nisi diligatur proximus, ibi, *Si quis dixerit;* tertio, quod de utroque diligendo mandatum habemus, ibi, *Et hoc mandatum*. Dicit ergo, *In hoc :* quasi dicat : An aliquis perfectus sit in charitate, per hoc signum probare potest, secundum *Glossam. In hoc perfecta est*, id est perfecta esse ostenditur. Tunc enim dicitur res fieri quando innotescit, secundum Augustinum. Et loquitur de perfectione non solum sufficientiæ, sed et excellentiæ. Charitas inquam, *Nobiscum ut fiduciam habeamus in die judicii*, non timorem, *Glossa*, ut non timeatis apparere in die judicii. Et alia *Glossa*. Per hoc ostendimur perfecte diligere Deum, si non timeamus adventum judicis. Qui timet non est perfectus in charitate. Talis erat qui dicebat, *Quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* Ad Philipp. II, *Cupio dissolvi et esse cum Christo*. Augustinus, Non est perfecta charitas, nisi cum cœperit dies Domini desiderari. Contra. Amos V, *Væ desiderantibus diem Domini*. Responsio. Est desiderare ex præsumptione, et istud desiderium est detestabile. Et est desiderare ex charitate, ut faciunt qui desiderant amplexus sponsi indissolubiles, et hoc est commendabile seu laudabile. Psal. XLI, *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum etc.* Ut habeamus inquam fiduciam, etc. *Quia sicut ille est*, charitate plenus, sanctus et justus, ita, *Et nos sumus*, ut dicit *Glossa*. Interlinearis, sicut non æqualitatem, sed quamdam similitudinem dicit. *In hoc mundo*, quod difficile est. *Glossa :* per hujusmodi fiduciam, imitamur perfectionem dilectionis ejus in mundo amando amicos, sicut ille pluit super justos et injustos in cœlo, id est de cœlo. *Timor non est in charitate*. Timor, inquit, quasi dicat : vere in hoc, scilicet amando amicos et inimicos, perfecta est charitas. Nam timor non est in charitate, scilicet servilis etc. Notandum quod quadruplex est timor. Unus est servilis qui est solius gehennæ; alius initialis qui est timor gehennæ et offensæ divinæ. Alius est filialis, qui est timor solius offensæ divinæ. Quartus est reverentiæ, qui est solius reverentiæ majestatis divinæ, qui resilit in suam propriam parvitatem. Primus non est in charitate, sed præparat ei locum, et eam tandem introducit sicut seta vel acus filum, ut dicit Augustinus. Secundus non est in perfecta charitate, de qua loquitur hic secundum *Glossam*. Tertius major est in magis perfectis, quia magis perfecta charitate viæ sed non patriæ. Quartus manet cum charitate perfecta patriæ, de qua Psal. XVIII, *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi. Sed perfecta charitas*, perfectione excellentiæ non solum sufficientiæ, *Foras mittit timorem*, gehennæ, scilicet initialem. Aliud est enim timere Deum ne te in gehennam mittat, aliud ne te deserat, ut ait Augustinus. *Quoniam timor*, hujusmodi gehennæ, *Pœnam habet*, tormentum conscientiæ. *Glossa,* Torquet cor conscientia peccatorem cum nondum facta est justificatio, scilicet perfecta et integra. *Qui autem timet*, supplicium gehennæ, vel qui timet timore dominante, secundum Augustinum. Vel qui timet aliquam pœnam, vel periculum temporale, vel separari a Deo, *Non est perfectus in charitate*, perfectione superabundantiæ, licet sit perfectus perfectione sufficientiæ. Perfectus erat ille qui dicebat Rom. VIII, *Quis nos separabit a charitate Christi, an tribula-*

tio, an angustia, an persecutio, an fames etc. Sed contra hoc objicitur de Christo qui timuit Matth. XXVI, *Cœpit Jesus pavere et timere.* Viri etiam sancti timent judicium. Job. XXI, *Quando recordatus fuero pertimesco.* Iterum Hieronymus : Prudenter timetur quidquid accidere potest. Responsio, Loquitur de timore intiali non naturali. Christus vero timuit timore naturali. Quod objicitur de sanctis, Responsio. Timor est offensæ non gehennæ. *Nos ergo* : quasi dicat : ut perfecti simus nos qui in Deum credimus, *Diligamus Deum*, dilectione perfecta non imperfecta, quæ sit cum timore. Et hoc debemus, *quoniam*, ipse, *Deus prior dilexit nos*, quam nos ipsum. Nam scilicet *adhuc inimici eramus*, Rom. V. Augustinus ; « Prior dilexit nos, et dedit nobis diligere : dilexit impios, ut faceret pios. Dilexit injustos, ut faceret justos, dilexit ægros, ut faceret sanos. » Idem etiam Augustinus dicit ; « Anima fœda per iniquitatem, amando Deum, pulchra efficitur. Pulchri erimus amando Deum qui semper est pulcher : quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo, » *Si quis dixerit :* quasi dicat : An diligamus Deum, sic cognosci potest, *Si quis dixerit quia diligo Deum,* quilibet enim interrogetur, ut ait Gregorius, prompta mente respondet, diligo, *Et fratrem suum odit*, qui est Dei imago, *Mendax est*, et verbo et facto. Verbo quidem, quia dicit se diligere, unde quod dicit verbo dissonat corde. Si enim diligit Deum, habet conformem charitatis voluntatem cum Deo. Sed voluntas Dei est, ut diligat proximum. Cum ergo non diligat proximum, mendax est dicendo se diligere Deum. Item mendax est facto, quia odit ; unde implicatur contradictio, et talis mendax est. Et vere mendax est. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt*, unde plenius et facilius cognoscit eum, *Deum quem non videt*, et ideo minus cognoscit, *quomodo potest diligere?* « Invisa quippe, ut ait Augustinus, diligere possumus, incognita nequaquam. » Ratio ergo talis est : plus diligitur bonum visum quam non visum. Si ergo frater visus non diligitur, quomodo Deus non visus diligitur? *Glossa*. Frater tuus imago Dei est. Si non diligis imaginem, nec eum diligis cujus imago est. Et hoc, ne quis audeat dicere, Diligere possumus Deum, etiam si non diligamus fratrem, addit, *Et hoc mandatum habemus a Deo.* De utroque enim mandatum est. Unde Matth. XXII, *Hoc maximum et primum mandatum : secundum est simile huic, Ut qui diligit Deum*, propter se, *Diligat et fratrem suum*, propter Deum. Duo enim sunt mandata charitatis : scilicet Dei, et proximi. Nec potest unus diligi absque altero. Augustinus, Quis est qui dicat, Diligo imperatorem, sed odi leges suas? imperatoris enim nostri Dei lex est, *Mandatum novum do vobis etc.,* Joan. XIII.

CAPUT V.

Omnis qui credit etc. Hic ostendit quibus credendum, quia Christum confitentibus ; allegans primo fidei efficaciam et virtutem. Secundo veritatis attestationem, ibi, *Spiritus est qui testificatur.* Tertio, credentium utilitatem, ibi, *Hæc scribo vobis.* Hujus autem efficaciam et virtutem ostendit. Primo respectu Dei. Secundo respectu mundi, ibi, *Quoniam omne quod natum est.* Respectu Dei, tripliciter. Primo, quia facit natum Dei. Secundo, quia facit diligere natos Dei, ibi, *Omnis qui diligit eum.* Tertio, quia facit servare mandata Dei, ibi, *Hoc est enim charitas Dei.* Dicit ergo *Omnis etc. Glossa :* Vere qui diligit Deum, diligit fratrem suum. Nam et qui diligit genitorem, diligit et genitum. *Omnis*, scilicet secundum triplicem statum fidei ; videlicet, incipientis, proficientis et perfectæ, *Qui credit*, inquam, fide formata non informi. *Glossa.* Credit qui sic vivit quomodo Christus præcipit, qualiter et dæmones non credunt, Jacobi II, *Quoniam Jesus est Christus.* Messias scilicet in lege promissus, *Ex Deo natus est*, nativitate scilicet spirituali per fidem, non carnali per carnem. Joan. I, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et talis diligendus est, quia, *Et omnis qui diligit eum qui genuit diligit, et eum qui natus est ex eo.* Hoc exponitur dupliciter : vel de generatione æterna, vel temporali. De æterna sic : Qui diligit eum, scilicet Patrem qui genuit Filium æternaliter, diligit eum qui natus est ex eo, id est Filium æternaliter a Patre genitum. Sed qui diligit Filium, diligit membra ejus. Ergo qui diligit Deum Patrem, et Filium naturalem, diligit et membra Filii, scilicet filios adoptionis. Ergo fides quæ facit membra Dei, sive filios, facit diligendos.

De temporali sic : Omnis qui diligit eum qui genuit, per fidem scilicet, de qua generatione dicitur Jacob. I. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis;* diligit eum qui natus est ex eo, scilicet in fide; et sic iterum nasci ex fide facit diligere Deum. Isto duplici modo legit *Glossa* Augustini. *In hoc etc.* quasi dicat : Quis autem vere diligit? In hoc, scilicet affectu, vel signo, *cognoscimus*, id est cognoscere possumus, *Quoniam diligimus natos Dei*, scilicet fratres nostros qui sunt nati ex Deo per fidem, *cum*, Deum patrem eorum, *diligamus,* affectu. Matth. XXII, *Diliges Dominum Deum tuum etc. Et mandata ejus faciamus*, in effectu. Joan. XIV, Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Hoc est secundum *Glossam*, Ideo hoc conjungo ut diligamus et mandata ejus faciamus, quia aliter non est dilectio. Gregorius, « Probatio enim dilectionis exhibitio est operis. » *Hæc est enim*, id est esse ostenditur, *Charitas Dei,* id est qua Deus diligitur. Joan. XV, *Si diligitis me*, *mandata mea servate. Glossa,* Non diligit regem qui ejus negligit legem; ex amore enim regis ejus lex debet impleri. Vel sic, *Hæc est charitas Dei*, id est talis efficaciæ in nobis. *Ut mandata ejus custodiamus*, id est quod facit nos custodire Dei præcepta, *Et mandata ejus gravia non sunt,* id est difficilia. Et ideo, ut dicit *Glossa*, libenter custodienda sunt. Matth. XI, *Jugum enim meum suave est etc. Glossa*, Quæ natura sunt dura et aspera, amor Dei et spes præmii facit levia. Si quis gravia ea esse dicat, infirmitatem suam accuset, quia forti sunt levia. Ideo reputat ea minima. Matth. V, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis etc.* Vel gravia non sunt, id est ponderosa et deprimentia, *Glossa*, non trahunt deorsum ut talentum plumbi etc. Zachariæ V, *Sursum pervehit et excelsos facit custodia mandatorum.*

Quoniam omne quod natum etc. Hic ostendit efficaciam hujusmodi fidei et virtutem respectu mundi, ostendens primo quod per fidem mundus vincitur. Secundo per quam fidem vincitur, quia divinitatis Christi, ibi : *Quis est autem qui vincit.* Et humanitatis, ibi : *Hic est enim qui venit per aquam.* Dicit ergo, *Quoniam omne,* id est omnis vir vel mulier. Neutrum tamen ponit, quia in generatione spirituali distinctio sexus nihil facit. Ad Galat, IV, *In Christo Jesu non est masculus neque femina. Quod natum est ex Deo*, nativitate spirituali per fidem et charitatem. *Glossa*, Nascitur ex Deo qui diligit Deum et proximum, *Vincit mundum. Glossa*, contemnit blandimenta vel adversitate sæculi, id est mundi prospera et adversa, et ipsam mortem corporis; et quæ sursum sunt quærit. Joan. XV, *Confidite*, ait Filius, *quoniam ego vici mundum*, *Et hæc est. Glossa*, ne quis sua virtute confidat se posse vincere mundum, subdit, *Hæc est. Glossa*, demonstrative quasi digito ostendit, fidem tamquam consistentem et permanentem, secundum illud, ad Hebr. XI, Est autem fides substantia sperandarum rerum etc. *Victoria*, causaliter virtus efficiens. Victoria, inquit, *Quæ vincit mundum fides nostra.* Ad Hebr. XI, *Sancti per fidem vicerunt regna etc. Glossa*, illa *fides* quæ *per dilectionem operatur*. Galat. V, non fides hæreticorum aut peccatorum. Sed objicitur de hoc quod dicit, *Omne quod natum est ex Deo vincit mundum* : quia iste imperfectus natus, natus est ex Deo, non tamen vincit mundum, quia vincere mundum est abrenuntiare mundo, quod perfectorum est. Responsio. Vincere mundum dupliciter dicitur. Subjiciendo vel abstinendo sive abjiciendo. Primo modo vincunt imperfecti. Secundo modo perfecti. *Quis est autem.* Determinat quæ fides vincit mundum, quia fides Christi, *Qui vincit mundum*, mundi prospera et adversa contemnendo, *Nisi qui credit*, fide formata, *Quoniam Jesus est Filius Dei?* scilicet naturalis coæternus consubstantialis Patri : quasi dicat : Quis est qui vincit mundum nisi is qui habet fidem de divinitate Christi ? Mundus enim quasi duplici manu pugnat contra nos : scilicet dextera prosperitatis per prospera nos alliciendo. Et sinistra adversitatis nos per adversa terrendo. Et certe qui bene crediderit Christum esse Filium Dei, de facili vinceret mundi prospera et adversa. Si enim Christus est Filius Dei ; ergo summe bonus ; ergo in ipso non fuit defectus veri boni, nec præsentia veri mali. Cum ergo temporalis prosperitas in ipso defuerit et adversitas affuerit, restat quod temporalis prosperitas non est vere bona, et ita non est appetenda ; nec adversitas est vere mala, et ita non est timenda. Augustinus, Omnia bona terrena contempsit homo Christus ut contemnenda monstraret : et omnia mala terrena sustinuit quæ sustinenda præcipiebat ; ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in

istis timeretur infelicitas. Unde ad Hebr. xi, *Fide grandis effectus Moses, negavit se esse filium filiæ Pharaonis etc. Hic est qui venit. Glossa*, Et quia sola fides divinitatis non sufficit, addit de humanitate, *Hic est Jesus Christus*, Jesus nomen proprium. Christus nomen appellativum, *Qui venit*, qui erat æternus apud Patrem, venit ad homines, sicut dicit *Glossa*, ad salutem et peccatorum remissionem *Per aquam. Glossa*, baptismi, *et sanguinem*, *Glossa*, passionis. In aqua venit, ut vim regenerativam ex contactu suæ mundissimæ carnis aquis conferret; et sic baptisma consecraret in sanguine et nos redimeret. Et significatum fuit Joan. xix, ubi dicitur : unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. *Jesus*, id est salvator. *Christus* id est unctus, *Non in aqua*, baptismatis, *solum*, ad abluendum, *Sed in aqua et sanguine.* In aqua baptismatis ad abluendum, et sanguine passionis ad redimendum. Aqua enim solum non lavaret nisi a sanguine virtutem haberet. *Et ipse est qui testificatur.* Hic allegat veritatis attestationem; allegans primo testium sufficientiam et idoneitatem. Secundo testimoniorum receptibilitatem, ibi : *Si testimonium hominum etc.* Testium, inquam, sufficientiam et idoneitatem. Primo allegat de divinitate et humanitate. Secundo specialiter de divinitate, ibi : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo.* Tertio specialiter de humanitate, ibi : *Et hi tres unum sunt.* Dicit ergo, *Et spiritus est. Glossa :* licet secundum hominem sit passio, tamen, *Spiritus est qui testificatur*, vel Spiritus sanctus qui visus est super eum in specie columbæ. Luc. iii, Vel spiritus, id est doctor spiritualis. Utroque modo exponit *Glossa. Quoniam Christus est veritas*, id est vere in duabus naturis, id est habens veritatem in utraque natura, non apparentiam sine existentia : quod esset si haberet carnem phantasticam et corpus phantasticum sicut posuit Manichæus. Joan. xiv, *Ego sum via, veritas et vita.* Hoc testimonium perhibuit ei Spiritus sanctus, Matth. iii, et Luc. iii, Quando descendit super eum. Et Joan. i, Quando descendit super baptizatum et in specie columbæ requievit etc. Idem, *Super quem videris spiritum descendentem super eum, hic est qui baptizat, Quoniam tres sunt etc. Glossa.* Per hoc apparet quod Christus est veritas, id est verus Deus et verus homo, quia de utroque certum habemus testimonium. Quoniam tres sunt, personæ scilicet. Quærebant enim olim hæretici : qui tres? Et responsum est eis, Tres personæ, ut dicit Augustinus, Non ut illud diceretur, sed ne omnino taceretur, *Qui testimonium*, de veritate Christi secundum *Glossam*, *Dant in cœlo*, vel materiali, quia ibi magis relucent opera Trinitatis. Unde ibi per quamdam appropriationem dicitur esse Deus. Psalm. *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis.* Vel spirituali, scilicet anima facta ad similitudinem ejus. Isaiæ ult. *Cœlum mihi sedes est.* Vel in cœlo, id est de cœlo. Quia vox Patris de cœlo audita est, Tu es Filius meus dilectus etc. Et spiritus apparuit de cœlo. Luc. iii, *Apertum est cœlum et descendit Spiritus sanctus corporali specie.* Ipsum etiam verbum de cœlo missum est. Psalm. *A summo cœlo egressio ejus. Pater. Glossa*, Pater dedit testimonium deitatis Christo, cum dixit, Hic est Filius meus dilectus. Luc. iii, *Verbum*, id est Filius. *Glossa*, Ipse Filius dedit testimonium, quando in monte transfiguratus personam deitatis et speciem æternæ beatitudinis ostendit. Luc. ix. *Et Spiritus sanctus. Glossa*, Spiritus dedit testimonium quando super Christum baptizatum in specie columbæ requievit. Luc. iii. Vel quando ad invocationem nominis Christi corda credentium replevit. Act. i, Item Pater dat testimonium quod erat Deus, dans ei potentiam faciendi miracula. Filius dans sapientiam docendi utilia. Spiritus sanctus dans bonitatem perfectam et operandi meritoria, *Et hi tres unum sunt*, in testimonium. Et ideo magis eis credendum, *Glossa*, de eadem re testantes. Vel unum sunt in essentia, quia unus Deus, quod figuratum fuit Gen. xviii, ubi legitur quod Abraham tres vidit et unum adoravit, *Et tres sunt*, scilicet testes, *Qui testimonium*, de humanitate Christi, secundum *Glossam*, *Dant in terra*, ad literam, hoc est in hac inferiori parte mundi. Vel in terra, id est de humanitate quæ est terra ratione carnis. Et ponitur pars humanitatis pro toto. Vel in terra, id est in terrenis humanitatem Christi confitentibus. Et notandum quod ubi est testimonium de Divinitate, dicitur in cœlo. Ubi autem de humanitate, dicitur in terra. Quod valde congruit : ut de cœlo detur testimonium de divinitate : de terra autem testimonium de humanitate : *Spiritus. Glossa*, anima humana quam emisit in passione. Luc. xxiii, *Pa-*

ter, in manus tuas etc. Aqua, quæ fluxit de latere, Joan. XIX. *Et sanguis*, qui similiter fluxit de latere jam mortui, Joan. XIX. Vel de toto corpore viventis gutta sanguinis perfluens, Luc. XXII. Vel sanguis quem effudit in circumcisione, Luc. II. Item in oratione, Lucæ XXII. Item in flagellatione et in cruce, Matth. XXVII et Joan. XIX. Vel aqua in cunabulis ab eo emissa præ fletu, Sapient. VII, *Primam vocem similem omnibus emisi plorans*. Item in suscitatione Lazari, Joan. XI, Item in ascensu ad Jerusalem. Item in cruce. Ad Hebr. V, *Cum clamore valido et lacrymis exauditus etc.*

Si testimonium hominum accipimus etc. Hic allegat testimoniorum receptabilitatem; ponens primo testimonium de filio naturali. Secundo testimonium de filiis, ibi : *Et hoc est testimonium.* Testimonium de filio naturali ostendit esse receptibile. Primo ex parte testificantis. Secundo ex parte rei testificatæ, ibi : *Quoniam hoc est testimonium Dei.* Tertio ex parte suscipientis, ibi : *Qui credit in Filium Dei.* Quarto ex parte recusantis, ibi : *Qui non credit.* Dicit ergo. *Si testimonium hominum, Glossa :* quasi ista certa testimonia debemus accipere. *Quia si testimonium hominum, accipimus*, mentiri scilicet possunt. Et dicit, hominum, in plurali. Quia Deuteron. XIX, dicitur, *In ore duorum vel trium stabit omne verbum.* Vel sic, Si testimonium hominum, id est prophetarum qui de Christo testificati sunt, *accipimus*, id est acceptamus et recipimus, *Testimonium Dei majus est.* Et ideo magis accipiendum. Est enim Deus verax : omnis homo mendax, ut habetur Rom. III. *Glossa*, Si creditis hominibus prænunciantibus Christum venturum esse, credite et Patri testificanti venisse. Magnum quippe fuit testimonium David, ut ait *Glossa*, dicentis, Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis. Magnum testimonium Præcursoris, qui ait, Matth. III, *Ego baptizo vos aqua: ille baptizabit vos Spiritu sancto.* Sed majus testimonium Patris, qui ipsum visibiliter misit. Et vere majus; et ideo melius accipiendum, *Quoniam hoc est testimonium Dei quod majus est* testimonio hominum, quia non est Deus sicut homo ut mentiatur, ut habetur Num. XXIII. *Quia testificatus est de Filio suo*, naturali, scilicet Christo, quod est filius ejus, dicendo in baptismo, *Hic est Filius meus dilectus etc.* Luc. III. Et in transfiguratione, Matth. XVII, *Qui credit in Filium Dei :* quasi dicat : Ita Pater testificatus est de Filio suo, qui autem credit in Filium Dei. Non ait Filio vel Filium, sed in Filium. Differt enim, secundum Augustinum, Credere Deo, credere Deum et credere in Deum, *Habet testimonium Dei Patris in se*, id est consentit quod testimonium Dei de Filio suo sit verum. Vel sic, Habet testimonium Dei Patris in se, id est approbat divinum testimonium quod Pater perhibuit de illo, et sic intelligit ipsum esse veracem in testimonio de Filio. E contrario, *Qui non credit* in Filium Dei. *Glossa.* Qui dicit eum non esse filium vel minorem Patre, *Mendacem facit eum.* Quantum in se est : quia non reputat credibile quod dicit, cum scilicet Deum Patrem. *Glossa*, Qui non credidit, dicit Patrem esse mentitum. *Quoniam non credit in testimonium.* Illud scilicet, Hic est Filius meus, Luc. III. *Quod testificatus est Deus de Filio suo.*

Et hoc est testimonium quoniam etc. Hic ponit testimonium de filiis adoptivis. Et primo ostendit quale sit testimonium. Secundo qualiter verificandum, ibi : *Qui habet filium.* Dicit ergo, *Et hoc est:* quasi dicat : non solum testatur de filio naturali, sed etiam de filiis adoptivis. Unde *Glossa* : de Filio testatus est, et etiam de nobis filiis adoptivis, quod vitam æternam daret illis, Et hoc est testimonium patris de filiis cui credendum est. *Quoniam vitam æternam dedit nobis*, Deus nobis, scilicet Apostolis vel filiis adoptivis, hic in spe, tandem in re. Et hoc potest haberi eo quod dicitur Matth. XVII, *Hic est Filius meus dilectus : ipsum audite.* Ipsum enim audire est vitam æternam habere, hic in spe, in futuro in re. Joan. VI, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et in eodem, *Verba quæ ego loquor vobis spiritus et vita sunt. Et hæc vita æterna, In Filio ejus est*, id est per fidem filii. Joan. VI, *Omnis qui credit in me habet vitam æternam.* Vel in Filio ejus, id est in Filii visione. Joan. XVII, *Hæc est vita æterna etc.* Ipse enim est fons vitæ. Psalm. XXXV, *Quia apud te est fons vitæ, Qui habet Filium, Glossa*, credendo et imitando, *Habet vitam æternam*, Jam in spe, tandem in re. *Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio etc.* Joan. V. E contra. *Qui non habet Filium*, nec credendo, nec imitando, *Non habet vitam.* Nec in spe habet, nec in re habebit. Joan. III, *Qui incredulus est Filio non videbit vitam* æternam :

sed ira Dei manet super illum. Et nota quod Christus multa habuit testimonia. Primo a Patre suo. Joan. VIII, *Testimonium perhibet de me Pater qui misit me.* Secundo a seipso. Joau. VIII, *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est.* Tertio a Spiritu sancto. Joan. XV, *Cum venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me.* Quarto a Scripturis sanctis. Joan. V, *Scrutamini Scripturas et illæ sunt quæ etc.* Quinto de operibus bonis. Joan. X, *Opera qua ego facio ipsa testimonium etc.* Sexto a miraculis. Psalm. XXXV, *Mirabilia testimonia tua Domine.* Septimo a turbis Joan. XI, Testimonium perhibebat turba quæ erat cum eo etc. Octavo ab Apostolis. Act. IV, *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium de omnibus his.* Psalm. XCII, Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *Hæc scribo vobis ut sciatis etc.* Hic allegat credentium utilitatem triplicem. Prima est futuræ beatitudinis certitudo. Secunda petitionum exauditio, ibi : *Et hæc est fiducia etc.* Tertia est a peccatis conservatio, ibi : *Scimus quia omnis qui natus est etc.* Quarta Dei veri cognitio, ibi : *Et scimus quoniam Filius Dei venit etc.* In secunda parte ostendit primo qualiter per fidem exaudiuntur orantes pro seipsis. Secundo qualiter orantes pro aliis, ibi : *Qui scit fratrem suum etc.* In prima parte primo dat impetrandi fiduciam. Secundo fiduciæ ostendit causam, ibi : *Scimus quoniam habemus petitiones.* Dicit ergo *Hæc scribo vobis. Glossa,* Hic debetis adhibere fidem, quia ut certi sitis de vestra beatitudine futura, *Hæc,* scilicet prædicta *scribo,* non tantum prædico ad majorem certitudinem, *Ut sciatis,* certitudine fidei et spei, *Quoniam vitam æternam habebitis,* In futuro, *Qui creditis,* In præsenti, *In nomine Filii Dei.* Joan. XI, *Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit vivet. Et hæc est fiducia. Glossa,* Non tantum in futuro sperare debemus cœlestia, sed etiam in hac vita impetrabimus quidquid salubriter petierimus : et hæc est fiducia spei, *Quam habemus ad Deum.* Non ad hominem, Psalm. CXXIV. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion etc.* Hebr. IV. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus.* Non secundum desideria nostra carnalia. Ideo dicitur, Matth. XXVI, *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Secundum voluntatem ejus petitur dupliciter, secundum *Glossam :* uno modo ut quod velit rogemus. Alio modo ut quales nos esse desiderat ad rogandum inveniamur, *Audiet nos.* Petitionis effectum dando, aliter non, ut patet in Paulo, II Corinth. XII, Et dicit, audiet nos, utendo futuro tempore ad significandum quod tale debet esse quod petitur quod in futuro accipiatur et ad futurum ordinetur. Unde temporalia non sunt petenda, nisi prout sunt ad vitam æternam ordinata, *Et scimus,* id est certi sumus ex promissione ejus. Joan. XV. *Si quid petieritis ad Patrem in nomine meo etc. Quia audit nos quidquid petierimus,* vel ad votum vel ad meritum. Et nota quod dicit quidquid ; scilicet substantiale insolidum, quod est quid non accidentale sicut bonum temporale. Matth. VII, *Primum quærite regnum Dei etc.* Nota : si aliquis peteret a rege Franciæ unam guttam aquæ, unam picam, multum indignaretur.

Scimus quoniam habemus etc. Hic ostendit per quid scire possumus, quia scilicet audiet nos. Ideo scilicet, *Quoniam petitiones habemus,* nobis a Deo traditas. Vel traditione manifesta, quando docuit orare discipulos dicendo, *Pater noster qui es in cœlis,* Matth, VI. Vel traditione occulta quando docuit quid petendum. Nam quid petamus prout oportet nescimus, ut habetur Rom. VIII. *Quas postulamus ab eo. Glossa,* Nihil petamus quod sit eis adversum ; nisi quod nos docuit, quod nobis inspiravit petamus. Et si in aliquo erramus, statim corrigamur. Argumentum quod major sit confidentia exauditionis in oratione dominica quam in aliis, unde frequentius et libentius dicitur. *Qui scit fratrem.* Hic ostendit qualiter exaudiuntur orantes pro aliis. Ubi primo ostendit pro quibus est orandum. Qui scit fratrem *suum peccare,* peccatum : quasi dicat : Quia orantes exaudimur, qui scit per confessionem vel alio modo, fratrem suum catholicum de Ecclesia numero et merito existentem peccare, peccatum, *Non ad mortem, Glossa,* De quotidianis, et levibus peccatis quæ sicut difficile vitantur, ita de difficili curantur. Non ad mortem vero dicitur quis peccare secundum *Glossam* qui peccat non criminaliter vel non usque ad mortem. Est enim veniale peccatum quoddam per naturam propriam, quoddam per pœnitentiam subsecutam. Tertio etiam modo peccatum non ad

mortem potest dici quo non impugnatur gratia fraterna : *petat*, scilicet pro eo. *Glossa*. Si dicto seu ve.bo, aut cogitatione vel oblivione vel ignorantia peccasti, confitere fratri et postula ut pro te interveniat. Porro si grave peccatum fuerit, induc presbyteros Ecclesiæ et ad illorum examen castigare. *Et dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. *Glossa*, Non criminaliter vel non usque ad mortem. Sed cum per veniale non amittatur vita gratiæ, quomodo dicit quod dabitur vita peccanti non ad mortem, idest venialiter secundum unam expositionem? Responsio, Dabitur ei vita gratiæ major. Vel dabitur vita auferendo occasionem, scilicet veniale quod occasionaliter ducit ad mortem, quia diminuit fervorem charitatis. *Est peccatum ad mortem non pro illo dico ut roget quis*. Ad evidentiam litteræ quæritur quid sit peccatum ad mortem. Et dicit *Glossa*, quod peccatum ad mortem est quod separat animam a Deo, sicut mors animam a corpore ; sed quolibet mortale hoc facit ; ergo quodlibet mortale est peccatum ad mortem. Si dicatur quod peccatum ad mortem plus separat quam mortale ; Contra : magis et minus non diversificant speciem ; ergo secundum hoc, peccatum ad mortem et non ad mortem non differunt specie. Responsio, Peccatum ad mortem dicitur dupliciter ; generaliter et specialiter. Generaliter sic, Quodlibet peccatum mortale dicitur peccatum ad mortem. Specialiter dupliciter: vel quo impugnatur gratia fraterna et quando adversus gratiam qua reconciliatus est invidis faucibus agitatur, vel quo agnita veritas impugnatur, vel ipsa finalis impœnitentia. Et hoc dupliciter : per propositum non pœnitendi finaliter, vel protractione peccati usque ad mortem inclusive. Primo modo est peccatum generale. Secundo et tertio modo est peccatum speciale. Quarto modo circumstantia cujuslibet peccati mortalis in quo homo decedit. Et secundum hoc diversimode exponitur, illud quod sequitur, *Non pro illo dico ut roget quis*. Nam si peccatum ad mortem dicitur primo modo scilicet quodlibet peccatum mortale, sic exponitur. Non pro illo dico ut roget quis, idest qualiscumque ; sed solum justus ; injustus enim non posset ei impetrare primam gratiam, quia in tali statu existens non est dignus exaudiri. Si autem dicatur peccatum ad mortem secundo modo vel tertio modo, scilicet peccatum in Spiritum sanctum, tunc exponitur sic. Non pro illo dico ut roget quis, idest qualiscumque justus, sed perfectus; quia non quicumque justus sufficit impetrare tali gratiam propter peccati immanitatem secundum quod peccatum ad mortem dicitur. Quarto modo, scilicet peccatum in quo homo decedit, sic exponitur. Non pro illo dico ut roget quis, idest aliquis vel parvus vel magnus, quia nihil valeret ei. Isto modo negatio cadit super hoc verbum, roget. Aliis modis super hoc verbum, dico. *Omnis iniquitas*. Vere orandum pro peccantibus non ad mortem quia multis peccatis occupantur omnes, et nullus potest esse sine peccato. Quia omnis iniquitas, idest inæqualitas vitæ. « Virtus enim est æqualitas vitæ, rationi undique consentiens, » ut ait Tullius. *Peccatum est*, supra III, *Omne peccatum est iniquitas*, *Et est*. *Glossa, Peccatum ad mortem*, animam a Deo separans, vel usque ad mortem durans, vel fraternæ charitati directe oppositum, sicut illud quod fit ex certa malitia, quod est peccatum in Spiritum sanctum.

Scimus quia omnis qui natus est etc. Hic ponitur utilitas tertia : ubi primo ostendit quod adeptio fidei conservat a peccato. Secundo quod ipsi sunt de adoptivorum numero, ibi : *Scimus quoniam ex Deo sumus*. Dicit ergo, *scimus*. Ostendit qui sunt illi pro quibus orandum est, quia pro fratribus, *Quia omnis qui natus est ex Deo*. Nativitate fidei formatæ ; de qua Joan. I, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. *Non peccat*. Peccato ad mortem, Sed numquid hæretici et mali christiani in baptismo filii Dei facti fuerunt ? Responsio, Intelligendum est per se inquantum natus est ex Deo ; vel conjunctim, idest dum servat nativitatem ; quamdiu natus non peccat mortaliter, scilicet peccato ad mortem, *Sed generatio Dei*, idest gratia regenerans, *Conservat eum*, a peccato ad mortem. Et non solum dicit, servat, sed conservat ; quia non solum servatur a gratia, sed a libero arbitrio cooperante. *Et malignus*, idest diabolus malo igni incendens. Psalm. XIV, *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus*. Vel malignus, idest homo malus igne malo inflammatus. Sap. V. *In malignitate nostra consumpti sumus*. Vel malignus, idest mundus, in maligno, idest in malo igne positus, *Non tangit eum*, idest immutando et in se convertendo. Quæ enim se tangunt immutantur, præcipue

si sint activa et passiva adinvicem. Licet enim diabolus tentet interius et mundus exterius et amatores mundi persequantur, non tamen immutatur a stabilitate sua. Non ergo tangit trahendo a stabilitate sua. Sapient. III, *Justorum autem animæ in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum malitiæ*, idest peccati mortalis. *Scimus, Glossa*, Qui natus est ex Deo non peccat : nos autem sumus de illis. Scimus inquam certitudine fidei, *Quoniam a Deo sumus.* Per fidem, non per carnem. Joan. III, *Oportet vos nasci denuo.* Et scimus inquam, *Quia mundus totus in maligno positus est.* Mundus, idest mundi amatores. In maligno, idest in malo igne triplici ; concupiscentia scilicet divitiarum, deliciarum et honorum, de quibus supra II, Omne quod est in mundo etc. Vel secundum *Glossam*, In maligno, id est in maligni hostis subjectione. Unde dicitur *princeps mundi*, Joan. XII. Vel mundus in maligno positus est, id est in malo anno. Dicitur vulgo de aliquo quod est positus in malo anno, quando quilibet accipit ab eo quidquid boni potest accipere. Quilibet enim capit et accipit a mundo quidquid boni potest. Unde in maligno positus est. Vel totus mundus materialis in maligno positus est, id est in malo igne, scilicet libidinis et peccati. Et maxime in igne triplici, scilicet luxuriæ, de qua Job XXXI, *Ignis est usque ad consummationem devorans.* Item superbiæ. Job I, *Ignis Dei descendit de cœlo, et cunctas oves puerosque consumpsit.* Item avaritiæ. Jerem. VII, *Filii colligunt ligna et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem.*

Et scimus quoniam etc. Hic ponitur utilitas quarta : ubi primo ostenditur quod per fidem cognoscunt verum Deum. Secundo monet non redire ad culturam simulacrorum, ibi, *Filioli custodite.* Dicit ergo, *Scimus*, certitudine fidei. *Quoniam Filius Dei*, id est Christus, qui est Filius secundum divinitatem. *Venit.* Per assumptam humanitatem, non locum mutando, sed in assumpta humanitate mundo visibiliter apparendo. Unde non dicitur venisse, quod esset ubi prius non erat qui ubique erat, quia fuit alio modo quam prius. Prius enim erat in utero virginis per potentiam, præsentiam et essentiam. Postmodum vero fuit per unionem naturæ assumptæ. *Et dedit nobis sensum*, spiritualem fidei et sapientiæ et intellectus, et hujusmodi donorum ad cognitionem spectantium. Rom. XII, *Reformamini in novitate sensus vestri.* Aliter non potest haberi sensus, nisi a Deo detur. Sapien. IX, *Sensum autem quis scit, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis ? Et cognoscamus Deum verum*, Patrem scilicet credendo. *Et simus in vero Filio ejus. Glossa*, amando. Et dicit, vero, ad differentiam filiorum adoptivorum. Simus in filio ejus sicut membra in corpore, et hoc ut vivamus. Actuum XVII, *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Item ut fructificemus. Joan. XV, *Sicut plames non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite : ita nec vos, nisi in me manseritis. Hic*, scilicet Filius Dei, *Est verus Deus*, Per essentiam. Joan. I, *Et Deus erat Verbum. Et vita æterna.* Per causam. Joan. XVII, *Hæc est vita æterna, etc. Filioli. Glossa.* Et quia verum Deum cognoscitis, et vitam æternam expectatis. *Filioli*, inquam. Sic eos vocat affectus teneritudine, et eorum obedientiæ promptitudine. *Custodite vos*, id est intellectum vestrum et affectum. *A simulacris.* Secundum *Glossam*, a cultura idolorum, vel a simulacris hypocrisis hæreticorum, qui speciem sanctitatis assumunt cum non habeant. Et ideo vocantur simulacra, quia habent speciem viventium, et tamen vita carent. Vel ab avaritia, quæ est servitus simulacrorum. Qui enim mundum Deo præponunt, idololatræ sunt. Ad Galt. V, *Quæ est idolorum servitus, etc.*

B. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLA II. CANONICA

CAPUT I.

Senior, Electæ Dominæ etc. Hæc est secunda canonica Joannis. Cujus auctor Joannes Apostolus esse ostenditur, ut patet per similitudinem, et in verbis, et in assertione fidei et charitatis. Non Joannes presbyter, ut quidam dixerunt. Persona autem cui scribit est quædam matrona Babylonica, Electa nomine. Per quam, ut ait *Glossa*, designatur universalis Ecclesia. Cujus intentio, secundum *Glossam*, est monere ipsam et natos ejus ne propter hæreticos desistant a proposito fidei. Differt autem a præcedenti epistola : quia ibi actum est de affectu et effectu dilectionis ad Deum et proximum communiter. Hic autem ad Deum specialiter magis. Primo ergo præmittit salutationem. Secundo captans benevolentiam, ostendit affectionem, ibi, *Gavisus sum valde.* Tertio subjungit principalem scribendi causam, sive rationem, ibi, *Quoniam multi.* Quarto de hoc quod tam breviter scripsit, ponit suam excusationem, ibi, *Plura habens vobis scribere.* In salutatione vero, Primo tangit personam suam. Secundo personam salutatam, ibi, *Electæ Dominæ.* Tertio causam salutandi, ibi, *Quos ego diligo.* Quarto formam salutationis, ibi, *Sit vobis gratia etc.* Dicit ergo, *Senior,* tam ætate quam moribus vel sapientia, quin etiam officii auctoritate, quia presbyter et episcopus. Sap. IV, *Senectus venerabilis non diuturna, etc.* Non ait Joannes et Apostolus, vel quid hujusmodi. Scripturus enim mulieri ponit illud, quod magis caret suspicione, et plus habens securitatis et credulitatis. *Electæ Dominæ*, proprium nomen est cujusdam matronæ Babylonicæ, de Babylonia Ægypti, hæc erat Electa nomine. Electa etiam re, quia erat devota. *Et natis ejus*, *Glossa*, tam natura quam fide, quia etiam catholici erant filii ejus. *Quos*, scilicet matronam et natos, *Ego diligo in veritate,* id est vere, non ficte. *Glossa* vero amore, secundum illud I Joan. III, *Non diligamus verbo, neque lingua etc.* Vel in veritate, id est in Christo qui est veritas. Vel in veritate, id est ad veritatem habendam, scilicet vitam æternam, ubi est plena veritas et nulla falsitas. *Et non ego solus*, scilicet diligo vos. *Sed et omnes. Glossa.* Ut major auctoritas sit. *Qui cognoverunt veritatem*, id est omnes fideles, qui cognoverunt Christum, qui est veritas. Joan. XIV. Loquitur autem de cognitione approbationis, quæ est per fidem formatam, de qua Psalm. XCIV, *Ipsi vero non cognoverunt vias meas etc. Propter veritatem fidei*, scilicet *Quæ permanet in vobis*, id est perfecte manet, vel perseveranter manet. *Glossa*, Non ob aliam causam vos diligimus nisi propter veritatem fidei, quæ inæstimabilis perdurat. *Et vobiscum erit in æternum. Glossa*, usque in finem vitæ, vel durans in æternum. Sed quo modo veritas fidei erit in futuro, cum fides evacuetur? I Corinth. XIII. Responsio, intelligit de veritate fidei, quæ creditur, id est articulorum : non qua creditur, id est ipsius habitus : unde erit in æternum ratione visionis, quæ ei succedet. *Sit vobiscum*, Constructio sic ordinatur. Senior ego Electæ Dominæ, et natis ejus quos ego diligo etc. Scribo, sic supple, Sit vobiscum *Gratia*, culpam delens. *Misericordia*, pœnam indulgens. *Et pax*, Deo reconcilians. Unde optat remissionem culpæ, relaxationem pœnæ, cautelam divinæ offensæ. Vel gratia illuminans intellectum contra errores hæreticorum. Misericordia purgans affectum a reliquiis peccatorum. Et pax, id est mentis tranquillitas contra recidivum, ne amplius Deum et fratrem offendat. Similiter salutat Apostolus ad Rom. I, *Gratia vobis et pax. A Deo Patre.* Qui totius boni est auctor, Jacobi I. *Et a Jesu Christo.* Qui totius boni est mediator. Per quem scilicet Pater omnia operatur. Joan. I, *Omnia per ipsum facta sunt.* Tangit autem naturam humanam dicens, a Christo Jesu; divinam, in *Filio Patris.* Spiritus autem intelligitur ut nexus in extre-

mis; indivisa enim sunt opera et dona Trinitatis. *In charitate*, ut scilicet proficiatis in charitate Dei et proximi, quæ affectum purgat. *Et veritate*, fidei quæ intellectum illuminat. *Glossa*. In veritate fidei quam in baptismo promisistis. Promittit autem charitatem, quia charitas dat fidei perfectionem. Jacob. II, *Fides sine operibus mortua est*. Vel notatur hic quibus optat prædicta sub hoc sensu, *Gratia vobiscum etc*. In charitate et veritate, id est vobis existentibus in charitate Dei et proximi, et in veritate fidei. Per primum perficitur affectus, per secundum intellectus.

Gavisus sum valde etc. Hic benevolentiam captans ostendit ad eos suam affectionem. Primo ad filios. Secundo ad matrem, ibi, *Et nunc rogo Domina*. Dicit, *Gavisus sum* : quasi dicat : opto vobis gratiam, misericordiam, et pacem etc. Gavisus sum inquit valde, *Quoniam inveni de filiis tuis*. Quoniam inveni tamquam sollicite tales quærens, et raro inveniens. *De filiis tuis*, aliquos non omnes. *Ambulantes*, id est de bono in melius proficientes. *Glossa*, quodidie. Psal. *Ibunt de virtute in virtutem etc*. *In veritate*, scilicet fidei. Ad Ephes. v, *Ut filii lucis ambulate*. Joan. XII, *Ambulate dum lucem habetis*. Vel in veritate, id est in charitate a qua omnes virtutes veræ sunt. Ad Ephes. v, *Ambulate in dilectione etc*. Solent enim perfecti multum gaudere de profectu proximorum et maxime subditorum. I ad Thess. II, *Vos estis gloria nostra et gaudium nostrum*. Et Proverb. x, *Filius sapiens lætificat patrem*. Sic ambulantes inquam. *Sicut mandatum accepimus*, id est in ea perfectione qua mandatum fuit nobis, *A Patre*, scilicet per Filium Matth. v, *Diligite inimicos vestros*. Et Joan. XII, *Ambulate dum lucem habetis*. Et nunc rogo *te Domina*. Hic ostendit suam affectionem ad matrem; et ideo monet eam ad bene agendum. Secundo ad proficiendum, ibi, *Et hæc est charitas*. Tertio ostendit quod proficere est necessarium, ibi : *Hoc est enim mandatum*. *Et nunc rogo te*, *Domina*. *Glossa*, per eam quam habes fidem jam certificatus de cetero confidenter rogo ut rem non debitam, licet res debita sit, tamen impero, sed rogo, *Ut diligamus alterutrum*, id est unus alterum etc. *Non tamquam mandatum novum scribens tibi*, *sed quod habuimus ab initio*, a prioribus patribus; vel ab initio fidei et vestræ conversationis : quasi dicat : Sic hortando non novum mandatum propono. Sed contra. Joan. XIII, *Mandatum novum do vobis etc*. Responsio, Mandatum de charitate et est vetus et est novum. Vetus ratione substantiæ, quia ab antiquo scriptum in corde rationis et in codice legis; sed novum ratione circumstantiæ, quia in evangelio addit novum modum. Lex dicit diligite amicos, evangelium diligite inimicos. Item novum ratione efficaciæ, quia spiritualiter hominem innovat, *Et hæc est charitas*, id est in hoc esse ostenditur et apparet, *Ut ambulemus*, passibus morum non corporum de bono in melius proficiendo, *Secundum mandata ejus*, ea custodiendo. Joan. XIII, *Si diligitis me, mandata mea servate*. *Hæc est enim*. Quasi dicat, Debemus ambulare secundum mandata, *Hoc est enim mandatum*, scilicet Dei, *Ut quemadmodum audistis ab initio* nostræ fidei, vel nostræ conversationis vel nostræ prædicationis, *In eo ambuletis*, assidue proficiendo et perseverando.

Quoniam multi seductores exierunt etc. Hic subjungit causam principalem et intentionem, scilicet propter hæreticos, quorum primo monet cavere errorem. Secundo vitare communionem, ibi : *Si quis venit ad vos*. Vitando errorem monet primo ex parte hæreticorum. Secundo ex parte ipsorum, ibi : *Videte vosmetipsos*. Tertio ex parte utrorumque, ibi : *Omnis qui præcedit*. Dicit ergo, *Quoniam multi*. *Glossa*, Necesse est ut perseveretis, quoniam multi per vanas sectas sunt divisi, *seductores*, id est seorsum a via veritatis ductores. Isti seductores sunt hæretici qui prædicant contrarium veritati, *Et exierunt in mundum*. *Glossa*, ad amorem et doctrinam mundi scilicet. Unde *Glossa*, de vestri consortio. Et nota quod boni exeunt de mundo. I Corinth. v, *Alioquin debueratis de mundo exisse*. Mali vero exeunt in mundum. I Joan. IV, *Multi pseudo prophetæ exierunt in mundum*. *Qui*, scilicet seductores, *Non confitentur*, *Glossa*, nec doctrina, nec vita, *Christum*, Magistrum et normam sanctitatis, *Venisse in carne*, Alia littera, venisse in carnem, id est Salvatoris adventum qui venit in carnem quando conceptus est, in carne quando natus. *Hic*, quicumque talis, *Est seductor*, hominum, *Et antichristus*, id est Christo contrarius. Vel antichristus, id est membrum antichristi. Dicitur autem seductor ob doctrinam perversam,

antichristus propter operationem pravam. Doctrina enim ejus ad alios seducendum : operatio prava contra Christum. Talis autem dicitur antichristus non in persona, sed in officio. Sicut Joannes Baptista dicitur Elias, Matth. XI, *Videte*, ne seducamini ab eis, ac sollicite et diligenter attendite, *vosmetipsos*, ne scilicet a fidei veritate declinetis et ne eis fidem adhibeatis. Matth. XXIV, *Videte ne quis vos seducat*. Bernardus [1], « Multi multa sciunt et seipsos nesciunt : alios aspiciunt et seipsos negligunt. » *Ne perdatis*, de fide, *Quæ operati estis*. *Glossa*, Illam mercedem quam bene operando meruistis. Eccles. X, *Qui in uno offendit*, *multa bona perdet*. *Seu videte,* inquam, *potius*, *Ut mercedem plenam accipiatis*, veræ scilicet gloriæ quæ replet animam, non vanæ ut hypocritæ. Matth. VI, *Receperunt mercedem suam*. Vel plenam, quia remunerabit supra merita, et merita sunt hic semiplena et non sufficiunt ad tantam gloriam. Sed pro operibus semiplenis dabitur merces plena; Psalm. XV, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Hæc autem impletio erit in tribus quantum ad animam. Rationabilis implebitur limpidissima cognitione, irascibilis sublimitate gloriæ et honoris ; concupiscibilis jucundissima et vera dilectione. Item quoad corpus in quinque : quia nativitas humanitatis implebitur immortalitate, vacuitas passibilitatis impassibilitate, obscuritas claritate, ponderositas agilitate et subtilitate. De omnibus I Corinth. XV, *Seminatur in corruptione*, *surget in incorruptione ; seminatur in ignobilitate,surget in gloria etc*. *Omnis etc.*,quasi : bene dico ne perdatis. Omnis enim, sive de majoribus, sive de minoribus, sive de mediocribus, *Qui recedit*, *alios præcedit*, id est se alios præcedere dicit, sicut hæresiarcha alios sibi præcedere videtur præsumptione sapientiæ, quod fit per inventionem novi dogmatis vel erroris, *Et non permanet in doctrina Christi*. *Glossa*, ex superbia discedit ab humili prædicatione Christi. *Deum non habet*, in se per inhabitantem gratiam nec in futuro per gloriam. Sed *Qui permanet*, id est perfecte et perseveranter manet in fide et moribus, *In doctrina*, scilicet Christi sive Dei. *Glossa*, manet in evangelica doctrina, quæ secundum eam sapit et agit, separat se ab illo qui aliter sapit et agit. *Hic et Filium et Patrem habet*, in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam. *Qui enim perseveraverit usque in finem*, *hic salvus erit*, Matth. XXIV. Habet autem simul utrumque, quia unus ab altero non separatur. Joan. XIV, *Non credis quia ego in Patre et Pater in me est ?* Præponitur autem hic Filius Patri, quia ad Patrem non venitur nisi per Filium.

Si quis venit ad vos et hanc etc. Hic monet communionem hæreticorum vitare. Primo ostendit modum vitandi. Secundo peccatum non vitantis, ibi : *Qui enim dicit ave*. Tertio commodum vitantis, ibi : *Ecce prædixi vobis*. Dicit ergo, *Si quis*, Ita qui permanet in doctrina Christi habet Filium et Patrem. Et ideo *ut permaneatis, Si quis venit ad vos*, visitandos vel docendos, *Et hanc doctrinam*, scilicet de Christo, *Non affert*, imo affert contrariam, *Nolite recipere in domum*, participando in facto. *Glossa*, Non tantum non assentiatis, sed et nec recipiatis, *Nec ave ei dixeritis*, participando in verbo. Ad Tit. ultim. Hæreticum hominem post unam et secundam admonitionem devita. Secundo, quia subversus est qui hujusmodi est. Notandum autem quod in quinque vitandus est hæreticus perversus in loco orationis, item in mensa dominica, item in privata mensa, item in osculo pacis et salutatione privata. Comprehenduntur autem in hoc quod dicit : Nolite eum recipere in domo, id est in Ecclesia ad orandum vel communicandum. Vel in domo, id est in hospitio ad mensam privatam. Duo ultima in hoc quod dicit : Nec ave ei dixeritis. Solent enim hæc se concomitari:unde uno remoto removetur et aliud *Glossa*: quia videtur signum consensus erroris. Hoc enim dicimus amicis, quorum opera nobis placent. Sed videtur quod non solum de præscito sic intelligendum, sed etiam de quolibet peccatore notorio. I Corinth. V, *Si quis frater nominatur inter vos et est fornicator*, *aut avarus*, *aut idolis serviens, aut maledicus*, *aut ebriosus*, *aut rapax*, *cum ejusmodi nec cibum sumere etc*. Responsio, Præscitos debemus vitare propter præceptum Ecclesiæ. Notorios vero propter scandalum infirmorum, vel ne detur eis audacia peccandi, vel ne corrumpantur consortio eorum. I Corinth. XV, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. *Qui enim dicit illi ave,* salutando sicut amicum et fratrem,

[1] Non Bernardus, sed alius auctor sub nomine Bernardi.

communicat, id est communicando utitur; nam hujusmodi salutatio, ut ait *Glossa*, communionem cum eo ostendit. Alioquin simulatio est quæ in Christianis esse non debet. *Operibus ejus malignis*, quod prohibetur Ephes. IV, *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Ecce prædixi vobis*, scilicet ut eos non respiciatis seu recipiatis. Gregorius, « Minus jacula feriunt quæ prævidentur. » *Ut in die Domini*. Dies Domini est dies judicii. Psalm. *Cum accepero tempus etc.* Hoc vero tempus dicitur dies hominum. Luc. XIX, *Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Non confundamur*, Christum nunc negando et inde tunc confusionem habendo, Luc. IX, *Qui me erubuerit etc.*

Plura habens vobis scribere etc. Hic excusat se quod tam breviter scripsit; ubi se primo excusat, postea salutat, ibi : *Salutant te*. Et primo salutat ex parte aliorum. Secundo ex parte sua, ibi : *Gratia tecum*. Dicit ergo, *Plura habens vobis scribere*, pertinentia ad vestram instructionem, scilicet de aliis documentis vel diffusius de istis, *Nolui per chartam et atramentum*. *Glossa* per Scripturam. Scriptura enim non adeo commovet, sicut vox viva et præsentia magistri. Et subdit causam, *Spero enim*, de gratia Dei, non de me præsumo, *Me futurum*, id est me venturum, *Apud vos et os ad os loqui*, et *os*, meum spero, *Ad os*, vestrum, Et hæreticorum obstruendum, *loqui*, id est præsentialiter loqui vobiscum et vos mecum ut plenius vos instruam. Hieronymus, « Habet nescio quid latentis energiæ vivæ vocis actus, et in auditoris aures de auctoris voce transfusa fortius sonat. » *Ut gaudium vestrum plenum sit*, *Glossa*, Hæreticis confusis et vestra fide confirmata, *Salutant te*, id est salutem optant, *Filii sororis tuæ Electæ*, illa dicebatur Electa sicut et ista cui scribit, cujus filii eam salutabant. Vel filii sororis tuæ Electæ, id est alterius Ecclesiæ. Unde *Glossa*, Vos ad litteram vel forsan filii alterius Ecclesiæ metropolitanæ. *Gratia tecum*. *Glossa*, Ego ex parte mea dico, *Gratia tecum*, bona societas. I Corinth. XV, *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Gratia inquam operans ad peccatum delendum, cooperans ad bene faciendum, tecum ad perseverandum. *Amen*, confirmatio est prædictorum.

B. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLA III. CANONICA

CAPUT I.

Senior Caio charissimo etc. Hæc est tertia epistola Joannis, cujus auctor fuit ipse Joannes Apostolus, non Joannes presbyter, ut quidam putarunt. Quod patet ex similitudine sermonis et affectionis. Hanc autem scribit, scilicet Caio Corinthio, instruens eum de operibus charitatis, et monens ut in charitate perseveret. Differt autem a duabus præcedentibus. Quia in prima egit de charitate ad Deum et proximum communiter. In secunda de charitate ad Deum specialiter. Hic agit de charitate ad proximum etiam specialiter. Modus agendi est. Quia primo præmittit suam salutationem. Secundo ponit suam ad Deum affectionem, ibi, *Gavisus sum valde*. Tertio subdit ejus ad bonum, quod incepit, continuandum exhortationem, ibi, *Carissime fideliter facis*. Quarto ponit suam excusationem, ibi, *Scripsissem forsitan Ecclesiæ*. Dicit igitur, *Senior*, ego scilicet ætate, vel moribus, vel sapientia, vel dignitate, quia presbyter græce, senior latine. *Caio*, scilicet scribit. Iste Caius dicitur fuisse Corinthius, de quo I Corinth. I, *Neminem baptizavi nisi Crispum et Caium*. Et Roman. ult. *Salutat vos Caius hospes meus*. Hic, ut ait *Glossa*, Fide suscepta dedit se hospitalitati, et susceptioni prædicatorum. *Quem*

ergo diligo in veritate, *Glossa*. Non temporalium bonorum gratia, sed æternorum causa. *Carissime :* merito vocat eum carissimum, quia operibus charitatis deditum. *De omnibus*, *Glossa*, quæ facis. *Orationem facio*. *Glossa*. Hoc a Domino crebris precibus exopto, ut quod bene agis bene perficias. Simile ad Rom. I, *Sine intermissione memoriam vestri semper facio in orationibus meis*. Et instruitur prælatus, quod debet semper orare pro subditis. *Prospere te ingredi*. Dicit *Glossa*, de bono in melius. Profectum autem viri justi vocat ingressum, ad significandum quod homo, quantumcumque sit bonus, semper se debet reputare in ingressu et inchoatione, et nunquam in consummatione, ut dicat cum Psalm. *Et dixi*, *nunc cœpi*, *hæc mutatio etc*. Eccl. XVIII. *Cum consummaverit homo tunc incipiet*. *Et valere* vita spirituali. *Sicut*, id est ita, *Prospere agit anima tua*. *Glossa*, proficiendo in animarum operibus. Et alia *Glossa*. Ut sicut vales anima, sic valeas corpore. Optat enim ei prosperitatem animæ bonam, non quæ est contra animam. De qua Proverb. I, *Prosperitas stultorum perdet eos*. *Gavisus sum valde etc*. Hic ostendit affectionem circa eum. Primo ex gaudio de fama ejus. Secundo ex gaudii magnitudine, ibi, *Majorem horum*. Dicit ergo, *Gavisus*, ita : pro te oro, sed et gavisus sum gaudio spirituali, non carnali *valde*, quia gaudio interiori et exteriori. *Venientibus*. *Glossa*, a te. *Fratribus*, *Glossa*, peregrinis. *Et testimonium perhibentibus veritati tuæ*, *Glossa*. Veræ charitati quæ non cessat ab opere. Veritati enim testimonium reddendum est. Joan. XVIII, *In hoc ergo natus sum mundo*, *ut testimonium perhibeam veritati*. *Sicut tu in veritate ambulas*. *Glossa*. Tam studiose reddunt testimonium, quam studiosus tu es ad bene operandum. Et vere gavisus sum. *Majorem enim horum*. *Glossa*, ad me venientium. *Non habeo gratiam*. *Glossa*.Quando fratres veniunt ad me, in nullo facto eorum vel verbo magis gaudeo. *Quam ut audiam*, eis narrantibus. *Filios meos*. *Glossa*, Quos prædicando vel baptizando genui. I Corinth. IV, Per evangelium in Christo Jesu vos genui. *In veritate ambulare*. *Glossa*, in veritate veræ fidei, et bonæ operationis observare. Sed quomodo istum baptizando genuit, quem Paulus baptizavit ? I Corinth. I, *Nisi Crispum et Caium*. Responsio. Genuit hunc prædicando, non baptizando : vel filius ejus erat imitatione Pauli. Quando enim loquitur de generatione, loquitur de filiis generaliter, sed *Glossa* specialiter.

Carissime, *fideliter facis etc*. Hic ponit principalem causam quæ est exhortari ad hospitalitatem : quod facit primo laudando factum. Secundo, commendando personas, quibus fit, ibi, *Pro nomine enim ejus*. Tertio, monstrando meritum, ibi, *Non ergo debemus*. Dicit ergo, *Carissime*. *Glossa*. Ideo non debes proficere ab hospitalitate. *Fideliter facis*, scilicet secundum quod vera fides exigit, et veram fidem tuam operibus ostendis. Jacob. II, *Ostende mihi ex operibus fidem tuam*. *Quicquid operaris in fratres*, subveniendo scilicet eis, a quibus nihil expectas temporale, ut dicit *Glossa*. Unde ad Galat. VI, *Operemur bonum ad omnes*, *maxime autem ad domesticos fidei*. *Et hoc in peregrinos*, scilicet maxime, quos scilicet non nosti. Deut. X : *Deus amat peregrinum, et dat ei victum et vestitum. Et vos amate peregrinos*. *Qui*, scilicet fratres maxime peregrini, *Testimonium reddiderunt charitati tuæ*, *Glossa :* operibus misericordiæ. Charitas autem hic intelligitur non charitatis habitus vel affectus, sed effectus ; non solum in secreto, sed *In conspectu Ecclesiæ*, id est in præsentia fidelium, ut sic exemplo tuo alii excitentur ad hospitalitatem. Matth. V, *Sic luceat lux vestra etc*. *Quos*, scilicet peregrinos, *Benefaciens*. *Glossa*, dum apud te sunt. *Deducens*, ad alia loca ad quas ire volunt *Digne Deo*, id est ad honorem Dei quem honoras in suis membris, qui dicit Matth. X, *Qui vos recipit etc*. Et subdit tantum, *Pro nomine enim ejus*, id est pro fide et honore et prædicatione nominis ejus, *Profecti sunt*, a patria sua exules. *Glossa :* Alienati a rebus propriis, *Nihil accipientes a gentilibus*. *Glossa*, contribulibus suis, quia nihil dabant eis, ut ait, ut sic a pietate famis cogerentur fidem negare ; non quin liceret accipere. Dicitur enim I Corinth. X, *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam et vultis ire, quod vobis apponitur manducate*. *Nos ergo*, *Glossa*, Qui possumus supplere indigentiam eorum. Sed numquid ipse erat pauper ? Matth. XIX, *Ecce nos reliquimus omnia etc*. Quomodo ergo se divitibus connumerat ? Responsio Bedæ *in Glossa sua*. Hoc ideo facit ut alacriores eos reddat et promptiores ad miserandum pauperibus. Vel quia omnia bona Ecclesiæ

in manu sua erant. *Debemus suscipere*, nam seminantibus spiritualia debemus carnalia. II Corinth. IV, *Nostra abundantia inopiam illorum suppleat. Hujuscemodi.* Fratres nomen Christi prædicantes. Ut ideo scilicet *Cooperatores simus veritatis*, necessaria eis ministrando. Veritatis inquam cujus illi sunt ministri eam prædicando : quasi dicat : Nos qui non prædicamus debemus necessaria prædicantibus ministrare, ut sic simus cooperatores veritatis, et socii mercedis. Matth. XVI, *Qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Sed numquid hospes prædicatorum eamdem mercedem recipiet quam recipit prædicator ? Responsio. Accipiet similem mercedem aureæ coronæ, sed non aureolæ.

Scripsissem forsitan Ecclesiæ etc. Hic ponit suam excusationem. Primo de hoc quod nihil scripsit Ecclesiæ. Secundo de hoc quod tam breviter scripsit ei, ibi, *Multa habui scribere tibi.* Causa autem quia non scripsit Ecclesiæ, fuit præsentia cujusdam hæretici verba sua non recipientis, cui favebant. Primo ergo illum reprehendit et redarguit, scilicet Diotrephen nomine : et illum notat. Secundo Caio illius imitationem vetat, ibi, *Carissime noli.* Tertio alterum, scilicet Demetrium ad imitandum proponit et laudat, ibi, *Demetrio testimonium.* Notat autem illum, scilicet Diotrephem. Primo de ambitione. Secundo de detractione, ibi, *Propter hoc si venero.* Tertio de inhospitalitate, ibi, *Et quasi ei ista non sufficiant.* Prædicit ergo, *Scripsissem forsitan*, de hac materia epistolam Ecclesiæ, id est toti congregationi fidelium. *Sed is qui amat primatum gerere*, id est usurpat sibi principatum. Matth. XXIII, *Amant primas cathedras in synagogis etc. In eis*, id est inter eos qui nunc erant in Ecclesia illa. *Diotrephes*, Nomen proprium cujusdam hæresiarchæ. *Non recipit nos*, id est nostra mandata et verba. *Glossa.* Nostram auctoritatem. Matth. X. *Qui vos spernit me spernit. Propter hoc*, *Glossa*, quia depravat Scripturam. *Si venero*, dubitative ponit propter dubium eventus. *Commoneam. Glossa*, id est in omnium notitiam manifestius arguendo deducam. *Opera ejus quæ facit*, quorum exemplar a nobis non habuit, sed nova adinvenit mendacia. *Verbis malignis.* Malo igne, scilicet invidiæ, accensus. Psalm. *Supercecidit ignis et non viderunt solem*, scilicet claram veritatem. *Garriens*, falsis rationibus ad similitudinem avis, quæ est animal irrationale et garrulosum, *in nos*, id est contra nos. Et dicit opera quæ facit verbis malignis, ad significandum quod verba quandoque faciunt multa mala. Eccles. XXVIII, *Plaga linguæ comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed multi etiam interierunt per linguam suam. Et quasi non ei ista. Glossa* quod mihi detrahit, quod hospitalitatem dissuadet. *Sufficiant*, *Glossa*, ad damnationem. *Neque ipse suscipit fratres. Glossa* indigentes, cum tamen Dominus in ipsis suscipiatur. Matth. XXV. *Hospes eram et collegistis me etc.* Et Matth. X, *Qui vos recipit, me recipit.* Cum enim aliquod bonum fit alicui membro, puta pedi, os quod est in capite dicit, tu mihi facis bonum. *Et eos qui suscipiunt prohibet*, scilicet ne suscipiant : quod est contra illud, Proverb. III, *Noli prohibere illum qui potest benefacere, si potes et ipse benefac. Et de Ecclesia ejicit. Glossa.* Non de consortio fidelium, sed de loco in quo conveniunt : quasi dicat, non tantum prohibet suscipere, sed et suscipientes et susceptos ejicit de Ecclesia, ut dicit *Glossa.* Hæc excommunicatio manifestum errorem continens non ligabat. Talis erat excommunicatio Judæorum. Joan. XIII. *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis Christum confiteretur, extra synagogam fieret. Charissime :* quasi dicat, quidquid ille dicat : *Noli imitari malum*, scilicet ejus doctrinam ; vel malum, id est malam ejus operationem. Psal. XXXVI, *Noli æmulari in malignantibus etc. Sed quod bonum est*, ad Galat. IV, *Bonum æmulamini in bono semper*, et debes bonos imitari. Nam *qui benefacit.* Non solum bonum ex genere operis, sed et ex intentione operantis. Ita qui ex timore implet præceptum, ut dicit Augustinus, bonum est, sed non bene facit. *Ex Deo est*, imitatione. Unde Lucæ VI, *Estote misericordes, sicut Pater vester ;* non propagatione, sed imitatione. *Qui autem malefacit non videt Deum.* Et intelligenda sunt hæc per se ; quia inquantum bonum facit, ex Deo est. Quia homo non facit bonum a se, sed a Deo. Joan. XV, *Sine me nihil potestis facere.* Et inquantum malum facit, non videt Deum, nec visione fidei formatæ in præsenti, nec spei in futuro. Supra I Joan. III, *Qui non diligit non novit Deum. Demetrio. Glossa.* Illud verbum, quod velit imitari aperit, *testimonium* scilicet bonum

de operibus pietatis et charitatis. *Redditur ab omnibus. Glossa*, ad eum venientibus, vel ab eo recedentibus. *Et ab ipsa veritate. Glossa*, a Deo qui est veritatis. I Joan. v, *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Sed et nos*, Apostoli veritatis nuncii, *Testimonium ei perhibemus. Glossa*, Ad commendationem hospitalitatis, *Et nosti*, per experimentum. *Glossa*. Per alia testimonia quæ probasti esse vera, *Quoniam testimonium nostrum verum est*. Joan. ult. *Qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus.*

Multa habui tibi scribere etc. Hic excusat se de hoc quod tam breviter scripsit. Et primo ostendit quod in proximo videbit eum corporaliter. Secundo ut moram patientius sustineat, Salutat eum multipliciter, ibi : *Pax tibi*. Dicit igitur, *Multa habui tibi scribere*, ad commendationem. *Glossa,* de commendatione eleemosynæ et aliis. *Sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi*, id est per scripturam quæ fit cum calamo et atramento. Sed per vocem vivam. Efficacior enim est vox viva quam mortua, quæ scripta est in pergameno : et subdit causam, *Spero autem protinus videre*, personaliter, *Et os*, meum, *Ad os*, tuum, *loquemur*, vel ad os Diotrephis obstruendum. *Pax tibi, Glossa*, Ab illo Diotrephe et ab omnibus malis. *Salutant te*, id est salutem tibi optant, *amici*, id est fideles qui sunt nobiscum, *Saluta tu*, ex parte mea, *amicos*. Fideles amicos tuos et nostros. *Glossa*, Amicis gratias pacis et salutis mandat, ut inimicos veritatis a salute monstret esse extra nos, sicut et Paulus expresse facit. I Corinth. xv, *Si quis non amat Dominum Jesum Christum etc. Nominatim*, singulos : quod dicit, ut ostendat specialem ad singulos dilectionem. Sed quæritur de hoc quod dicit, *sed nos testimonium perhibemus*, quare testimonio veritatis adjungit suum testimonium, cum omni testimonio veritatis sit credendum ? Responsio. Etsi testimonium veritatis erat verissimum, non tamen certum. Et ideo addit suum testificans testimonium.

B. JUDÆ APOSTOLI EPISTOLA CANONICA

CAPUT I.

Judas Jesu Christi servus etc. Hæc est quarta pars hujus libri et ultima, in qua ponitur epistola Judæ Apostoli. Hujus epistolæ auctor fuit Judas Thadæus frater Jacobi minoris Alphæi. Scribit autem non genti, nec personæ specialiter, sed generaliter omnibus fidelibus. Cujus materia est de fide et charitate, ut tangit *Glossa*, Intentio vero est commonere fideles ne consentiant hæreticis eos a fide et charitate retrahentibus. Ordinatur autem ultimo ejus epistola, quia vel ultimo edita vel quia minoris famæ et dignitatis erat ceteris. Modus autem agendi est. Quia primo ponit salutationem. Secundo subdit scribendi causam et rationem, ibi : *Charissimi onmem sollicitudinem.* Tertio prosequitur principalem intentionem, ibi : *Commonere autem vos volo*. In salutatione. Primo describitur persona salutans. Secundo ponuntur personæ salutatæ, ibi : *His qui sunt etc*. Dicit ergo, *Judas*, idest confitens verbo et facto. Non addit Thadæus, licet sic cognominaretur. Quia forte a religiositate sua hoc nomen ab hominibus erat ei impositum. Interpretatur corculus, idest cordis cultor. Ad vitandam igitur jactantiam dixit Judas tantum se esse *Jesu Christi servum,* quia secundum Gregorium in *Glossa super illud Rom.* I : *Servus Jesu Christi etc. Cui servire regnare est.* Non enim dicit, Apostolus, causa humilitatis. *Frater autem Jacobi. Glossa*, Natura, fide, doctrina, vita. Jacobi scilicet minoris qui erat primus episcopus Jerosolymitanus, qui dictus est

Jacobus Alphæi. Hoc autem dicitur ad differentiam Judæ proditoris. Et notandum quod Judas bene dicitur frater Jacobi, quia Judas confitens, Jacobus supplantator interpretatur. Et significant confessionem et satisfactionem per quæ vitia supplantantur. Judas inquam talis scribit, *his*, scilicet fidelibus et non infidelibus. *Qui sunt in Deo Patre,* tanquam filii per fidem et imitationem per quam sunt filii Patris. Joan. I, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Dilectis*. Per charitatem et bonam operationem et æternam prædestinationem. Malach. I, Jacob dilexi etc. *Et Christo Jesu*, filio Dei, *conservatis* ab errore infidelium, *Et vocatis*. Ad hanc dignitatem fidelium. Vocat enim, ut ait *Glossa*, conservat, dirigit et diligit filios et membra facit. *Misericordia vobis*. In peccatorum condonatione quo ad culpam, *Et pax*, in inimicorum perfecta reconciliatione quo ad pœnam debitam, *Et charitas*. In donorum infusione per gratiam, *adimpleatur*. Per finalem perseverantiam. Hæc tria hic inchoantur, sed in futuro adimplebuntur.

Carissimi omnem sollicitudinem etc. Hic ponit scribendi causam et rationem. Prima est in ipsis sollicita hæreticorum subintroductio, ibi : *Subintroierunt enim*. Secunda ibi : *Impii, Domini nostri gratiam etc*. Dicit ergo, *carissimi*. Charitate mihi conjuncti, *Omnem sollicitudinem faciens. Glossa*, Omnia quæ pertinent ad sollicitum sollicitudine spirituali quam sancti habent : II, Corinth. XI, *Sollicitudo omnium Ecclesiarum etc. Scribendi vobis*, Epistolam, supple, continentem doctrinam, *De communi vestra salute. Glossa*, De fide quæ est tam mea salus quam vestra et omnium fidelium, scilicet fides quæ per dilectionem operatur. De hac salute I Petr. I. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ qui de futura in nobis gratia prophetaverunt. Necesse habui* urgente mea sollicitudine interius et periculo vestro exterius, *Scribere vobis*, De pertinentibus ad salutem vestram, et hoc ratione officii, *deprecans*, non impetrans. Quod facit, vel quia non habeat generalem auctoritatem super eos quibus scribebat, sed persuasionem. Vel ex hoc innuens servitutis Christi libertatem et suam humilitatem, *supercertari*, vos scilicet. *Glossa*, usque ad mortem certari. Eccles. IV. *Pro justitia agonizare usque ad mortem*, Et dicit *Supercertari*. Certamini enim interiori quo captivatur intellectus oportet addere certamen exterius, quo confundatur hæreticus. Primum pertinet ad credulitatem cordis. Secundum ad effectum oris. Rom. X, *Corde creditur ad justitiam etc. fidei*, idest super fidem cordis addere oportet certamen confessionis : quasi dicat : Rogo vos ut pro fide servanda certetis, *Semel traditæ vobis*, idest perfecte. Et dicit, semel, propter fidei veritatem. Ephes. IV, *Unus Deus, una fides*. Vel semel traditæ a Christo et ab Apostolis. *Sanctis*, alii libri habent, *Sanctæ fidei*. vel *Sanctis fidei* : hoc accidit, quia est de Christo Deo et homine, qui est sanctus sanctorum. Item quia a sanctis Apostolis est tradita. Item quia sanctificat corda. Act. XV, *Fide purificans corda eorum*, *Subintroierunt enim quidam homines*. Ideo necesse est, quia subintroierunt *Glossa*. Sub specie religionis ; qui quasi fidem Christi prædicent. In quo notatur eorum dolositas, quia sub specie boni prætendunt ministrare venenum. Matth, VII, *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem etc. Quidam inquit*, particulares ab universali Ecclesia divisi, *homines*, ab humo quia carnales. I Corinth. II, *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales Glossa,* humana tantum sapientes. *Qui olim præscripti sunt. Glossa*, Ab æterno Dei præscientia prævisi. *In hoc judicium*, præsentis scilicet reprobationis. *Glossa*, ut sordescerent, et alios in sordes præcipitarent, et postea judicium fieret damnationis. Alia litera habet. In hoc judicio : et legitur sic. Qui olim, idest ab æterno præscripti, idest a Deo prævisi, in hoc idest ut sordescant et alios in sordes præcipitent, judicio Dei scilicet justo, *impii*. *Glossa*, Ipsi dico impii divina Scriptura dolo abutentes et ad subvertendum cultum Dei. Hic ergo pietas accipitur cultus Dei, non compassio proximi. Vel impii generaliter, quia sui ipsius non miserantes. Vel impii pietate proximorum carentes, et eos ad peccatum trahentes. Proverb. XI, *Iter impiorum decipiet eos. Domini nostri*, scilicet Christi, qui est Deus omnium generaliter per creationem sed christianorum specialiter per cultum, devotionem et gratiam. *Gratiam transferentes in luxuriam*. Beda, « Legis duritiem quæ dicit oculum pro oculo etc. temperat gratia Evangelii, purgantur per pœnitentiam. » Hanc gratiam transtulerunt in occasionem luxuriæ, quia, ut dicit *Glossa*, Tanto licentius peccant,

quanto vident se minus asperitate legis de facinoribus examinari sive puniri. Galat. v, *Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantum, ne libertatem in occasionem detis carnis. Et solum dominatorem*, omnium generaliter. *Glossa* tam volentium quam nolentium. *Et Dominum nostrum*. Christianorum singulariter, qui ei soli serviunt : et secundum hoc dominator dicitur a potestate dominandi, Dominus ab actu. Vel dominator a dominatione naturali. Dominus a gratuita. Per hoc a quo Christus solus dicitur dominator et Dominus, non excluditur Pater et Spiritus sanctus ; quia dictio exclusiva addita termino essentiali non excludit personam. Sic canit Ecclesia, Tu solus Altissimus etc., *Jesum*. Salvatorem. *Christum. Glossa*, regem, *negantes*, corde, ora, et opere. Hic est triplex negatio, quam significat triplex negatio, Petri, Matth. xxvi.

Commonere autem etc. Hic scribit principalem exhortationem de cautela hæreticorum Christum negantium et blasphemantium, quos detestandos ostendit, propter eos qui negant potestatem. Secundo propter ipsorum qui eum negant perversitatem, ibi, *Ut illis qui in via Cain*. Potestatem ostendit primo exemplo ægyptiorum. Secundo exemplo dæmonum, ibi, *Angelos vero etc.* Tertio exemplo Sodomorum, ibi. *Sicut Sodoma*. Quarto exemplo bonorum Angelorum, ibi, *Cum Michael*. Dicit igitur, *commonere. Glossa*, Quia illi negant et volunt vos inducere, ut negetis, ideo, Commonere vos volo idest semel omnes monere contra illos : vos dico *Scientes semel*, idest perfecte, *omnia. Glossa*, Arcana fidei, et non habetis opus recentia quasi sanctiora a novis audire magistris : ideo ego commoneo, quia non indigetis nova instructione, sed jam auditis commonitionem, Unctio enim in baptismo semel accepta docet vos de omnibus, I Joan. ii. *Quoniam Jesus*, non solum filius Mariæ, sed Dominus noster. Aliis enim convenit hoc nomen nuncupative, sed ei solum substantialiter. Matth. ii, *Vocabis nomen ejus Jesum. Populum suum. Glossa*, Humiles : unde nomine populi eos appellat, *Salvans*, primo scilicet. Psal. Salvavit eos de manu odientium. *De terra Ægypti educendo ;* Exod. xii. *Secundo. Glossa*, postea. Proprium enim ejus est misereri et parcere : Irasci vero non est ex sua principali intentione, sed ex nostra culpa provenit. *Eos. Glossa*, murmuratores, de quibus Num. xi, Quando desiderabant carnes. Exod. xvi, *De Dathan et Abiron, Qui non crediderunt*, verbis Mosi in deserto, *perdidit*, Per serpentes, Numer. xxi, Et aliis modis, quia multis modis interierunt. Quidam igne, Num. xi, et xvi, Quidam devoratione terræ, Num. xvi. Quidam morte communi, scilicet omnes a viginti annis, et supra, exceptis Josue et Caleph, Num. xiv, *Salvavit ergo populum suum*. Primo per misericordiam : sed punivit malos per justitiam. Præmittitur autem de salute, et sequitur de punitione ; quia promptior est Dominus ad miserandum, quam ad puniendum. Item dicit secundo, ad significandum, quod primo punit eos pœna temporali, secundo æterna. Et quia nunc et in futuro malos perdit : unde *Glossa :* Secundo, id est bis perdidit ; quia malos et nunc, et postmodum punit. Nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducuntur. *Angelos vero :* quasi dicat, Non solum homines vero pro sed. *Glossa :* quorum natura et potentia major est. *Qui non servaverunt. Glossa*, per humilitatem et obedientiam. *Suum principatum*, quo per gratiam Dei principabantur aliis sibi subjectis spiritibus. Ex ista *Glossa* videtur, quod habuerunt gratiam : sed debet intelligi de gratia gratis data, non de gratia gratum faciente. *Sed dereliquerunt*. Per superbiam. *Suum domicilium, Glossa*, Cœlestem habitationem vel visionem Dei spiritualem, non visionem gloriæ, sed contemplationis internæ : non enim voluerunt esse contenti domicilio sibi assignato. Isaiæ xiv, *Ascendam in cœlum etc. In judicium magni Dei. Glossa*, venturi ex tunc gravius puniantur. Unde et ipsi dicunt, Matth. i, *Quid venisti ante tempus perdere nos ?* Dies vero judicii dicitur magnus, ob magna quæ ibi fient, Joel. ii, *Dies Domini magnus et horribilis*. Vel magni Dei : *Glossa*. Cui resistere vel aliquid occultare non potuerunt. Unde magnus est potentia et sapientia. Et in signum hujus præcedet ignis ante ipsum ; qui habet duo ; scilicet lucere et ardere : ratione lucis patet quod nihil eum latebit, ratione ardoris quod sententia sua erit crudelis. *Vinculis æternis*. Ligatos, supple, secundum *Glossam*. Vincula æterna vocat, vel eorum superbiam, vel impœnitentia, vel divinam sententiam, vel cupiditatem rerum cupitarum infirmarum ; quia vincti non possunt ad superiora re-

verti. *Sub caligine. Glossa.* Hujus aeris caliginosi : unde dicuntur rectores tenebrarum harum, ad Ephes. vi. *Reservavit*, id est iterum servavit sub caligine hujus aeris, Jam damnatos gravioribus reservat pœnis. Simile supra II Petri ii, *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos etc.* In judicium reservari. *Sicut Sodoma et Gomorrha.* Has duas nominat, quia celebriores et peccato deteriores. *Et finitimæ civitates*, aliæ tres scilicet. *Simili modo exfornicatæ.* Simili modo sicut Sodoma et Gomorrha, quia exemplo earum ad hoc inductæ. Exfornicatæ. *Glossa.* Extra materiam debitam, relicto naturali usu feminæ. *Et abeuntes*, longe a Deo euntes in regionem dissimilitudinis cum filio prodigo. Luc. xv. *Post carnem alteram*, id est sequentes concupiscentiam. In carne altera, id est in carnem masculorum, quæ est altera, et indebita concubitui. Caro enim viri cum carne mulieris est, Genes. ii. Sed caro masculi est aliena et diversa ab illo opere. Illæ inquam civitates. *Factæ sunt exemplum ignis æterni. Glossa*, Æternæ combustionis ; sicut enim exarserunt igne libidinis æternæ combustionis ; ita exarserunt igne materiali, igne sulphureo, qui non fuit purgatorius, sed initium pœna et signum ignis futuri. II Petr. ii, *Civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens eversione damnavit.* In exemplum eorum, qui impie acturi sunt. *Pœnam sustinentes*, temporalis ignis. Genes, xix, *Pluit Dominus super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem. Similiter et hi. Glossa.* Sicut Sodomitæ sunt damnandi. *Qui carnem quidem maculant* , propriam vel aliorum , sicut Sodomitæ : fornicatio enim corpus maculat. I Corinth. vii, *Qui fornicatur, in corpus suum peccat. Hi*, inquam, damnandi sunt pœna æterna. Ad Hebr. ultimo , *Fornicatores et adulteros judicabit Deus*, id est condemnabit, secundum *Glossam. Dominationem autem spernunt*, id est auctoritatem principum et prælatorum et Christianorum per inobedientiam et propriæ excellentiæ appetitum : quod est contra illud Rom. xiii, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit propter Deum. Majestatem autem Dei blasphemant. Glossa*, Angelos vel sanctos vel Deum, quod est peccatum gravissimum. Matth. xii, *Spiritus blasphemiæ non remittetur etc.* II Petr. ii : *Sectas vero non metuunt introducere blasphemantes ;* quod faciunt dum de Deo Patre et Filio et Spiritu sancto indigna dicunt. Ex his patet quod hæretici damnabuntur, qui carnem maculant per luxuriam, dominationem spernunt per superbiam, majestatem blasphemant per doctrinam erroneam.

Cum Michael, etc. Hic ostendit Christum non esse blasphemandum, exemplo Angelorum bonorum. Et primo tangit Angeli in verbo sobrietatem. Secundo hæreticorum in verbis præcipitationem, ibi, *Hi autem quæcumque.* Dicit ergo *Cum Michael Archangelus etc.* Blasphemant enim Deum hæretici sicut dæmones, quod nullatenus debet fieri exemplo Angeli boni. Cum enim Michael etc. Sicut dicit *Glossa*, de quibus scripturis hoc testimonium accepit Judas Apostolus, non est certum : tamen credibile est quod mortuo Moyse subtraxit Dominus, misso Angelo, corpus Moysi, ita ut nullus sciret ejus sepulturam , ut habetur Deut. ult. Et hoc ne Judæi ad idololatriam proni eum colerent ut Deum. Angelus vero volebat occultari ejus sepulturam. Diabolus vero volebat eam manifestari, ut faceret Judæos idololatrare. Et hæc contrarietas vocatur altercatio eorum. Bonus vero Angelus non maledixit nec blasphemat eum quasi malæ creaturæ, sed modeste compescuit eum per divinum imperium invocatum. Hæc vero altercatio, ut ait *Glossa*, ubicumque facta fuerit, diligenter advertendum est, quod si Michael adversanti sibi diabolo dicere blasphemiam noluit, sed modesto sermone compescuit, multo magis blasphemia est cavenda , et maxime in creatorem. Sed e contrario, *hi*, scilicet hæretici, *Quæcumque ignorant. Glossa*, Blasphemanda esse , scilicet spiritualia Dei arcana, *blasphemant Glossa*, Ex sola superbia, non ex alia causa. Simile habetur II Petr. ii : *In his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt.* Ita et in his quæ ignorant blasphemant : *autem*, pro sed, in his quæ sciuntur, aliter se habent. *Quæcumque autem naturaliter*, id est naturæ instinctu, *Noverunt tamquam muta animalia*, sine ratione existentia. *Glossa*, Solo appetitu carnis sicut bruta nulla ratione ab aliis discreta. *In his corrumpuntur*, implendis scilicet. *Glossa*, Totum affectum ad hoc inclinant : peccatum enim est corruptio modi, speciei et ordinis, ut ait Augustinus. In

hoc autem quod dicit, Quæcumque norunt tamquam animalia muta, innuit quod non solum affectu brutali inclinantur ad illicita, sed ex propria malitia excæcati. Sapient. II, *Excæcavit eos malitia eorum.* Excellit enim homo animalia bruta in ratione. Sed ratio deordinata vergit in malitiam. Vel in his corrumpuntur, id est computrescunt ex nimia frequentia. Joel II, *Computruerunt jumenta in stercore suo.*

Væ illis qui in via etc. Hic dissuadet imitari hæreticos ob perversitatem ipsorum. Ubi primo describit ipsorum conversationem. Secundo dissuadet imitationem, ibi, *Vos autem carissimi.* Conversationem eorum describendo, Primo exprimit culpam. Secundo prædicit pœnam, ibi, *Prophetavit autem de his etc.* Tertio ostendit pœnæ justitiam, ibi, *Hi sunt murmuratores.* In prima primo describit peccata spiritualia. Secundo, carnalia, ibi, *Hi sunt in epulis.* In prima, primo describit peccatum invidiæ. Secundo avaritiæ, ibi, *Et errore Balaam.* Tertio superbiæ, ibi. *In contradictione.* Dicit ergo : *Væ illis.* Et quia tales sunt, væ illis, scilicet prædictis haereticis. *Glossa*, Damnatio erit illis, *Qui in via Cain abuerunt. Glossa*, Viam Cain abeunt qui propter invidiam meliorum christianorum nomen doctorum, ut honorificentur, sibi assumunt et fratres suos præ invidia spiritualiter, et etiam corporaliter aliquando occidunt. Vel in viam occidunt qui gladio suæ perversæ doctrinæ fratres suos interficiunt. Cain interfecit fratrem suum gladio materiali, isti gladio spirituali. Psalm. *Exacuerunt ut gladium linguas suas;* de hac materia Genes. XL. *Et errore Balaam*, idest errore simili Balaam. *Glossa*, Errore Balaam pereunt qui pro amore terrestrium commodorum veritatem quam noverunt impugnant. De hoc Num. XXIII. *Mercede*, idest pro mercedis appetitu, *Effusi sunt*, a liquore gratiæ divinæ. Eccles. XX, *Gratiæ fatuorum effunduntur.* Et væ illis supple, *Qui in contradictione Chore perierunt. Glossa*, Contradictione Chore perierunt, qui increpatione sanctæ Ecclesiæ nolunt emendari, sed appetitu indebiti primatus ab unitate Ecclesiæ se dividunt. De hoc Num. XVI. Tangit ergo triplicem causam motivam eorum : scilicet invidiam ecclesiasticæ felicitatis, avaritiam terrenæ cupiditatis, superbiam et ambitionem honoris. *Hi sunt in epulis suis.* Hic describit peccata eorum carnalia, scilicet gulæ et luxuriæ, *Maculæ convivantes. Glossa*, Non solum in comessationibus et ebrietatibus et pereunt et maculantur, sed etiam sunt maculæ aliorum. Et dicuntur maculæ ad majorem expressionem, et causaliter, quia alios maculant, *Sine timore*, omnia mala cum multo contemptu facientes. Eccles. I. *Qui sine timore est non poterit justificari. Semetipsos pascentes. Glossa*, non pauperes Christi. Ezechiel. XXXII, *Væ pastoribus qui pascunt semetipsos.* Dicuntur ergo maculæ quo ad impudicitiam, convivantes quo ad crapulam; sine timore, quo ad ineptam lætitiam : pascentes semetipsos, non pauperes, quo ad mensam.

Nubes sine aqua quæ a ventis etc. Hic describitur eorum malitia ex carentia, sive ex privatione boni. Primo doctrinæ. Secundo vitæ, ibi ; *Arbores autumnales.* Dicit inquam, *Nubes sine aqua*, idest prædicatores sine divina sapientia. Prædicatores enim dicuntur nubes, Isa. XL. *Qui sunt isti qui ut nubes volant etc.* Dicuntur enim nubes, quia a terra elevantur et aqua sapientiæ replentur. Cum vero sunt sine divina sapientia, sunt nubes sine aqua. *Glossa.* Comparant se prædicatoribus pluentibus justitiam et coruscantibus per miracula ; et ipsi sunt nubes solem obscurantes, in cœlum os suum ponentes, perverse et superbe docentes, *Quæ a ventis circumferuntur. Glossa* ad suggestionem spirituum immundorum in diversos errores rapiuntur, Ephes. IV, *Non circumferamur omni vento doctrinæ. Arbores autumnales. Glossa.* Tarde ferentes fructum bonum sicut arbores in autumno plantatæ. Vel quia tunc folia et fructus cadunt. Vel si supercrescit fructus, adulterinus est et inutilis. Sed si quid faciunt quod bonum videatur, non bona intentione agunt, sed ut bona in aliis exuperent. Matth. VII, *Non potest arbor mala fructum bonum facere.* Infructuosæ. *Glossa*, Nullam utilitatem sibi vel aliis ferentes. Matth. VII. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur etc. Bis mortuæ*, in ramis et in radice. In ramis quidem bonorum operum, et radice bonorum voluntatum, *Eradicatæ*, idest extra radicem charitatis extractæ et fundatæ. Vel sic : bis mortuæ, Primo per peccatum originale. Secundo per peccatum apostasiæ. Eradicatæ inquam a Deo. Deus enim est locus animæ. I. Joan. IV, *Qui manet in charitate, in Deo manet, etc.* In hoc notat quod omnis dispositio et habilitas

ad bonum privata est in eis, sicut in arbore eradicata dispositio ad fructificandum. Dicuntur ergo arbores autumnales propter foliorum casum, id est verborum varietatem. Infructuosæ propter operum inutilitatem. Bis mortuæ propter apostasiæ crimen. Eradicatæ propter schismatis præcisionem. *Fluctus feri maris*, id est crudeliter et amare alios inquietantes. Isa. LVII, *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest. Interlinearis*, Semper inquieti, tumidi, tenebrosi, amari, stabilitatem Ecclesiæ impugnantes. *Despumantes*, id est ad modum maris inquieti spumantes, *Confusiones suas*, id est inquietudinem suam ostendentes; unde erit eis confusio. Vel in spuma notatur eorum elatio. Sapient. V, *Tamquam spuma gracilis quæ a vento spargitur*, ad quam elationem sequitur confusio. Unde dicitur confusiones suas. Quidam exponunt sic. Despumantes confusiones suas, idest spuma gulæ et luxuriæ suam immunditiam manifestantes. I Petr. II, *Post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*; *Sidera errantia*, sidera ob lucem veritatis quam prædicant se habere. Errantia, id est fundamento veritatis vel fidei non fixa. *Glossa*, In hoc apostatas significat. Et ideo tales sequentes seducunt in errorem nec sunt imitandi. Nautæ enim non dirigunt naves secundum stellas erraticas, sed fixas. Isti sunt de illis stellis, quarum tertiam partem traxit secum draco. Apoc. XII. *Quibus*, hæresiarchis, *Procella tenebrarum*, id est magnitudo pœnarum infernalium, *Conservata est in æternum. Glossa*, non ad tempus, ut hæretici dicunt infernum post judicium non fore : contra quos Matth. XXV, *Ite in ignem æternum etc.* Per hoc quod dicitur procella, intelligitur pœna sensus. Per hoc quod dicitur tenebrarum, intelligitur pœna damni, id est carentia visionis divinæ. Hæ tenebræ significatæ sunt Exod. X, ubi dicitur quod *factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti.* Per hoc quod dicitur, Conservata in æternum, intelligitur æternitas utriusque. Isa. ult. *Vermis, eorum* non *morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Sic igitur hæresiarchæ comparantur nubibus, arboribus, fluctibus, sideribus. Nubibus propter fidei instabilitatem, scilicet quo ad ipsos : arboribus propter operum sterilitatem : fluctibus propter eorum turbationes : sideribus errantibus propter doctrinæ falsitatem.

Prophetavit autem et de his etc. Expressa eorum culpa, hic prædicit eorum pœnam. Et primo ostendit eos in judicio arguendos et puniendos. Secundo de quo sunt arguendi etc. ibi : *De omnibus operibus.* Dicit igitur, *prophetavit. Glossa*, non solum auctoritate mea probo quod puniendi sunt, sed etiam auctoritate prophetæ; quia prophetavit verbo. *De his*, id est de eorum punitione et perditione hæreticorum, hoc quod prophetavit de damnatione impiorum, *Enoch septimus ab Adam*, scilicet utroque computato. Gen. V, *Iste Enoch fuit de stirpe Seth qui in paradisum fuit raptus*, ut habetur Sapient. X. *Dicens, Ecce veniet*, id est in proximo est adventus ejus. Matth. XXIV, *Scitote quia prope est in januis.* Vel hoc dicit ad denotandum quod præsens est sibi judicium. II Petr. III, *Mille anni coram Domino quasi unus dies. Dominus.* Dicit, Dominus, absolute, quia *ipse est Dominus dominorum.* Apoc. XIX, Et dicit ex hoc quod veniet potenter et terribiliter, *In sanctis millibus suis*, id est cum innumerabili multitudine sanctorum, Isa. III, *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui.* In hoc autem quod dicitur in millibus notatur consummata perfectio sanctorum, *Facere judicium*, condemnationis. *Glossa*, pœnas inferendo, *Contra omnes. Glossa* malos, *Et arguere*, disceptando cum illis, dicendo, *Esuriri et non dedistis mihi manducare etc.* Matth. XXV, et Joel III. *Congregabo omnes gentes et adducam illas in vallem Josaphat et disceptabo cum eis.* Vel arguere, *Glossa*, Convincere eos qui prius latebant, secundum illud Ephes. V, *Omnia quæ arguuntur in lumen manifestabuntur*, *Omnes impios*, id est majores et minores et mediocres impios qui carent pietate quæ est cultus Dei et pietate in proximum. Jacob. II, *Judicium fiet sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam. De omnibus operibus.* Hic ostendit de quo punientur et arguentur in judicio. Primo in generali. Secundo in speciali, ibi : *Hi sunt murmuratores.* In prima primo tanguntur peccata operis. Secundo oris, ibi : *Et de omnibus duris etc.* Dicit igitur de omnibus operibus *Impietatis eorum quibus impie egerunt*, sive occultis sive manifestis. Et accipitur opus large, sive sit internus sive externus, sive sit commissionis, sive omissionis, secundum quod quædam *Glossa* dicit super epistolam ad Romanos, Quod non operari et operari partes sunt ad operari, secun-

dum quod vulgariter dicitur, Bene fecisti, quia non fecisti. Ecclesiast. ult. *Cuncta quæ fient adducet Dominus in judicium pro omni reatu, sive bonum sive malum*, *Et de omnibus duris*, scilicet verbis, imo et de otiosis. Matth. xv, *Omne verbum otiosum quod locuti fuerunt homines etc. Quæ locuti sunt contra Deum*, id est de omnibus verbis blasphemiæ. *Glossa.* Blasphemantes majestatem, *peccatores*, in moribus, *impii*, in cultu fidei. Vel peccatores in homines, impii in Deum. Notandum autem, ut ait *Glossa*, quod sententia hæc vera est quod Dominus arguet impios et de operibus et de verbis. Sed liber de quo assumpsit hoc testimonium est apocryphus ab alio quodam sub nomine quodam compositus ; in quo libro multa incredibilia continentur. Unde hæc epistola Judæ quæ de apocrypho habet testimonium priscis temporibus a plerisque rejiciebatur ; sed jam auctoritate et vetustate et usu meruit ut inter sanctas Scripturas computetur. Maxime quia tale testimonium de apocrypho sumpsit, quod non apocryphum et dubium, sed vera luce esset perspicuum. Licet enim de apocryphis testimonium veritatis assumere. *Hi sunt murmuratores*, contra Dei dispositionem. Et hoc in adversitate : contra quos I Corinth. x, *Neque murmuraveritis sicut quidam murmuraverunt etc.* Vel murmuratores et *querulosi. Glossa*, Si fratribus aliquid boni contigit, murmurant vel conqueruntur, quasi sua felicitas sit de eorum prosperitate murmurare et fama eorum minuatur. Vel querulosi, id est conqueri assueti quæcumque sibi contingant secundum *Glossam. Secundum desideria sua ambulantes*, id est de peccato in peccatum ruentes secundum desideria sua carnalia, contra illud Galat. v, *Spiritu ambulate etc.* Et Eccles. xv, *Post concupicentias tuas ne eas etc. Et os eorum loquitur superbiam*, id est verba superba. *Glossa,* Jactant se nullo timore dimissuros quæ agunt, se solos Deum cognoscere. Alia *Glossa*, alios contemnunt, *mirantes*, *Glossa* honorantes : in quo notatur excessus honoris qui solet inducere admirationem. *Personas*, *Glossa* divitum, pauperes vero contemnunt, unde sunt acceptores personarum. Contra quod Levit. xix, *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis*, *Questus causa. Glossa* non dilectionis. Proverb. xix, *Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis.* I Tim. vi, *Æstimantes questum pietatem. Vos autem charissimi*, scilicet catholici, *memores estote. Glossa*, verbo et opere, *Verborum quæ prædicta sunt*, nobis, *ab apostolis. Glossa*, quoniam fuerunt nuntii præteritorum, et prophetæ futurorum. *Domini nostri*, quod ad divinitatem. *Jesu Christi*, quo ad humanitatem. *Qui dicebat nobis. Glossa*, Spiritu sancto illuminatis. Spiritus enim loquebatur in eis. Matth. x, *Non enim vos estis qui loquimini etc. Quoniam in novissimis temporibus Glossa.* Tempore Antichristi cujus isti sunt præambuli. *Venient*, propria usurpatione, non Dei missione. Jerem. xxiii, *Non mittebat eos, et ipsi currebant.* Et Joan. x, *Quotquot venerunt fures sunt et latrones. Illusores*, veritatis per doctrinam erroris. *Secundum desideria sua ambulantes*, per consuetudinem in operibus carnalitatis. *Glossa.* Quos tali signo potestis cognoscere quod gulosi et avari sunt et luxuriosi. Et dicitur ambulantes scilicet de malo in pejus proficientes. II Tim. iii, *Malitia proficient in pejus.* Psalm. *Ibunt in adinventionibus suis.* Ambulantes inquam, *In impietatibus*, non in pietate, scilicet cultus divini, quia corrupti in moribus et in fide. II Tim. iii, *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* De adventu talium hæreticorum dictum est supra II Petri iii, *In diebus novissimis instabunt tempora periculosa et erunt homines seipsos amantes. Hi sunt*, scilicet hæretici, *qui segregant,* id est separant per hæreses et schismata *Semetipsos. Glossa.* Dividunt enim tunicam Domini inconsutilem, quod milites facere noluerunt, Joan. xix. *Animales*, vita et sensu. *Glossa*, Animæ concupiscentias sequentes. *Spiritum non habentes. Glossa* scilicet Spiritum sanctum, quo Ecclesia congregatur et spiritualis efficitur. I Corinth. ii, *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Vos autem carissimi.* Hic monet ad bonorum operum superædificationem. Primo quo ad se. Secundo, quo ad alios, ibi, *Et hos quidem arguite.* In quo primo hortatur ad operationem boni. Secundo ad perseverantiam in operatione, ibi, *Expectantes misericordiam etc*, Dicit ergo, *Vos autem carissimi*, ita segregati ab Ecclesia fidelium, sed sitis. *Superædificantes vosmetipsos*, In ædificio spirituali per bonam operationem tanquam lapides vivos I Petr. ii. *Et ipsi tanquam lapides vivi, superædificamini etc. Sanctissimæ nostræ fidei*, quasi funda-

mento. Ephes. II. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, et prophetarum etc.* Quæ fides dicitur sanctissima, quia purgat ab omni contagio erroris, carnalitatis et terrenitatis. Vos inquam dico non errantes. *Glossa*, non de vestris meritis præsumentes, et parvos salvari putantes : sed, *Orantes*, id est divinum auxilium implorantes. *In Spiritu sancto*, id est in vestro Spiritu sanctificato. Vel in Spiritu sancto monente ad orandum, et docente quid orandum. Rom. VIII, *Nam quid oremus sicut oportet nescimus :* sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Vosmetipsos in dilectione Dei servate*, Non tantum alios, ut multi, de quibus I Corinth. XIII, *Factus sum velut æs sonans.* Aliter enim salvari non poteritis ; imo necesse est perire. Deuteronom. IV, *Custodi temetipsum, et animam tuam sollicite. Expectantes*, spei certitudine. Psalm. *Expectans expectavi Dominum etc. Misericordiam*, id est misericordiæ effectum in peccatorum remissione et donorum collatione. Etenim bonum est præstolari cum silentio salutari. *Domini nostri*, secundum deitatem. *Jesu Christi*, secundum humanitatem in vitam æternam ducentis. Misericordia enim Christi ducit. *In vitam æternam.* Eccles. XVI, *Omnis misericordia facit locum unicuique secundum merita sua.* Ad Titum III, *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos etc. Et hos quidem arguite.* Vos quidem superædificate vos, ut sitis radicati, in fide, spe et dilectione. Et hos quidem inquit, id est obstinatos hæreticos fidem impugnantes. *Arguite, Glossa*, id est ad utilitatem eorum et vestram. II Timoth. IV, *Argue, obsecra, increpa. Judicatos. Glossa.* Certissime divino judicio jam damnatos. Joan. III, *Qui non credit jam judicatus est. Illos vero*, id est alios qui non sunt de hæresi obstinati, tamen sunt in ardore peccandi. *Salvate*, scilicet inquantum in vobis est, ut salventur orate etc. Et subdit modum, dicens, *De igne*, scilicet peccati. *Rapientes*, quasi quadam violentia extrahentes. Proverb. XXIII, *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare eos non cesses. Aliis,* autem pœnitentibus pro peccatis. *Miseremini*, adjuvando et pro eis orando, et eorum labores supportando. Job. XIX, *Miseremini mei saltem vos amici mei.* Vel aliis, quos in peccato videtis, ut dicit *Glossa*, Miseremini condolendo, quod non potestis eos salvare, ut dicit *Glossa*.

Hoc ultimum ad tria illa prædicta jungendum est. Nam et apostatas cum quisquis arguit et damnabiles ostendit, debet *In timore*, arguere, ne forte simile sibi suisque aliquid tale contingat. Qui de incendio vitiorum alium castigare cupit, timeat ne et ipse tentetur : et qui pœnitenti proximo miseretur, circumspiciat ne forte plus justo, vel severus existat vel pius. Et nota quod quidam sanctus homo dicebat, quod multum debet esse securus in se qui alium vult eripere de periculo submersionis. *Obedientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam.* Odientes inquit, odio, scilicet perfecto, quo separatur vitium a natura. Psal. CXXXIV, *Perfecto odio oderam illos. Eam tunicam. Glossa.* Corpus mortale et passibile quo velatur anima. *Glossa.* Quæ concupiscentiis carnis polluitur. Et alia *Glossa.* Non corpus, sed maculatum, aut maculam odire debemus, ut immaculatum reddamus, ut de carnali spirituale efficiatur. Vel odientes eam tunicam maculatam, id est conversationem carnalibus desideriis immundam. *Ei autem qui potens est.* Hic monet ad Dei de utroque glorificationem, tangens primo glorificationis causam. Secundo modo, gloriam et magnificentiam. Dicit igitur, *Ei autem, Glossa,* quia hoc non nostra potestate, sed gratia Dei perficiendum est. Recte subjungitur, *Ei autem*, scilicet Deo Patri, *Qui potens est*, imo omnipotens. Cui potentia appropriatur. Exod. XV, *Omnipotens nomen ejus. Vos conservate. Glossa,* in præsenti, *Sine peccato*, scilicet mortali, *Glossa.* In omnibus operibus nostris. *Et constituere nos. Glossa*, in futuro. *Ante conspectum gloriæ suæ, Glossa*, coram Angelis, qui contemplantur Dei gloriam. Juxta illud Matth. XVIII, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, qui etc. Vel ante conspectum gloriæ suæ, id est in præsenti a Domino glorificati : quod desiderabat David dicens, Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei. Hoc erit quando boni videbunt Dominum gloriosum in humanitate et divinitate. Psalm. XVI, *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Immaculatos. Glossa*, ab omni sorde peccati veniali et mortali. *In exultatione*, laudis et gratiarum actionis. Psalm. CXLIX, *Exultabunt sancti in gloria*, id est exultabimus et lætabimur in te. *In adventu*, tendentes ad occurrendum ei, *Domini nostri Jesu Christi :* in adventu, inquam, id est in die judicii, in quo

erit exultatio sanctis, et tribulatio reprobis. II Pet. I. *In quo exultabitis modicum, nunc si oportet contristari.* Et Joan. XVI, *Vos quidem nunc tristitiam habetis etc. Soli Deo*, id est Patri qui solus creator et salvator omnium est, mittendo Filium. Non per hoc excluditur Filius vel Spiritus sanctus, quia cum ipso Patre Filius et Spiritus sanctus unus est Deus. *Salvatori nostro*, omnium, maxime fidelium. Ad Tim. I *Qui est Salvator omnium, maxime fidelium. Per Jesum*, salutis mediatorem, per quem Pater omnia operatur per Jesum Christum ratione humanitatis : Dominum nostrum, ratione divinitatis. *Gloria et magnificentia*, in operatione, *imperium*, in regimine, *potestas*, in malorum correctione. Vel secundum *Glossam*, Puræ fidei et conscientiæ. Et magnificentia in operatione. Imperium, super infirmitates vel dæmones. Et potestas, resistendi vitiis et tortoribus *Ante omnia sæcula*, id est qui fuit ab æterno, sicut dicit *Glossa*. *Et nunc et in omnia sæcula*, id est qui erat et qui venturus est, id est ante mundi constitutionem, in mundi cursu, post mundi consummationem. *Amen*. Confirmatio est. Sed quæritur de hoc quod dictum est, Expectantes misericordiam Dei in vitam æternam. Et hoc enim videtur, quod vita æterna detur ex misericordia. Contra. Cum detur ex meritis, videtur quod detur ex justitia. Responsio. Vita æterna datur ex misericordia et gratia. Ex justitia et ex misericordia datur quantum ad radicem meriti, quæ est gratia. Et quo ad mensuram remunerationis quæ est supra : de qua Rom. VIII, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis*. Quo ad opera non facta ex conventione operantis cum operariis ex denario diurno, detur ex justitia. Quæritur et de hoc quod dicit, Et hos quidem judicatos arguite, *Glossa*, scilicet et damnatos. Contra. Nullius videtur esse utilitatis argutio damnatorum. Responsio Licet argutio non valeat eis, valet tamen aliis. Unde ipsi sunt arguendi, ne alli imitentur ipsos. Deo gratias. Qui est benedictus in sæcula.

S. THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO I. SUPER APOCALYPSIM

PROLOGUS.

Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens cœlum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ, Gen. XXVIII. Quatuor sunt causæ hujus operis : scilicet efficiens, materialis, formalis, finalis : et istæ quatuor causæ tanguntur in prædicta auctoritate satis manifeste. Causa efficiens est auctor Joannes qui significatur per Jacob, tum propter nominis sui interpretationem, tum propter actuum ejus præfigurationem. Interpretatur enim Jacob luctator, vel supplantator ; et beatus Joannes cum mundo et carne luctando, luctam aggressus supplantavit utrumque et sub planta pedis calcavit, juxta illud Nahum III, *Intra in lutum, et calca subigens, tene laterem :* per lutum accipitur mundus immundus et fœtibus, quem multi tantum de foris aspicientes, non intus intrantes, amplectuntur et osculantur, et ideo merito sordidantur, secundum illud Thren. IV, *Filii Sion incliti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea.* Et infra, *Qui vescebantur voluptuose amplexati sunt stercora. Glossa*, relictis cœlestibus curantes terrena ; et ideo similes sunt porcis, sive suibus, quæ in volutabro luti magis quam in speciebus aromaticis delicias quærunt et sentiunt. Sed beatus Joannes volens se immaculatum custodire ab hoc sæculo, intravit in ipsum, interiora ejus diligenter aspiciens, et ideo calcans et despiciens fugit ipsum, implens illud Nahum III, *Omnis qui viderit te, resiliet a te.* Numquid intraverat in lutum quando dixit, Quoniam quod est *in mundo est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitæ.* I Joan. II. Et iterum quando dixit, eadem V, *Mundus totus in maligno positus est?* Per laterem, qui de terra fit, intelligitur caro de terra plasmata, quæ ad modum lateris, quanto plus lavatur et excolitur, tanto immundior efficitur : lutum ergo omnino calcandum est, et mundus omnino spernendus. Sed lateri subjiciendus et tenendus est, et caro per opera pœnitentiæ subjicienda est, ne lasciviat, et subsidio necessario tenenda, ne deficiat. Unde Eccl. XXXIII. *Cibaria et virga, et onus asino. Panis, et disciplina et opus servo et corpori :* panis ne deficiat ; disciplina ne lasciviat, opus ut perficiat. Item Jacob dicitur dilectus Dei inter patriarchas, sic Joannes inter Apostolos. Item Jacob delusit sapienter Laban, et tandem eum fugit, et filias ejus secum duxit ; sic beatus Joannes mundum fugiens, filias ejus ; id est animas peccatrices, secum ad Ecclesiam duxit, quem cum insequeretur et persequeretur mundus, auxiliante Domino, nihil adversus eum potuit : sic etiam nec Laban adversus Jacob, qui iram fratris sui Esau fugiens, de terra sua exivit in Mesopotamiam, ubi post multos labores, Rachel amplexus promeruit : sic et beatus Joannes propter iram Domitiani de terra sua in Pathmos exulavit, ubi post multas angustias et labores meruit cœlestia sublimius et clarius contemplari. Hoc est quod legitur Sap. X : *Hæc*, id est sapientia, *iram profugit fratris*, id

est Domitiani pro Esau designati, *justum*, id est beatum Joannem per Jacob figuratum, *deduxit per vias rectas*, quæ sunt carnis integritas, spiritus puritas, mundi paupertas : *deduxit* inquam in exilium, *et ostendit illi regnum Dei*, factum militantis et triumphantis Ecclesiæ ei revelavit.

Quæ est materia hujus libri, quæ tangitur in prædicta auctoritate ubi dicitur : *Vidit scalam*, per quam significatur Ecclesia. Duo latera scalæ, duæ sunt partes Ecclesiæ militantis in terra et triumphantis in cœlo : et hoc est quod dicitur, scilicet quod scala, stans super terram tangebat cœlum. Vel certe ideo dicit scalam super terram stare, quia utraque pars Ecclesiæ elevatur a terra in cœlum. Unde Isa. XXXIII, *oculi ejus*, id est Ecclesiæ, *terram cernunt de longe*. Et bene dicitur scala stans, id est recta, non declinans ad dexteram prosperitatis, vel sinistram adversitatis. Vel ideo stare dicitur, quia cœlestia tantum desiderans, sursum mentis intentione erigitur. Unde dicit quod cacumen ejus tangit cœlum : hoc est, quod legitur Judith VII, scilicet quod ipsa fecit sibi secretum cubiculum ad adorandum, et medium, in superioribus domus suæ. Cacumen ergo, utraque pars Ecclesiæ, tangit cœlum, militans spei erectione et desiderii fervore ; triumphans rei adeptione et manifesta contemplatione. De hoc dicitur Oseæ IX, *In cacumine vidi patres eorum, ipsi autem intraverunt ad Beelphegor et alienati sunt in confusione et facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt*. Per scalam igitur designatur materia hujus libri, in qua sunt septem gradus, quia septem sunt partes hujus libri, scilicet septem visiones, ut infra patebit. Forma tangitur ubi dicitur, quod Jacob vidit scalam stantem et Angelos ascendentes et descendentes per eam. De quibus multa dicit Joannes : scilicet quomodo ei apparuerunt et de multis instruxerunt, licet per Angelos principes septem Ecclesiarum, id est episcopi designentur, sicut dicitur in ipso textu ; de quibus hic multa dicuntur. Forma vero libri et modus agendi idem est, qui ænigmaticus et valde obscurus. Totus ænigmaticus est, et plenus figuris, et obscurus valde : propter quod in somnis dicitur Joannem vidisse quod vidit, licet et per hoc notetur quod in excessu mentis et spiritu hanc viderit prophetiam. Unde in primo cap. dicitur : *Fui in spiritu in dominico die, et audivi post me vocem magnam*. Et bene per somnium, hujus excessus mentis intelligitur : quia sopitis sensibus ad exteriora, videt anima interiora ; et posteriorum oblita, extendit se ad anteriora. Notandum etiam per hoc, quod in somnis viderit, quod in illo excessu viderit rerum imagines, quas intellectas postmodum declaravit, sicut in somnis primo videntur visiones, et postea dicitur earum interpretatio. Per hoc autem ostenditur quod scala cœlum tangebat, et quod in cœlo fuit hæc visio, et revelatio facta ejusdem. Ut vere dicatur quod caro et sanguis non revelavit ei, sed Pater ejus qui in cœlis est. Nam tota Trinitas hanc visionem revelavit Christo homini, Christus Angelo, Angelus Joanni, Joannes Ecclesiis, ut dicitur in prologo. Item forma sive modus agendi tangitur propter hoc quod dicitur vidisse Angelos ascendentes et descendentes. Ascendebant siquidem quando alta et profunda subministrabant. Descendebant quando leviora monstrabant. Vel certe ascendebant, quando eum de statu Ecclesiæ triumphantis docebant. Descendebant quando de statu militantis eum instruebant. Vel ascendebant quando sanctorum præmia declarabant. Descendebant quando reproborum supplicia ostendebant. Vel si per Angelos episcopi designentur Ecclesiarum, ut tactum est, tunc Angeli ascendebant quando in bona vita proficiebant. Descendebant quando deficiebant. Finis libri notatur per hoc quod sequitur in auctoritate, Et Deum innixum scalæ. Ad hoc enim scriptus est liber, et hic est finis ejus, ut credentes quæ in eo scripta sunt, et custodientes, Deum videant, qui est vita æterna. Unde Joan. XXI : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus*. Et ut nemo posset timere ne scalam istam ascendere valeret, ideo dicitur Dominus innixus scalæ, quasi paratus trahere ad se, et juvare ascendentes per scalam. Unde infra IV cap. dicitur : *Quia Joannes vidit ostium apertum in cœlo, et audivit vocem dicentem sibi, ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc*. Ideo dicitur, quod Job, XXXVI, annunciat de ea amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere. Non debet igitur aliquis timere laborem ascensionis, sed porrigere manus Domino, qui scalæ innititur ut eum trahat, et iterum trahet

cum. Quia ipse dicit Joan. XII, *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia ad me ipsum traham.* Ecce Dominus exaltatus est, quia innixus scalæ. *Trahe nos* ergo *post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Ecce habemus quatuor : scilicet Joannes. Quæ materia, scilicet status Ecclesiæ. Quæ forma, sive quis modus agendi, quia brevis est in verbis, multus in sententiis. Quis finis, sive utilitas, ut scilicet credamus, et credentes vitam æternam habeamus. Intentio vero auctoris est, monere ad patientiam tribulationum, et eliminare errores, qui in ejus abstentia pullularunt in Asia. Præmittitur autem huic libro prologus magistralis, in quo fere omnia, quæ diximus, breviter prælibantur. Et dividitur in quatuor partes. In prima parte tangitur materia libri, id est status Ecclesiæ præsens pariter et futurus, quem Christus revelavit Joanni, et Joannes episcopis, ut eos animaret ad patientiam tribulationum, quæ cito transeunt, et ad præmium perducunt æternum. Unde Act. XIV, *Per multas tribulationes etc.* II Corinth. IV, *Hoc momentaneum etc.* In secunda parte præsens opus commendatur a prophetia, quæ præfertur aliis prophetis, propter auctoritatem mittentis, deferentis, recipientis: propter quod auditores benevoli redduntur. Et hæc pars incipit, ibi, *Ideo liber iste.* In tertia determinatur, quo genere visionis viderit ista Joannes; utrum scilicet corporali, vel spirituali, vel intellectuali. Et dicitur quod intellectuali. Et hæc pars incipit ibi, *Cum autem etc.* In quarta redditur ratio ubi et quare et quando et quibus viderit istas visiones Joannes. Et hæc pars incipit ibi, *Vidit autem Joannes.* In quinta quasi recapitulando breviter tangitur, quis auctor, quæ materia, quis modus agendi, quis finis. Et hæc pars incipit ibi, *Scribit autem Joannes*, septem Ecclesiis. Dicit ergo, *Omnes qui pie etc.* II ad Timoth. III. Littera plana est usque ibi, *Revelavit autem tota Trinitas Christo homini.* Ergo aliquid fuit velatum; quod non solum falsum, immo nefarium et hæreticum est. Quia Christus homo etiam humana scientia omnia scivit ex quo fuit. Sed dicimus quod ideo dicitur Trinitas revelasse Christo homini, quia Christus homo hoc scivit a sancta Trinitate. Sed eadem ratione potest dici quod Deus Pater hoc revelavit Filio, et Filius Spiritui sancto. Quia quidquid scit Filius scit a Patre, et quidquid scit Spiritus sanctus scit a Filio. Ad hæc dicimus, quod non est simile : quia Filius et Spiritus sanctus omnia ex se, licet non a se; sed Christus homo nec a se nec ex se scit omnia, sed a sancta Trinitate, quæ illi non per essentiam sed per gratiam dedit omnium scientiam, quæ aliis prophetis excellentior est. Contra : super principium Danielis dicit Hieronymus quod nullus propheta tam aperte scripsit de Christo ut Daniel : quia et tempus ejus in adventus notat et annos et reges per ordinem enumerat et signa manifesta prædicit. Item in principio *super Isa.* dicit Hieronymus quod Isaias non tam propheta quam evangelista dicendus est, qui ita liquide de Christo loquitur, ut magis narrare præterita, quam prædicere futura videatur. Item in prologo psalmorum dicitur, David eximius prophetarum. Item super Zacharia dicit super quamdam *Glossam*, quod Zacharias est eximius prophetarum. Item super illud Num. XII, *Si quis fuerit inter vos etc.*, dicit *Glossa:* Moyses omnibus prophetis veteris Testamenti præstantior est. Solutio : Quilibet istorum potest dici eximius, sive præstantior, diversis respectibus. Elias quo ad vitæ austeritatem, et liberam increpationem. David vero quo ad regiam dignitatem et mentis humilitatem et Christi de ipso nascituri promissionem. Isaias quo ad vocationis gentium et incarnationis Christi apertionem. Daniel quo ad temporis incarnationis et passionis determinationem. Moyses quo ad Dei familiaritatem, et præceptorum Dei certam promulgationem. Zacharias quo ad templi ædificationem, ad quam populum strenue invitavit. Joannes vero quo ad visionis profunditatem, et prophetiæ multiplicitatem, ut dicitur in prologo, et mittentis et deferentis et suscipientis auctoritatem sicut vidit Pharao spicas, et Moyses rubum ardere. Ergo Moyses vidit visione imaginaria rubum ardere : quod est contra Hieronymum et alios expositores : ergo de duabus visionibus facta fuit mentio. Et hic exemplificat de utroque : de imaginaria cum dicitur : Sicut Pharao vidit spicas : de corporali, et Moyses rubum ardere.

CAPUT I.

Apocalypsis Jesu Christi etc. Liber iste dividitur principaliter in duas partes. Prima continet primum capitulum tan-

tum, et subdividitur in tres partes. Primo ponitur proœmium, in quo commendatur hoc opus dupliciter. Primo ab auctoritate mittentis, id est Trinitatis, et Christi deferentis scilicet Angeli; suscipientis, scilicet Joannis et septem episcoporum Asiæ. Secundo ab utilitate, ibi, *Beatus qui legit*. In secunda parte ponit salutationem ubi captatur benevolentia auditorum, ibi, *Joannes septem Ecclesiis*. Et in tertia determinat auctor quando, et ubi, et quid, et quare scripsit hunc librum, ibi, *Ego Joannes etc*. Dicit ergo, *Apocalypsis*, id est revelatio Christi Jesu effective vel materialiter, id est a Christo Jesu, et de Christo Jesu facta hæc est, supple non a me, nec de me. Immo in hoc vitat Joannes arrogantiam, quia non suam, sed Christi Jesu dicit Apocalypsim. Væ ergo prophetis, qui prophetabant de cordibus suis mendaciter. Unde ad Jerusalem dicitur Jerem. XXIII, *Nolite audire verba prophetarum, qui prophetant vobis, et decipiunt vos. Visionem enim cordis sui loquuntur non de ore Dei*. Et infra: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant: non loquebar ad eos, et prophetabant*. Ut ergo a talibus Joannes se sequestraret, ait, *Apocalypsis Christi Jesu*, non mea. Sed ne putares quod Christus Jesus a se habuerit hanc revelationem, addit, *Quam dedit*, grâtis, ut nihil debens illi id est Christo Jesu, secundum quod homo est Deus Pater. Unde Matth. XI, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et Joan VII, *Mea doctrina, non est mea, sed ejus etc*. vel potius Deus Trinitas. Sed ad quid dedit? *Palam facere*, non abscondere sicut servus nequam qui *abscondit pecuniam domini sui*, Matth. XXV. Et ideo maledictus. Proverb. XI. *Qui abscondit frumentum etc*. Sed contra: hæc revelatio data est in figuris, non ergo palam. Solutio. Joanni palam facta est, qui universitatem rerum mentis intellectu, Deo revelante conspexit, et etiam in figuras vidit. Quarum significationem aliis in parte revelavit, et non omnia ne vilesceret prophetia. Sed quibus? *servis suis* id est fidelibus humilibus, non Judæis, vel prophetis superbis. Matth. XI, *Confiteor etc*. Ideo autem servis facta est revelatio, quia ipsos oportebat et oportet pati tribulationes, ut dicit *Glossa*. Et ideo fit eis revelatio, ut exemplo Christi et Apostolorum levius fiat eis pondus tribulationem. Apoc. Dico de iis *quæ oportet fieri cito* scilicet de tribulationibus quas oportet fieri, id est inevitabile est quod fiant; quas oportet et utile est ut fiant. Ubi dicit *Glossa:* Inevitabile siquidem est homini quin fiant. Matth. XVIII, *Necesse est ut veniant scandala*. Item utile est ut fiant, quia muniunt. Exod. XIV, *Erat enim murus quasi aqua ad dexteram eorum et lævam*. Item quia via sunt ad cælos. Act. XIV, *per multas tribulationes etc*. Item quia accelerant. Psal. *Multiplicatæ sunt etc*. Item quia sunt pretium quo emitur regnum Matth. *Beati qui persecutionem, etc*. Et cito dicit. Nam tribulationes Ecclesiæ jam inceperant. Sed quia non solum de tribulationibus facta est revelatio, sed dupliciter de præmiis futuris, idcirco cito dicit, quia omne tempus breve est respectu æternitatis. Unde Psalmus. *Mille anni tanquam dies hesterna etc*. August. Breve est quidquid fine clauditur. Per hoc ergo quod dicit, *Oportet et cito*, animat Joannes servos Christi ad patientiam, ut non solum æquanimiter, sed et libenter et lætanter sustineant tribulationes quæ cito finientur et ad præmia æterna perducunt. Propter hoc dicit Psalm. *Lætati sumus pro diebus etc*. Act. V, *Ibant Apostoli etc*. *Et significavit*, quasi dicat: Hanc Apocalypsim dedit Deus Jesu Christo palam facere servis suis. Et ipse Jesus Christus significavit, id est signis ostendit, ut dicit *Glossa*. Hanc visionem mittens, *Per Angelum suum*, cui Christus revelavit, *Servo suo Joanni*, quasi speciali amico, qui aliis conservis suis manifestaret. Nota: Christus virgo, Angelum virginem, Joanni virgini mittit. Objicitur autem de illa *Glossa:* significavit, id est per signa ostendit. Quia per hoc videtur quod hæc visio fuerit imaginaria, quod est contra prologum. Solutio. Multi credunt quod fuerit imaginaria, nec curant de prologo, quia est magistralis. Sed potest dici quod in veritate hæc visio fuit intellectualis. Quia Joannes vidit rerum veritatem sine velamine figurarum; sed postea ostensæ sunt ei figuræ quibus velaret ea quæ viderat, ut malis velata occultarentur et bonis exercitium daretur studendi, et sic per studium inventum gratius haberetur et firmius teneretur. Et nota quod Angelus iste qui missus est ad Joannem spiritus creatus fuit, qui aliquando loquitur in persona Christi ut ibi, *Ego sum alpha et omega*. Aliquando in persona sui ut ibi: *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum et frater tuus*. Ultro: sicut nuntius deferens verba

alicujus principis, aliquando loquitur in persona Domini sui, aliquando in persona sua. Vel sic lege litteram. Et significavit Deus Pater, Pater scilicet mittens, *Per Angelum suum*, scilicet Christum qui est Angelus magni consilii sibi consubstantialis, ut dicit *Glossa*, *Servo suo Joanni*, typum Ecclesiæ gerenti. Et merito; quia ille, scilicet Joannes, *Testimonium perhibuit verbo Dei*, id est Christo, quod scilicet esset verus Deus ab æterno. In principio evangelii sui ubi dixit : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum etc. Sed contra: prius vidit et scripsit Apocalypsim quam evangelium. Solutio. Prius prædicavit evangelium et postea scripsit. Et etiam perhibuit *Testimonium Jesu Christi*, id est de Jesu Christo, quod scilicet esset verus homo, ubi dixit : Verbum caro factum est. Ecce integrum et verum testimonium. Sed ne putaret aliquis quod de auditu et non visu esset testimonium ejus, et ideo minus sufficiens; ideo addit, *In iis quæcumque vidit*, oculis mentis et oculis carnis. Unde Joan. XXI, *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de iis et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus*. Item, Joan. XIX, *Qui vidit testimonium perhibuit*. Item. I Joan. I, *Quod fuit ab initio, quod vidimus et audivimus et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ nuntiavimus vobis*. *Beatus qui legit*. Hic commendatur opus ab utilitate, quam consequetur qui conservat hanc prophetiam. Unde dicit: *Beatus* jam beatitudine spei, et tandem beatitudine rei. *Qui legit*, per se. *Et qui audit*, ab alio. Hic enim duplici modo acquiritur scientia : scilicet per inventionem studendo, aut per doctrinam audiendo, ut dicit Philosophus. De primo dicitur Proverb. III, *Beatus qui audit*. *Verba prophetiæ hujus*, quæ singula sunt plena mysteriis et sunt verba salutis et vitæ. Unde Joan VI, *ait Petrus ad Dominum : Domine, ad quem ibimus? verba vitæ habes*. Sed quia non sufficit legere et audire, nisi fiat quod legitur et auditur, sicut dicitur ad Rom. II, *Non auditores justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur;* ideo addit, *Et servat ea quæ in ea scripta sunt*, corde retinendo et opere implendo. Unde *Glossa*, Et illi soli beati qui audiunt ut mente recondant, mente recondunt opere ut compleant, ut vitam æternam possideant. Hinc est quod dicitur Luc. x, *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*. Beatus qui legit studendo, et qui audit obediendo et servat credendo et timendo. Unde *Glossa:* servat qui fidem Christi et Ecclesiæ non violat, et timet minata et quærit promissa. Et revera legenda sunt et audienda et servanda verba prophetiæ hujus, *Tempus enim prope est*, quo tribulationes finient et præmia reddentur : scilicet tempus mortis cujuslibet vel tempus judicii, quando unusquisque recipiet mercedem suam, quam meruerit. Jac. IV, *Ecce judex ante januam assistit*. Sophoniæ I, *Juxta est dies Domini magna*. *Glossa* dicit hic : Tempus prope est, quia nec longa laboris mora et præmia vicina. Eccles. *Benedictio Domini in mercedem justi festinat*. Vel omnes qui legunt alios docendo et audiunt ascultando. Et dicit, audiunt, pluraliter, quia plures possunt unum audire docentem *et servat*, memoriter retinendo. De hoc Eccles. XXIV, *Qui audit me etc*. Sequitur.

Joannes septem Ecclesiis quæ sunt etc. Hæc est secunda pars capituli, sive proœmii, ubi ponitur salutatio. Et ostenditur quis salutet et qui salutantur et cujusmodi salus optetur. Salutat Joannes. Salutantur septem Ecclesiæ Asiæ. Optatur salus quæ est a Christo Jesu, quam commendat Joannes a misericordia. Et ideo interserit de primo adventu, in quo maxime apparuit ejus misericordia. Demum commendat eum a justitia. Unde interserit de secundo adventu ubi apparebit ejus justitia. Et nota quod est duplex Asia, ut dicitur in *Glossa:* Major scilicet quæ continet tertiam partem mundi. Et Minor, quæ est quædam pars majoris, quæ continet septem civitates : scilicet Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardim, Philadelphiam, Laodiciam. Inter quas Ephesus erat metropolis. In hac minori Asia primo prædicavit Paulus, sed post divisionem Apostolorum obtinuit eam Joannes et prædicavit ibi. Et per illas septem Ecclesias intelliguntur universæ mundi Ecclesiæ. Tum propter numerum septenarium qui est numerus universitatis. Quia omne tempus, septem diebus agitur quo regitur Ecclesia. Tum propter ternarium numerum animæ et quaternarium corporis : vel quia in fide trinitatis fundatæ sunt omnes Ecclesiæ per quatuor partes mundi fundatæ vel diffusæ. Vel propter septiformem gratiam Spiritus sancti, quo illustrantur omnes Ecclesiæ.

Dicit ergo: Joannes cui hæc Dominus revelavit per Angelum, septem Ecclesiis Asiæ specialiter et in eis omnibus aliis generaliter, optat salutem dicens, *Gratia*, id est peccatorum remissio, *Et pax*, id est ad Dominum reconciliatio. Vel gratia, id est informatio virtutum, *Et pax*, id est tranquillitas mentis et quies a vitiis. Vel gratia triplex, scilicet operans, cooperans, et consummans. De qua I Corinth. xv, *Gratia Dei sum id quod sum et gratia ejus in me vacua non fuit, sed gratia ejus in me semper manet.* Et pax triplex, temporis, pectoris, æternitatis, vobis sit, vel detur, *Ab eo qui est*, æternaliter, id est a Filio cujus nomen est *Qui est.* Exod. III, Et hoc dicitur contra Judæos qui dicunt ipsum non esse, sed mortuum, *Et qui erat*, apud Patrem antequam mundus fieret. Contra Arianos qui dicunt ipsum non fuisse ab æterno. *Et qui venturus est*, ad judicium, redditurus cuilibet juxta meritum suum, contra quosdam Manicheos, qui dicunt judicium jam factum vel contra Sadducæos qui dicunt animas perire cum corpore et non fieri judicium. *Et a septem spiritibus*, id est a Spiritu sancto qui est unus in natura, sed septuplex in gratia: unde Sapient. VII, Est enim in illa spiritus intelligentiæ, spiritus unicus, sed multiplex, unicus virtute naturæ, multiplex gratiarum distributione. *Qui in conspectu throni ejus sunt*, id est quem spiritum septiformem et unum conspiciunt incessanter. Throni ejus, id est Angeli sancti in quibus sedet et judicat. I Petr. I, Spiritu sancto misso de cœlo in quem desiderant Angeli prospicere. Vel per septem spiritus intelligitur universitas Angelorum. Tob. XI, *Ego sum Raphael Angelus unus ex septem spiritibus qui astamus ante Deum.* Et super hoc orta est quæstio, quare non fiat hic mentio de Patre, cum solum optet ei salutem a Christo, de cujus divinitate præmisit cum dicit, *Ab eo qui est.* Et de æternitate cum dixit, *Qui erat*, Et de potestate cum dixit, *Qui venturus est.* Et de dignitate cum dixit, *Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt*, id est qui assistunt ei, ut ministri ejus. Dan. VII, *Millia millium ministrabant ei.* Postea subjungit de ejus humanitate, *Et a Jesu Christo qui est testis fidelis*, id est qui fidele testimonium perhibuit mundo de Patre et de seipso. Joan XVIII, *Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Vel testis fidelis, quia veritatem quam verbis docuit operibus approbavit. Joan. V, *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Vel testis fidelis, quia sine acceptione personarum viam Dei in veritate docuit, Matth. XXII. Vel testis fidelis, quia in die judicii verum testimonium de omnibus dabit. Jerem. XIX, *Ego sum judex et testis.* Psalm. *Et testis in cœlo fidelis.* Vide ergo ut habeas bonam conscientiam, quia testis non poterit corrumpi vel seduci. Proverb. VI, *Furor et zelus etc.* Isa. LV, *Ecce testem populis dedi eum etc. Et primogenitus mortuorum*, id est primus inter mortuos ad immortalitatem resurgens non tempore, sed causalitate et dignitate. Nam si quidam ante ipsum suscitati fuerunt a morte, non tamen resurrexerunt proprie, quia iterum obierunt: sed *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, Rom. VI. Similiter credimus de illis qui cum Domino resurrexerunt, quia vera fuit eorum resurrectio, nec iterum obierunt in corpore et anima, sed cum Christo ascenderunt. Quid ergo dicitur hic Christus primogenitus mortuorum, cum illi dicantur in die Parasceves resurrexisse? sicut enim dicitur Matth. XXVI, *Multa corpora sanctorum, qui dormierant resurrexerunt.* Sed dicendum, quod hoc fuit, cum in die dominica resurrexit. Unde ibidem dicitur statim, Et exeuntes de monumentis venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis. Dicitur autem primogenitus mortuorum, quia mortui cum resurgunt quodammodo generantur ad immortalitatem. *Et princeps regum terræ*, id est terrenarum potestatum, permittens eos dominari ad bonorum utilitatem, ponens removere quando voluerit, ut dicit *Glossa*. Et qui modo judicant alios et eosdem in futuro judicabunt. Sapient. VI, *Audite reges et intelligite, discite judices finium terræ: præbete aures qui continetis multitudines et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custoditis legem justitiæ vel regum terræ*, id est sanctorum regentium Ecclesiam, Unde *Qui dilexit nos*, vivens, *Et lavit nos*, moriens, *A peccatis nostris*, quæ sordidant animam. *In sanguine suo*, non hircorum aut taurorum, sed suo proprio, quem pro nobis fudit, ex quo baptismum mundandi

a peccatis suscepit : hoc fecit ex solo amore quo nos dilexit. Jerem. XXXI, *Charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te.* Eccles. XXIX, *Gratiam fidejussoris etc. Et fecit nos.* Joannes connumerat se ut auditores attrahat ad amorem. *Regnum*, id est tales in quibus regnet et habitet, *Et sacerdotes*, id est vos sacrificatores. I Petr. II, *Vos estis genus electum etc.* Vel regnum, id est potentes reges qui regere possunt et reprimere motus illicitos. Et sacerdotes, id est sanctos nos ipsos Domino immolantes. Juxta illud ad Rom. XII, *Obsecro vos itaque fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra etc.* Fecit inquam Deo, id est sibi qui est Deus, et Patri suo, a quo habet quidquid habet. Vel et ponitur expositive pro idem. Et est sensus *Deo et Patri suo*, id est Deo qui est pater suus, vel qui est Deus suus et pater suus. Dominus per creationem ipsius hominis, Pater per generationem ipsius Dei. Joan. XX, *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum etc.* Hoc modo ponitur, et, copulative non expositive, et est melior expositio, quia sic ostenditur utraque natura in Christo. Et cum tot et tanta fecerit nobis et tantus et talis sit : Ideo *Ipsi gloria*, et laus quo ad bonos, *Et imperium*, potestas quo ad malos, *In sæcula*, consecutiva, *sæculorum*, id est in perpetuum, *Amen*, id est vere vel ita sit, vel verum est, I Timoth. VI, *Cui est honor et gloria et imperium in sempiternum, amen.* Vel gloria in se et super creaturis imperium, quia omnia potest semper. *Et ecce venit etc.* Hic loquitur Joannes de secundo adventu Christi, ut qui pro amore primi adventus noluerunt peccata dimittere, saltem dimittant timore secundi, juxta illud Gregorii, Saltem misericordiam revocantis debemus erubescere si ejus justitiam nolumus formidare, qui tanto in probitate contemnitur, quanto amplius non cessat revocare. Et quia omne tempus breve est, utitur adverbio demonstrativo et verbo præsenti dicens, *Ecce venit*, id est cito veniet ad judicium Christus. *Cum nubibus*, sicut ascendit Actuum I, *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum etc.* Danielis VII, *Ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniebat :* Vel cum nubibus, id est cum scientiis volantibus per contemplationem, pluentibus per prædicationem, protegentibus ab ira Dei per suam intercessionem, coruscantibus per bonam operationem. De istis nubibus dicitur Isa. LX, *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* et cum istis venit Dominus ad judicium. Isa III, *Veniet cum senibus populi sui et principibus ejus.* Deuteron. XXXIII, *Apparuit de monte Pharan et cum eo sanctorum millia.* Vel dicitur venturus cum nubibus, quia in carne veniet, quæ dicitur nubes. Isa. XXI, In qua tonabit disceptando et sententiando. I Regum II, *Dominum formidabunt adversarii ejus et super ipsos in cœlis tonabit.* Job XXVI. *Cum vix parvam stillam sermonum ejus audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* Item coruscabit occulta cordium manifestando. I Corinth. IV, *Veniet Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Dan. VII, *Judicium sedit et libri aperti sunt.* Item pluet æterna supplicia infligendo. Psalmus : *pluet super peccatores laqueos etc.* Vel secundum *Glossam*, In nubibus intelligitur multiplex Christi clementia in qua veniet ad judicium : bonis præstans refrigerium et illuminationem, malis vero timorem et obscuritatem, *Et videbit eum omnis oculus*, tam bonus quam malus. Boni videbunt ad gloriam. Isa. XXXIII, *Regem in decore suo videbunt.* Mali autem ad pœnam suam. Sap. V, *videntes turbabuntur timore horribili.* Boni videbunt humanitatem et divinitatem, mali autem solam humanitatem. Isa. XXVII, *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Sed si omnis oculus videbunt eum, quod bene credi potest, tamen non cognoscent eum. Si aliter viderent, cognoscerent suum damnum et dolerent, et sic haberent pœnam materialem, quod non est verum. Vel potest dici, *Videbit eum omnis oculus*, qui habuit hic usum liberi arbitrii. *Et qui eum pupugerunt*, crucifixerunt, procurando ut Judæi, imperando ut Pilatus, faciendo ut gentiles, per causam ut peccatores. Zach. XII, *Aspicient ad me quem confixerunt.* Job. XIX, *Videbunt in quem transfixerunt :* hi videbunt eum, ut dicit *Glossa*, ut magis crucientur, *Et tunc plangent se super eum*, quasi confracti et collisi ex casu super lapidem. Vel super eum plangent, id est dolebunt respicientes gloriam eorum qui fundati sunt super eum ; quia non tantum dolebunt de ipso tormento inferni, quantum de amissione talis consortii. Et ostendit qui sunt illi qui se plangent sibi soli imputantes. *Omnes tribus terræ*, id est omnes terreni qui plus dilexerunt terram quam cœlum. *Etiam amen*, confirmatio est prædicto-

rum. Et confirmat hoc Joannes duplici adverbio: hebraico scilicet et græco. Quia hoc debent credere tam Judæi quam Gentiles et qui ex iis processerunt, scilicet christiani. Et ut melius credatur quod dictum est de Christo, indicavit Joannes Christum de se ipso loquentem: unde subdit, *Ego sum alpha et omega*. In alphabeto græcorum primo ponitur alpha, ultimo ponitur omega in fine: quasi diceret: Ego sum primus et ultimus: unde expositio. *Principium et finis, dicit Dominus Deus.* Principium a quo omnia oriuntur. Finis ad quem omnia ordinantur, *Qui est*, æternaliter, *Et qui erat*, æternaliter, *Qui venturus est*, judicare potenter. Omnipotens, id est omnia et omnimodo potens, quia nec impediri, nec cogi potest ejus potentia. Et bene adjungitur ei quod dicitur Venturus est, omnipotens. Quia nondum ostendit suam potentiam, sed in futuro ostendet. Psalmus, *Cognoscetur Dominus judicia faciens*. Beatus qui nunc ignoratur injuriam patiens.

Ego Joannes frater vester etc. Hæc est tertia pars capituli; in qua tria fiunt. Primo præcipitur Joanni ut scribat quæ vidit. Secundo ostenduntur septem candelabra aurea et in medio filius hominis. Tertio ostendit quomodo se habuerit ad visionem, quia scilicet cecidit. Ut autem melius credatur ipsi, commendat se a quatuor: scilicet primo a nomine et re nominis cum dicit se esse Joannem. Secundo a loco cum dicit se fuisse in Pathmos insula, quasi exulem. Tertio a causa cum dicit hoc sibi factum propter testimonium Jesu. Quarto a tempore cum dicit, se fuisse in spiritu in Dominica die. Quia ergo liber iste totus est de revelationibus seu visionibus, in quibus non est credendum omni spiritui; ideo confirmans visionem suam auctoritate nominis sui quod erat authenticum, dicit: *Ego Joannes*, electus a Domino in discipulum plus dilectus cæteris, Virgo virginis matris Domini custos qui supra pectus Domini in cœna recubui. Hæc enim omnia per sui nominis expressionem innuit. Frater vester non natura tantum, sed gratia, non carne sed fide. Matth. xxiv, *Omnes vos fratres estis*: et licet esset prælatus, vocat se fratrem causa humilitatis. Eccles. xxxii, *Rectorem te posuerunt etc. Et particeps in tribulatione*, id est patienter sustinens easdem tribulationes quas et vos *Et regno*, quia per tribulationes pervenitur ad regnum. Actuum xiv, Per multas tribulationes etc. II Corinth. i, *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* II Timoth. ii, *Fidelis sermo: nam si commorimur et convivemus, si sustinemus et conregnabimus.* Et quia non omnis patientia ducit ad regnum, sed tantum illa quæ propter Christum et in charitate Christi est; et ideo addit, *Et patientia in Christo Jesu*, id est propter Christum Jesum et in charitate Christi. I Petr. iv, *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut quasi fur aut maledicus, aut malorum appetitor: si autem ut christianus, non erubescat: glorificet autem Christum in isto nomine.* Vel patientia in Christo Jesu: quasi dicat: per hoc habuimus ego et vos patientiam, quia fuimus in Christo Jesu qui fuit vobis exemplum patientiæ. Unde *glossa*, Frater noster unitate fidei et propter illam fidem tribulatus: propter quod ad regnum pervenire patienter sustinete, habendo Christum in omnibus exemplum. *Fui in insula quæ vocatur Pathmos*, missus a Domitiano in exilium: et est locus remotus a frequentia hominum; et ideo magis aptus ad contemplationem. Osee ii, *Ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus.* Forte diceret aliquis. Hoc fuit propter culpam tuam. Non est verum. Sed propter verbum Dei. quod prædicabam. Et testimonium Jesu, hoc est quod de Jesu reddebam. Duplex natura Christi innuitur hic: divina cum dicit, verbum Dei. Humana cum dicit Jesu. Quid autem fecerit ibi Joannes vel quomodo fuerit ibi, subjungit, *Fui in spiritu*, id est in excessu mentis: ubi anima sopitis sensibus exterioribus, et quodammodo a corpore separata, potest elevari ad conspicienda cœlestia, *In dominica die*, quæ est tempus aptum contemplationi, quia tunc debet cessare homo ab opere exteriore et vacare orationi et contemplationi, et propter hoc instituta sunt festa *Glossa*, Solet rerum qualitas ex tempore notari. Abraham in fervore fidei, Gen. xviii, In meridie Angelos vidit Loth in perditione Sodomæ in vespere, Gen. xix, Adam post meridiem vocem audivit Domini. Salomon non servaturus sapientiam nocte suscepit, IV Regum ii. Ad significandum igitur quod Joannes omnino erat intentus contemplationi spiritualium, dicitur quod fuit in spiritu in dominica die, quando nullo modo vacaret exterioribus. Et bene per contemplationem dicitur fuisse in spiritu, quia tribu-

latio dilatat spiritum ad susceptionem spiritualium. Psalmus, *In tribulatione dilatasti mihi.* Isa. XXXIII, *Vexatio dabit intellectum.* Audi Ambrosium, Per tribulationem crassatur spiritus. Notat : ex hoc quod dicitur Joannes fuisse in spiritu in dominica die, volunt quidam asserere, quod simul uno intuitu viderit Joannes omnia ista. Sed hoc non definimus; quia, ut dicit *Glossa*, Angelus utrumque ei conferre potuit; scilicet quod simul vel successive hæc viderit. Ecce jam patent persona, locus, causa, tempus. Persona digna, locus idoneus, causa innocens, tempus conveniens. Quia quanto tempus sanctius, tanto revelationi convenientius fuit. Et quanto locus secretior, tanto contemplationi aptior. Et quanto persona dignior et causa justior, tanto Deo familiarior et divinæ visioni propinquior. Sequitur. *Et audivi*, non exteriori, sed interiori aure. *Post me vocem*, id est Angeli revelationem, quæ est sine strepitu. *Magnam*, manifestatione, vel significatione, vel quia de magnis. Et dicit, *Post me*, quia de futuris erat revelatio, *Tanquam tubæ*, quæ invitat ad bellum et vocat ad convivium, *dicentis*, vel dicentem, ut dicit *Glossa*. *Quæ vides*, jam, et visurus es postea, *Scribe in libro*, hoc materiali, quia vox transit et Scriptura manet. Vel scribe in libro cordis. Unde *Glossa*, Mente reconde. *Et mitte septem Ecclesiis,* Asiæ quibus ipse præerat; vel universali Ecclesiæ per illas septem significatæ secundum omnem statum. Nam per Ephesum significatur primitivus status Ecclesiæ. Interpretatur enim lapsus profundus, vel concilium, vel voluntas mea. Et tunc Ecclesia fuit lapsus profundus, quando omnes in passione ceciderunt. Concilium vero et voluntas Dei fuit, quando redierunt. Isa. XII, *Non vocaberis ultra derelicta et terra tua non vocabitur ultra desolata, sed vocaberis voluntas mea*, *Smyrna,* interpretatur canticum; et significat statum Ecclesiæ, quando recepto Spiritu sancto gaudebant in tribulationibus. Juxta illud Act. V, *Ibant Apostoli gaudentes. Et Pergamus,* interpretatur divisio cornuum : et significat statum Ecclesiæ, quando recepto Spiritu sancto gaudebant in divisione Apostolorum, quia tunc ventilaverunt terram cornibus. Juxta illud Psal. *Exaltabuntur cornua justi. Thyatira*, interpretatur illuminata : et significat Ecclesiam post divisionem Apostolorum, quia fuit illuminata doctrina et prædicatione eorum. Unde Psalmus, *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* I Machab. VI, *Refulsit sol in clypeos aureos et resplenduerunt montes ab eis. Sardis,* interpretatur principium pulchritudinis; et significat statum Ecclesiæ tempore confessorum, quando convictis hæreticis cœpit apparere pulchritudo Ecclesiæ in fide et conversatione sanctorum : unde Cant. IV, *Tota pulchra es amica mea etc. Philadelphia*, interpretatur servans vel salvans; et significat statum Ecclesiæ in quo servantes præcepta et doctrinam sanctorum, salvant animas suas. Juxta illud Matth. XIX, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Laodicia*, interpretatur consummata vel tribus amabilis ; et significat ultimum statum Ecclesiæ tempore antichristi; quando mundus consummabitur, et tunc electi erunt amabiles Trinitati. Juxta illud Matth. *Qui autem perseveraverit etc.* Et hoc est quod dicitur, *Mitte septem Ecclesiis per se*, *Epheso*, *Smyrnæ*, *Pergamo et Thyatiræ*, *Sardis et Philadelphiæ et Laodiciæ*, id est universali Ecclesiæ per has significatæ, ut dictum est. *Et conversus sum*, a contemplatione Dei ad memoriam subditorum. *Ut viderem et intelligerem*, *vocem quæ loquebatur mecum*, interius sine strepitu soni, ut dictum est. *Et conversus*, id est quia conversus, *Vidi septem candelabra aurea*, id est septem Ecclesias scientia lucentes et gratia pretiosas et patientia solidas, obedientia ductiles, doctrina sonoras, per septem candelabra designatas. *Glossa*, Si habeas vocem in ore et non opere, candelabrum es, sed non aureum. Es igitur candelabrum propter prædicationem verbi. Sed aureum propter fulgorem exempli. Matth. V, *Vos estis lux mundi; vos estis sal terræ.* Luc. XII, *Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit : sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant*, *Et in medio septem candelabrorum aureorum*, id est in medio Ecclesiæ, *Similem filii hominis*, id est Angelum personam Christi gerentem et in forma hominis apparentem. Juvenis non senex. Ideo dicit : *Similem filio hominis*, vel similis filii hominis. Sicut patet Joan. I, *Quasi unigeniti a Patre.* Vel dicitur similis filio hominis, propter omnes defectus humanos, quos suscepit in se, præter ignorantiam et peccatum. Hebr. IV, *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, per omnia tentatum et probatum pro simili-*

tudine absque peccato, Vestitum podere, id est sacerdotali veste, id est carne in qua se obtulit, et quotidie offertur Deo Patri se repræsentans. I Joan. II, *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Vel ideo dicitur caro Christi poderis, id est talaris, id est longa, quia quamdiu erit Deus, erit homo. Vel poderis est Ecclesia, qua vestitur Deus. Isa. LXIX. *Vivit Dominus, quia iis omnibus velut ornamentum vestieris.* Et hæc vestis protenditur usque ad talos, quia durabit usque in finem sæculi. Matth. ultimo, *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et præcinctum ad mamillas zona aurea,* id est castitate, sapientia et charitate. Et nota quod Daniel X, vidit *cinctum ad renes.* Quia vetus Testamentum carnalia opera pœnitendo restringit, novum vero etiam cogitationes. In hoc autem quod dicitur zona aurea, ostenditur quod castitas ex charitate debet esse, qualis fuit castitas prudentum virginum. Matth. XXV, *Quæ acceptis lampadibus sumpserunt oleum charitatis.* Non solum in lampadibus, scilicet in operibus, sed etiam in vasis, id est cordibus. *Caput autem ejus et capilli erant candidi tamquam lana alba et tamquam nix.* Hic describit Joannes formam sui Magistri, qui eum docebat, ut melius credatur ei qui talem Magistrum habuit. Caput inquit ejus, id est mens Christi. Et capilli, id est sancti extenuati mortificati adhærentes Christo. Candidi tamquam lana alba, et tamquam nix, id est mundi, calidi per amorem, frigidi per timorem. Lana est calida et nix est frigida. Et ideo candor sanctorum lanæ comparatur et nivi, quia debet esse conjunctus amori et timori Dei. Præterea lana alba susceptiva est omnium colorum : sic sancti omnium tribulationum pro Christo. Psalmus, *Paratum cor meum etc.* Item nix candidior omni alia creatura : unde significat gloriam immortalitatis, ad quam venitur per tolerantiam tribulationum. Luc. XXII, *Vos estis qui permansistis mecum etc. Oculi ejus velut flamma ignis,* id est respectu Domini inflammantes ad amorem et illuminantes ad cognitionem. Sap, IV, *gratia Dei et misericordia est in sanctos ejus et respectus in electos illius.* Psalm. *Oculi Domini super justos.* Vel secundum *Glossam*, Oculi Domini sunt dona Spiritus sancti. De quibus Zachar. III, *Super lapidem unum oculi septem.* Vel oculi Domini sunt spirituales viri, qui verbo et exemplo alios illuminant et inflammant ad amorem et cognitionem Dei et proximi. Matth. V, *Vos estis lux mundi.* Zachar. II, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et pedes similes aurichalco.* Per pedes intelliguntur inferiores et minores in Ecclesia qui multum distant a capillis, tamen totum corpus sustinent Ecclesiarum temporalia procurando, unde sæpe sordidantur: et ideo non auro, sed aurichalco similes dicuntur. Vel pedes Domini sunt ultimi fideles qui erunt tempore antichristi. Nam sicut aurichalcus multis concussionibus et concremationibus depuratur et meliorem accipit colorem, ita illi multitudine tribulationum depurabuntur et clariores efficientur. Sap. III, *Tamquam in fornace.* Vel aurichalco ideo comparantur et non auro, quia quamvis sint ejusdem meriti et virtutis sicut primitivi fuerunt, non tamen ita lucebunt miraculis sicut illi; et ideo meliores reputabuntur viliores. *Sicut in camino ardenti :* quasi dicat : Sancti ultimi erunt sicut aurichalcum decoctum in camino ardenti, quia multis gravibus tribulationibus affligentur. Matth. XXIV, *Erit tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Et primitiva Ecclesia fuit quasi aurum decoctum igne, sed ultima quasi aurichalcum in camino positum, quia major erit ultima persecutio. Isa. XXXI, *Dicit Dominus cujus ignis in Sion*, id est in primitiva Ecclesia, *et caminus in Jerusalem*, id est in ultima. Alia translatio habet : pedes ejus similes aurichalco Libani : per quod ostenditur quod illa tribulatio maxime fervebit in Judæa ubi Dominus fuit crucifixus : ibi enim est mons Libani. *Et vox illius tamquam vox aquarum multarum,* id est ejus prædicatio obtinet vim aquarum, quia mundat. Joan. XV, *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Et dicitur vox aquarum multarum, propter efficaciam mundationis. Vel dicitur vox aquarum multarum, quia multi populi receperunt eam, qui aquis comparantur propter fluendi facilitatem et standi difficultatem. Infra XVII, *Aquas quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes.* Vel dicitur vox aquarum multarum, id est datrix gratiarum. Act. III, *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. Et habebat in dextera sua stellas septem.* Septem stellæ sunt septem Eccle-

siarum Episcopi, id est universi prælati qui debent lucere mundo verbo et exemplo, et esse fixi in cœlo, id est in Christo per fidem et spem et amorem, et apparere parvi cum tamen sint magni. Phil. II, *Simplices filii Dei sine reprehensione: in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. Sicut luminaria verbum vitæ continentes.* Baruch. III, *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis*, id est Ecclesiis suis. Quod est contra multos qui alienis magis, quam in suis prædicant. In persona quorum dicitur Cant. II, *Posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi. Et lætatæ sunt; vocatæ sunt et dixerunt, adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate qui fecit eas.* Judith. V, *Stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Has habet Christus in dextera sua, quia ad dexteram sunt collocandi in judicio, vel quia intendunt spiritualibus qui per dexteram designantur, sicut temporalia per sinistram. Vel septem stellæ sunt septem dotes glorificandorum: quas habet Christus in dextera, quia eas dat tantum in futura vita, quæ per dexteram designatur, sicut præsens designatur per sinistram. Vel septem stellæ sunt septem dotes. Cant. VII, *Læva ejus sub capite meo etc.* Proverb. III, *Longitudo dierum in dextera ejus et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Vel ideo dicitur habere in dextera ejus quia paratus est dare. Cant. V. *Manus illius tornatiles, aureæ plenæ hyacintis*, id est donis cœlestibus. Eccles. IV, Non sit manus tua collecta ad dandum et porrecta ad accipiendum. *Et de ore ejus gladius acutus*, ex utraque parte exibat, id est prædicatio verbi. Ephes. VI, *Et gladius spiritus* quod est verbum Dei, *scindens ex utraque parte.* Quia in veteri Testamento mala opera : in novo Testamento punit etiam desideria. Vel ex utraque parte acutus dicitur hic gladius, quia dividit hominem tenentem ipsum ob amore sui et mundi. Matth. X, *Non veni pacem mittere etc.*, sed ignem : veni enim separare hominem a patre etc. Et hic gladius debet exire ex ore Christi, id est ex sacra Scriptura. Psalmus, *De medio petrarum dabunt voces.* Matth. IV, *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei.* De hoc ore dicit. Isa. XXX, *Ambulatis ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis.* Vel os Christi est prædicator qui debet habere gladium acutum ex utraque parte, quia mundus a se, et se a mundo debet separare, Sicut Paulus Galat. VI, *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* De hoc ore dicitur. Jerem. XV, *Si separaveris pretiosum a vili*, id est animam a mundo, *quasi os meum eris.* Vel gladius iste est sententia judiciaria. De quo Job XIX, *Fugite a facie gladii, quia ultor iniquitatis est gladius.* Item. Isaiæ XXVI, *Visitabit Dominus in gladio suo duro, grandi et forti.* Hic scindet ex utraque parte, quia ab electis reprobos separando percutiet in anima et in corpore : vel quia puniet eos pro omissis, et pro commissis. Matth. XIII. *Exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.* Et bene dicitur hic exire gladius, quia omnes illos feriet, quos extra Ecclesiam inveniet. Ezechiel IX, *Omnem super quem videritis Tau, ne occidatis :* quasi dicat : Omnes alios occidite. Genes. VI, Omnes qui erant extra arcam diluvio perierunt. *Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Facies Christi est clementia vel notitia vel præsentia, vel humanitas ejus glorificata, quæ soli comparatur propter excellentiam claritatis. Nulla enim creatura tam lucida est ut sol, quando lucet in virtute sua, id est in meridie in centro cœli sublatis nubibus. Tunc enim clarissimo fulgore resplendet: multo plus resplendebit Christi humanitas. Matth. XVII, *Resplenduit facies ejus sicut sol.* Immo plus centies tantum Hilarius dicit. Sed non habuit evangelista creaturam splendidiorem, cui posset comparare Christi claritatem. Hanc gloriam Christi describit nobis Joannes, ut desiderium nostrum accenderet in illam. Scimus enim quia cum apparuerit, similes ei erimus, ut dicitur I Joan. III. Et Matth. XIII, *Fulgebunt justi sicut Sol :* quod non solum de hoc sole materiali intelligitur, sed potius de illo spirituali. De quo dicitur Malach. ultimo. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ.* Phil. III, *Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Et cum vidissem etc.* Hic determinat Joannes quid accidit ei post visionem. Quia stupefactus ex visionis magnitudine, cecidit quasi mortuus. Æstimet ergo quilibet quid fecisset Joannes, si vidisset gloriam divinitatis, qui solam similitudinem glorificatæ humanitatis non potuit sustinere. Consideret etiam quan-

tum infirmatur humani cordis oculus, qui ad contemplandum gloriam factus, glorificatæ humanitatis gloriam videre non potest. Unde Gregorius : Post visam gloriam Joannes cecidit, quia mens humana quanto perfectius celestia bona cognoscit, tanto magis in se ipsa humiliatur. Quod satis bene ostenditur Esther xv, ubi legitur, quod videns regem Assuerum in solio residentem, exterrita cecidit. Gregorius, Unusquisque vir sanctus quanto altius ad contemplandam divinitatem se erexit, tanto apud se introrsum inferius cadit ; quia in comparatione Dei, ejus magnitudo, quam pervasit, facile conspicitur. Hinc est quod Abraham viso Domino, pulverem et cinerem se recognovit, ut dicitur Gen. xviii. Et Job ultimo, *Auditu auris audivi te, et nunc oculus meus videt te ; idcirco me ipsum reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Dicit ergo, *Cum vidissem eum*, id est Christum talem in tanta gloria, *Cecidi ad pedes,* præ stupore et admiratione stupefactus. Vel cecidi ad pedes ejus. *Glossa*, id est projeci curam humanitatis ad similitudinem vel timore fidelium, qui sunt pedes Christi qui pro Christo curam suorum corporum contempserunt. Vel *Cecidi ad pedes ejus*, id est indignum me arbitrans, et insufficientem contemplari divinitatem, ad inspiciendam humilitatem et benignitatem ipsius me inclinavi. *Tamquam mortuus*, id est non vere mortuus, quia non desperavi nec omnino defeci. Vel tamquam mortuus, id est mundo mortuus, et Deo vivus. Juxta illud Galat. i, *Vivo ego etc*. Coloss. iii, *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Vel tamquam mortuus, id est mortuus voluptati et superfluitati, vivens alias necessitati. Amor enim cœlestium facit hominem a terrenis mortuum. Cant. viii, *Fortis est ut mors dilectio*. Tunc autem scitur quod sit mortuus mundo et vivus Deo, quia mundus non movet membra vel sensus ejus, quando ipse nec videt nec loquitur, nec cogitat ea quæ mundi sunt. Psalmus. *Propter te mortificamur tota die.* Sed quoniam Deus semper humiles consolatur. Juxta quod dicit, Judith. viii, *Expectemus humiles consolationem ejus.* Recte sequitur, *Et posuit dexteram suam. Glossa;* id est Spiritum confortantem, id est auxilium suum super me, id est super vires meas, quia nec per se posset se levare, dicens sibi per interiorem lectionem, et nobis per Scripturam et prædicationem, *Noli timere. Glossa* : pro me pati tribulationes et mortem, nec debes. Quia *Ego sum primus*, a quo omnia, *Et novissimus*, ad quem omnia. Vel primus quia ante me non est Deus, et novissimus, quia post me non est alius, Isa. lxiii. Vel primus per creationem, et novissimus per retributionem. Vel primus quia ante sæcula natus, de Patre, et novissimus quia in fine temporis natus de matre. Vel primus inter Angelos, et novissimus inter Judæos. Isa. liii, *Desideravimus eum despectum, et novissimum virorum. Et sum vivus*, æternaliter. *Et fui mortuus*, sed resurrexi, non iterum moriturus, ut Lazarus. Roman. v, *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Ita exponit Haymo. Unde sequitur, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, id est semper : quasi dicat : Christus in Joanne et nos in eo. Ego qui talis sum, fui mortuus propter vos, et post resurrexi non amplius moriturus. Sic et vos non debetis timere mori pro me, quia similiter resurgetis victuri in sæcula sæculorum, super diabolum et membra ejus. Et ideo non patiar vos tentari vel tribulari, super id quod potestis; et ideo non debetis timere pati pro me : et habeo claves mortis et inferni, id est habeo potestatem super mortem ut jam amplius non possit vobis dominari cum surrexeritis, et super infernum, ut vos non retineat; et ibi diabolum et membra ejus perpetuo carcere claudere, ne vos amplius infestet. Scribe ergo quæ vidisti : scilicet incarnationem, passionem et resurrectionem. Et quæ sunt, id est præsentes tribulationes, et præsens auxilium, et quæ oportet fieri post hæc, scilicet ultimam persecutionem, quæ debet vos animare ad tolerantiam. Quia id quod modo sustinemus, nihil est respectu eorum. Et quia confuse dixerat ei ut scriberet visionem, determinat in parte quid debeat scribere, dicens, *Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea.* Hæc scilicet scribe : *Septem stellæ Angeli sunt*, id est Episcopi, *Septem Ecclesiarum* Asiæ vel omnium. *Et candelabra septem, septem sunt Ecclesiæ.* Hanc primam partem visionis exposuit Angelus ut ostendat in aliis similiter allegoriam esse quærendam. Totum autem noluit exponere, ne si totus esset planus liber legentibus in tædium verteretur, et a quibusdam forte contemneretur, et in-

dignis occultaretur mysterium, et bonis merendi in studio actio præstaretur. Tob. xii. *Saramentum regis abscondere bonum est ; opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est.* Nunc autem moraliter aliquid dicamus, ut affectus partem suam habeat in hoc libro, et non tantum intellectus.

Apocalypsis Jesu Christi etc. Apocalypsis interpretatur revelatio. Revelationum duo sunt genera. Nam una est carnalis revelatio, alia spiritualis. Carnalis est, quam revelat caro discipulis suis. Spiritualis, quam revelat Spiritus discipulis suis. De utraque dicitur, Matth. xvii, *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* Revelat autem caro discipulis suis, cibos exquisitos appetere, sapores novos excogitare, vina condire, diversa fercula præparare, vestium mollitiem quærere, labores fugere, quietem amare, tristitiam fugere, lætitiam eligere, et hujusmodi. Sed hæc Apocalypsis Jesu Christi non est, quia non est salutis, sed est Baal, id est ventris omnia devorantis. De quo dicitur Oseæ ix, *Omnes nequitiæ eorum in Galgal,* qui interpretatur revelatio. Spiritus sanctus quandoque revelat intellectui, quandoque affectui. Intellectus revelat intelligentiam veritatis ; affectus dulcedinem bonitatis. In prima revelat quid credendum. In secunda quid desiderandum. De prima dicit David, *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Et iterum, *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* De secunda dicitur II Corinth. iii, *Revelata facie gloriam Dei speculantes in eamdem imaginem transformamur, tamquam a Domini spiritu,* id est a cogitatione intelligentiæ, ad cognitionem experientiæ, quæ certior est, quia est per gustum. Proverb. iv, *Semita justorum quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem, quam dedit illi Deus.* Ex hoc patet quod revelatio est purum donum Dei. Jac. i, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Datum optimum est revelatio intellectus. Donum perfectum quia perfectorum est. Dan. ii, *Est Deus in cœlo revelans mysteria.* Dat autem Deus hanc revelationem quandoque mediate, per aliquam creaturam. Unde dicitur hic, *Mittens per Angelum, servo suo Joanni :* Quandoque immediate, a se ipso : et tunc lucidius videtur veritas, et dulcius sentitur Trinitas : et hæc revelatio appellatur locutio Dei. Exod. xxxii, *Loquebatur Dominus Moysi, facie ad faciem sicut solet loqui homo ad amicum suum,* scilicet sua secreta revelando, et consolando. Psalmus, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Job. iv : *Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.* Jerem. xxx, *Quis est iste, qui applicat cor suum, ut appropinquet mihi per cognitionem ?* Unum est, creaturæ cognitio vel consideratio ; aliud est superni luminis infusio. Considerans enim anima in creaturis unitatem, ordinem et speciem, venit in aliquam cognitionem Trinitatis increatæ. Sap. xiv, *A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.* Rom. i, *Invisibilia Dei,* id est Pater invisibilis, *a creatura mundi,* id est ab homine, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque virtus,* id est Filius ; *et divinitas,* id est Spiritus sanctus. Hæc visio sive cognitio, est non omnino clara : sed quando desuper infunditur lux animæ, per quam elevatur et ducitur in Deum, tunc clare videt anima. Unde Psalmus, *In lumine tuo videbimus lumen.* Et hæc revelatio, animam, cui fit, liberat a deceptionibus dæmonum, quibus anima intenta contemplationi sæpe decipitur. Psalm. : *Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante etc.* Hic tanguntur quatuor quibus dæmones infestant frequenter animas intentas contemplationi, a quibus liberat lumen veritatis infusum. Timor nocturnus est error, vel horror, quem in recessu suo solet diabolus relinquere. Dicit Gregorius, quod revelatione diaboli primo recipit anima quamdam lætitiam, et in fine habet horrorem. In revelatione autem Dei fit e contrario. Unde beata Virgo primo turbata fuit in Angeli salutatione, postea est consolata. Sagitta volans est vana gloria, ut dicit beatus Bernardus, quia velociter et suaviter intrat, sed graviter vulnerat. Hæc sæpe infestat et decipit contemplantes. Isa. i, *Vinum tuum mixtum est aqua.* Alia littera, Caupones tui miscuere aquam vino. Vinum est revelatio Dei, quæ lætificat cor. Aqua est vana gloria, quæ inflat. Aquam ergo vino miscent, qui de revelatione sibi facta inaniter gaudent. Negotium perambulans in tenebris est sollicitudo sive cura rei familiaris, cujus cogitationes orantibus et

meditantibus sæpe Diabolus immittit, ut sic retrahat a contemplatione, et subtrahat eis refectionem ejus. Unde Matth. xii, dicitur, quod cum Joannes loqueretur in domo, venit nuntius qui dixit ei : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te.* II Timoth. ii, *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Quartum et ultimum est incursus, et dæmonium meridianum, id est illusio diaboli sub specie boni, ut aliquando suggerit vigilare, jejunare, orare, plorare diu, quando videt aliquem novitium devotum, ut debilitatum et deficientem, subtrahat a Dei obsequio, vel faciat pœnitere de bono quod incepit. Ideo Dominus dicit Luc. xix, Zachæo qui super ficum fatuam ascenderat, ut eum videret : *Zachææ festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ficus fatua est indiscreta devotio, in qua quando aliquis novitius vult nimis ascendere. Dicit ei Jesus, Noli nimis ascendere, sed cito descende. Addit, Quantum potes, quia tecum volo, non solum esse, sed diu manere. Infra, *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Primo lavit nos in baptismo. De quo Ezech. xvi, *Lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te et unxi te oleo et vestivi te discoloribus.* Item lavit in prædicatione. Job. xv, *Mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Item eleemosynarum largitione. Luc. xi, *Date eleemosynam etc.* Item tribulatione. Isa. iv, *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii, et spiritu ardoris.* Tandem lavit in sanguine suo, ut hic dicitur, quem frequenter effudit pro nobis : nos quoque debemus effundere sanguinem nostrum pro Christo Domino. Primo in circumcisione, et nos debemus in confessione. Secundo in oratione, et nos debemus in oratione similiter. Tertio in flagellatione , et nos in satisfactione, vel disciplinarum susceptione. Quarto in spinarum coronatione, et nos in compunctione. Quinto in crucifixione, et nos in omni vera moderationis mortificatione. Sexto in lateris perforatione, et nos in vera cordis dilectione. Quia, ut dicitur Proverb. x, *universa delicta operit charitas.* In istis sex vicibus lavit nos in sanguine suo. Una vice lavit nos in lacrymarum effusione, quæ sunt sanguis animæ, ut dicit Augustinus, quas effudit pro nobis ter, In Lazari suscitatione, Joan. xi, In civitatis Jerusalem destructione, Luc. x. In passione sive in cruce, Heb. v : *Vade ergo et lavare septies in Jordane, et mundaberis*, IV Regnum v : *Et fecit nos regnum*, cujus ipse est rex. Eccl. x : *Beata terra cujus rex nobilis est.* Isa. xxxiii, *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos.* In hoc regno nullus est servus, sed omnes liberi. Galat. iv, *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*, id est liberos fecit. Hujus regis est bona dominatio. Psalmus, *Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus.* Item, *Laudate Dominum quoniam bonus Dominus.* Item , *Confitemini Domino quoniam bonus. Et sacerdotes.* Unde offerre debemus Deo tria sacrificia. Primo sacrificium cordis in contritione. Psalmus, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Secundo sacrificium oris in confessione et oratione. Psalm. *Sacrificium laudis honorificabit me etc.* Item, holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum. Medulla, quæ est pinguedo et robur ossium, est devotio, quæ est pinguedo et virtus orationum. Tertio sacrificium corporis in satisfactione. Psalm. : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Iterum, *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Sequitur, *Fui in spiritu in dominica die.* Sic omnes debent esse intenti in spiritualibus in festo die. Joan. iv. *Deus spiritus est, et omnes qui adorant eum, oportet adorare in spiritu et veritate.* Isa. xxvi, *In spiritu meo et in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Psal. : *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Sed dixerunt cognatio eorum simul : quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, qui litibus et ludis in die festo intendunt. Sed melius esset manibus in agro vel in vinea laborare. Isa. i, *Kalendas vestras et solemnitates vestra odivit anima mea.* Sequitur, *Audivi post me vocem magnam.* Hæc vox est vocatio Domini, quæ vocat et revocat nos fugientes ab eo. Isa. xxxii, *Aures meæ audiunt verbum post tergum monentis.* Zach. vii. *Revertere Sunamitis*, id est captiva anima, *revertere, revertere, ut intueamur te.* Quare dictum fuit revertere revertere? ut scilicet in pueritia, in juventute, in senectute, in senio. Vel quia quatuor faciunt a Deo fugere. Confidentia juventutis, ii fugiunt ad orientem. Dilatio mortis, ii ad occidentem. Amor prosperitatis, ii ad meridiem. Ti-

mor adversitatis, ii ad aquilonem. Ideo clamat Dominus, Revertere ab oriente, quia juvenis cito moritur. Revertere ab occidente, quia senex diu non vivit, et quando homo a Deo fugit, diu vivere non potest, verba sunt Senecæ. Revertere a meridie, quia prosperitas mundi *cito transit*. I Joan. II. Revertere ab aquilone, quia adversitas mundi non potest nocere nisi volenti. Magna dicitur vox quia magnus vocat et ad magna. Vocat autem quadrupliciter Dominus : prædicando, beneficia dando, inspirando, flagellando. Proverb. I, *Vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis*. Tanquam tuba, quæ vocat ad convivium spirituale, ubi anima reficitur. Isa. XXV, *Faciet Dominus in omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, videmiæ defæcatæ*. Et nota : supra dixerat, *Fui in Spiritu in dominica die*, et statim sequitur, *Et audivi post me vocem magnam :* ad innuendum quod homo parum potest quiescere in contemplatione, quin statim revocetur ad exteriora. Unde beatus Bernardus, Felix ora, sed brevis mora. Eccl. XL, *Modicum somnum tanquam nihil in requie*. Augustinus : « Intromittis me, Domine, in affectum quemdam multum inusitatum introrsum ad nescio quam dulcedinem : sed rursum resideo, et absorbeor solitis, et teneor et multum fleo : illic esse volo nec valeo, sed non volo, utrobique miser. » *Quæ vides scribe in libro*. Multa debet homo videre in contemplatione : scilicet peccata sua, supplicia inferni, gaudia paradisi, beneficia Christi, necessitates proximi et omnia scribere in libro cordis sui. Circa peccata debet homo videre quam brevis est ibi delectatio et pœna æterna. Gregorius : « Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. » Item quam vilis sit. Jerem. VII, *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas*. Item quam damnosa ; quia diminuit bona naturæ, privat bonis gratiæ, aufert bona gloriæ. Thren. II, *Egressus est a filia Sion omnis decor ejus*. Circa supplicia inferni debet videre diversitatem, acerbitatem, æternitatem. De primo Psalmus, *Ignis sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*. De secundo Matth. VIII, *Ibi erit fletus et stridor dentium*. De tertio Isa. in fine, *Ignis eorum non extinguetur etc*. Matth. XXV, *Ite in ignem æternum etc*. Circa gaudia paradisi debet videre puritatem, plenitudinem, longitudinem. De primo Proverb. XIV, *Gaudio ejus non miscetur extraneus*. De secundo Joan. XII, *Iterum videbo vos, ut gaudium vestrum non tollat a vobis*. De tertio ibidem. *Et gaudium vestrum plenum sit*. Circa beneficia Christi debet videre multitudinem, magnitudinem, gratitudinem. De primo Psalm. *Quid retribuam Domino etc*. De secundo Luc. I, *Fecit mihi magna etc*. De quarto Matth. X, *Gratis accepistis, gratis date etc*. Circa necessitates proximi debet videre quid vellet sibi fieri si esset in illo statu et quanta sit fragilitas hominis. De primo Matth. VII. *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines etc*. De secundo Job V, *Visitans speciem tuam non peccabis*, Eccles. XXXII, *Intellige ex te ipso quæ sunt proximi tui*. Item quæ vides in Christo, in mundo, in proximo tuo, scribe, id est corde tuo, *Et mitte septem Ecclesiis*. Prius vide, secundo scribe, et tandem mitte ; quia prius est studendum, postea in corde commendandum, deinde prædicandum. Eccles. XVIII, *Ante quam loquaris disce*. Alia sufficienter exposita sunt.

CAPUT II.

Et Angelo Ephesi Ecclesiæ etc. Hic incipit secunda pars libri : in qua agit auctor de septem visionibus quas sibi Angelus revelavit. Unde dividitur in septem partes juxta numerum visionum. Prima visio est de correctione Ecclesiarum ; et tenet duo capitula. Secunda est de revelatione mysteriorum, quod significatur in libri apertione ; et continet quatuor capitula. Quarta est de defectu Ecclesiæ, qui provenit ex revelatione et prædicatione mysteriorum ; et continet tria capitula. Quinta est de pœnis quas sustinent mali et boni in hoc mundo ; et continet tria capitula. Sexta est de pœnis reproborum quas sustinebunt in inferno ; et continet tria capitula. Septima est de beatitudine electorum, usque ad finem libri, et continet duo capitula : et sic in universo habet liber iste vigintiduo cap. Et in omnibus persecutiones Ecclesiæ narrantur : nisi quod in primo quasi materia totius libri prælibatur, et in ultimo cœlestis Jerusalem ædificia describuntur omnium generum lapidibus exornata. Hoc autem capitulum dividitur in

quatuor partes, in quibus scribit Joannes quatuor Ecclesiis. In prima parte scribit Ecclesiæ Ephesi, quæ inter septem Ecclesias Asiæ erat metropolis. Et ideo primo scribit ei tamquam digniori. Primo commendans Episcopum Ephesi de patientia. Secundo increpans eumdem de quibusdam; et admonet ut pœniteat et comminatur si negligat, et quod de facili possit reconciliari Domino ostenditur. Hoc totum facit auctor in prima parte hujus capituli. In secunda scribit Angelo Smyrnæ. In tertia Angelo Pergami. In quarta Angelo Thyatiræ, et sic terminatur hoc capitulum. Dicit ergo, *Et Angelo Ephesi:* quasi dicat : Non solum prædicta scribas, sed Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe, id est Archiepiscopo Ephesi. Cui primo scribit, ut correctus, ceteris fiat forma et exemplum correctionis. Sed quod dicit Apostolus ad Titum. II, *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum*, in doctrina, in integritate, in gravitate. Et dicuntur prælati Angeli. Primo propter officium ministrandi : ad ministerium sic non ad dominium assumuntur, quando præficiuntur. Unde primæ Corinth. V, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* Item I Corinth. IX, *Nam cum liber essem ex omnibus* ante prælationem, *omnium me feci servum* in susceptione prælationis; et quare? *ut omnes lucrifacerem.* Et de Angelis quidem, Hebr. I, *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Non debent ergo extolli cum ministri fuerint, sed magis humiliari. Eccle. XXXII, *Rectorem te posuerunt? noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis.* Angelus enim nomen est officii non naturæ : sic episcopus. Unde prima ad Timoth. III, *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Unde ipsi Timotheo dicitur, *Ministerium tuum imple*, II Timoth. III; et primæ Petri V, *Non dominantes in electis, sed forma facti gregis et ex animo.* Item propter vitæ puritatem; secundum illud Matth. XXII, *In regeneratione neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Luc. XX dicitur eis, *Sint lumbi vestri præcincti.* Item propter peritiam medicandi quam habent Angeli, ut patet Tob. XII. Unde episcopi debent esse medici animarum. Unde de summo episcopo dicitur I Petr. II, *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Et Luc. X, dicitur prælato, *Curam illius habe.* Prov. XII, *Qui suscipit animas*, id est curam animarum, *sapiens est.* Item propter instructionem. Dan. IV, *Egressus sum ut docerem te.* Malachiæ II, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem ex ore ejus requirunt, quia Angelus Domini exercituum est.* Item propter Dei contemplationem. Matth. XV, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Item quia orant pro nobis. Tob. XII, *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Sic prælati debent orare pro populo. Secundo Mach. ultimo, *Hic est fratrum amator et populi Israel. Hic est qui multum orat pro universa sancta civitate Jerusalem.* Valde ardenter orabat Moyses pro populo sibi commisso, Exod. XXXII : ubi dixit, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro in quo me scripsisti.* Quid autem scribat subdit dicens : hæc scilicet quæ sequuntur. Dicit, *Qui continet septem stellas in dextera sua*, id est qui septem Ecclesiarum episcopos conservat sui gratia, licet peccaverint. Et in hoc est admiranda misericordia Christi; scilicet quod peccantes conservat, fugientes revocat, negligentes increpat, torpentes excitat, lapsos erigit, ignaros instruit, devios reducit, redeuntes suscipit, susceptos custodit. Et hoc est quod dicitur : *Qui tenet septem stellas in dextera sua*, id est non deserit licet peccaverint, sed custodit, ne omnino pereant. Et hoc est quod dicit Psalm. *Si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Item tenet per rectas vias ducendo ad patriam. Unde Psalm. *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria suscepisti me.* Tenet autem eos in dextera sua, id est in potioribus bonis suis, et in spiritu et desiderio æternorum quæ per dexteram significantur. Cant. VII, *Læva ejus etc.* Vel sic. Hæc *dicit qui tenet septem stellas in dextera sua*, id est septem dona vel virtutes, vel septem dotes, paratus conferre omni volenti accipere. *Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*, id est in medio Ecclesiarum quæ designantur per candelabra, quasi bonus paterfamilias, greges et pastores visitans et uniuscujusque vitam et opus considerans et pastores vel dona quæ tenet in dextera sua, singulis dividens. Vel ideo ambulat, quia in eis quietem non inveniebat. Et nota quod Jesus dicitur jacere in medio jumentorum. Luc. XXIII, *Pendere in medio latronum.* Joan. XIX, Stare *in medio discipulorum.* Joan.

xx. Item *in medio Judæorum*. Luc. iv, Sedere *in medio doctorum*. Apoc. ii, Ambulare *in medio candelabrorum*. Hic et per extrema potes cognoscere medium. Semper enim talis est Christus ad homines quales ad ipsum. Jacet enim inter jumenta, pendet inter latrones, laborat inter malos, stat inter discipulos. Vadit quærens sed non inveniens requiem inter judæos. Sedet ut doctor inter Magistros, et ambulat cum prædicatoribus qui proprie per candelabra designantur. Quæ dicuntur aurea propter fulgorem sapientiæ, propter ductilitatem obedientiæ, propter ponderositatem gravitatis, propter pretiositatem charitatis. Deinde ostendit quæ sunt illa quæ dicit subdens, *Scio etc*. Primo commendat Joannes illum episcopum et postea increpat. Quia in quibusdam laudandus erat, in quibusdam increpandus. Sed quia multum gravatus erat persecutionibus pseudo Apostolorum, ne omnino deficeret, primo commendat eum in eis quibus erat commendandus ; et docet quod magis insistendum est commendationi quam increpationi. Commendat autem eum in septem. Primo quia bona sua indigentibus communicavit. Secundo quia se affligendo laboravit. Tertio quia in persecutione patientiam servavit. Quarto quia aperte malos non sustinuit. Quinto quia fictos diligenter probavit. Sexto quia in iis omnibus laudem hominum nec temporale commodum quæsivit, sed tantum amorem Dei. Septimo quia malorum consortium declinavit. Dicit ergo, *Scio opera*, tua, id est laudo et approbo opera misericordiæ quæ fecisti, *Et laborem tuum*, tribulationem scilicet quam sustinuisti. Nota quod est labor cordis, scilicet contritio. De quo Psalm. *Laboravi in gemitu meo*. Item est labor oris, scilicet prædicatio. De quo Psalm. *Laboravi clamans etc*. Item labor operis, scilicet corporalis exercitatio. De quo Psalm. *In labore hominum non sunt etc*. De qualibet potest accipi, quod dicitur hic, *Et laborem tuum*. De tribus dicitur Proverb. iii, *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Sequitur. *Et patientiam tuam*. Quia non murmures de flagello illato, nec de præmio dilato; quæ duo solent esse multis causa murmuris. Est autem triplex pars patientiæ. Prima est operis, malum pro malo non reddere. Secunda oris, maledicenti non remaledicere. Tertia in corde, non murmurare. Unde Job iii, *Nonne dissimulavi, nonne silui, nonne quievi?* Vera patientia est quæ et mala proximorum æquanimiter portat. Et nota quod eleganter hæc tria conjunxit, scilicet opera, laborem, patientiam, quia in iis tribus consistit bona vita. Unde Augustinus, Bene vivere est bona agere et mala pati et in iis perseverare. Sequitur, quia *Non potes sustinere malos*, in tuo consortio vel in tua diœcesi, quin corrigas vel expellas. Quia corrumpunt bonos mores colloquia prava, id est consortia prava, I Corinth. xv. Et Eccles. xiii, *Qui tangit picem coinquinabitur ab ea et communicans superbo*, induit superbiam. Sed non videtur in hoc laudandus Episcopus iste : quia dicit Augustinus : Non fuit bonus qui malos sustinere non potuit. Ergo sustinendi mali sunt, dum spectatur eorum correctio. Sed non sunt sustinendi quando alios inficiunt. Sed non sustinet quando non sunt sustinendi, quando non expectatur eorum emendatio, vel alios inficiunt. Unde ad Timoth. iii, *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devita, sciens quia subversus est qui hujusmodi est*, I Corinth. v, *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis*. Et infra, *Si is qui frater nominatur et est fornicator aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere*. Item sustinendi sunt mali amando naturam, et non sunt sustinendi odiendo malitiam *Et tentasti et probasti eos* qui se dicunt Apostolos, idest a Christo missos et non sunt. Sed se ingerunt sub nomine Apostolorum, vel ut lucrum faciant. Jerem. xxiii, *Non mittebam eos et ipsi currebant*. Rom. x, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Matth. vii, *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos*, Non missi. Tempore Joannis dum esset in exilio surrexerunt in Asia, Martiani, Cerinthus et Ebion, quorum fidem et doctrinam iste Episcopus non probavit et invenit falsitatem eorum. Et ideo commendat eum Joannes. Jerem. vi, *Probatorem dedi te in populo meo robustum, et scies et probabis viam eorum*. Sequitur, *Et invenisti eos mendaces in doctrina*. Sicut enim veritas auri probatur ex lapidis tactu, sic tribulatio veritatem justorum probat vel fictionem hypocritatum. Eccles. vi : *quasi lapidis virtus probatio erit in illis*. Et patientiam habes in malis quæ illi per se et alios tibi ingerunt, *Et sustinuisti*, idest sursum tenuisti, non depressus malis illatis, *Propter nomen*

meum, effective, idest propter nomen quod te muniverit. Aliter enim non sufficeret aliquis sustinere tribulationes, nisi nomen Dei juvaret eum. Proverb. XVI, *Turris fortissima nomen Domini, ad eum currit justus et exaltabitur*. Vel finaliter propter nomen meum, idest propter rem nominis mei, id est saltem assequendam. *Et non defecisti*, idest non succubuisti, quia non pro mundi, sed pro gloria Christi certamen inisti. Haymon. Ideo patientiam habens non succumbis, quia non pro terrena gloria, sed propter nomen Domini hæc sustines. Nota quod quidam deficiunt in principio. De quibus Job IV, *Venit super te plaga et defecisti : tetigit te Dominus et turbatus es*. Quidam in medio. De quibus Galat. III, *Sic stulti estis ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini*. Matth. VIII, *Si dimisero eos jejunos etc*. Quidam in fine viæ, id est vitæ suæ. De quibus Psalm. *Deficiunt in paupertate*, id est in senectute virtutis. Item defecerunt dies eorum in vanitate et cum festinatione, id est in fine subito. *Sed habeo adversus te pauca dicere*, vel redarguere : quasi dicat : Laudavi in te laudanda quæ erant, nunc reprehendo quæ sunt reprehendenda. *Quod charitatem tuam,* primam, id est statum tuæ primæ charitatis quando fervebas contra malos in persecutione, *reliquisti*, tependo, nimio tædio affectus : propter quod etiam prædicationem dimiserat. Sic multi cum deberent proficere ascendendo de bonoi n melius, deficiunt descendendo de alto in imum, similes statuæ Nabuchodonosor, Dan. II, *Cujus erat caput aureum, pectus argenteum, venter æneus, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam fictilis.* Vel habeo adversus te, id est adversus malos subditos tuos qui tecum sunt, pauca reprehensibilia : et sic, ut dicit Haymon, peccata subditorum ascribit prælato, quia negligens est circa correctionem eorum. Unde *Glossa :* Eli sacerdos bonus fuit; et tamen damnatus est, quia filios corrigere noluit. *Et charitatem tuam primam reliquisti*, id est subditi tui ex tua negligentia. Ecce reprehenditur et punitur prælatus propter peccata subditorum. Num. XXV. *Suspende cunctos principes tuos contra solem in patibulis, quia peccavit populus iste. Glossa* Origenis. Homines si attenderent, principatus non ambirent. *Memor esto itaque unde excideris*, id est a quo statu vel dignitate et per quid. Quia modico impulsu venti, id est modica tentatione, Isa. LXIV, *Cecidimus quasi folium universi.* In principio tanguntur tria per quæ de facili cadit homo. Fiat via illorum tenebræ et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. Nec credendum quod a gratia cecidit, quoniam istum laudavit Joannes ; sed a quodam statu fervoris, in quo prius fuerat antequam tentaretur. Tamen *interlinearis* quæ dicit de consortio fidelium, videtur velle, quod mortaliter peccaverit, quia solum mortale excidit homo de consortio fidelium. Sed sive hoc sive illud sit, quilibet peccat, et unde et ubi et per quid. Unde, quia a cœlo ubi erat spe et cogitatione et merito, Ubi, quia in terram, quia nihil cogitat nisi terrenum. Per quid, per superbiam. Isa. XIV, *Quomodo cecidisti lucifer qui mane oriebaris, corruisti in terram qui vulnerabas gentes ?* Ideo dicitur peccatori, Baruch III, *Quid est Israel quod in terra inimicorum es ? inveterasti in terra aliena : coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Jerem. II, *Vide vias tuas in convalle et scito quid feceris et age pœnitentiam dolendo corde, confitendo ore, satisfaciendo opere :* quæ sunt tres dietæ pœnitentium, revertentium ad eum et fugientium de Ægypto. Exod. V, *Deus hæbreorum vocavit nos, ut eamus trium dierum viam in solitudine.* Gen, XL. *Tres dies adhuc sunt post quos recordabitur Pharao ministerii tui et restituet te in gradum pristinum.* Per quod patet quod per veram pœnitentiam ablata restituuntur. Dicit, age pœnitentiam, non solum suscipe. Multi enim suscipiunt, sed minime faciunt: boni promissores, sed mali redditores. De quibus Eccles. XX, *Est qui in confusione promittit amico, et lucratus est tantum inimicum gratis.* Eccles. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Alii sunt qui suscipiunt et faciunt, sed non dignam, quoniam non secundum conscientiam peccatorum et vires suas. De quibus dicitur Matth. IV, *Agite dignos fructus pœnitentiæ, appropinquat enim regnum cœlorum.* Ecce pœnitentia facit appropinquare regnum cœlorum. Facit enim Angelos gaudere. Luc. XVI, *Gaudium est in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente.* Valet etiam ad recuperandam Dei amicitiam. Isa. XXXVIII, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Amara in contritione, amarior in confessione, amarissima in satisfactione. Fa-

cienda est autem instanter pœnitentia : quia nec opus ad merendum, nec ratio ad excusandum, nec scientia ad conversandum, nec sapientia ad delectandum erit apud inferos, quo tu properas. Et si non intentione tamen operatione. Et hoc est quod sequitur *et prima opera fac*, id est primis similia ; id est ita vive, ut prius. Jerem. XXXIII, *Revertetur ad dies adolescentiæ suæ*. Haymon, prima opera fac, id est redi in amore prioris viri. Oseæ II, *Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc quam nunc. Sin autem*, id est si non pœnitueris, et ad priorem statum redieris, *venio*, in morte, vel in judicio. *Tibi* id est propter te puniendum in corpore et anima, *Cito :* hoc dicit, ut celeritas et improvisio adventus, timorem et sollicitudinem incutiant. I Thess. V, *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. Et movebo* candelabrum *tuum de loco suo. Glossa*, id est auferam dona et virtutes, per quæ constituta sunt candelabra ; vel te ab Ecclesia tua separabo, et alium in loco tuo collocabo. Juxta illud, Isa. XXII, *Expellam te de statione, et de loco etc.* Vel ut dicit Haymon, Movebo candelabrum tuum de loco suo, id est de loco virtutis tuæ, et societate fidelium amovebo. Psalm. *Deus destruet te in finem, evellet te etc.* Nisi egeris pœnitentiam de peccatis tuis. Eccles. II, *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, et non in manus hominis.* Sed hoc habes bonum quia *Odisti facta Nicolaitarum.* Non ipsos sed facta eorum. Nicolaus fuit unus ex istis septem diaconibus, de quibus agitur Act. VI. Quia a fide et doctrina Christi recessit, eo quod argueretur super hoc, quod nimium zelabat uxorem suam, quæ erat valde pulchra, sicut dicit Clemens. Et ut se excusaret ab hac stultitia, respondit : Non est mihi curæ quod ipsa faciat : qui vult, utatur ea. Et ob hoc prædicavit communicandas uxores esse, et omnes mulieres ; et comestionem idolothytorum esse licitam. Prædicavit etiam hunc mundum non a Deo, sed a quibusdam principibus factum. Et hæc facta odivit iste episcopus, super quo commendat eum Joannes. Quia sicut amor boni, ita odium mali commendabile est. Unde Psal. : *Qui diligitis Dominum odite malum, quæ et ego odi :* superbiam Jacob. Interpretatur autem Nicol, populus stultus : et significat gentiles, qui stulti sunt, quia veram sapentiam, id est Christum recipere nolunt. I Corinth. I, *Prædicamus Christum crucifixum, judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Item signat hæreticos, qui licet sibi sapientes videantur, tamen apud Deum stulti sunt. De quibus Psal. *Intelligite insipientes in populo et stulti aliquando sapite.* Item significat avaros, qui de servitio suo non quæruntur nisi bona præsentia. Unde Haymon, Quid stultius esse potest, quam eo loco tota mentis anxietate pecunias recondere, quo non licet in perpetuum habitare ? et etiam si liceret, pecunia, aut in se deficeret, aut fures aut prædones auferrent, Unde Dominus, Matth. IV, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur.* Eccles. XXIX, *Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem.* Ad litteram, quidam fuit dives clericus ; et nesciens ubi absconderet thesaurum suum et denarios suos, amovit lapidem de pariete, et ibi abscondit denarios suos, et reposuit lapidem : et timens ne oblivisceretur locum, scripsit super lapidem : Hic sunt. Quidam erat socius suus sæpe legens hoc. Quadam die cum solus esset, removit lapidem, et invenit denarios et accepit eos, et postea reposuit lapidem et scripsit : Hic non sunt. Sic stultus ille fuit, de quo dicitur Luc. XII, *Hominis cujusdam divitis ager uberes fructus attulit ; et cogitabat intra se dicens, quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus ? et dixit, hoc faciam. Destruam horrea mea et majora faciam, et illic congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea, et dicam animæ meæ, Anima mea, multa habes bona posita in annos plurimos : requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Dominus : Stulte, hac nocte animam tuam a te repetam : quæ autem parasti cujus erunt? Et tu qui parasti cujus es?* Specialiter autem ii sunt clerici, vel laici cupidi, qui non habent causam cupiditatis eo quod soli sunt. Eccl. IV, *Unus est, et secundum non habet : non filium, non fratrem ;* et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis : nec cogitat, dicens, cui laboro et fraudo animam meam bonis? in hoc quoque est vanitas et afflictio pessima. *Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis :* quasi dicat, quod uni dico, omnibus dico, Matth. XVIII. Et mo-

vel hic ad intentionem : unde sensus est. *Qui habet aures*, quibus audit vocem exterius, *Audiat*, et intelligat mente interius. Vel qui habet aures ad intelligendum, audiat ad obediendum. Sed contra. Jac. I, *Estote factores verbi et non auditores tantum. Quid spiritus dicat Ecclesiis*. Quare non dicit quid Filius dicat Ecclesiis, cujus est proprie dicere? Quia ipse est sapientia Patris, et os Patris, et magister Ecclesiæ. Solutio. Potest dici, quod spiritus sumitur essentialiter, et supponit pro tota Trinitate. Joan. IV, *Spiritus est Deus*. Vel id dicit de Spiritu et non de Filio, ut per hoc innuat, quod dictio illa sive locutio, erat pure spiritualis, non corporalis. Vel ideo dicit, quia Spiritus hoc dicit et facit quod dicit et facit Filius, quia quidquid facit vel dicit Spiritus, hoc habet a Filio : et ita in dictione Spiritus includitur dictio Filii. Unde Joan. XVI, *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnia*. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet loquitur : ille me clarificabit quia de meo accipiet et annunciabit vobis. Vel ideo dicitur, Quid spiritus dicat Ecclesiis, ut per hoc innuat Joannes, quod non ipse, sed Spiritus sanctus loquitur in eo. Juxta illud Matth. X, *Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestris*. Per hoc quod dicit Ecclesiis, pluraliter, patet quod non loquitur Joannes uni soli Ecclesiæ, sed generaliter omnibus. Multi habent aures et non audiunt quid loquitur Spiritus. Isa. XLII, *Quis cæcus, nisi servus meus? et quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Psalmus, *Aures habent et non audiunt*. Alii non audiunt quia dormiunt. De quibus Eccles. XXII, *Cum dormiente loquitur, qui stulto narrat sapientiam*. Alii quia nimis sunt remoti ab eo, qui longe. Psal. *Longe a peccatoribus salus*. Alii quia aures obturant. Psal. *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas etc*. Alii, quia mortui sunt. Sapient. XIII : *Non erubescit loqui cum eo qui sine anima est*. Alii quia sunt in tumultu. Amos V, *Aufer a me tumultum carminum tuorum*. Deinde ponit Joannes quid dicat spiritus Ecclesiis. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*. Vincenti mundum, carnem, diabolum : quia mundus, caro, dæmonia diversa movent prælia. Eph. VI, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates*. Mundus vincitur fide. I Joan. V, *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra*. Joan. V, *Confidite quia ego vici mundum*. Augustinus, Qui habet veram fidem de Christo, non quærit in iis miseriis dives fieri. Caro vincitur vigilia, jejunio, et ceteris operibus disciplinæ. Eccles. XXXI, *Vigilia honestatis tabefaciet carnes*. Hieronymus, Oratione sanantur pestes mentis, jejunio pestes corporis, Diabolus vincitur sola humilitate. Psal. In humilitate nostra memor fuit nostri, et redimet nos ab inimicis nostris. Inter hostes sumus continue, et ideo semper nos oportet esse armatos, et paratos ad bellum. Ephes. VI, *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli*. Baruch. III, *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es?* Primum certamen forte est. Secundum fortius. Tertium fortissimum. Sapient. X, *Certamen forte dedit illi ut vinceret*. Vincenti ergo dabo, sic dicit spiritus, *Edere de ligno vitæ*, quod est in medio paradisi. Et quidem lignum vitæ est sacra Scriptura. Proverb. III, *Lignum vitæ est iis, qui apprehenderunt eam*. Item prædicatio devota. Proverb. IV. *Lignum vitæ, desiderium veniens*. Item pœnitentia. Proverb. XI, *Fructus justitiæ, lignum vitæ*. Item lignum vitæ est crux Christi, in qua pependit vita, id est Christus. Deuter. XXVIII, *Erit vita tua pendens ante te*. Hoc lignum, sive hæc arbor, dicitur palma, quæ habet radicem amaram, sed fructum dulcem. Cant. VII, *Ascendam in palmam et apprehendam fructus ejus*, scilicet generis humani redemptionem, captivorum liberationem, hostium dejectionem, paradisi apparitionem, mortis, scilicet inferni destructionem, vitæ reparationem. Angelicæ ruinæ restaurationem, hominis ad Domini reconciliationem, peccatorum remissionem : baptismi regenerationem, opprobriorum evacuationem, virtutum roborationem. Item lignum vitæ est ipse Christus. Psalmus, *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*. Item lignum vitæ est charitas, a qua, quasi ex stipite, exeunt rami aliarum virtutum, et omnium meritorum. Unde Gregorius : ut multi arboris rami ex una radice, sic multæ virtutes ex una charitate generantur ; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. Hæc omnia dicuntur lignum vitæ, eo quod comestoribus suis dant vitam gratiæ in præsen-

ti, et gloriæ in futuro. Unde de quolibet potest exponi, quod dicit Apoc. in fine, *Ostendit mihi flumen aquæ vivæ*, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim. Quorum primus est sanitas sine ægritudine. Psal. *Qui sanat omnes infirmitates tuas*. Isa. XXVI, *Præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, et telam quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum*. Augustinus *de Civitate Dei* : « Ibi esse nostrum non habebit offensionem. » Item in libro *Confess.* « Cum inhæsero tibi ex omnibus medullis, nusquam erit mihi labor et dolor, sed viva erit vita mea tota plena te. » Secundus est, plenitudo sine defectu. Isa. XLIX, *Non esurient neque sitient, et non percutiet eos sol, neque æstus : quia miseratio eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos*. Augustinus *de Civitate Dei* : O quanta erit ibi felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum ! Isa. LX, *Tunc videbis* (propter claritatem), *et afffues* (propter suavitatem), *et mirabitur cor tuum* (propter novitatem), *et dilatabitur cor tuum* (propter boni copiositatem). Tertius est satietas sine fastidio. Ecclesia XXIV, *Qui edunt me adhuc esurient*. Proverb. XIII, *Lignum vitæ desiderium veniens*. Quartus cognitio sine dubitatione. Cor, XIII, *Nunc cognosco ex parte*; I Thessalon. : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quintus est gaudium sine tristitia. Isa. LXV, *Non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum*. Sextus est securitas sine timore. Proverb. I, *Qui me audiet absque terrore quiescet, et abundantia fruetur terrore malorum sublato*. Isa. XXXIII, *Locus fluviorum rivi latissimi et patentes ; non transibit super eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum*. Trieris est triplex tentatio : carnis, mundi, Diaboli, quarum nulla erit ibi. Zach. II, *Absque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum et jumentorum in medio ejus, et ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu*. Septimus est pax sine tribulatione. Psal. *Delectabuntur in multitudine pacis etc*. Isa. XXXII, *Sedebit populus meus in pulchritudine etc*. Augustinus : « pax civitatis cœlestis est ordinatissima et concordissima societas perfruendi Deo, et se invicem in Deo. » Octavus est libertas sine servitute. Job. III, *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a Domino suo*. Galat. IV, *Illa quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra*. Augustinus, Cujus rex est veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas. Nonus est claritas sine obscuritate. Tob. XIII, *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Jerusalem*. Apoc. XXI, *Civitas non eget sole neque luna ut luceant in ea, quia claritas Dei illuminabit eam, et Agnus lucerna ejus est*. Decimus est pulchritudo sine deformitate. Apoc. XXI, *Plateæ civitatis aurum mundum tamquam vitrum perlucidum, singulæ portæ erunt ex singulis margaritis*. Item *nihil inquinatum intrabit in ea*. Undecimus est canticum laudis sine intermissione. Apoc. XIV, *Audivi vocem sicut cytharœdorum cytharizantium in cytharis suis. Et cantabant canticum novum ante sedem Dei, et nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra*. Isa. VI, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum : Seraphin stabant super illud et dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus excelsus, plena est omnis terra gloria ejus*. Tob. XIII, *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ ejus sternentur, et per vicos ejus alleluia cantabitur*. Psalm. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Duodecimus est vacatio a labore etc. Perfectio est amor et visio Dei. Augustinus *de Civitate Dei* : « Vacabimus et videbimus, et amabimus, et laudabimus ; ecce quid erit in fine sine fine. » Hæ sint duodecim stellæ in corona mulieris, id est Ecclesiæ. Apocal. XII. De hoc ligno dat Dominus in hac vita aliquibus aliquid prægustare ad modum vendentis vinum dicens, *Gustate et videte, quia suavis est Dominus*, Proverb. ultimo. *Gustavit et vidit quam bona est negotiatio ejus*. Sed in futura vita dabit edere. De quo dicitur Apoc. XIX, *Beati qui ad cœnam Agni vocati sunt*. Et signanter dicit dabo. Non reddam nec vendam, quia supra omne meritum est quod dabit. Isa. LXIV, *Oculus non vidit etc*. Rom. VIII, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis etc*. Item nota quod Christus Dominus ipse est cibus qui editur. Eccles. XXIV, *Qui edunt me etc*. Et editur non masticando, sed videndo. Psal. *Justi epulentur et exultent in conspectu Dei*, id est in conspiciendo Dominum. Ipsemet est cocus. Psal. *Parasti in dulcedine tua pau-*

peri Deus. Ipse etiam erit servitor. Luc. xii, *Et transiens ministrabit illis.* Item nota quod dicit, dabit de ligno vitæ. Non lignum vitæ; quia etsi totum dabit, nullus tamen totum capiet, sed quilibet secundum meritum. *Quod in paradiso.* Paradisus est Ecclesia, fidelis anima, Scriptura sacra, Virgo beatissima, cœlestis patria, claustralis vita. Natura quælibet est locus deliciarum, et in medio omnium est lignum vitæ. Sed quoniam sunt alii paradisi et loca delitiarum, habet enim caro suas delitias, et mundus suas, ideo addit, *Dei mei*, id est, quam ipse plantavit. Genes. ii, *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat etc.*

Et Angelo Smyrnæ etc. Hæc est secunda pars capituli, in qua scribit episcopo Smyrnæ, quem in multis commendat, et in nullo reprehendit; et procedit hoc ordine. Primo ponit laudes ejus. Secundo futuras tribulationes, ut minus timeantur, prædicit. Tertio movet eum ad patientiam. Quarto promittit ei præmium pro patientia. Quinto a damnatione futura securum reddit. Dicit ergo Angelus Joan. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ, sicut Angelo Ephesi, Scribe hoc quod sequitur. *Hæc dicit, primus et novissimus*, hoc est Christus, a quo omnia, et ad quem omnia. *Qui fuit mortuus* propter te, et ideo tu non debes timere mori pro ipso. I Petr. ii, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Et vivit* æternaliter. Quatuor dicit Joannes de Christo. *Primus et novissimus, mortuus, vivit. Primus* id est ante quem nullus, contra Arianos qui dicunt Christum puram creaturam. *Novissimus*, id est post quem nullus, et hoc est contra Arianos. *Mortuus*, contra Manichæos [1], qui dicunt ipsum non resurrexisse. Primo debetur honor quia creavit. Novissimo debetur timor quia judicabit. Mortuo debetur amor, quia vivificavit. Vivo debetur spes, quia resuscitabit. De duobus primis dicitur Malach. i, *Si ego pater, ubi est honor meus? et si ergo Deus, ubi est timor meus?* De aliis duobus dicitur Rom. iv, *Mortuus est propter delicta nostra, resurrexit autem propter justificationem nostram.* Et Bernardus: Supra omnia mihi te reddit amabilem, bone Jesu, opus nostræ redemptionis, calix tuæ passionis quem bibisti pro me. Sequitur, *Scio tribulationem tuam*, in qua patienter sustinendo propter me fecisti tuam : vel tuam, id est quam ex meritis tuis pateris, vel ex fragilitate humana. Unde Job. xiii, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Et paupertatem tuam*, id est tuam voluntatem habitam, quia divitias tuas pauperibus erogasti. De qua Matth. v, *Beati pauperes spiritu*, id est voluntarie. Vel tuam, id est quam habes ex te. Omnis homo nascitur et moritur pauper. Unde I Tim. vi, *Nihil intulimus in hunc mundum.* Haud dubium quia nec quid auferre possumus. Secundum hoc est suprascriptum, Scio tribulationem tuam, id est tibi illatam. Et paupertatem tuam id est innatam : quæ utraque tua est, quæ sustines patienter propter Deum. Et dicit Dominus, Scio, quia videbatur nescire quia diu permisit eum tribulari. Vel scio, id est approbo. Et tali Domino bonum est servire : qui ea fecerit vel sustinuerit pro eo, non obliviscitur, sed scit et approbat: et talis dominus solus est Jesus Christus. Propter quod dicitur I Regum vi, *Præparate corda vestra et servite illi soli.* Utrique vero scilicet tribulationi et paupertati, debetur regnum cœlorum. Matth. v, *Qui habet, dives est, licet pauper dicatur.* Prov. xxiii, *Est pauper cum in multis divitiis sit.* Ideo sequitur, *Sed dives es*, in augmento virtutis et spe remunerationis in bonis spiritualibus, licet pauper in temporalibus; dives in cœlo, licet pauper in mundo. Jeremiæ xli, *Thesaurum habemus in agro frumenti et hordei, et olei et mellis.* Per frumentum intelligimus gratiam : per hordeum patientiam, per oleum lætitiam in tribulatione, per mel dulcedinem in contemplatione. Et hic est thesaurus viri justi. Proverb. xx, *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi. Et blasphemaris*, licet talis sis, ab iis qui se dicunt esse Judæos id est confitentes Christum, et non sunt, licet dicant. Et ideo major est tribulatio quia infertur a familiaribus. Juxta illud Psalm. *Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* Et hic dicit Glossa : Nulla pestis efficacior ad nocen-

[1] Supplendum est hic, ut videtur : « contra Manichæos, qui negant humanitatem Christi. *Vivus* contra Simonem Magum et alios, qui dicunt ipsum non resurrexisse. »

dum, quam domesticus hostis. *Sed sunt synagoga Satanæ*, id est congregatio adversans bono. De hac synagoga dicitur Eccles. xxi. *Synagoga peccantium stupa collecta : et consummatio eorum, flamma ignis.* Sed quia tribulatis solet esse cumulus miseriæ, quando infamantur seu blasphemantur, ut dicit *Glossa :* Ideo additur consolatio. *Nihil horum timeas*, scilicet tribulationem, paupertatem, blasphemias, et alia quæ passurus es. Prædicitur autem futura tribulatio, ut cum venerit minus noceat. Quia, ut dicit Gregorius, Minus feriunt jacula quæ prævidentur. Et ostenditur hic nobis, quod homo se debet præmunire more militis, qui vadit ad pugnam. Unde Eccles. ii, *Accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore etc.* Bene ergo dicit : *Nihil horum timeas, quæ passurus es.* Sive paupertatem in rebus, sive tribulationes in corporalibus, sive vituperationem in fama. Matth. xx, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et Paulus Act. x, *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem me.* Et posset iste Episcopus quærere : quid, vel unde passurus sum ego? Et respondet nobis Joannes dicens, *Ecce*, id est in brevi, *Missurus est diabolus*, suggerendo, et Deo permittente. *Aliquos ex vobis in carcerem*, id est omnimodam tribulationem, ut tentemini, id est per tentationes probemini sicut aurum in igne probatur. Eccles. xxvii, *Vasa figuli probat fornax : et homines justos, tentatio tribulationis. Et habebitis diebus decem*, id est tempore decem Romanorum imperatorum, qui signantur Dan. vii, per decem cornua. Vel finitum ponitur pro infinito : id est in multis diebus sustinebitis tribulationes. Sicut Job xix, *En decies confunditis me.* Et Genes. xxxi, *Mutavit mercedem meam decem vicibus*, id est multis. Vel decem diebus, quamdiu servabitis decem mandata. Vel decem diebus, id est in omni tempore quod septem diebus agitur, et quo contra tria principalia vitia, id est luxuriam, avaritiam, vanam gloriam pugnatur. Vel decem diebus, id est omni tempore, pro fide sanctæ Trinitatis. Et nota cum loquitur episcopo, non dicit habebis, sed, habebitis. In quo notatur quod omnibus tribulatis generaliter loquitur. Eleganter etiam dicit, quod habebunt tribulationes et videbunt bona, quæ sunt in ea, et per eam. Isa. xxvi, *In tribulatione murmuris doctrina tua est :* id est tribulatio, ubi mali murmurant, boni docentur, et illuminantur. Sequitur, *Esto fidelis*, id est serva fidem : quasi dicat : Quicquid illi faciant tibi, tu semper esto fidelis, id est serva fidem seu fidelitatem, sicut uxor viro, servus domino, sicut amicus amico. Fides quam debet uxor viro est, ut nulli alii adhæreat. De qua Oseæ ii, *Sponsabo te mihi in fide.* Quam debet servus domino suo : id est ut res suas bene colligat, bene custodiat, et bene distribuat. De qua fide dicitur Luc. xii, *Quis putas est fidelis dispensator et prudens?* I Corinth. iv, *Jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Fides quam debet amicus amico est, ut omni tempore ei adhæreat, et non relinquat eum tempore necessitatis. De qua Ecclesiast. vi, *Amicus fidelis, fortis protectio ; qui invenit illum, invenit thesaurum.* Amico fideli nulla est comparatio. Et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius, usque ad mortem inclusive : quasi dicat : Etiam pro morte vitanda non dimittas fidem tuam. Eccl. iv, *Usque ad mortem certa pro justitia.* Nec erit hoc sine lucro. Unde sequitur : *Et dabo tibi coronam vitæ*, id est vitam interminabilem, vel vitam regalem. Isa. xli, *Dabo eis coronam pro cinere.* Vel coronam vitæ, id est honorem semper viventem, qualis non est corona mundi. De qua Sap. ii, *Coronemus nos rosis antequam marcescant ;* id est honore mundano, cito perituro. Isa. xxviii, *Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim et flori decidenti.* Rosæ sive flores de quibus fit corona, sunt divitiæ temporales, delitiæ carnales, honores sæculares. De quibus Jeremiæ xlviii, *Date florem Moab,* quia flos egredietur nullum ferens fructum. Hanc coronam dat mundus victoribus suis. Primam dat Christus victoribus suis. Unde II Timoth. iv, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ etc.* Tob. ii, *Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Dominus daturus est iis, qui fidem suam nunquam immutant ab eo.* Jacob i, *Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ etc.* II Timoth. ii, *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit :* qui usque ad mortem fidem servat. *Qui habet aures*, exterius, audiat interius, id est intelligat. *Quid spiritus dicat Ecclesiis.* Nota, quod diabolus dicit Genes. iii, *Ne-*

quaquam moriemini. Et iterum, eritis sicut dii scientes bonum et malum : contra illos, qui semper student scientiæ, et nunquam vitæ. Item nota, quod dicit mundus. Prov. I, *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra etc.* Item nota quod dicit caro, Sap. II, *Venite fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute, celeriter.* Isa. XXII, *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Nota quod est Ecclesia malorum. De qua Psalm. *Odivi Ecclesiam malignantium.* Item Ecclesia bonorum. De qua Matth. X, *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Item Ecclesia beatorum. De qua Psal. *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Primæ Ecclesiæ loquitur sæpe arguendo et comminando. Joan. XVI, *Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Secundæ loquitur consolando et erudiendo. Psalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quia loquetur pacem super sanctos suos.* Tertiæ loquitur facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum suum, omnia secreta sua ei revelando. Quid autem sit quod spiritus dicat Ecclesiis, subdit. *Qui vicerit* mundum, carnem, diabolum, sicut supra dictum est, non lædetur a morte secunda, id est a morte æterna. Prima mors animæ est in peccatis. Secunda in pœnis. Item mors prima corporis est, quando dissolvitur anima ab eo. Secunda quando damnabitur in inferno. Et ita duplex est mors animæ. Una in culpa, alia in gehenna. Similiter est duplex mors corporis. Una est in dissolutione, alia in æterna damnatione. Assimilatur autem prima mors animæ, primæ morti corporis in multis. Sicut enim corpus primo distemperatur, postea infirmatur, deinde moritur, postea effertur, postea sepelitur, deinde lapide operitur; ita anima, primo distemperatur, per malam cogitationem, postea infirmatur per noxiam delectationem, postea moritur per consensum, postea effertur per operis efficaciam, postea sepelitur per consuetudinem. Ad ultimum operitur per obdurationem. Item sicut mors corporis sedit in vita, ita et mors animæ. Primo enim mors corporis separat ab anima ipsum, et mors animæ separat ipsum a Deo. Isa. LIX, *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Item mors corporis separat a parentibus et amicis carnalibus : et mors animæ ab Angelis et a Sanctis. Unde I Regum XV, *Dicit Agag pinguissimus : Siccine separas amara mors.* Job XXX, *Fratres meos*, id est Angelos, *longe fecit a me, et noti mei*, id est sancti, *quasi alieni recesserunt a me, dereliquerunt me propinqui mei, et qui noverant me obliti sunt mei.* Et non solum dereliquerunt Angeli animam peccatricem, immo fiunt adversarii, et stabunt contra ipsam in judicio. Thren. I, *Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici.* Cant. I, *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Psal., *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.* Item mors corporis facit amittere divitias mundi, et mors animæ aufert divitias cœli. Thren. ult. Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. Item mors corporis privat visum corporalem, et mors animæ visum et omnem sensum spiritualem. Psal. *In æternum non videbit lumen.* Item mors corporis dolorem facit : et mors animæ majorem. Eccl. XLI, *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Præterea mors animæ lædit quia mittit in ignem æternum. Matth. XXV, *Ite maledicti in ignem æternum.* Item lædit propter pœnarum acerbitatem, diversitatem, perennitatem : quæ tria notantur in illo verbo Psal., *Tu Deus deduces eos in puteum interitus.* Diversitas cum dicit, *Deduces*, id est de pœna ad pœnam duces, ut dicit Job XXXIV. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Perennitas notatur, cum dicit, *In puteum,* unde exire non potest qui semel illic ceciderit. Item mors animæ lædit graviter, immisericorditer, insanabiliter. Unde Jerem. XXX, *Plagam nimiam pertransite castigatione crudeli.* Quid clamas ad me super contritione tua ? insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ : dura facta sunt peccata tua: feci hoc tibi. De hac læsione dicitur Paralip. IX, *Qui peccat in me, lædit animam suam.* Item Eccl. XIX, *Qui multis utitur verbis, lædit animam.* Tamen ista læsio quamdiu est anima in corpore sanabilis est : unde Sap. *Sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Sed postquam exiet a corpore, fiet insanabilis. Unde Isa. LXIII, *Ablata est messis in die hæreditatis, et dolebit graviter.* Quicumque igitur non vult lædi a secunda morte, quærat hic sanari a læsione primæ mortis, et ostendet samaritano plagas suas, qui curabit eas infundens vinum compun-

ctionis, et oleum consolationis, ut dicitur Luc. III Reg. VIII. *Si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo hæreditatis tuæ et propitiaberis.* Augustinus : « Suntne viscera christianæ miserationis in te, qui plangis corpus a quo recessit anima, et animam a qua recessit Deus, non plangis ? »

Et Angelo Pergami etc. Hæc est tertia pars capituli, in qua scribit Joannes episcopo Pergameno, primo ponens laudes ejus, secundo increpationes, tertio pœnitentiæ admonitiones, quarto comminationes, quinto præmunit circa futura. Dicit ergo, *Et Angelo* id est episcopo Pergamensis Ecclesiæ scribe, sicut aliis, *Hæc* quæ sequuntur *dicit Qui habet romphæam ex utraque parte acutam*, de quo dictum est supra, id est vidi similem filio hominis, et gladius acutus ex utraque parte exibat de ore ejus. Et signatur idem hic per romphæam quod supra per gladium ; scilicet verbum divinum, vel sententia judiciaria ; quæ dicitur acuta ex utraque parte temporis, quia scindet etiam illos, qui fuerunt ante tempus gratiæ, et illos, qui fuerunt post. Vel ex utraque parte hominis, quia scindet tam in corpore quam in anima. Vel ex utraque parte generis, quia scindet tam gentiles quam ignobiles. Vel ex utraque parte criminis, quia scindet tam carnalia, quam spiritualia peccata. Vel ex utraque parte Ecclesiæ, quia scindet tam prælatos quam subditos, tam laicos quam clericos, tam sæculares quam claustrales. Vel, ex utraque parte sexus, quia scindet tam feminas quam viros. Vel, ex utraque parte ætatis, quia scindet tam juvenes quam senes. Vel, ex utraque parte fortunæ, quia scindet tam pauperes quam divites. Breviter, romphæa illa nulli parcet. Sap. VI, *Non subtrahet personam cujusque Dominus, nec verebitur imaginem vel iniquitatem cujusque.* De hoc gladio dicitur Deuter. LII. *Si acuero ut fulgur gladium meum, et arripuerit judicium manus mea, reddam ultionem hostibus meis.* Modo non videtur gladius acutus hic : sed quando extrahetur a vagina, et incipiet percutere, tunc sentietur acumen ejus. Exod. XXI, *Gladius exacutus est, et limatus ;* ut cædat victimas, *exacutus est*, ut splendeat, *limatus est.* Exod. XV, *Evaginabo gladium meum et interficiet eos manus mea.* Vagina in qua modo latet gladius est patientia Dei, qua nos expectat : sed tunc extrahet. Ezech. V, *Nudabo gladium meum post eos.* Quos autem percussurus sit gladius iste, dicitur Deuter. XXXII, *Gladius meus devorabit carnes*, id est carnales. Item Jerem. L, *Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, et ad habitatores Babylonis*, id est ad superbos et avaros. Item Isa. I, *Si nolueritis, et me ad iracundiam provocaveritis gladius devorabit vos.* Et Chaldæi provocant iram Dei. Forte hic dicitur habere romphæam his acutam, quia de duobus malis volebat Joannes reprehendere Pergami episcopum : scilicet de doctrina Balaam, et de doctrina Nicolaitarum, qui erant in episcopatu suo. Vel ideo quia volebat redarguere negligentiam pastoris, et malitiam gregis, et punire nisi pœniterent. Sed antequam redarguat, commendat eum, ut postea patientius sustineat correctionem, et ut sciat quod correctio sua veniebat ex amore, ut det exemplum nobis. Commendat autem in duobus. Primo, quia in medio malorum fidem Christi tenuit. Secundo, quod in tempore persecutionis non cecidit. Unde dicit, *Scio ubi habitas*, scilicet in medio pravæ et perversæ nationis. Unde subdit : *Ubi sedes est Satanæ*, id est congregatio malorum, qui tibi omni bono adversantur. *Et ubi habitas et tenes nomen meum :* a quo diceris Christianus. De quo Act. IV, *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat vos salvos fieri.* Cant. I, *Oleum effusum nomen tuum*, id est Christus qui effusus est super omnes christianos. Jerem. XIV, *Tu in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos.* Istud nomen semper est tenendum, et corde per fidem, et ore per confessionem, et opere per sanctam conversationem. Sunt alia duo nomina Christi, quæ potius sunt timenda quam tenenda : scilicet Magister et Dominus. De quibus Joan. XVI, *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim.* Ista nomina multi volunt sibi usurpare, cum tamen sint ejus propria nomina, ut nulli velit communicare. Unde Exod. VI, *Nomen meum Adonai non indicavi eis*, quod interpretatur Dominus. Item Matth. XXIV, *Nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester, vos autem fratres estis.* Exod. XX, *Non accipies nomen Dei tui in vanum.* Sequitur, *Et non negasti fidem meam*, pro aliqua tribulatione ; sed potius confessus es ore, quam tenebas in corde. Rom, X, *Corde creditur ad justitiam, ore*

autem confessio fit ad salutem. Vel fidem meam quam tenebas corde, non negasti opere, sicut multi. Ad Titum I, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Ut ille de quibus ad Titum V, *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt : habentes damnationem, quia fidem primam irritam fecerunt.* Et in eodem : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Et in diebus illis Antiphas testis meus fidelis*, quasi dicat : in diebus illis Antiphas occisus fuit pro fide Christi, quam tenebat, non negasti fidem. Et in hoc apparet quod laudandus est ille episcopus, qui non negavit fidem pro qua videbat alios occidi. Fuit autem Antiphas quidam christianus ab infidelibus qui erant Pergami propter nomen Christi interfectus, qui proponitur in exemplum episcopo ad imitandum. Item ad se humiliandum : ne scilicet superbiret quia steterat : quia plus fecerat ille, qui propter nomen Christi sustinuerat mortem. Item ad ipsius commendationem qui pro Christo mortem sustinuit, Antiphas dico testis meus fidelis, id est pro me martyrizatur. Martyr enim græce, testis latine. Qui occisus est apud vos, id est inter vos; et ideo ejus exemplo debetis roborari. Et non est mirum si occisus est inter vos, quia multi sunt mali ibi. Unde sequitur, *Ubi sedes est satanæ*, id est ubi est synagoga malorum, in quibus diabolus sedet et quiescit. Secundum quod dicitur Job XLI, *Sub umbra dormit in secreto thalami in locis humentibus*, id est in malis quæ dicuntur umbra propter fluxibilitatem. Nota multiplex martyrium. Primum est in sanguinis effusione, sicut Stephanus, Laurentius, Mauritius. Secundum in carnis maceratione, sicut Hieronymus, Augustinus, Gregorius. Tertium in Christi compassione, sicut beatus Dominicus, sanctus Franciscus, beatus Nicolaus. Quartum parcitas in ubertate, sicut Job et David. Quintum largitas in paupertate, sicut Tobia. Sextum castitas in juventute sicut Joseph et Daniel. Septimum in bona operatione, sicut quilibet justus. Joan. V, *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Octavum in prædicatione, sicut omnes prædicatores. Act. I, *Et eritis mihi testes in Jerusalem.* De omnibus istis dicitur Isa. XLIII, *Vos testes mei, dicit Dominus.* Aut testis fidelis Antiphas, quia usque ad mortem in suo testimonio perseveraverit : unde supra I, *Esto fidelis usque ad mortem.* Item dicitur quia quod corde credidit ore prædicavit et opere adimplevit ; et tali testi debet credi. Quia in ore duorum vel trium testium, stat omne verbum, ut dicitur Deuteronomii XIX. *Falsus testis est, qui aliud facit et aliud dicit.* De quo Proverb. XIX, *Falsus testis non erit impunitus. Sed habeo etc.* Posita commendatione Pergameni episcopi, ponit Joannes ejus increpationem, ut quod boni erat in eo non posset ex mali admixtione amitti, et ne ex prædicta commendatione posset inaniter extolli : quasi dicat : Multa habes bona ut dixi : *Sed habeo adversum te pauca.* Si corrigas, ut dicit *Glossa :* Si non corrigas, multa. Et quæ sunt illa determinat, *Quia habes illic*, scilicet in episcopatu tuo, *Tenentes doctrinam Balaam*, quibus parcis et non expellis. Qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel. Unde Num. XXIV, *Dixit Balaam ad Balac* : *Pergens ad populum meum, dabo tibi consilium.* Non tamen legitur ibi de consilio, nec alibi, sed per effectum sequentem patuit. Videns enim Balaam Judæos promptos ad luxuriam et idololatriam, consuluit Balac, ut pulchras mulieres adduceret et poneret coram filiis Israel, quarum pulchritudine ruerent in amplexus earum, et blanditiis deliniti comederent de sacrificiis Phegor, sive Beelphegor, et sic a Deo derelicti, caderent coram eo. Hæc fiebant in Pergamo, quia multi erant dediti ibi gulæ et luxuriæ. Unde ostendit quod fuit illud scandalum, scilicet *Edere de sacrificio idolorum et fornicari.* Et bene conjunguntur hæc duo, scilicet edere et fornicari, quia unum sequitur aliud. Unde Hieronymus : « Venter mero æstuans cito descendit in libidinem. » Item vicina sunt venter et genitalia, et pro vicinitate membrorum sequitur confœderatio vitiorum. Sapient. II, *Vino pretioso et unguentis nos impleamus :* et statim sequitur. *Nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra.* Ad literam, Filii Israel propter pulchritudinem mulierum fuerunt decepti, sicut hodie multi decipiuntur ; propter quod dicit Eccles. IX, *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt : colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Mystice Balaam interpretatur populus vanus, et significat hæreticos. Balac interpretatur elidens, et significat princeps sæcularis. Balaam ergo docet Balac decipere filios Israel, id

est docent principes sæculares subvertere christianos. Item Balaam interpretatur Vorator, unde significat ventrem. Doctrinam igitur Balaam tenent multi qui ad nil student nisi comestioni et potationi. De quibus dicitur Proverb. XXIII, *Cui væ, cujus patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum, nonne iis qui demorantur in vino et student calicibus epotandis?* Hæc doctrina contraria est doctrinæ Apostoli. Rom. XIII, *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis.* Item Balaam vorator est diabolus qui devorat peccatorem, nec facit de ipso nisi duos morsellos : unum de corpore et alium de anima. Unde bene dicitur diabolus duos bolos habens, id est duos morsellos. Jerem. LI, *Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis.* Doctrinam hujus tenent mali prælati, qui per exactionem, substantiam auferunt, et sic devorant corpus, et per malam conversationem animam subditorum malo exemplo occidunt. De primo dicit Psalm. *Qui devorant plebem meam etc.* Ezech. XIX, *Factus est leo et didicit prædam capere et homines devorare.* De secundo dicitur Oseæ IV, *Peccata populi*, id est oblata pro peccatis populi, *comedent, et ad iniquitatem sublevabunt animas eorum malo exemplo.* Et Mich. III, *Audite principes Jacob et duces domus Israel qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos et carnes eorum desuper ossibus eorum.* Sequitur, *Similiter habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Nam isti uxores suas omnibus et omnes alias communicandas docebant et licitum esse plures habere. Horum doctrinam habent viri qui superbo et superfluo habitu ornant uxores suas; sic enim docent eas fornicari et aliis communicant : quando enim bene ornantur, libentius considerantur et ardentius desiderantur et sæpius sollicitantur et facilius decipiuntur. Sic decepti sunt senes presbyteri respicientes Susannam, Dan. XIII; et de Bersabeæ, II Reg. XI. Et Thren. IV, *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Hujus doctrinæ malæ sunt, nec sunt de schola Domini : unde Hebr. ult. *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci.* Jac. III, *Non est sapientia ista de sursum descendens*, sed terrena animalis et diabolica : terrena in cupidis, animalis in luxuriosis, diabolica in ambitiosis. Bernardus : « Sapiens est qui relinquit præterita tamquam mala, contemnit præsentia tamquam vana, futura desiderat tamquam bona. » *Similiter age pœnitentiam* de isto peccato, sicut de illo : quasi dicat : Moneo te, ut de isto et de illo peccato agas pœnitentiam per justitiam puniendo præterita ; per temperantiam, reprimendo præsentia ; per prudentiam cavendo futura ; per fortitudinem perseverando in bona vita inchoata. Hæc enim quatuor sunt in vera pœnitentia. Propter quod de istis dicitur Sap. VIII, *Sobrietatem et patientiam et justitiam et veritatem docet*: quibus utilius nil est in vita hominibus. *Si quo minus*, id est si in aliquo fueris minus fortis quam debeas, *Veniam tibi*, id est contra te qui non corrigis illos, *Cito*, id est in morte vel in judicio, quod erit cito. Quia omne tempus breve est. Joel III, *Velociter* (vel cito) *reddam vicissitudinem super caput vestrum. Et pugnabo cum illis*, id est contra illos, *In gladio oris mei*, id est sententia judiciaria convincens illos fornicarios, separans a consortio bonorum et secans in corpore eos et in anima. Tunc nemo poterit fugere, quia peribit fuga a veloce, ut dicitur Amos II. Nec mirum si tunc vincentur peccatores, quia fortis et potens est qui pugnabit contra eos. Luc. XXII, *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.* Nec inermis Dominus, immo armatus veniet. Sap. V, *Induet pro thorace justitiam et accipiet pro galea judicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem, acuet autem duram iram in lanceam.* Item non veniet solus, immo multos habebit adjutores, et miser peccator destitutus erit Dei auxilio. Unde in eodem : *armabit creaturam ad ultionem inimicorum, pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Omnis enim creatura accusabit peccatores qui eis abusi sunt. Unde Gregorius : « Quam augustæ viæ erunt reprobis in judicio ! Desuper erit judex iratus, subtus patens chaos inferni, a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia : intus erit conscientia mordens, exterius mundus ardens ; miser peccator sic deprehensus quid faciet ? fugere non poterit, latere erit impossibile, apparere intolerabile. » Si quæris quis te accusat ? totus mundus. Nam offenso creatore, omnis creatura perditum odio habet. Ideo charissimi, antequam accedamus ad campum certaminis, faciamus

pacem cum Domino, sicut ipse monet Luc. XIV, *Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?* Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt. *Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.* Hoc jam expositum est; et frequenter ponitur in hoc libro, ut excitetur attentio subditorum auditorum, *Vincenti dabo manna absconditum.* Hoc dupliciter potest exponi : scilicet vel de dulcedine interna quæ dabitur sanctis in hac vita; vel de dulcedine externa quæ dabitur sanctis in futura vita. Utraque tanta est, ut omnis qui sentit dicat, Quid est hoc? Et utraque abscondita est, quia parum et paucis datur sentire aliquid de ipsa. Unde Psalm. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine etc.* Isa. LXIV, *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti iis qui expectant te.* Et bene per manna significatur dulcedo contemplationis propter saporis suavitatem. Psalm. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo*, id est qui totam spem suam figit in eo; quia tali datur sentire suavitatem Dei, quæ quantumcumque modicum sentiatur, miratur anima, ut merito dicatur. Manu, quid est hoc? Eccles. XXIV, *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum.* Sap. XII, *O quam bonus et quantum suavis est Domine spiritus tuus in nobis!* Quidam inveniunt Deum tantum dulcem in oratione. Quidam tantum in lectione. Quidam tantum in celebratione. Quidam in prædicatione. Sed perfecti alii inveniunt eum dulcem et suavem in omnibus, et in jejuniis et disciplinis, et etiam in infirmitate et paupertate, secundum illud Eccles. XXIV, *In omnibus requiem quæsivi* ad modum apis, quæ fere ex omni flore extrahit mel. Unde Dominus dicit de talibus. *Circumdederunt me sicut apes, et exarserunt sicut ignis in spinis;* quia quanto plus anima sentit de Deo, tanto amplius ardet in eo. Unde Eccles. XXIV, *Qui edunt me, adhuc esurient etc.* Item de manna dicitur Sap. XVI, *Manna quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat.* Ignis enim purum mentis desiderium est, juxta illud Lucæ, *Ignem veni mittere in terra etc.* Et hic ignis non potest vincere manna, sed vincitur; quia nullus potest comprehendere internam dulcedinem quantumcumque sit accensum ejus desiderium. Ut merito dicat Psalm. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Et iterum, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Quasi dicat : Ex hoc scio quod tabernacula tua, id est mansiones tuæ domus sunt amabiles et desiderabiles : quia ego qui adhuc sum foris in atrio, nondum intus in templo, tam vehementer concupisco morari hic juxta; sed concupiscendo deficio, non valens comprehendere quod est ibi. Unde alibi exclamat, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Si hoc modicum dulcedinis tuæ quam das in atrio non possum capere, quis capiet illud totum quod est in templo? Per solem vero signatur Christus. Malach. ult. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus.* Quod igitur ignis non potest consumere, exiguo radio solis calefactum tabescit; quia adveniente desuper modico divinæ lucis radio, incenditur et liquefit cor humanum, ut usque ad comprehensionem cælestium sublevetur. Unde Bernardus, Sæpe ad orationis studium accedimus corde tepido et pectore sicco; et tanta repente infunditur gratia quod pinguescat, pectus replet intima inundatio pietatis. Item manna minimum erat ad modum seminis coriandri, et dulcedo mentis quæ hic conceditur viris sanctis modica est respectu dulcedinis æternæ quæ dabitur in futuro. Item erat quasi pilo tusum, quia dulcedo mentis sæpe provenit ex tribulatione, ut patet in Stephano : de quo cantatur, Lapides torrentis dulcis illi fuerunt. Et Deuteronomii XXXII, *Ut sugeret mel de petra etc.* Item Psalm. *De petra melle saturavit eos.* Item manna albi coloris erat et frigidæ naturæ; et sole veniente, statim liquefiebat. Sic hujus suavitas, mentem facit albam et pulchram : unde Cant. VII, *Quam pulchra es et quam decora carissima in deliciis?* Item frigidam facit quia amorem mundi retrahit : unde Job X, *Tædet animam meam vitæ meæ.* Item sole veniente liquescit, quia hæc suavitas, veniente lætitia vel dulcedine mundana deficit. Unde Bernardus : « Delicata est divina consolatio nec conceditur admittentibus alienam. » Item de manna dicitur, Exod. XVI, *Egrediatur populus et colligat quod sufficit per singulos dies.* Sic qui vult hanc suavitatem, debet egre-

di de mundo ad cœlum, de carne ad spiritum, de se in Deum, et tunc inveniet manna. Joel III, *Stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lac et mel.* Tres montes sunt : spiritus, cœlum et Deus. Et in iis debet homo colligere manna contemplando singula eorum bona ; et debet colligere per singulos dies, quia quolibet die debet vacare orationi et meditationi. Debet autem colligere quantum sufficit. Quidam enim parum colligunt, quia parum orant et parum meditantur. Alii nimis. Ideo dicitur Proverb. XXV, *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.* Locus autem ubi invenitur manna est solitudo. Osee. *Ducam eam in solitudinem et ibi loquar ad cor ejus.* Non autem invenitur in civitate. *Deus ego et non homo in medio tui sanctus, et non ingrediar civitatem.* Item mane inveniebatur : mane frequenter in oratione datur devotio. Psalm. *Mane astabo tibi et videbo.* Proverb. VIII, *Qui mane vigilaverint ad me, invenient me.* Item datur egressis de Ægypto, et devotio egressis de peccato : unde hic dicitur, Vincenti dabo manna absconditum. Nemo enim mittit *vinum novum in utres veteres*, Matth. IX. Vel manna dicitur absconditum, quia devotio parum vel nihil datur sapientibus mundi. Matth. XI, *Confiteor tibi Pater etc.* Prov. III, *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Vel absconditum dicitur, quia bona spiritualia debent abscondi ne perdantur. Matth. XIII. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Ibi Gregorius, Inventus thesaurus absconditur ut servetur : quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit qui ab humanis laudibus non abscondit. Et postea : deprædari desiderat, qui thesaurum in via publice portat. Exemplum de Ezech. Isa. XXXIX. *Et dabo ei calculum*, id est corpus glorificatum. Calculus enim lucidus est, in quo significatur claritas. Item solidus, in quo impassibilitas. Item modicus, in quo simplicitas. Item rotundus, in quo agilitas. Et in calculo, id est in tali corpore, *Nomen novum,* id est nomen filii, vel amici non servi, quod est nomen vetus. Joan. XV, *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid facit dominus ejus.* Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. Scriptum namque est quia ex gloria corporis apparebit quod sunt amici vel filii regis qui sic vestiti erunt. I Joan. III, *Carissimi, filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus.* Scimus autem quod cum apparuerit, similes ei erimus. Quod nemo scit perfecte nisi quod accipit, id est donec acceperit. In hac enim vita nemo potest perfecte scire gloriam corporis glorificati. Isa. LXIV, *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Sequitur.

Et Angelo Thyatiræ scribe etc. Hæc est quarta pars capituli, in qua Joannes scribit episcopo Thyatiræ. Primo commendat eum in septem : in operum brevitate, in fidei firmitate, in charitatis fervore, in ministerii adimpletione, in patientia tribulationum, in profectu virtutum. Secundo increpat eum. Tertio comminatur Jezabel et discipulis ejus. Quarto bonos qui sunt Thyatiræ, consolatur promittens eis multa bona. Dicit ergo, *Et Angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe*, sicut aliis, *Hæc dicit Filius Dei*, qui prædictus est simul filius hominis et nunc Filius Dei, ut ostendat quod idem et unus est filius Dei et filius hominis. *Qui habet oculos tamquam flammam ignis*, id est claros et penetrativos : quod dicit Joan. ut terreat malos, qui erant Thyatiræ, quorum peccata vidit Filius Dei, qui eos judicabit. Eccles. XXIII, *Oculi Domini lucidiores multo plus super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* In quatuor dicitur oculus Domini excedere solem. Sol enim tantum corporalia videt seu illuminat : Deus corporalia videt et spiritualia. Item sol tantum præsentia ; Deus præsentia, præterita, et futura. Item sol tantum superiora, et exteriora : Deus interiora, et inferiora. Item sol tantum ea, quæ in mundo sunt sub sole : Deus autem etiam quæ sunt in cœlo supra solem. Proverb. XVI, *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos.* Heb. IV, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus ad quem nobis sermo. Et pedes ejus similes aurichalco*, id est pedes habet agiles : quasi dicat Joan. Dominus videt omnia peccata nostra, et cito veniet ad judicium. Vel oculi Domini sunt doctores et prælati, qui toto corpore vident. De quibus dicitur Cant. *Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum, quæ lacte sunt lotæ : resident juxta fluenta plenissima.* Item pedes ejus sunt prædicatores, ut dicit Haymon. Qui Christum per totum mundum prædicaverunt et portaverunt. De quibus dicitur Isa. LII. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et præ-*

dicentis pacem! Oculi flammæ ignis comparantur, quia prædicatores et prælati debent esse in se lucidi per munditiam, per scientiam, per bonam famam, et fervidi per zelum et charitatem. Et alios debent illuminare ad Dei cognitionem verbo prædicationis, et inflammare ad amorem exemplo bonæ conversationis. Debent etiam tam in se quam in aliis rubiginem peccatorum consumere : et paleas terrenæ cupiditatis comburere. Jo. v. *Joannes erat lucerna ardens et lucens.* Eccles. XLVIII, *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Pedes vero comparantur aurichalco, qui quanto plus igne comburitur tanto clarius efficitur. Quia peccatores tales debent esse, quos tribulatio faciat meliores, juxta illud Eccles. II, *In igne probatur aurum et argentum : et homines receptibiles, in camino tribulationis.* Vel, oculi Domini sunt prælati, propter loci sublimitatem. Pedes sunt subditi, propter inferioritatem. Item, Oculi totum corpus regunt : sic prælati Ecclesiam. Job XIX, *Oculus fui cæco.* Proverb. IV, *Oculi tui videant recta.* Item oculi debent esse clari exempli ostensione. Matth. V, *Sic luceat lux vestra.* Item oculi non patiuntur in se pulverem, nec prælati terrenum amorem. Philipp. II, *Sitis simplices filii Dei, sine reprehensione.* Matth. X, *Excutite pulverem pedum vestrorum.* Item oculi sunt tenerrimi, et prælati per compassionem. II Cor. XI, *Quis infirmatur et ego non infirmor?* II Regum XIII, David sedens in cathedra sapientissimus inter tres ; *ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Item duo sunt oculi, et prælati debent esse gemini, per dilectionem Dei et proximi. Luc. X, *Misit eos binos ante faciem suam.* Item oculi delectantur in pulchritudine, et prælati libenter vident bona aliorum, et delectantur in eis. Eccles. XL, *Gratiam et speciem desiderat oculus, et super hæc virides sanctiones.* Item oculi abominantur turpia, et sic prælati. Psal. *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum.* Item, Oculi ægri reparantur panni serici abstersione : et prælati, passionis Dominicæ consideratione. Heb. XII, *Recogitate eum qui talem adversus semetipsum sustinuit a peccatoribus contradictionem, ut non fatigemini animis nostris deficientes.* Item reparantur oculi, fellis lenitione, Tob. XII. Et prælati æternæ damnationis recordatione, Infra III, *Inunge oculos tuos collyrio ut videas.* Item purgantur sanguinis diminutione : et prælati peccatorum confessione, vel nepotum vel parentum carnalium amissione. Psal. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero etc.* Minui volebat David cum dicebat : *Libera me de sanguinibus etc.* Item læduntur oculi albugine, id est ambitione, Tob. XI. Item tenebris ignorantiæ ut Ægypti, Exod. XIX. Item stercore avaritiæ, ut Tob. II. Item nimio lumine, id est aliena felicitate ; ii sunt invidi, qui non possunt videre bona aliorum. I Reg, III, Non poterat Heli videre lucernam Domini donec extingueretur. Item fumo superbiæ, Eccles. XXIX, *In te ignem camini, vapor et fumus ignis.* Item igne iracundiæ. Psal. *Supercecidit ignis et non viderunt solem.* Item vitio vesicæ, id est castrimargiæ. Proverb. XXIII, *Cui suffossio oculorum etc.* Item nimio fletu. Jer. *Et palpebræ meæ caligaverunt.* Item senio, id est mala consuetudine. Genes. XXVIII, *Senuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat.* Item vento inanis gloriæ : unde canonica Judæ, *Nubes sine aqua, quæ a vento circumferuntur.* Sequitur, *Novi opera tua,* id est approbavi, etiam charitatem in proximum, et fidem charitas, et ex charitate opera. Sed ideo præponit opera, quia operibus fides cognoscitur, et charitas : unde Matth. VI, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Et ministerium in eleemosynarum largitione, et pauperum relevatione, quibus de suis facultatibus libenter et largiter erogabat. Ergo ministerium episcoporum est de suis facultatibus pauperibus subvenire : verum, vanum est, et quicquid ipsi sibi thesaurizant, vel parentibus non indigentibus tribuunt, vel in usus superfluos expendunt, vel joculationibus conferunt : hoc totum furantur et subtrahunt pauperibus, unde Isa. III, *Rapina pauperum in domo vestra est.* Ibi *Glossa:* Principes quoque vestri, cum pauperes peccantes publicæ arguant et confundant, divitibus pejora peccantibus nec nutum faciunt, in quorum domo rapina pauperum est, dum opes Ecclesiæ sibi reservant, et in deliciis abutuntur, et quæ dantur ad sustentationem pauperum sibi thesaurizant, vel suis distribuunt : et aliorum inopias, suas vel suorum divitias faciunt. Et bene post charitatem ponitur ministerium, quia charitas monet ad tale ministerium. I Jo. III, *Qui habuerit substantiam hujus mundi etc. Et patientiam*

tuam, quia patientia ex præmissis surgit. Diabolus enim qui invidet omni bono, semper movet persecutionem bonis, ut sic faciat quiescere a bonis. II Tim. III, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Et opera tua novissima plura prioribus.* Hic commendat eum a profectu virtutun, quia iste in tribulationibus non cessavit bona facere, immo plura fecit. Vel sic. Novi opera tua quæ facis, meritum tibi acquirendo, et alios exemplo tuo provocando. Matth. v, *Sic luceat lux vestra etc. Et fidem tuam*, idest fidelitatem tuam, talenta tibi commissa fideliter dispensando. Luc. XII, *Quis putas est fidelis dispensator? Et charitatem*, animam pro subditis exponendo. Joan. x, *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et ministerium*, aliis serviendo non dominando. I Cor. IV, *Sic nos existimet homo etc.* II Tim. IV, *Ministerium tuum imple : opus fac Evangelistæ.* I Petr. IV, *Unusquisque sicut accepit gratiam illam administrantes, sicut dispensatores multiformis gratiæ Dei. Et patientiam tuam*, malos sufferendo et præmium expectando. Psal. *Expecta Dominum et viriliter age etc.* Flagellantem scilicet et præmia differentem. Sunt autem duodecim gradus patientiæ per quos ascenditur ad patientiam Christi. Primus est malo non resistere. Matth. v, *Ego autem dico vobis non resistere malo.* Secundus, malum pro malo non reddere. Rom. XII, *Nulli malum pro malo reddere.* Tertius est, non male respondere. Prov. XXVI, *Non respondeas stulto juxta stultitiam suam ne similis ei efficiaris.* Quartus est inimicum diligere. Quintus est malefacientibus benefacere. De iis duobus dicitur Matth. v, *Diligite inimicos vestros; benefacite iis, qui oderunt vos.* Sextus est contra flagella non murmurare. I Cor. x. *Neque murmuraveritis sicut quidam ex eis murmuraverunt*, et perierunt ab exterminatore. Septimus est libenter flagella et quælibet adversa sustinere. Octavus de flagellis gaudere. De iis duobus dicitur II Cor. XII, *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis etc.* Jacob. I *Omne gaudium etc.* Nonus est tribulationem dulcem reputare. Deut. XXXIII, *Inundationes maris quasi lac suget.* Decimus est de tribulationibus gratias referre sicut post cibum. I Thess. IV, *In omnibus gratias agentes.* Undecimus est se ad alia sustinendo parare. Psal. *Ego in flagella paratus sum.* Matth. v. *Si quis percusserit te etc.* Duodecimus est in flagellis dolorem non sentire, Proverb. XXIII. *Vulneraverunt me, et non dolui: traxerunt me, et non sensi.* Sequitur, *Et opera tua novissima plura prioribus.* Proverb. IV, *Semita justorum quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Ecces. XI, *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua.* Gal. VI, *Operemur bonum ad omnes, non deficientes etc.* Sequitur. *Sed habeo adversus te pauca in quibus reprehensibilis es quia permittis.* Non excommunicas dicit *Glossa*, *Mulierem Jezabel*, quæ se dicit prophetam, id est secreta et occulta videntem ut melius crederetur ei, vel prophetam, id est divinam, quæ futura dicebat. *Docere*, contra Apostolum, I Corinth. XIV, ubi dicitur: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittimus eis loqui:* vel I Tim. II, *Docere mulieri non permitto.* Et ideo peccabat iste Episcopus, quia permittebat, ut non crederet quis quod Jezabel doceret bona. Sequitur, *Et seducere servos meos*, per doctrinam suam. Et in quo seducebat, et qualia dicebat ostendit subdens, *Fornicari cum dæmonibus*, vel cum mulieribus, vel cum rebus mundanis. Quadrupliciter dicitur fornicatio, ut habetur in *Glossa*. Prima est in corde Matth. v, *Qui viderit mulierem etc.* Secunda in corpore. I Cor. VI, *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Tertia in amore terrenorum. Quarta in cultu idolorum. Ephes. v, *Avaritia, quod est idolorum servitus*, et manducare de idolothytis, id est de rebus immolatis et oblatis idolis, in veneratione eorum. Dicitur quod hæc Jezabel fuit uxor ipsius episcopi, quæ ad comessationes, fornicationes, et idolothytum multos trahebat verbo et exemplo. Alii dicunt quod loquitur de illa Jezabel, quæ fuit uxor Achab, regis Israel, quæ depinxit oculos suos stibio, et ornabat se ut meretrix, ut legitur IV Regum IX. Non quod tunc temporis esset Joannes: sed aliquæ erant vestigia ejus sequentes. Interpretatur enim Jezabel fluxus sanguinis, vel sterquilinium, vel nix: et significat stultas mulieres, quarum pulchritudo tota est luxus exterius, quæ peccato luxuriæ fluunt, et sicut nix super sterquilinium cito evanescit, et apparet turpitudo sterquilinii: sic pulchritudo stultæ mulieris cito transit, et tunc apparet turpitudo ejus. Unde Proverb. XXX, *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.* Propter hoc dicit

Philosophus : Utinam inspiciendo mulieres aut lynceos oculos haberemus, aut nullos ! Et bene sterquilinium intelligitur stulta mulier, quia fœtet sicut sterquilinium, et sicut sterquilinium, ab hominibus, qui volunt, calcatur. Unde Eccles. IX, *Mulier fornicaria sicut stercus in via, ab hominibus prætereuntibus conculcabitur.* Hæc Jezabel fecit aram Baal, id est ventri. Hæc populus Domini occidit. Hæc vineam Naboth in hortum olerum commutavit, id est pœnitentiam in lasciviam. Item mulier sanguinea non de facili curatur, neque a peccato luxuriæ mulier de facili corrigitur. Oseæ V, *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur.* Spiritus enim fornicationum in medio eorum. Sequitur, *Et dedi illi tempus.* Licet talis esset ut pœnitentiam ageret de peccato suo. Ecce magna misericordia Domini, qui neminem vult perire. Eccl. XVIII, *Et quare moriemini domus Israel? dicit Dominus: convertimini et venite* *Et non vult pœnitere* a fornicatione sua quadruplici, ut dictum est. In quo patet major ejus culpa, et Dei patientia, qui aliquando dat audaciam peccandi. Eccles. VIII, *Quia non cito profert sententiam contra peccatores, ideo filii hominum absque timore ullo perpetrant mala.* Et nota quod dicit, *Dedi tempus.* Modo tempus nostrum est, quod possumus facere quod volumus, sive bonum sive malum. Reliquit enim Deus hominem in manu consilii sui : et ita ante hominem vita et mors, bonum et malum ; quod voluerit dabitur ei. Sed aliquando accipiet Deus tempus suum ; et tunc non poterimus facere quod voluerimus, sed quod meruerimus accipiemus. Psalm. *Cum accepero tempus etc.* Ecclesiast. IX, *Quodcumque potest manus tua instanter operare, quia nec etc.* Dat autem nobis Dominus tempus in spatium, in auxilium, in documentum, in monumentum. In spatium, quod possumus ad eum reverti. Isa. XXX, *Expectat nos Dominus ut misereatur nostri.* Ergo quæramus Dominum dum inveniri potest, ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ et invenire non possimus. Item in auxilium, quia qualitas temporis juvat nos ad pœnitentiam faciendam si volumus. Nam modo calor, modo frigus, modo ventus, modo pluvia affligis nos. Quod si patienter suscipimus, pœnitentiam perficimus. Si autem murmuramus, sicut modo tempus est pro nobis, ita in judicio erit contra nos. Thren. I, *Vocavit adversum nos tempus, ut contereret electos meos.* Unde Bernardus. Sicut nec capillus de capite, ita nec momentum de tempore peribit. Item in documentum : quia sicut post diem quo laborant homines venit nox, qua quiescunt : ita post hanc vitam venit mors : unde qui laboraverint in hac vita pro Christo, quiescent postea cum eo. Sed qui non laborat, immo quiescit in die in domo, laborabit in nocte. Psalm. *In die mandavit Dominus misericordiam suam*, id est opera misericordiæ, *et nocte canticum ejus.* Item sicut post laborem in nocte redditur merces, ita post hanc vitam reddet Christus operariis suis mercedem suam. Matth. XX, *Cum sero factum esset, dixit Dominus procuratori vineæ, voca operarios et redde illis mercedem.* Item in monumentum, quia de die monet nos timere tenebras inferni, de quibus nemo exibit si semel ibi erit. Matth. XXI, *Ligatis manibus et pedibus mittite in tenebras exteriores etc.* Item mutatio temporis monet et monstrat omnia mutabilia, nec debere in illis mentem figere. Eccles. II, *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem spiritus et nil permanere sub solem.* Item dedi illi tempus, id est temporis seu ætatis partes ; scilicet pueritiam, adolescentiam, juventutem, senectutem, ut ageret pœnitentiam in illis. A prima enim parte esset incipienda pœnitentia. Eccles. XII, *Memento creatoris tui in die juventutis tuæ.* Thren. III, *Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* Eccles. XI, *Mane semina semen tuum*, id est in pueritia ; *et vespere non cesset manus tua*, id est in senectute. Sed pauci sunt qui velint facere pœnitentiam in pueritia vel adolescentia nec in juventute, et in senectute non possunt, et ita perdit totum tempus. Ideo clamat Deus, Cant. III, quater animæ peccatrici. *Revertere, revertere, revertere, ut intueamur te.* Quia dum anima est in peccato Deus non vult eam intueri. Item dedi illi tempus nascendi, monendi, plantandi, evellendi, occidendi, sanandi, et alia quæ poterit. Eccles. IV, Quia omnia debet pœnitens sua facere bene utendo illis. Sed nulli dat Deus tempus, peccandi, id est ad peccandum ; et tamen omnes peccant in tempore, Eccles. XV, *Nemini dedit Deus spatium peccandi.* Job XXIV, *Dedit illi Deus tempus et locum pœnitentiæ, et ipse abutitur eo in superbiam.* Dat igitur Deus tempus et locum pœnitentiæ : tempus

quando vitam prolongat; locum, quando bonam societatem dat. Et nota: dedit illi tempus ut pœnitentiam ageret: non dicit: pœnitentiam agere vel suscipere proponeret. Quia multi proponunt pœnitentiam agere et nunquam agunt: quia dum sunt juvenes nolunt, quando sunt senes non possunt. De quibus Isa. XXXVII, *Venerunt filii usque ad partum et virtus non est pariendi*. Luc. XXI, *Væ prægnantibus et nutrientibus in diebus illis*. Item nota quod dicitur: *Et non vult pœnitere a fornicatione sua*. Non dicit, non potest pœnitere; quia non impotentia, sed voluntas culpabilis est. Bonum est modo pœnitere quando potestas est in voluntate; quia veniet tempus quando potestas omnis bene agendi subtrahetur. Proverb. I, *Invocabunt me et non exaudiam: mane consurgent ad me et non invenient, quia exosam habuerunt disciplinam*, id est pœnitentiam. Joan. IX. *Me oportet facere opera ejus qui me misit, donec dies est: quia veniet nox quando nemo potest operari*. Sequitur, *Et ecce*, ex quo non vult pœnitere, *Mitto eam* Jezabel et suos, *In lectum*, id est in securitatem et audaciam et peccandi opportunitatem. Et dicit, Mitto, id est mitti permitto exigentia peccati ipsius, quia scilicet non vult pœnitere cum pœnitere possit. Et hic audaciam et opportunitatem peccandi vocat lectum, ut teneat metaphoram meretricis. Et postquam diabolus tenet aliquem in hoc lecto, tunc est securus. Unde I Regum XIX, dicit Saul, id est diabolus, afferte eum, id est David, ad me in lecto, ut occidatur. Item lectus est infirmitas. Unde Haymon, ponam eum in lectum, non ut quiescat, sed ut febre languescat et phrenesim sustineat. De hoc lecto dicitur Psalm. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus etc*. Alia translatio habet luctum pro lecto, quod æternam miseriam designat. De qua miseria Job XVII, *In tenebris stravi lectulum meum*. Isa. XIV. *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes*. Hic lectus est valde durus, fœtidus, immundus, in turpi loco paratus et tumultuoso, ubi nulla quies, ubi videntur horribiles visiones, Job XX, *Vadent et venient super eum horribiles: omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus: devorabit eum ignis qui non succenditur, et affligetur relictus in tabernaculo suo*, id est in corpore suo. Hæc est pars hominis impii a Deo et hæreditas verborum ejus a Domino. Item Job XXVII, *Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos ejus et nil inveniet; et apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas*. Melius est jacere in lecto quietæ conscientiæ. De qua Job XXIX, *In lectulo meo moriar etc*. *Et qui mœchantur cum ea*, id est conformes illi in peccatis pro quibus puniretur, *In tribulatione maxima erunt*, in inferno. In hoc mundo est tribulatio magna, in purgatorio major, in inferno maxima. Deuter. XXXII, *Devorabunt eos aves morsu amarissimo*. Item magna erit tribulatio inferni propter pœnarum diversitatem; major propter acerbitatem, maxima propter æternitatem. Jerem. XXX, *Pessima est plaga tua*. Vel tribulatio erit magna in morte, major in judicio, maxima in inferno. Magna propter gloriæ amissionem, major propter ignis exustionem, maxima propter vermis remorsionem vel corrosionem. Isa. VIII, *Non erit lux matutina, et transibit per eam, et corruet, et esuriet, et cum esurierit irascetur et maledicet regi suo et Deo suo, et aspiciet sursum et ad terram intuebitur; et ecce tribulatio, et tenebræ, et dissolutio, et angustia; et caligo persequens, et non poterit avolare de angustia sua*. Potest homo avolare alis pœnitentiæ et orationis. Unde Oseæ IX, *Ephraim quasi avis avolavit*. Quas alas petebat David ubi dixit: *Quis mihi dabit pennas*, scilicet, *columbæ, et volabo et requiescam?* unde bene sequitur, *Nisi pœnitentiam egeris ab operibus suis*, idest de peccatis præteritis quæ sunt opera sua, *Et filiis ejus*, idest imitatores ipsius, *Interficiam*, in morte crudeli occidam, ituros in mortem æternam. Sancti vero quando moriuntur corporaliter vadunt in vitam æternam. Unde mors sanctorum dicitur natalis eorum. Ideo dicit Psalm. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. Sap. III, *Justorum animæ in manu Dei sunt et non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. Et eleganter dicit, *Interficiam in morte*, Quia semper morientur et nunquam perimentur. Unde Psalm. *Mors depascet eos*. Et iterum, *Laborabunt et vivent adhuc in finem*. Et hæc est mors de qua dicit Psalm. *Mors peccatorum pessima* in condemnatione et cruciatione gehennæ. *Et scient omnes Ecclesiæ*, idest omnis congregatio bonorum religiosorum qui modo credunt fide. *Quia ego sum*

scrutans renes et corda, idest cogitationes et desideria ad puniendum vel remunerandum, Sophoniæ III : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Sap. VI, *Altissimus interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur.* Psalm., *Ego sum Deus scrutans corda et renes. Et dabo unicuique vestrum* tam bono quam malo, *Secundum opera vestra.* Bonis bona et malis mala, sine personarum acceptione. II Corinth. V, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* Ecclesiast. ult. *Cuncta deducet Deus in judicium pro omni errato. Glossa,* Et pro verbo ignoranter prolato. *Vobis autem*, Hic consolatur bonos, promittens præmium bonum : quasi dicat : Hoc faciam illis, vobis autem dico ceteris idest qui estis illis dissimiles. *Qui Thyatiræ estis*, cum illis, *Quicumque non habent hanc doctrinam*, quam docebat Jezabel, scilicet quod sine legis observantia non esset salus et quod licitum esset idolothytum comedere et fornicari, *Et qui non cognoverunt*, idest non approbaverunt, *Altitudinem satanæ.* Vocat Joannes altitudinem satanæ profundam astutiam diaboli quia sub quadam specie sanctitatis suggerebat legalia esse servanda cum evangelicis. Bene de talibus dicit Apostolus, Rom. XIV, *Noli altum sapere.* Vel altitudinem vocat dignitatem, seu prosperitatem quamlibet sæcularem. De qua dicit Psalm. *Ab altitudine diei timebo.* Quæ altitudo revera non est a probo viro cognoscenda ad appetendum, quemadmodum dicunt quidem egressi de Juda, qui terrendo fideles dicebant, quod adhuc erat missurus Dominus majores tribulationes, quam passi essent : ut ita recederent a fide. Vel : et non cognoverunt idest approbaverunt, *Altitudinem satanæ*, *Quemadmodum dicunt,* quidam judæi, legalia esse servanda cum evangelicis. Sed contra illos dicit Dominus quod non mittet aliud pondus. Unde sequitur, *Non mittam super vos aliud pondus*, tribulationem scilicet, vel legalia ut ipsi dicumt : *Tamen id quod habetis*, scilicet tribulationes vel evangelium, *tenete*, patienter et fideliter, *Donec veniam*, retribuere cuilibet, secundum meritum suum, *Et qui vicerit* illos, eorum doctrinis et astutiis resistendo, *Et custodierit usque in finem*, vitæ suæ, *Opera mea,* quæ fieri præcepi, idest mandata mea. Vel opera misericordiæ, quæ sunt opera Christi proprie quia opera justitiæ quodammodo sunt aliena ab eo. Unde Isa. XXVIII, *Irascetur Dominus ut faciat opus suum.* Alienum opus ejus, ut operetur opus suum peregrinum est opus ejus ab eo. Quia non ex se, sed ex peccatis hominum cogitur sic facere. *Dabo eis potestatem*, in hoc sæculo. Dicit *Glossa*, Super gentes, idest super homines gentiliter viventes. Ergo qui non vicit mundum et non custodit præcepta Domini, non debet habere potestatem prælationis : quod concedimus, dicentes quod peccat mortaliter qui malos scienter promovet vel consentit ut promoveantur, si impedire canonice potest. Unde Rom. I, *Qui talia agunt, digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ubi *Glossa*, Facientes et consentientes pari pœna constringet. *Et reges illas in virga ferrea*, idest justitia inflexibili, dicit *Glossa.* In virga enim propter rectitudinem notatur justitia, in ferro inflexibilitas. Ex quo patet quod ad regendum datur prælationis potestas, non ad dominandum, vel ad congregandum divitias, vel ad delitias habendas, vel ad ditandos parentes. Et qui aliter habent non a Deo habent. Unde Oseæ VIII, *Ipsi regnaverunt et non ex me ; principes extiterunt et non cognovi.* Quia si per ostium intrassent, bene scirent, quia ipse est ostium. Joan. X, *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Fur autem non venit nisi ut furetur et mactet et perdat.* Furetur quidem pecunias, mactet corpora et perdat animas. Aliunde autem ascendit qui vel prece carnali, vel pretio, vel astutia qualibet, vel non propter animam, sed propter honorem aut divitias intrat : et omnes tales fures sunt. Ergo multi sunt fures. Verum est, unde Joan. X, *Quotquot venerunt fures sunt et latrones.* Hebr. V, *Nec quisquam sumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo, tanquam Aaron*, Qui triplici judicio vocatus fuit, scilicet virgæ floritione, fronditione et fructificatione. Virga est adolescentia. Qui ergo in adolescentia sua floruit per bonam opinionem, fronduit per honestam conversationem, fructificavit per honestam atque bonam operationem, potest postea eligi ad prælationem ; aliter non. *Et tamquam vas figuli confringentur.* Quidam ut omnino pereant, quidam ut melius commutentur. Sicut facit figulus, qui quædam vasa frangit, ut reparet in melius. Quædam omnino fracta dimittit sine repa-

ratione. De quibus Psalm. *Destrues eos et non ædificabis illos*. De hoc dicitur Jerem. XVIII. *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, dicit Dominus*; Et bene per vasa intelliguntur homines, quia de luto sunt plasmati quatuum ad corpus, et de nihilo formati quo ad animam. Unde II Cor. IV, *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*. Item vasa ante decoctionem ignis frangibilia sunt : et homines ante tribulationem. Eccles. XXVII. *Vasa figuli probat fornax etc.* Item quædam vasa cum erunt fracta, gloriosius reparantur : sic justorum corpora. Philippen. III, *Salvatorem expectamus etc.* Quædam vero in pejus, sicut malorum corpora. I Corinth. XV, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. In melius dicit *Glossa*. Vel sic, Tamquam vas figuli confringentur in judicio, idest irreparabiliter. Illa enim fractio quæ modo fit per peccatum, reparabilis est per pœnitentiam. Sed illa quæ erit in judicio erit irreparabilis. Jerem. XXX. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua*. Item Jeremiæ XVII, *Duplici contritione contere eos*, scilicet corporis et animæ. Et nota quod est triplex virga. Una aurea, alia ferrea, alia lignea. Aurea est præsens disciplina. De qua Prov. XXII, *Stultitia colligata est in corde pueri et virga disciplinæ fugabit eam*. Esther XV, *Tulit rex virgam auream et posuit super collum ejus et osculatus est eam*. Virga lignea est pœna purgatorii, quæ postquam percusserit frangitur et comburitur, ut dicit Augustinus. De qua potest intelligi illud Isa. XXIV, *Et erit transitus virgæ fundatus*. Virga ferrea est pœna inferni quæ nunquam deficiet. Et secundum hoc, totum quod dicitur hic exponitur de judicio. Sic dabo ei, qui custodierit usque in finem opera mea, potestatem super gentes, ut sit judex earum. Matth. XIX, *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes etc.* Et reget in virga ferrea, id est sententia inflexibili, id est mittet in gehennam. Et tamquam vas figuli confringentur, id est irreparabiliter. Isa. XXIV, *Confractione confringetur terra*, *Sicut et ego accepi a Patre meo*. Per humanitatem : quasi dicat : Dabo potestatem judicandi illis qui mandata mea custodient, *Sicut et ego accepi a patre meo*. Et illi acceperunt a me. In hoc autem quia Christus dicit : Dabo illi potestatem sicut et ego accepi a Patre meo, nota quod prælatus debet assimilari Christo, quia forma est et exemplar omnium prælatorum. In conceptione, in nativitate, in vita, in morte. Christus conceptus fuit de Spiritu sancto, et prælatus debet eligi per Spiritum sanctum. Item Christus conceptus fuit et natus de Virgine. Quia scilicet fuit virgo ante partum, virgo in partu et virgo post partum. Sic prælatus debet ita eligi ab Ecclesia, quæ eum eligit et concipit et parit, ut remaneat virgo ante electionem et in electione, et post electionem. Ut nec ante vel post corrumpatur pretio, vel prece carnali, seu affectione carnali. Joan. III, *Quod natum est de spiritu, spiritus est : et quod natum est ex carne, caro est*. Modo fere omnes prælati nascuntur de carne, quia promoventur ex affectu carnali ; et ideo fere omnes carnales sunt, et quodammodo Ecclesia corrumpitur concipiendo prælatum : unde clamat Isa. I. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii ?* Quia vero aliquæ sunt Ecclesiæ, sed paucæ, quæ concipiunt spiritualiter prælatos vel canonicos suos ; ideo dicitur Sap. III, *Felix sterilis et incoinquinata quæ nescivit torum in delicto*, *habebit fructum in respectione animarum sanctarum*. Item Christus conceptus fuit et natus, perfectus virtutibus et scientia ; ita prælatus debet eligi. Jerem. XXXI, *Novum creavit Dominus super terram. Femina circumdabit virum*. Isa. IV, *In die illa apprehendent septem mulieres virum unum*, id est universæ virtutes. Item Christus vocatus ad regnum fugit, passioni se obtulit. Sic et prælati debent. Item Christus innocens fuit in vita, et tamen in magna pœnitentia. Sic et prælati. Item Christus pro subditis mortuus est. Sic et prælati debent esse parati. Joan. X, *Bonus pastor etc.* *Et dabo illi*, scilicet qui custodierit usque in finem opera mea, *Stellam matutinam*, id est animæ stolam quæ dicitur stella propter claritatem divinæ cognitionis. Matutina propter inchoationem beatitudinis. Unde Job XXIX, *Gloria mea semper innovabitur*. Item stella semper fugat noctis tenebras. Sic illa gloria ab anima fugat omnem ignorantiam et dubietatem. Et hæc stella oritur ex Jacob, ut dicitur Num. XXIV, id est ex lucta et supplantatione carnis, et mundi et diaboli. Item stella matutina dicitur corporis stola quæ recte stella dicitur propter claritatem. Matutina quia in mane dabitur, id est in fine præsentis vitæ et in principio futuræ. De qua stella

potest intelligi illud Matth. I, *Videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde*, ubi quatuor dicit : *Gavisi sunt*, inquit, propter primam dotem. *Gaudio* propter secundam. *Magno* propter tertiam. *Valde* propter quartam. Item stella matutina dicitur ipse Christus. Quia sicut stella matutina, id est lucifer, omnes stellas superat in splendore, ita Christus omnes sanctos superat in cognitione, unde Joan. III, *Qui de cœlo venit*, *super omnes est*. Item lucifer diem adducit, et Christus fidem et cognitionem mundo intulit. Joan. VIII, *Ego sum lux mundi*. Isa. IX, *Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam etc*. Item lucifer diem adducit et vicinum prænuntiat, et Christus resurgens generalem et resurrectionem demonstrat. I Corinth. XV, *Christus resurrexit primitiæ dormientium*. Item ibidem, *Differt stella in claritate*. Sic et resurrectio mortuorum. Item stella sex radiis illuminat noctem, et Christus sex virtutibus quasi sibi propriis. Quarum prima est humilitas ejus. De qua ad Philippenses II, *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Ibi *Glossa*, O quanta Christi humilitas! Humiliavit se usque ad incarnationem, usque ad diaboli tentationem, usque ad populi irrisionem, usque ad vincula, usque ad flagella, usque ad sputa, usque ad alapas, usque ad mortem; et si parum est hoc, addendum est aliquid de genere mortis; mortem autem crucis, quod erat tunc ignominiosius genus mortis. Ecce habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. O pellis morticina quid tenderis? O sanies fœtida, quid inflaris? Princeps humilis et servus superbus, caput humile et membrum superbum absit. Secunda virtus, charitas ejus est. De qua Joan. XV, *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Beatus Bernardus: « Tu Domine habuisti majorem, quia posuisti pro inimicis tuis. » Psalm. *Zelus domus tuæ comedit me*, id est amor Ecclesiæ consumpsit sive occidit me. Tertia est largitas ejus. De qua Jacob. I. *Qui dat omnibus abundanter et non improperat*. Ipse enim dat omnibus sua in usu. Gen. I. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen, ut sit vobis in escam*. Item dat suos in ministerium. Hebr. I, *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Item dat se in pretium redemptionis. Psalm. *Redemptionem misit Dominus populo suo*. In viaticum peregrinationis. Joan. VI, *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi*. In præmium retributionis. Genes. XV, *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis*. Psalm. *Cum dederit dilectis suis somnum*, *ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris*. Unde bene dicit, *Dabo illi stellam matutinam*, id est me ipsum. Item stella matutina dicitur fides Christi. Stella quia illuminat mentem : unde Augustinus : « Fides est lux mentis. » Matutina propter obscuritatis admissionem. I Corinth. XIV, *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Præterea stella matutina præcedit solem et ipso apparente disparet ipsa. Sic fides præcedit visionem, qua veniente evacuabitur fides. I Corinth. XIII, *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*. Sex radii hujus stellæ sunt sex articuli de humanitate Christi. Primus de incarnatione. Secundus de passione. Tertius de descensu ad inferos et captivorum liberatione. Quartus de resurrectione. Quintus de ascensione. Sextus de adventu ad judicium. Et de hac stella proprie dicitur Matth. I, *Vidimus stellam ejus in oriente et venimus adorare Dominum*. Sequitur generalis exhortatio. Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Ea scilicet quæ prædicta sunt et quæ sequuntur. Et nota quod quidam libri semper habent in exhortationibus, Qui habet aures audiendi, audiat. Sed libri correcti nunquam habent audiendi in libro isto : in evangelico vero aliter habetur.

CAPUT III.

Et Angelo Ecclesiæ Sardis etc. Hoc est tertium capitulum, quod dividitur in tres partes. In prima scribit Joannes Sardis. In secunda episcopo Philadelphiæ. In tertia episcopo Laodiciæ. Scribit ergo episcopo Sardis hoc modo, et hoc ordine. Primo increpat seu arguit eum de hypocrisi et simulatione. Erat enim hypocrita; et aliud a Deo, aliud a populo judicabatur. Postea movet eum ad pœnitentiam : alioquin comminatur eidem, quia veniet tamquam fur, hora qua nescietur. Deinde ne crederentur omnes subditi ejus mali, dicit, aliquos, sed paucos esse bonos in diœcesi ejus : in quo etiam reprehenditur ipse de negligentia

circa subditos ejus. Ad ultimum innocentibus præmium pollicetur. Dicit ergo, *Et Angelo Ecclesiæ Sardis scribe*, sicut aliis quatuor prædictis, *Hæc dicit*, id est mandat, *Qui habet septem spiritus Dei*, id est a quo est omnis vita spiritualis. Et hoc dicit, quia ille episcopus nil habebat vitæ spiritualis cum esset hypocrita, *Et septem stellas*, id est a quo est omnis illuminatio cœlestis qua similiter iste episcopus carebat. Intus enim erat plenus tenebris, licet exterius lucidus appareret more hypocritarum. Matth. XXIII, *Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis : quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos foris paretis hominibus justi, intus autem pleni hypocrisi et iniquitate.* Et nota ordinem verborum. Hic prius dicit, *Qui habet septem spiritus.* Deinde, *Qui habet septem stellas.* Quia prius est vivere quam lucere. Unde Joan. I, proprie dicitur de Christo, *Et vita erat lux hominum ;* et postea dicitur, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Et de Joanne Baptista dicitur Joan. V. *Erat lucerna ardens et lucens.* Iste episcopus lucebat, sed non ardebat nec vivebat : unde erat sicut corpus sine spiritu. Joannes memorat Dominum habere septem spiritus Dei id est omnem spiritum. Unde bene sciret, si iste haberet aliquem. Unde Bernardus : « Lucere tantum, vanum est : ardere tantum parum est ; ardere et lucere perfectum est. » Item hæc dicit, qui habet septem spiritus Dei, id est septem dona Spiritus sancti, et septem stellas : id est septem virtutes, quibus omnibus iste carebat, licet exterius videretur habere, *Scio opera tua*, id est cognosco qualia sint interius : et quid intendas et quæras in ea, scilicet humanam laudem. Unde sequitur, *Quia nomen habes, quod vivas*, vita gratiæ : quasi dicat : Scio quod a vulgo crederis esse bonus et vivus, id est gratia : et mortuus es per peccatum. De qua morte dicitur Sap. I, *Deus mortem non fecit*, id est peccatum, quod est causa mortis. Unde Gen. II, *Quæcumque hora comederis, morte morieris :* id est duplici morte eritis obnoxii ; scilicet morti culpæ, et per eam, morti naturæ. Iste igitur episcopus, sicut et multi alii, habebat nomen sed non rem. Multi dicuntur christiani, et non sunt christiani, sed antichristiani. De quibus Bernardus : « Servi Christi sunt, sed serviunt antichristo. » I Joan. II, *Filioli mei, novissima hora est, sicut audistis, quia antichristus venit : et antichristi multi sunt.* Item multi dicuntur magistri et Domini, et non sunt, facientes contra illud præceptum Domini, Exod. XX, *Non accipies nomen Dei tui in vanum*, id est Christi, qui est Dominus et magister, ut dicitur Joan. XIII, *Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim.* Nomen igitur magistri Dei sui in vanum accipit, qui vocatur magister aut Dominus, et non facit officium Magistri et Domini. Magistri est docere veritatem : Domini est facere justitiam, regere et defendere bonos, et punire malos. Item multi dicuntur episcopi, et non sunt ; sicut idola non sunt dii, sed dicuntur. Unde Sap. XIII, dicitur de talibus, *Infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appelant Deos opera manuum hominum, et non Dei.* Quia homines, tales episcopos faciunt, et non Deus. Oseæ VIII, *Episcopi regnaverunt, et non ex me : principes extiterunt, et non cognovi.* Sed dicitur Sap. XIII, *Quod fit idolum maledictum est : et ipsum, et qui fecit illud. Et cum esset fragile, Deus cognominatus est. Etenim qui factus est cum illo, et qui fecit, tormenta patientur.* Psalm., *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.* De hoc etiam dicitur Sap. XIV, *Hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt,* id est duris et frigidis, et omnino ignaris dederunt nomen episcopi. De hoc dicitur Baruch, *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos argenteos, et aureos, et lapideos et ligneos in humeris portari obtestantes mecum gentibus. Videte ergo, ne et vos similes efficiamini factis alienis, et metuatis : et metus vos capiat ipsos.* Et infra : *Coronas certe habent aureas super capita sua Dii eorum*, scilicet Babyloniorum. Unde subtrahunt sacerdotes ab eis aurum et argentum : et erogant illos in semetipsos. Et infra : *Sceptrum habent ut homo*, sicut judex regionis, qui in se peccantem non interficiunt. Habent in se gladium et securim, id est spiritualem et temporalem jurisdictionem. Se autem a bello et a latronibus non liberant. Unde vobis notum sit, quod non sunt dii ; non ergo vereremini eos. In hoc autem videtur male consulere Baruch, qui durante tempore positionis, honorandi sunt ut episcopi, licet

mali sint. Sed quando dicetur, cedat tempus, tunc manifestum erit, quod nunquam fuerunt episcopi, nec digni aliquo honore, sed propter positionem honorabantur: quia durante positione concedendum est positum, et consequens exposito, sicut dicit in alia facultate. Sequitur, *Esto vigilans.* Ecce admonitio ad pœnitentiam. *Esto*, inquit, *vigilans* id est sollicitus de tua et tuorum salute prælatus. Debet autem vigilare quatuor de causis. Primo quia custos est civitatis in medio inimicorum. Secundo quia custos est gregis in medio luporum. Tertio quia custos est infirmorum. Quarto quia custos est thesaurorum in medio furum. Civitas cujus est custos prælatus, est Ecclesia sibi commissa. Unde Ezech. III, *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel.* Cant. I, *Posuerunt me custodem in vineis*, id est in Ecclesiis. Isa. LXII. *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et tota nocte, in perpetuum non tacebunt.* Hæc civitas est obsessa a rege magno, id est a diabolo, et circumdata undique inimicis. Ex una parte pugnant hæretici. Ex alia tyranni. Ex alia mali christiani. Eccl. IX, *Est civitas parva, et pauci in ea viri: venit rex magnus et vallavit eam: et extruxit munitiones per gyrum: et perfecta est obsidio.* Luc. XIX, Dicit Dominus ad Jerusalem, *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et coangustabunt te undique et ad terram prosternent te: et filios tuos, qui in te sunt.* Item grex est populus prælato commissus in medio luporum, id est hæreticorum, et tyrannorum, et falsorum christianorum, constitutus. De quo Jerem. XIII, *Plorans plorabis, et deducet oculus meus lacrymas:* quia captus est grex Domini. Item Jerem. L, *Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus.* Ideo dicitur Ezech. XXXIV, *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum, de manu eorum: et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius.* Luc II, *Pastores erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Multi sunt lupi, qui quærunt devorare gregem, vel aliquem de grege. Unde I Petr. V, *Fratres, sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus etc.* Item infirmi, quorum custos est prælatus, sunt omnes subditi sui qui ex se invalidi sunt, non potentes aliquid boni facere. Vel malo resistere per se. Unde omnes dicunt in Psalm. *Infirmata est in paupertate virtus mea.* Ideo oportet prælatos vigilare, et sollicitos esse de cura eorum, ne forte ex negligentia vel defectu medici moriantur. Sed heu, dicitur Isa. LXI, *Omnes bestiæ agri, venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi, canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia.* Matth. XIII, *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici.* Item custodes thesaurorum sunt prælati, qui thesauri sunt animæ sibi commissæ. De quo Matth. XIII, *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Item II Corinth IV, *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Cum isti igitur multi insidientur isti thesauro, manifestum est, quod necesse habent vigilare custodes. Unde Matth. XIII, *Vigilate, nescitis enim quando Dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane: ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico vigilate.*

Et innuuntur hic quatuor vigiliæ in quibus omnibus debent vigilare prælati. Prima est circa carnem. De qua Eccl. XXXI, *Vigilia honestatis tabefaciet carnes, etc.* Secunda contra diabolum. De qua I Petr. V, *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus etc.* Tertia contra hæreticos. De qua Eccl. XXXVIII, *Cor suum dabit ad versandos sulcos, et vigilia ejus in sagina vaccarum.* Quarta ad mundandum cor suum. De quibus Eccl. XXXVIII, *Cor suum dabit ut consummet linitionem, et vigilia sua mundabit fornacem.* Facit autem vigilia quatuor bona. Primo destruit luxuriam et humiliat carnis petulantiam. Unde Eccl. XXXI, *Vigilia honestatis tabefaciet carnes, et cogitatus illius auferet somnum.* Secundo evacuat cor spiritu superbiæ. Thren. II. *Consurge in nocte, et lauda in principio vigiliarum et effunde cor tuum*, ut nil remaneat de spiritu superbiæ. Et quod dicit in principio vigiliarum, potest intelligi, in prima vigilia. Distinguuntur autem quatuor vigiliæ noctis ad litteram, secundum castrorum excubias. Et dicitur prima conticinium. Secunda intempestum. Tertia Gallicinium. Quarta Antelucanum. Prima depu-

tatur pueris. Secunda adolescentibus. Tertia juvenibus. Quarta senibus. Mystice autem quatuor istæ vigiliæ noctis sunt quatuor ætates temporis : pueritia, adolescentia, juventus, senectus. Et ideo dicit, in principio vigiliarum. *Quia bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua.* Thren. III, Melius est si in pueritia. Item prima vigilia est contemptus mundi. Secunda mortificatio carnis. Tertia exercitium virtutis. Quarta desiderium cœlestis patriæ. In hac quarta vigilia venit Jesus ad discipulos suos in navi, Matth. XIV. Item primo vigilat homo, cum peccata sua recognoscit. Secundo quando cognita corrigit. Tertio cum ad bona agenda se convertit. Quarto quando bona quæ habet perseverando custodit. De iis dicitur Matth. XIII, *Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniet etc.* Item tertia vigilia facit volare in cœlum. Psalm. *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Quarta liberat a tentatione. Matth. XXVI, *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Sequitur, *Et confirma cetera, quæ moritura erant. Glossa.* Ideo vigila, quia licet sis mente immotus, non es perfectus, si ceteros non excitas. Unde Proverb. VI, *Si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbo oris tui, et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico tibi, fili mi : et temetipsum libera, discurre, festina, suscita amicum tuum,* id est subditum tuum. Et hoc est quod dicitur hic, confirma verbo, exemplo, in fide, in honoribus. Luc. XXII, *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Cetera membra, id est alios, quæ moritura erant spiritualiter per negligentiam tuam. Multi hodie moriuntur et pereunt per negligentiam prælatorum, et non curant. Isa. LVII, *Perit justus et non est qui recogitet.* Bernardus : « cadit asina, et est qui sublevet : peribit anima, et non est qui curet. » Vel sic. Esto vigilans, id est sollicitus de salute tua, et confirma in te per vigilantiam sollicitudinis, Cetera bona. Quæ moritura erant si remaneres in eodem statu. In isto episcopo jam mortua erant multa bona. Sed adhuc habebat aliqua bona, quæ erant ad minus coram Deo ; et ista mortua erant si non corrigerentur in se. Ideo dicit, Confirma cetera, id est bona quæ habes, quæ moritura erant, et nondum mortua ; ut per ea possis redire ad priora bona. Gregorius. Interim fac boni quicquid potes, ut Deus illustret cor tuum ad pœnitentiam. Et necesse est ita facere, *Non enim invenio opera tua plena.* Quia sine charitate, quæ est plenitudo operum. Rom. XIII, *Plenitudo legis est etc.* Item plena merito, quia multa omittebat, quæ decebat facere. Item plena tempore. Quia tempore quo docebat, non dicebat horas suas, neque omni tempore quo debebat prædicabat, nec cetera debita faciebat. Item plena id est consummata, quia imperfecta relinquebat. Incipiebat enim sed non consummabat. Sic multi quidem multa bona faciunt, sed statim quando insurgit parum adversitatis franguntur, et deficiunt : contra quos dicitur Luc. XIII. *Hic homo cœpit ædificare etc.* II Timoth. IV, *Ministerium tuum imple.* Item plena bona intentione, ideo erant vacua retributione. Luc. VI, *Mensuram bonam et confertam et coagulatam et supereffluentem dabit in sinum suum.* Eadem quippe mensura qua mensi fueritis etc. Sed quia coram hominibus videbantur opera sua bona et plena, ideo addit, *Coram Deo meo*, qui videt intus, I Reg. XVI, *Homines vident ea, quæ foris apparent, Deus autem cor intuetur.* Nec remanet Deus cum illis, quorum opera non sunt plena. Eccles. XXIV, *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Psalm. *Dies pleni invenientur in eis.* Sap. I, *Spes immortalitate plena est quia opera eorum charitate fuerunt plena.* II Petr. I, *Hæc si vobiscum adsint, et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione.* Sit ergo cor tuum plenum charitate, os veritate, opus humilitate, oculus castitate, pes gravitate, manus auctoritate ; et tunc implebis illud mandatum Domini. *Non apparebis vacuus ante conspectum Domini.* Exod. XXIII, In mente ergo habe qualiter acceperis a Deo fidem et gratiam : et audieris a Deo interius, a discipulis exterius documenta salutis. *Et serva*, id est opere comple, quia *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Rom. II, Ideo dicitur Jacob. I, *Estote factores verbi et non auditores tantum etc.* Matth. XIX, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Luc. XI, *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Et pœnitentiam age de omissis et de commissis. Habe ergo in mente qualiter acceperis a Deo per infusionem, et audieris a nobis per prædicationem :

et serva utrumque per orationem : et pœnitentiam age de malis præteritis per satisfactionem. *Si ergo non vigilaveris*, id est si de istis sollicitus non fueris, *veniam ad te* judicando. *Tamquam fur*, qui venit ad spoliandum et occidendum, et subito, quando minus cavent sibi homines, et lumine extincto : et ex iis potest caveri, quod appropinquat dies judicii, quia nunquam pejus caverunt sibi homines a principio Ecclesiæ quem modo : ubique enim intrant fures et latrones in Ecclesiam : et fere omnes spoliant et occidunt. Oseæ VII, *Fur ingressus est, spolians latrunculos foris*. II Thess. V. *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus: et hora qua nescis, veniam ad te ad judicandum in morte*. Matth. XV, *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret etc*. Et ideo vos estote parati ; quia qua hora non putatis filius hominis veniet, *Glossa* Gregorii, Ultimam horam Dominus idcirco voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta ; et quia illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur, *Sed habes pauca nomina*, id est paucos viros, dignos nomine. Exod. XXXIII, *Novi te ex nomine*. Luc. X, *Nomina vestra scripta etc*. Eccles. XLIV, *Corpora sanctorum in pace sepulta sunt : et onmina eorum vivent etc*. *In Sardis* ubi deberent esse multi, quia tecum sunt. *Qui non inquinaverunt* macula criminali. *Vestimenta sua*, id est corpora sua : vel si fecerunt, postea factas maculas lacrymis deleverunt; et ita, quasi non inquinata reputantur : id est : beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Item vestimenta dicuntur opera virtutum vel ipsæ virtutes, quibus anima vestitur : quæ vestimenta inquinant, qui mortale peccatum committunt. Eccl. IX, *Omni tempore vestimenta tua sint candida : et oleum de capite tuo non deficiat, id est charitas de corde. Et ambulabunt*, de virtute in virtutem proficiendo. *Mecum*, qui sum dux et socius eorum. Isa. XXXIII, *Dominus legifer noster*, *In albis,* id est in corporibus castis, in operibus bonis, in consiliis puris. *Quia digni sunt* societate et ducatu, modo et profectu virtutum. Vel sic. Et ambulabunt, de terra in cœlis, de miseria ad gloriam, de exilio ad patriam, de paupertate ad divitias, de labore ad requiem, de morte ad vitam. Mecum, id est sicut ego qui sic ambulavi. Lucæ ultimo, *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt prophetæ!* Nonne oportuit sic Christum pati, et ita intrare in gloriam suam ? In albis, id est in corporibus glorificatis. Et corporibus purificatis ab omni imperfectione malitiæ, et ignorantiæ. Quia digni sunt, mea præsentia, et tali gloria. Sap. VI, *Qui vigilaverit propter illam,* scilicet sapientiam, *cito erit securus ; quoniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis suis ostendit se illis hilariter*. Nota quod virgines hic commendantur in multis. Primo quia sunt in cœlo nominatæ ; quod notatur cum dicit. Pauca nomina. Proverb. X, *Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet*. Secundum quod præ aliis pulchræ, quod notatur cum dicitur. In Sardis, quod interpretatur principatus pulchritudinis. Sap. IV, *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Tertium est incorruptionis integritas, quod notatur cum dicitur, Non inquinaverunt vestimenta sua. Infra XIV, *Ii sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati etc*. Quartum est profectus virtutum, quod notatur, ibi, Ambulabunt. Ezech. I, *Unumquodque ante faciem suam ambulabat*. Quintum est familiaritas Dei. Quod notatur, ibi, Mecum. Infra XIV : *Virgines enim sunt et sequuntur Agnum quocumque ierit*. Sextum conscientiæ puritas, quod notatur, ibi, In albis. Cant. XLI, *Tota pulchra es amica, et macula non est in te*. Septimum est dignitas honoris, quod notatur ibi, quia digni sunt. Psalm. *Elegit Dominus Sion*, id est virgines. Sion interpretatur speculum : et virgines sunt speculum Ecclesiæ, in quibus conspiciendo, possumus videre maculas defectuum nostrorum. Unde in lege sacerdotes oblaturi, cum volebant lavare se, videbant maculas, scilicet in speculis mulierum. Deberent enim Magistri et Prælati confundi valde cum videant tenellas puellas multa pati pro Christo, et pati nil possunt aut volunt pro ipso. Gregorius, Quid dicturi sumus nos barbati, cum teneras puellas videamus per ferrum currere ad cœlum, et nos nil faciamus ? Item specula omnes formas rerum ante se positas de facili recipiunt, et puellæ quæcumque pœnitentia seu religio eis imponatur de facili suscipiunt, ad modum plantationis , quæ huc et illuc de facili inclinatur. Unde Psalm. *Filii tui sicut novellæ plantarum in juventute*. Et sicut plantatio formam, quam recipit in principio, semper retinet, sic

et puellæ. Prov. xii. *Adolescens juxta viam suam; etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Item speculum cito frangitur nec postea potest reparari, sic et puellæ. Unde Hieronymus, Confidenter loquor cum Deus omnia possit, non potest de corrupta facere virginem. Sequitur, *Qui vicerit*, carnem, et diabolum, scilicet paupertate, castitate et humilitate. *Sic vestietur*, ut dictum est, vestimentis albis, scilicet stola corporis. Nota de stola animæ et corporis. Contexitur autem stola animæ ex tribus filis : scilicet visione immediata, dilectione consummata, apprehensione secura. Stola corporis ex quatuor : scilicet claritate, agilitate, subtilitate, impassibilitate. Et hæc sunt septem stellæ de quibus supra dictum est. Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua. Et non delebo *nomen ejus de libro vitæ*. In quo dupliciter justi sunt scripti. Uno modo per præscientiam, alio modo per præsentem justitiam. Secundum primum modum nullus potest deleri, nec de novo scribi. Secundum alium modum et de novo scribi potest et de novo deleri. De justitia judicat Deus et de præscientia, quia justitia non præscientiæ causa est quare aliquis apud Deum dignus sit vita ut tunc secundum justitiam judicis deleri videatur cum peccat : cum tamen juxta præscientiam in libro nunquam fuerit: et tunc aliquis videtur ascribi, cum malus esse desinit, qui tamen secundum præscientiam nunquam defuit. Psalm *Deleantur de libro viventium. Glossa.* Liber vitæ est notitia Dei, quia prædestinavit ad vitam quos præscivit conformes fieri imagini Filii sui. Non sic ergo accipiendum est tamquam in hoc libro scribat Deus quem postea deleat. Sed sic accipiendum est, De libro viventium deleantur secundum spem illorum qui ascriptos se putant, id est constet in illis, non illos ibi esse scriptus. Infra xx, alius liber apertus est qui est liber vitæ. Ibi *Glossa*, Quia tunc aperte scient mali se non prædestinatos ad vitam, quam in mundo existentes sibi promittebant. Exod. xxiii, *qui peccaverit in me, delebo nomen ejus de libro vitæ.* Adhuc est quadruplex liber. Primus est liber gloriæ, secundus liber gratiæ, tertius liber naturæ, quartus liber Scripturæ. Primus est ipse Deus cujus apertio facit respicientem sive legentem beatum : et est liber ipse, sui ipsius doctor. Unde Augustinus, Habemus unum doctorem in cœlis quem semel videre totum didicisse est. De hoc libro dicitur Luc. x, *Gaudete et exultate quia nomina vestra scripta sunt cœlis.* Hic liber dicitur etiam liber vitæ, quia omnes vivi et nullus mortuus inscriptus est. Psalm. *Et in libro tuo omnes scribuntur.* Liber gratiæ est ipse Christus, de quo Isa. viii, *Sume tibi librum grandem et scribe in eo stylo hominis.* Liber grandis fuit Christus ante incarnationem sed factus est parvus per carnis assumptionem. Unde Isa. x, *Consummationem et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Primo fuit scriptus liber iste stilo Angeli, qui Angelis legibilis erat. Sed postea scriptus fuit stilo hominis quia factus fuit homini legibilis. Joan. i, *Verbum caro factum est.* Beatus est qui studet in libro isto. Unde Bernardus, Beatus es Domine Jesu, qui te hominem inter homines conversantem observans pro viribus se præbet imitatorem tui. Quatuor autem specialiter debemus legere in hoc libro. Humilitatem videlicet, mansuetudinem, charitatem et veritatem. De duobus primis dicitur Matt. xi, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* De tertio, Joan. xiv, *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem.* De quarto dicitur Joan. xviii, *Ego ad hoc veni ut testimonium perhibeam veritati.* Prima lectio tres versus continet, quia tres gradus humilitas habet, ut dicit Rabanus. Primus est subdere se majori et non præferre æquali. Secundus est subdere se pari et non præferre minori. Tertius est subdere se minori et nulli se præferre. Primus est necessarius. Secundus abundans. Tertius superabundans. Et hunc habuit Christus et debent habere prælati : unde Matth. iii, *Sic decet nos implere omnem justitiam. Glossa,* Omnem gradum humilitatis : et cum soleat Christus de se loqui singulariter, nunc dicit, nos, quia vult ad hoc teneri prælatos. Item secunda lectio habet tres versus, quia tres sunt partes mansuetudinis. Prima circa rerum injurias. Secunda circa corporum molestias. Tertia circa verborum contumelias. Has tres habuit Christus, quia fuit vestibus spoliatus, corpore flagellatus, verbis convitiatus et omnia sustinuit patienter. Item tertia lectio habuit tres versus. Prima est ordinata dilectio Dei. Secunda ordinata dilectio tui. Tertia ordinata dilectio proximi. Item quarta lectio tres versus conti-

net. Primus est veritas vitæ. Secundus est veritas justitiæ. Tertius veritas doctrinæ. De qua triplici veritate dicitur Joan. xv, *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Liber naturæ mundus est in quo sunt tot literæ quot naturæ [1]. Hic liber docet nos et docere non cessat qualis sit creator ejus, et quales nos esse debeamus. Sua magnitudine docet nos potentiam Patris. Sua pulchritudine docet nos sapientiam Filii. Sua communicatione docet nos bonitatem Spiritus. Sua unitate monstrat unitatem factoris : et sic docet liber iste scriptorem suum esse trinum et unum. Unde Sap. xiii, *A magnitudine speciei et creaturæ poterat creator eorum cognoscibiliter videri.* Rom. i, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt a creatura mundi, intellecta conspiciuntur.* Præterea, cum quælibet creatura creatori suo serviat incessanter et gratis, et nos propter ipsum docet, quales nos debemus esse. Unde Augustinus, Mirum est quomodo omnis homo Deum non semper laudat, quoniam omnis creatura ad eum laudandum semper invitat. Quartus liber Scripturæ. De quo Ezech. ii, *Vidi et ecce manus missa ad me in qua erat involutus liber : et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris, et scripta erant in eo lamentationes et carmen et væ.* In manu liber mittitur qui ad faciendum auditur. Involutus dicitur esse propter obscuritatem. Foris scriptus propter historiam, intus propter specialem intelligentiam : in eo scriptæ sunt lamentationes pœnitentium. Carmen innocentium, væ desperantium. Vel lamentationes mundi, carmen cœli, væ inferni. Iste liber docet quinque : scilicet quid credendum, quid faciendum, quid fugiendum, quid timendum, quid appetendum. Quid credendum: articuli et sacramenta. Quid timendum : purgatorius et infernus. Quid appetendum : regnum Dei et justitia ejus : unde Matt. *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, etc.* Quintus liber est liber conscientiæ in quo debet quilibet legere multa. Primo ubi et qualis fuit homo conditus. Secundo ubi et unde et quare ejectus. Tertio qualiter et quando abjectus. Quarto a quo et quomodo redemptus. Quinto a quo et qualiter judicandus. Sexto quanta sit pœna reproborum. Septimo quanta sit gloria bonorum. Et iste est liber et hæ sunt litteræ de quibus dicitur Isa. xxiv, *Erit vobis visio omnium quasi verba libri signati, quæ cum dederit scienti literas dicet, lege istum, et respondebit, non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei, lege, et respondebit, Nescio literas.* Sequitur, *Et confitebor nomen ejus,* id est recognoscam nomen ejus quasi filium et amicum fidelem. *Coram Patre meo et coram Angelis ejus in judicio.* Quando dicet : *Esurivi et dedisti mihi manducare etc, Filii benedicti venite etc.* Matth. x, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Qui habet aures* audiendi ad intelligendum, *audiat* ad faciendum. Et est hic finis hujus epistolæ particularis quæ in fine cujuslibet epistolæ particularis ponitur, ut per hoc excitetur attentio auditorum, *Quid spiritus dicat Ecclesiis,* Quia quod isti Ecclesiæ dicit, hoc omnibus dicit. Sequitur,

Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ etc. Hæc est secunda pars capituli et sexta epistola, in quo scribit Johannes episcopo Philadelphiæ, quem in multis commendat, et maxime quod laborat ad conversionem infidelium ad fidem, quam multum desiderabat. Et dividitur hæc epistola in quatuor partes. Primo describitur Dominus cujus imperio scribit Joannes ipsi episcopo. Secundo inducitur ipse Dominus loquens et promittens auxilium ipsi episcopo ad conversionem fidelium faciendam; in quo confortatur episcopus ad perseverandum, ibi : *Scio opera tua.* Tertio prædicitur tentatio futura, ad quam sustinendam exhortatur Dominus istum episcopum, promittens auxilium ut non deficiat. Quarto ponitur generalis exhortatio, duo continens. Unum quod excitat affectum, ibi : *Qui vicerit ergo.* Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe, sicut ceteris. *Hæc,* quæ sequuntur, *dicit,* id est mandat. *Sanctus et verus.* Sanctus in donis gratiæ. Verus in donis gloriæ. Vel sanctus per misericordiam, verus propter justitiam. Vel sanctus in vita, verus in lingua. Vel sanctus roborando tentatos seu tribulatos, verus promissa servando : quasi dicat Joannes. Labora fideliter ad conversionem fratrum, sicut cepisti. Quia Dominus dabit robur et fortitudinem ad sustinendum quia sanctus est : et reddet præmia quæ

[1] *Al.* : « creaturæ. »

promisit, quia verus est. *Qui habet clavem David*, id est vigorem et fortitudinem qua velut claves aperiat aures hominum peccatorum ad audiendum verbum fidei et corda ad credendum. Qua etiam aperiat et claudat, quibus et quando voluerit, illas duas maximas civitates, infernum scilicet et paradisum ; quo claudente nemo potest aperire, quo aperiente nemo possit claudere. Unde subdit, *Qui aperit*, aures hominum ad audiendum et corda ad credendum et Scripturas ad intelligendum et paradisum ad introeundum. *Et nemo claudit*. Hoc dicit, quia multi hæretici ibi episcopo resistebant, volentes impedire conversionem peccatorum. Sed non poterant claudere aures eorum, nec corda, quin crederent, nec Scripturas quin intelligerent, nec paradisum quin intrarent : *Et nemo aperit*, ipso claudente. Claudit, impartiendo gratiam ad audiendum, ad credendum, ad intelligendum, ad intrandum in paradisum. Exod. XXXIII, *Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit*. Rom. IX, *Deus cujus vult miseretur et quem vult indurat*. Deuteronom. XXXII, *Dominus pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat*. Joan. XII. *Propterea non poterant credere, quia dixit* Isa: *Excæcavit Dominus oculos eorum et induravit cor eorum ut non videant oculis et non intelligant corde*. Claudit autem aliquando Dominus Scripturas ut studendo quæramus ; aperit ut inveniamus : ut sic studentes fructus laboris accipiamus, et aperiens gratias et laudes suæ largitatis habeat. Et hoc facit ut nemo de suo confidat ingenio, vel de sua scientia glorietur. Quia *omnis scientia a Domino Deo est*, Eccles. I. I Corinth. IV, *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Item, Clavis David, est crux Domini, qua paradisum et infernum aperuit. Infernum ut inde extraheret captivos. Zachar. IX, *Tu autem in sanguine Testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua*. Paradisum, ut introduceret liberatos. Unde Isa. XXII, *Dabo clavem domus David super humerum ejus et aperiet, et non erit qui claudat ; et claudet et non erit qui aperiat*. Ista clavis dicitur navis Sap. XXIV, *Transeuntes mare per ratem liberati sunt*. Item dicitur principatus, Isa. IX, *Factus est principatus super humerum ejus : vocabitur nomen ejus admirabilis* (in conceptione) *consiliarius* (in prædicatione) *Deus*, in peccatorum remissione et miraculorum operatione. *Fortis* in passione et dæmonum dejectione. *Pater futuri sæculi* in resurrectione, *et princeps pacis* in ascensione et sancti Spiritus missione. Item dicitur baculus, Gen. XXXII, *In baculo meo transivi Jordanem istum*, idest mundum : *et nunc cum duabus turmis ingrediar*, scilicet Angelorum et hominum, qui cum eo ascenderunt. Psalm. *Virga tua et baculus tuus etc*. Item I Reg. XVII, *Dixit Golias ad David, Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo ?* Item dicitur cathedra. II Regum XXII, *David sedens in cathedra sapientissimus inter tres*. Quia duo fuerunt latrones et ipse tertius inter eos. In illa cathedra sedit, non stetit, non jacuit. Sedit, quia natura inferior patiebatur et natura superior manebat illæsa. Unde in persona Moysi dicitur de ipso quod stetit in confractione in conspectu Dei, quia confracta humanitate stetit divinitas. Inde docuit ut Magister sex verba quasi sex documenta emittens. Primum fuit *Sitio*. Secundum, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*. Tertium, *Eli Eli etc*. Quartum, *Mulier, ecce filius tuus etc*. Quintum, *Pater in manus tuas*. Sextum, *Consummatum est*. Primo verbo docuit veritatem, charitatem, quæ sitit omnium salutem. Secundo largitatem quæ petitionem pauperum exaudit et plus dat quam petatur. Tertio humilitatem quæ se derelictam ostendit. Quarto pietatem quæ parentes honorat. Quinto sapientiam quæ sua in tuto collocat. Sexto perseverantiam quæ totum consummat. Sequitur, *Scio*, idest approbo, *Opera tua*, bona Sed quia non ipse solus sed Deus cum eo. Vel, ut melius dicam, Deus facit ea bona. Sicut dicitur Isa. XXVI, *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Ideo subdit, *Ecce dedi coram te ostium apertum*, idest aures hominum apertas ad audiendum verbum, et corda eorum aperta ad credendum. Item Scripturas prius obscuras apertas tibi ad intelligendum. Item portam cœli apertam tibi et illis qui per te convertuntur ad introeundum. *Quod nemo potest claudere*, ex quo ego aperui illud tibi et tuis. Et merito dedi, quia per te aperire non posses. Quia modicam habes virtutem, id est insufficientem, vel paucos auditores et multos contradictores et adversarios. Sicut dicit Apostolus I Corinth.

XVI, *Ostium mihi apertum est magnum et evidens et adversarii multi*. Vel sic. Dedi coram te ostium apertum ad intrandum in Scripturam in gloria, quod nemo potest claudere tibi, *Quis modicam habes virtutem*, id est humilem non superbam : quasi dicat : Merito humilitatis tuæ aperui tibi Scripturam ad intelligendum et gloriam ad intrandum et aures hominum ad audiendum a te verbum Dei et corda ad credendum. Hoc facit humilitas possessori suo. Ut scilicet libenter audiatur, ut ei credatur, ut Scripturam intelligat et ut gloriam habeat. De primo dicitur Matth. XVII, *Hic est filius meus dilectus etc.* Gregorius, ille sermo libenter auditur qui ex compassione profertur. De secunda et tertia, Matth. XVIII, *Nisi conversi fueritis efficiamini sicut parvuli*, *non intrabitis in regnum cœlorum*, id est in Scripturam et gloriam. *Et servasti verbum meum*, in corde per fidem, in ore per confessionem, in manu per operationem. In hoc probatur esse amicus. Joan. XVI, *Qui habet mandata mea et servat ea*, *ille est qui diligit me*. Item Joan. XVI, *Vos amici mei estis si feceritis quæ præcipio vobis*. Ipse per hoc meruit servari a Deo. Eccles. XV. *Si volueris observare mandata mea*, *conservabunt te*. *Et non negasti nomen meum*. a quo diceris christianus : quasi dicat : Licet in angustiis et tribulationibus esses propter me, non negasti te esse christianum. Matth. X, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus*, *confitebor et ego etc. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo*. Ex hoc autem duo bona promittit ei Dominus; scilicet conversionem Judæorum qui eum persequebantur, et conservationem in tribulatione quæ tunc erat et quæ erit in tempore Antichristi. Unde dicit, *Ecce* : quasi dicat : Talis es. *Ecce dabo tibi de synagoga satanæ*, id est aliquos de adversariis tuis convertam ad fidem tuam, *Qui dicunt se esse Judæos*, id est credentes et confitentes Deum, *Et non sunt*, *sed mentiuntur*, quia hujus nominis rationem perdiderunt quando dixerunt : *Non habemus regem nisi Cæsarem*, Joan. XIX. Sic quilibet christianus nominis christiani rationem et causam amittit, quando contra Christum facit. De quibus Psalm. *Nomen eorum in æternum delesti et in sæculum sæculi*. Proverb. X, *Memoria justi cum laudibus nomen impiorum putrescet*. Modus autem dandi determinat Joannes dicens : *Ecce faciam illos ut veniant*, ad fidem *et adorent ante pedes tuos* sicut fratres Joseph qui primo persecuti fuerant eum, postea adoraverunt, Gen. L. Ita si Ecclesia haberet humilitatem et patientiam, omnes inimici ejus humiliati venirent ad eam. Hoc enim promittit Dominus per Isaiam LX, *Locum pedum meorum glorificabo*, id est Ecclesiam, *et venient ad te curvi filiorum eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi et vocabunt te civitatem Domini Sion sancti Israel pro eo quod fuisti derelicta* (a mundo supple) *et odio habita et sustinuisti patienter et humiliter* supple. Prov. XV : *Cum placuerint Domino viæ hominis*, *inimicos ejus convertet ad pacem*, *et scient conversi ad fidem et cognoscentes veritatem*, *quia ego dilexi te quamdiu tribulari et affligi permisi*. Hebr. XII, *Quem diligit Dominus castigat : flagellat autem omnem filium quem recipit*. Tob. III, *Hoc habet pro omnis qui colit te*, *quod vita ejus si in probatione fuerit coronabitur*, *si autem in tribulatione fuerit liberabitur, et si in corruptione fuerit licebit venire ad misericordiam tuam. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ*, id est præceptum de patientia servanda, quam prædicavi, et quam in me ostendi patienter sustinens flagella et contumelias orans pro illis. Luc. XXIII, *Pater*, *ignosce illis*, *quia nesciunt quid faciunt*. Isa. LIII, *Ipse peccata multorum tulit*, id est pœnam pro peccatis eorum, *et pro transgressoribus oravit*. Et hoc idem præcepit discipulis suis, Matth. V, *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos*, *ut sitis filiis Patris vestri, qui in cœlis est. Et ego te servabo*, qui servasti verbum ad horam tentationis, quæ ventura est in orbem universum, vel statim post mortem Neronis, vel tempore Antichristi, tentare habitantes in terra. Sed numquid omnes succumbent? Non; quidam enim habitant in terra solo corpore, et in cœlo habitant mente. In persona quorum dicit Apostolus, Philipp. III, *Conversatio nostra in cœlis est*. Tales non capientur, quia in tuto habitant. Unde Prov. I, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Ibi *Glossa*, Facile evadit laqueos in terris, qui semper habet oculos in cœlis. Talis fuit ille de quo dicit Augustinus : « Digne vertitur ad memoriam hominum, qui ad gaudia transit Angelorum : quoniam in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa cœlesti patria conver-

satus est ». Alii sunt, qui et mente et corpore habitant in terra. De quibus dicit Psal. *Oculos suos declinaverunt in terram.* Isti tales fere omnes in tentatione succumbunt. Unde infra XIII, *Væ, væ, væ habitantibus in terra* ; ter dicit væ, propter tria, quæ *in mundo sunt*, quæ fere omnes capiunt : scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ*, ut dicitur I Joan. II. Ideo dicitur Isa. XXIV, *Formido et fovea et laqueus super te, qui habitator es terræ.* Et erit, qui fugerit a facie formidinis, id est avaritiæ, cadet in foveam luxuriæ. Et qui se explicaverit a fovea, tenebitur laqueo ambitionis, aut vanæ gloriæ. Quia qui fugit avaritiam, sæpe cadit in luxuriam, et qui fugit utrumque, sæpe capitur vana gloria, et ambitione. Unde Dominus primo fuit tentatus de gula, postea de avaritia, et ultimo de vana gloria, Matth. IV. *Ecce :* quasi dicat : vere tentatio venit, sed non oportet vos multum timere, quia habebitis adjutorem fidelem. Quia ecce, id est in brevi, et evidenti, *Venio ego*, juvare pugnantes, liberare tentatos, coronare victores. Et quia posset quis causari moram, addit, *Cito :* immo semper est Dominus cum suis militibus, in campo. Unde Matth. ult. *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Isa. XLIII, *Cum transieris per aquas tribulationis, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus sanctus Israel salvator tuus.* Sed tunc dicitur venire quando liberat, vel quando in pugna confortat. Et interim, *Tene quod habes*, fidem, spem, caritatem, et alia bona, *Ut nemo accipiat coronam tuam*, id est tibi debitam pro patientia tua si perseveres. Nam soli perseveranti datur corona. Unde II Tim. II, *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*, id est perseveraverit. Matth. X, *Qui perseveraverit usque in finem salvus erit.* I Cor. IX. *Omnes qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*, scilicet perseverans. Sed de qua corona intelligitur hoc? de corona gratiæ, non videtur posse intelligi. Quia multi amittunt gratiam, quibus nemo subrogatur, ut patet in diabolo, et multis aliis. Item de corona gloriæ videtur non posse intelligi quod illam nemo potest amittere ; quia ex quo habet, non potest amittere, nec antequam habeat. Nemo enim amittit quod non habet. Nec dicas, quia potes amittere, quia debebatur ei. Contra. Non debetur nisi perseveranti : ergo si iste non erat perseveraturus, non debebatur ei. Et ita non poterat amittere eam, cum nec haberet, nec deberetur ei. Ad hoc dicimus quod potest intelligi de corona gratiæ, secundum quod gratia ordinatur ad gloriam in gradu aliquo : verbi gratia. Iste si perseverasset, perventurus erat ad aliquem gradum gloriæ. Potest fieri, quod isto cadente alius accipiat gratiam ordinatam ad eumdem gradum gloriæ, quo ille erat perventurus, si perseverasset. Et quia tu objicis scilicet quod multi cadunt a gratia : Non est verum, immo semper aliquis subrogatur illi, in eadem gratia, secundum quod est ordinata ad certum gloriæ gradum. Unde *Glossa :* Hic cum sit Deo certus numerus suorum, si quis labitur, alius misericordia ejus subinducitur ; sicut per superbiam Judæorum, subintravit Gentilitas. Sed numquid subintrasset Gentilitas, si non peccassent Judæi? Constat quod sic. Quia Deus providerat ab æterno gentes salvandas, verum est quod salvarentur, sed non subintrarent loco eorum. Item potest dici quod intelligitur de corona gloriæ, ut sit sensus, Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, id est ne aliquis incipiat sine te possidere gloriam tibi debitam si perseverasses. Et quod objicitur, scilicet, quod corona gloriæ non debebatur isti, quia tantum debetur perseverantibus ; dicimus, quod debebatur isti sub conditione si perseverasset. Et hoc videtur innui in *Glossa*, in Job XXXIV, *Conteret multos et innumerabiles, et stare faciet illos pro eis.* Ibi *Glossa*, Hoc quotidie agitur : labuntur aliqui a statu justitiæ et loco vitæ ; alii, aliis cadentibus sortiuntur. Et ita *Glossa* magis convenit primæ solutioni, *Qui vicerit*, quod fit sola perseverantia virtutum, *Faciam illum columnam*, id est tectum altum, firmum, planum, *In templo Dei mei.* De quo *Psal. Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum mirabile in æquitate. Et foras non egredietur amplius* peccare non poterit de cetero, sicut Lucifer in cœlis peccavit, et ejectus est, Isa. XIV. Inde sancti de cœlo egredi dicuntur. Isa. ult. *Egredientur, ut videant cadavera mortuorum virorum, qui prævaricati sunt.* Sed egressus ille erit tantum spiritualis, non corporalis. Quia tantum videndo egredientur, nisi tamen compatiendo. *Et*

scribam super illum, scilicet meritum, et spem, et intellectum. Nomen Dei mei, quod est, omnipotens. Unde Exod. xv, *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus*, id est ut amplius non possint ab hostibus superari. *Et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem*, id est visionis pacis, ubi nil vetustatis est, sed omnia nova, quæ de cœlo descendunt. Quia Deus gratiam infundit, per quam ad illam visionem pervenitur. Unde Jacob. I, *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. Ideo orat Ecclesia, Matth. VI, *Adveniat regnum tuum*. A Deo meo, qui solus dat gratiam. Unde I Tim. VI, *Soli Deo honor et gloria*, et nomen meum novum, quod est Jesus. Cujus virtute salvantur omnes qui credunt in eum. Act. IV, *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri*. Vel de præsenti potest exponi ab illo loco, *Ecce venio*, per gratiam, *Cito*, id est ex improviso. Job IX, *Si venerit ad me non videbo eum*. *Tene quod habes*, scilicet locum humilitatis tuæ non deseras, sicut multi faciunt, qui ex dono gratiæ divinæ superbiunt. Eccl. X, *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*. I Corinth. IV, *Quid habes, quod non accepisti ? si autem accepisti ? quid gloriaris quasi non acceperis ? Ut nemo accipiat coronam tuam*, id est ut non merito hominis tribuas coronam tuam, sed tantum gratiæ Dei, quæ proprie coronatur in homine justo Unde versus :

Quidquid habes meriti, præventrix gratia donat.
Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

Psal. : *Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus*. Et nota quod quadruplex est corona quam Dominus dat amicis suis. Prima est spinea, quæ est pœnitentium. De qua Matth. XXII, *Plectentes coronam de spinis*. Secunda est lapidea, quæ est viventium. De qua Psal., *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*. Tertia est aurea, quæ est sapientium. De qua Eccl. XLV, *Corona aurea super caput ejus expressa signo sanctitatis*. Quarta est stellæ, quæ est triumphantium. De qua infra XII, *Signum magnum apparuit in cœlo ; mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*. Omnes istæ quatuor coronæ dicuntur esse in capite, quia sola intentio remunerabitur, seu coronabitur. Et nota ordinem coronarum. Prima est corona pœnitentiæ. Secunda patientiæ. Tertia sapientiæ. Quarta gloriæ. De duodecim stellis infra dicemus. Sunt autum et aliæ coronæ quibus mundus coronat suos. Prima est rosea, id est mundi vanitas, de qua Sapient. II, *Coronemus nos rosis antequam marcescant*. Secunda hederea, id est carnis voluptas. De qua II Machab. VI, *Cum Liberi*, id est Bacchi, *sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circumire*. Tertia est corona superbiæ, id est sæculi dignitas. De qua Isaiæ XXVIII, *Væ corona superbiæ ebriis Ephraim*. Quarta est corona pœnæ æternæ, quæ datur post istas tres. De qua Isa. XXII, *Coronans coronabit te tribulatione*. *Qui vicerit* se ipsum per veram obedientiam. Prov. XXI, *vir obediens loquetur victoriam*. Hæc victoria, qua quis per obedientiam vincit se, major est quam vincere totum mundum. Unde Prov. XVI, *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatori urbium*. *Faciam illum columnam in templo Dei mei*, id est prælatum in Ecclesia, rectum in judiciis, fortem in adversis, planum in conversatione, erectum in contemplatione, stabilem in tentatione, rotundum per intentionem qua æterna intendit, alios supportantem per compassionem. Tales columnæ fuerunt Petrus, Jacobus, et Joannes. De quibus dicitur Galat. II. *Jacobus et Cephas et Joannes qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis*. Tales debent esse omnes prælati, ut etiam aliis cadentibus ipsi stent, secundum quod dicitur in Psal. *Liquefacta est terra, et omnes qui habitant in ea ; ego confirmavi columnas ejus*. Olim fecit Salomon in templo columnas de ære firmas et fortes, et pondus templi fortiter sustinentes, ut dicitur III Reg. VII, Nunc autem fiunt columnæ de festucis quæ statim franguntur et magis indigent portari quam portare. Isa. III, *Ecce dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem et Juda validum et forte, et omne robur panis, et omne robur aquæ, fortem et virum bellatorem, et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis*. Psal., *Posuisti firmamentum ejus formidinem*, id est Ecclesiæ : id est tales poni permittis, qui potius sunt formido Ecclesiæ quam firmamentum. *Et foras non egredietur amplius*, hominibus sæculi se conformando, vel sæcularibus nego-

tiis se implicando. De primo dicitur Rom. XII. *Nolite conformari huic sæculo : sed reformamini in novitate sensus vestri.* De secundo dicitur II Tim. III, *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Luc X: *Nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Infra ult., *Foris canes et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Et scribam super illum nomen Dei mei.* Ut dicatur prælatus Deus. Juxta illud Psal., *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes.* Loco Dei in terra est prælatus, et vicarius ejus, et in eo vices ejus deberet gerere, ut juste et omnia cum tranquillitate judicaret sicut dicitur, Sap. XIV, *Et sine acceptione personæ*, sicut dicitur Act. X, *In veritate tunc comperi quod non est acceptor personarum Deus.* Sed heu multi habent nomen sine re, honorari volunt ut Deus, sed nolunt operari ut Deus. Deus semper est in cœlo, ipsi semper in cœno. Deus nunquam otiosus, ipsi semper otiosi. Deus justus et misericors, ipsi injusti et immisericordes. Deus pater est pauperum, et libenter audit eos. Juxta illud, *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Et iterum, *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et iterum, *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum etc.* Ipsi autem pauperum causas nolunt audire, eo quod non habent quid dent. Unde conqueritur Dominus. Isa. I. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii, justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ, argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua, principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos*, Jer. VI, *Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus; a minori quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student, a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, et curabant contritionem populi mei filiæ cum ignominia dicentes, pax, pax, et non erit pax. Et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ de cœlo descendit a Deo meo,* id est ipsum faciam pacificum, et pacatum, qualis fuit Christus, et alii qui cum eo sunt in superna Jerusalem. Isa. I, *Restituam judices tuos ut fuerunt prius, et consiliarios tuos sicut antiquitus ; post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.* Item Isa. XL, *Ponam visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam : non audietur ultra iniquitas in terra tua.* Matth. V, *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur*, *Et nomen meum novum.* Nomen Dei vetus est, Dominus : unde Psal. *Nomen Dominus illi* : et in lege sæpe dicit. *Ego Dominus.* Sed novum nomen Dei est Jesus, id est Salvator. Unde Matth. I, *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Heu istud nomen paucis habent, quia pauci sunt qui curent de salute animarum. Primum nomen omnes sibi usurpant, quia tamquam Domino sibi volunt serviri. Unde I Reg. II, *Domini sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.* Domini solet esse genitivi casus, nunc autem est nominativi pluralis, quia plures nominantur Domini, licet pauci sint in veritate, quia *qui facit peccatum servus est peccati*, Joan. VIII. Nota : septem nominibus vocatur filius Dei in novo Testamento, quæ omnia debent habere prælati. Unde infra XIV, *Vidi Dominum, et ecce Agnus stabat super montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentia nomen ejus et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.* Primum est Christus, Matth. I, *De qua natus est Jesus*, qui vocatur Christus, unctus, vel unctio. Unctus fuit quia rex : unde Psal. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Item unctus fuit ut sacerdos. Luc. IV, *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me.* Psal., *Sicut unguentum in capite ejus quod descendit in barbam, barbam Aaron*, id est Christi. De iis duobus dicitur Act. X, *Unxit eum Dominus Spiritu sancto et virtute.* Hoc nomen debent habere prælati, quia debent esse uncti, id est mansueti, et misericordes. Luc. VI, *Estote misericordes sicut et Pater vester misericors est.* Si tales essent, Dominus defenderet eos sicut filios suos. Psal., *Nolite tangere Christos meos etc.*, fecit nos regnum, et sacerdotes. I Petr. II, *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Secundum nomen est Nazaræus. Matth. II, Dictum est per prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur, id est floridus : et revera floridus fuit Dominus, quia habuit candorem lilii in nativitate. Cant. *Ego flos campi, et lilium convallium.* Item habuit livorem violæ, in flagellatione. Isa. LIII. *Livore ejus sanati sumus.* Item habuit ruborem rosæ in passione. Eccl. XXIV, *Ego quasi plantatio rosæ in Jericho,*

id est in defectum mortis. Tunc tibi videtur cadere flos ejus, sed iterum refloruit in resurrectione : unde Psal. *Et refloruit caro mea etc.* Similiter et prælati debent habere hunc triplicem florem : candorem lilii per castitatem, livorem violæ per humilitatem, ruborem rosæ per caritatem. Eccles. xxxi, *Obaudite me divini fructus, et quasi rosæ plantatæ super rivos aquarum fructificate, quasi libanus odorem suavitatis habete : florete flores quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam.* Et si aliquando de iis floribus aliquis marcuerit, debent reflorere per pœnitentiam. Unde Philipp. iv, *Gavisus sum vehementer in Domino quia tandem aliquando refloruistis.* Tertium nomen est Emmanuel. Matth. i, *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Dominus.* Et hoc nomen debent habere prælati, ut semper sint cum subditis quasi pastores cum grege. Luc. ii : *Pastores erant in regione eadem, vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Moyses, ut acciperet legem pro populo, quadraginta diebus fuit absens, et iterum fornicavit cum idolis populus ejus, et tamen bonos vicarios dimiserat pro se Hur et Aaron. Exod. xxxii, Quid ergo fiet de populo, cui prælatus nunquam aut raro præsens est ? Si ipsi attenderent quam stricte requirit Dominus rationem de populo sibi commisso, aut non reciperent prælationem, aut starent cum grege. III Reg. xx, *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit de manu tua, erit anima tua pro anima sua.* Jerem. xxxiii, *Adhuc transibunt greges ad manus numerantis.* Quartum nomen est filius Altissimi. Luc. i, *Et vocabitur Altissimi filius.* Istud nomen debent habere prælati per compassionem et misericordiam. Unde Eccles., *Esto pupillis misericors ut pater, et eris velut filius Altissimi.* Quintum nomen est Magister. Sextum Dominus : de quibus dicitur Joan. xiii, *Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum etenim.* Hæc nomina debent habere prælati docendo populum, ut magistri, et regendo, ut Domini. De primo Matth. ult. : *Ite docete omnes gentes.* De secundo Psal. : *Dominus regit me etc.* Septimum nomen est Jesus. Matth. i, *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Et hoc nomen debent habere prælati, ut suam et populi salutem diligenter operentur. I Tim. iv, *Attende tibi, et doctrinæ : insta in illis ; sic enim te ipsum salvum facies, et qui te audiunt.* Si hoc nomen haberent prælati, omnes honorarent illos quasi Deum. Philipp. ii, *In nomine Jesu omne genu flectatur etc.* Hæc septem nomina prælatorum sunt septem cornua, et septem oculi Agni. De quibus dicitur Joan. v, *Vidi in medio agnum stantem tamquam occisum, habentem corona septem,* et oculos septem qui sunt spiritus Dei missi in omnem terram. Et Ezech. iv, *Vidit septem oculos in lapide uno. Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.* Generalis est admonitio in fine cujuslibet epistolæ, ubi suscitatur sive excitatur attentio auditorum, ut auditis pœnis quas minatur malis et præmiis quæ promittit bonis, diligenter invigilent ad fugiendum mala et faciendum bona.

Et Angelo Laodiciæ Ecclesiæ etc. Hæc est tertia pars capituli hujus in qua scribit Joannes Angelo, id est episcopo Laodiciæ ; et hunc ordinem servat. Primo describit Christum per quatuor dictiones quæ totam judicii veritatem exprimunt, ut patet in expositione litteræ. Secundo redarguit istum episcopum de hypocrisi. Ita enim gerebat se episcopus iste, ut non posset perpendi quibus magis faveret ; nec curabat quicquid fieret quasi non pertineret ad eum, ibi : *Scio opera tua.* Tertio monet eum ad pœnitentiam, promittens veniam, si velit pœnitere, ibi *Suadeo*, tibi. Quarto ponit generalem promissionem quam facit omnibus victoribus , id est in bono perseverantibus, ibi : *Qui vicerit.* Dicit ergo Angelus ad Joan. Angelo Laodiciæ scribe. Sicut sex præcedentibus hæc quæ sequuntur dicit : Amen, scilicet Christus, qui dicit Joan. xiv, *Ego sum via, veritas et vita.* Et dicitur Christus veritas, quia promissa omnia et comminata complet. *Amen*, hebraicum est : et quandoque sumitur adverbialiter, id est vere ; ut ibi, *Amen amen dico tibi.* Quandoque nominaliter ut hic ; et est idem quod verax, vel veritas, *Testis fidelis*, qui scilicet fideliter audita a Patre mundo retulit et operum nostrorum testimonium verum reddet coram Patre et Angelis ejus, et cui per omnia fides est adhibenda. Et verus in omnibus verbis suis, quæ mundo de Patre narravit et quæ de mundo Patri narrabit : qui est principium creaturæ Dei, id est per quem Deus Pater creavit et recreavit creaturam Dei, id est hominem et omnem aliam creaturam quæ propter

hominem quodam modo facta est, vel qua universaliter participat homo : unde nomine omnis creaturæ intelligitur homo. Matth. in fine ubi dicitur : *Prædicate evangelium omni creaturæ*. Homo etiam creatura mundi appellatur Rom. I. ubi dicitur : *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Quatuor ergo dicit de Christo, *Amen, testis fidelis, verus, principium creaturæ*. Amen, id est veritas promissa solvendo. Testis fidelis de operibus nostris testificando. Verus docendo. Principium, creando et recreando. Hæc etiam quatuor conveniunt Christo secundum aptationem quatuor personarum quæ sunt in perfecto judicio : scilicet Actor, Advocatus, Testis, Judex. Est igitur, Amen, id est veritas, id est actor movens causam contra reprobos, Testis fidelis erit contra reos. Verus in causa est electorum defensor, sive advocatus, Principium inquantum judex, qui est in causa principalior persona. *Scio opera tua*, scilicet qualia sunt. Hæc dicit quia exterius videbantur bona hominibus, sed interius per intentionem erant mala. Erat enim hypocrita episcopus iste ; et ita callide se gerebat, ut non posset perpendi cujus sectæ esset, ut dictum est supra. Sed Deus cor intuetur ; et ideo dicit, *Scio opera tua;* quasi dicat : non me latent quæ intus video. Eccles. XXXII, *Oculi Domini multo plus lucidiores super solem, conspicientes omnes vias hominum in absconditas partes et vere scio, quia neque frigidus es etc*. Nota quod tripliciter corrumpitur justitia sub specie veritatis : scilicet crudelitate, remissione et simulatione. Sæpe enim sub specie severitatis quæ est species justitiæ quo ad malorum punitionem, crudelitas latet, et remissa segnicies mansuetudo creditur; et sic dupliciter corrumpitur justitia. Tertio modo corrumpitur quo ad speciem liberalitatis, per simulationem quæ omnia facit, ut ab hominibus videatur et laudetur. Unde Matth. VI, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. In caliditate simulatio designatur quæ magis displicet Deo ; et ideo illi comminatur quod evometur ab ore Dei. Gregorius, Frigidus est qui consummanda non inchoat. Calidus qui bona inchoat et non consummat. Dicit ergo, *Quia neque*, quasi dicat, Revera scio opera tua, quia neque *frigidus es*, id est omnino remissus, vel omnino malus, *nec* omnino *calidus*, id est omnino crudelis, vel omnino bonus. *Utinam frigidus esses*, id est omnino remissus, vel omnino malus, ita quod appareret malitia tua, quia aperta mala correctionem habent; et ideo de talibus habetur spes emendationis. *Aut calidus*, id est omnino crudelis, vel omnino bonus. *Sed quia tepidus es*, id est torpens et simulatus, *Et nec frigidus nec calidus*, id est nec omnino crudelis, nec omnino remissus, vel nec omnino malus, nec omnino bonus, quia partim malus et partim bonus (erat intus malus extra bonus), *Incipiam te evomere ex ore meo. Glossa :* excommunicando et a consortio sanctorum removendo, in deteriora præcipitari permittendo, in excommunicare, vel a consortio fidelium separare, vel malitiam tuam exterius manifestare, *Ex ore meo*, id est vel prædicatores qui sunt os meum. Jerem. XV, *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*. Vel sic, incipiam te evomere, id est expellere ex ore meo, id est ex consortio prædicatorum, vel episcoporum qui dicuntur os Domini, quia in eis et per eos loquitur Dominus. Matth. X, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Isa. XXX, *Væ quæ ambulatis ut descendatis in Ægyptum et os Domini non interrogastis*, id est episcopum seu prædicatorem. Vel os Domini est promissio evangelii a quo hypocrita evomitur, quia a promissione evangelii excluditur. Matth. V, *Quum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes ; amen dico vobis receperunt mercedem suam*. In vomitu est expulsio quædam cum difficultate et dolore. Unde Isa. I, *Heu consolabor super hostibus meis et vindicabor de inimicis meis*. Thren. III, *Non enim ex corde suo abjecit et humiliavit filios hominum*. Item vomitus fit causa medicinæ sive sanitatis corporis et quodam modo invite. Sic excommunicatio debet fieri non ad vindictam. sed ad medicinam ; non libenter, sed quasi coacte. I Corinth. V, Item vomitus quando nimius est et continuus, mortem non salutem inducit ; sic exclusio quando generalis est et frequens, non salutem animarum, sed mortem inducit. Et ideo nunquam sine magna et evidenti necessitate debet excommunicari universitas , vel persona magna. *Quia dicis*, quasi dicat : Merito evomam te non solum quia tepidus, immo etiam quia jactas te, quia dicis, *dives sum* bonis temporalibus *et locupletatus* bonis spiritua-

libus *et nullius egeo* consilii, vel auxilii, vel alicujus rei. Vel sic : dives sum scientia et locupletatus virtutibus et nullius egeo quo ad corpus : quasi dicat : plenus et perfectus sum in corpore et anima. Numquid talia dicebat episcopus iste ? forte sic, quia jactantiæ species dominabatur ei. Sicut Eliud qui dicebat, Job xxxii, *Respondebo et ego partem meam et omnimodam scientiam meam ; plenus sum sermonibus et coarctat me spiritus uteri mei*. Contra primum et alios similes dicitur Proverb. *Melior est qui operatur et abundat in omnibus, quam qui gloriatur et eget pane*. Unde Jerem. ix, *Non glorietur sapiens etc*. Vel forte hoc dicebat corde, quia talis affectabat videri vel credi. Sed Dominus qui videt corda, respondet ei ostendens aliter esse. Unde subdit, *Et nescis quia tu es miser et miserabilis*. Per hæc tria verba ostendit Angelus istum esse aversum a tota Trinitate. Dicendo nescis, ostendit defectum scientiæ sive ignorantiæ, per quod patet ipsum alienum esse a Filio : dicendo miser, ostendit ejus malitiam, per quam est alienus sive aversus a Spiritu sancto ; dicendo miserabilis, ostendit ipsius impotentiam sive infirmitatem, per quam aversus est sive alienus a Patre ; ergo a Filio per ignorantiam, a Spiritu sancto per malitiam, a Patre per impotentiam, erat iste episcopus sequestratus. Postea subdit alia tria verba per quæ ostenditur falsitas jactantiæ contra tria quæ jactaverat de se. *Et pauper*, contra hoc quod dixerat, dives sum : *Et cæcus*, contra hoc quod dixerat, et locupletatus : *Et nudus*, contra hoc quod dixerat, et nullius egeo. Dicit ergo : Et dicis falso te jactando, quia dives sum virtutibus quæ sunt veræ divitiæ. De quibus dicitur Proverb. xiii, *Est quasi pauper cum in multis divitiis sit*. Redemptio animæ viri propriæ divitiæ. Et locupletatus bonis operibus ; Et nullius egeo, quia sum amicus et familiaris Domini a quo omnis abundantia ; Et nescis, quia tu es miser, miseria culpæ, de qua Proverb. xiv, *Miseros facit populos peccatum;* Et miserabilis, miseriis pœnæ, de quibus in Psalm. *In miseriis non subsistent*, et pauper, paupertate virtutum. De qua Psalmus, *Infirmata est in paupertate virtus* mea, Et cæcus, cæcitate ignorantiæ, de qua Isa. lvi, *Speculatores tui omnes cæci sunt : Et nudus*, nuditate bonorum operum : de qua infra xxi, *Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet*.

Suadeo tibi emere a me aurum etc. Hæc est tertia pars capituli, in qua monet eum Angelus ad pœnitentiam. Ad hoc enim venit ipse Christus in mundum, ut scilicet vocaret peccatores ad pœnitentiam, ut dicitur Luc. ix. Dicit ergo, *Suadeo tibi :* quasi dicat : Licet talis sis indignus misericordia, tamen *Suadeo tibi emere aurum ignitum*, idest charitatem ; quæ sic ardet in Dei et proximi dilectione, ut omnino extingui non possit, ut dicitur Zachar. viii, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Et dicitur charitas aurum, quia sicut aurum super omnia metalla est in valore, sic charitas est super omnes virtutes. Unde I Corinth. xiii, *Manent autem fides, spes, charitas, tria hæc ; horum autem major est charitas*. Vel per aurum, propter splendorem ejus et valorem, intelligitur sapientia quæ inter omnia dona primum et præcipuum locum tenet ; per ignem charitas. Dicitur Luc. xii, *Ignem veni mittere in terram*. Et Lev. vii, *Ignis in altari*, idest in corde, *semper ardebit quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies*, idest sanctorum testimonia, Scripturarum exempla, Dei beneficia. Istud aurum emitur duobus denariis, scilicet justitia et oratione. De prima dicit Eccles. i : *Fili, concupisce sapientiam, serva justitiam et Deus præbebit eam tibi*. Psalm. *Lux orta est justo*, idest sapientia. De secunda dicitur Jacob. i, *Si quis indiget sapientia, postulet eam a Domino, qui dat omnibus affluenter et non improperat*. Sic Salomon emit eam. III Reg. ii, *Est prudentia carnis mors, prudentia vero spiritus et vita et pax*. Rom. viii, De utraque dicitur Jacob. iii, Non est ista sapientia, idest mundi et carnis, de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Terrena siquidem in avaris, animalis in voluptuosis, diabolica in ambitiosis. Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non judicans sine simulatione, et hæc a solo Deo potest emi. Unde Eccles. i, *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper et est ante ævum*. *Probatum*, igne tribulationis. Eccles. ii, In igne probatur et aurum et argentum. I Petr. i, *In quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur*. *Ut locuples fias*. Sine

sapientia nullus est locuples ; qui habet eam locuples est et dives. Sap. VII, *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et lætatus sum in omnibus quoniam omnium bonorum mater est.* Et infra VIII, *Si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius ? quæ omnia operatur. Si autem secus operatur, quis horum quæ sunt magis quam illa artifex est?* Item Sap. XIII, *Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Proverb. III, *Beatus homo qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia : melior est acquisitio ejus negotiatione auri et argenti primi et purissimi, fructus ejus pretiosior est cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Et vestimentis albis induaris*, idest virtutibus et operibus virtutum. De quibus Eccles. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* Et dicuntur hæc vestimenta alba quia dealbant et mundant animam ab omni labe peccati. Psalm. *Lavabis me et super nivem dealbabor.* Psalm. : *Confessionem et decorem induisti amictus lumine sicut vestimento*, idest luminositate virtutum et operibus virtutum. De quibus Ecclesiast. IX, Isa. III, *Apprehendet vir fratrem suum domesticum patris sui et dicet, Vestimentum tibi est, princeps esto noster. Respondebit : quia non sum medicus et in domo mea non est panis neque vestimentum, nolite me constituere principem populi.* Vestis bona conversatio justi. Hæc debet esse alba per innocentiam. Eccles. IX, *Omni tempore etc.* Item longa per perseverantiam, Genes. XXXII. Item varia per virtutum varietatem. Psalm. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Ezech. XVI, *Vestivi te discoloribus.* Item contexta per veritatem non dissuta per simulationem. Joan. XIX, *Erat tunica etc.* Lev. XIX, *Non incidetis carnes odoriferas* per bonam opinionem. Genes. XXVII, *Ut sensit vestimentorum fragrantiam.* Item calida per charitatem. Job. XXXVII, *Nonne vestimenta tua calida ?* Proverb. VII, *Numquid potest homo abscondere ?* Item duplex per cordis et corporis munditiam. Proverb. ult. *Omnes domestici etc.* Isa. LXI : *In terra sua ante quam hæc induatur debet exui vetus.* Coloss. III, *Exspoliantes vos veterem hominem etc.* Zach. III, *Auferte vestimenta sordida.* Hæc debet frequenter lavari propter sudorem et pulverem. Isa. I, *Lavamini, mundi estote.* Sequitur, *Et non appareat in die judicii*, quando omnia manifesta erunt, *Confusio nuditatis tuæ*, idest nuditas virtutum et operum, unde confundaris mala confusione, de qua dicitur Jerem. XX, *Confundantur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum*, quod nunquam delebitur. Hæc confusio potest vitari per modicam confessionem quam haberet a sacerdote : unde *Glossa*, Melius est erubescere. Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum et est confusio adducens gratiam et gloriam. *Et collyrio inunge oculos tuos ut videas.* Duo oculi animæ sunt intellectus et affectus, sive cognitio et affectio. De quibus dicit sponsus ad sponsam, idest Christus ad animam, Cant. V, *Vulnerasti cor meum, soror mea, vulnerasti cor meum, in uno oculorum.* Cognitio non vulnerat Deum, sed affectio et dilectio quæ est oculus meus dexter cui diabolus magis insidiatur et quem potius nititur excæcare. Unde I Reg. XII, *Dicit Naas Ammonites, viris de Jabes Galaad : In hoc feriam vobis pactum, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium gentibus in universo Israel.* Collyrium quo ibi oculi debent inungi, est bona operatio sive pœnitentia, quæ intellectum clarificat ad cognoscendum verum et affectum ad amandum bonum. De primo dicitur in Psalm. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Item *a mandatis tuis* et ab observantia mandatorum tuorum *intellexi.* De secundo Joan. XIV, *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Gregorius, Exhibitio operis probatio est dilectionis. Contra hoc quod supra dixerat ipsum pauperem, suadet emere aurum, ut locuples fiat. Contra hoc quod dixerat nudum, suadet indui vestimentis albis, ut non appareat nuditas ejus. Contra hoc quod dixerat cæcum, suadet inungere oculos collyrio, ut videat. *Ego quos amo arguo et castigo.* Arguo verbis et castigo verberibus. Hic ponit Angelus consolationem, ne ex asperitate correctionis aliquatenus desperaret : quasi dicat : non desperes, quia prædicta redargutio non ex odio, sed amore provenit : et hoc est, Ego quos amo arguo verbis et castigo verberibus. Proverb. III, *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias* (Sive sit verborum sive verberum) *nec deficias cum ab eo corriperis : quem enim diligit Dominus corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Hebr

XII, *Noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris : quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* In disciplina autem perseverate : tamquam filiis offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri et non filii estis. Et loquitur de utraque disciplina, id est verborum et verberum. De quibus dicit Psalm. *Disciplina tua correxit me in finem et disciplina tua ipsa me docebit.* Et nota quod Dominus quinque causis flagellat hominem in hac vita. Quandoque ad probationem, ut Tobiam et Job. Quandoque ad humilitatis conservationem, ut Paulum, II Corinth. XII. Quandoque ad purgationem, ut sororem Moysi Mariam, Num. XII. Quandoque ad glorificationem Dei, ut cæcum natum, Joan. IX. Quandoque ad punitionis inchoationem, ut Herodem, Act. XII. Unde versus : Job probat; inclinat Paulum, sese manifestat in cæco; purgat Mariam, punit Herodem. Quandoque etiam ferit Dominus, sicut pungitur equus ad cursus accelerationem. Psalm., *Multiplicatæ sunt enim infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Item quandoque percutit Dominus ad castitatis conservationem : unde *Glossa :* Castigo id est castas reddo. Eccles. XI, *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. Æmulare ergo*, id est imitare bonos, qui pro Christo patienter sustinent mala. vel æmulare, id est æmulationem habe, id est zelum. I Cor. XII. *Sectamini charitatem, æmulamini charismata meliora. Et age pœnitentiam*, de tepiditate et hypocrisi. Matth. III, *Agite pœnitentiam; appropinquabit enim regnum cœlorum.* Eccl. II, *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei, et non in manus hominum.* Jerem. XVIII, *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod quasi locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* Et ne posset dubitare de venia, subjungit, *Ego sto* expectans ad pœnitentiam. Isa. XXX, *Expectat Dominus ut misereatur.* Cant. II, *En ipse stat post parietem nostrum.* Luc. XIII, *Stans Jesus jussit illum venire ad se, Ad ostium*, cordis, quod est liberum arbitrium. Exod. XII : *Nullus egrediatur ostium domus suæ usque mane.* Illud ostium clausum tenetur, quamdiu homo habet voluntatem peccandi, ita quod Dominus intrare non potest. Sap. I, *In malevolam animam non introibit sapientia etc. Et pulso*, inspirando, verberando, prædicando, beneficia conferendo. Cant. V, *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Si quis audierit*, una aure scilicet cordis, quæ est intelligentia, et alia quæ est obedientia, *Vocem meam*, id est inspirationem, seu flagellationem, seu prædicationem, seu beneficiorum collationem, quæ dicuntur vox Domini, quia per hæc vocat nos Dominus ad se, et tamen pauci audiunt. Prov. I, *Vocavi et renuistis, extendi manum meam et non fuit qui aspiceret et increpationes meas neglexistis, et omne consilium meum contempsistis. Et aperuerit mihi januam*, cordis sui, id est voluntatem per quam intrat Christus ad animam, quæ dicitur aperiri Christo per consensum bonum, et diabolo per consensum malum. De quo dicitur Exod. XII, *Nullus egrediatur ostium domus suæ usque mane*, ut dictum est supra. *Introibo ad illum* infundendo ei gratiam, sicut sol intrat in domum per fenestram apertam, radios intromittendo : nec aliter intrat sol nisi fenestra aperiatur, et ea aperta statim intrat sol. *Cœnabo cum illo*, id est in fide ejus et operibus delectabor. *Et ipse mecum* quia lætabitur de auxilio meo. Vel cœnabo cum ipso, et ipse mecum, id est reconciliabor illi et ipse mihi. Nam mutua cœnatio signum est mutuæ reconciliationis, ac mutuæ dilectionis. Item cœnat Deus cum homine gratiam infundendo, qua confortatur homo, et homo cum Deo gratiæ cooperando ; et ita uterque cum utroque cœnat, partem suam ponendo. Sed Deus primo cœnat cum homine, quia primo operatur gratia infundendo, vel liberum arbitrium excitando, et homo postea cœnat cum Deo gratiæ cooperando, vel inspirationi consentiendo. Ideo dicitur Hebr. XII, *Contemplantes ne quid desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Item cœnat Deus cum homine in meritis quibus reficitur. Isa. XXVIII : *Hæc requies mea, reficite lapsum, et hoc refrigerium meum.* Et homo cum Domino in præmiis. quibus ipse perficitur. Psal. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Item cœnat Deus cum homine in via, homo cum Deo in patria. Melior est enim cœna quam facit Deus homini quam illa quam facit homo Deo. Rom. VIII, *Non sunt con-*

dignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam etc. De cœna Domini dicitur Luc. XVI, *Homo quidam fecit cœnam magnam etc.* Apoc. X, *Beati qui vocati sunt ad cœnam nuptiarum agni.* De cœna hominis dicitur Luc. XIV, *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos aut fratres tuos etc.* : quasi dicat : Cum facis bona, noli quærere amicitiam hominum vel favorem parentum, vel remunerationem temporalem, sed tantum divinam, quæ melius remunerat. Deinde ponitur conclusio epistolæ. *Qui vicerit*, sicut dictum est supra, *Dabo ei.* Non alii, inquam, non reddam, non vendam, non mutuabo, sed dabo ei. *Sedere in throno meo,* id est dabo ei potestatem judicandi vicem in judicio. Juxta illud Matth. XIX, *Vos qui secuti estis me sedebitis super sedes duodecim etc. Sicut ego vici mundum* per charitatem, carnem per virginitatem, diabolum per humilitatem, *et sedi cum Patre meo in throno ejus* id est accepi a Patre potestatem judicandi. Unde Joan. V, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes etc.* Glossa dicit hic, quod hæc de prælatis intelliguntur. Unde patet quod nulli debet dari et sedere in throno prælationis, nisi prius vicerit, et mundum contemnendo ipsum, et carnem subjiciendo ipsam, et diabolo resistendo : et post hanc triplicem victoriam potest fieri prælatus. De primo Joan. XVI : *Confidite quia ego vici mundum.* I. Joan II, *Scribo vobis adolescentes quia vicistis malignum.* Et infra : *Scribo vobis juvenes, quia fortes estis, et verbum Domini in vobis manet, et vicistis malignum.* De secunda dicitur I Cor. IX, *Castigo corpus meum etc*, Nahum III, *Intra in lutum et calca, et subigens tene laterem.* De tertia Jac. IV, *Resistite diabolo et fugiet a vobis.* I Petr. V, *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus etc.* De hoc potest intelligi quod dicitur II Timoth. II, *Non coronabitur* quis corona scilicet prælationis *nisi qui legitime certaverit.* Sed heu ! hodie paucis datur corona prælationis, nisi victis a mundo per cupiditatem, a carne per voluptatem, a diabolo per ambitionem. Sed væ illis, qui tales coronant, et qui taliter coronantur ; cum solis victoribus debeatur corona. Psalm. : *Similes fiant illis*, id est simulacris, *qui faciunt ea.* Sap. XIV, *Fit idolum maledictum*, id est prælatus inutilis, *et ipsemet qui fecit illud.* Quia ille quidem operatus est, illud autem cum esset fragile, Deus cognominatus est. *Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, ut supra expositum est : per hanc enim clausulam excitatur semper intentio auditorum.

CAPUT IV.

Post hæc vidi etc. Hucusque durat prima visio, quæ fuit de correctione universalis Ecclesiæ, secundum omne tempus et statum. Hic incipit secunda visio, quæ est de revelatione mysteriorum. Et est satis competens ordo secretorum. Et dividitur hæc visio in tres partes, secundum ea quæ revelantur. Prima est de sedente in throno et ornatu ejus ; et durat per totum istud capitulum. Secunda est de libro signato et signaculis ejus, et agno aperiente ipsum ; et durat per totum quintum capitulum. Tertia est de consequentibus ad apertionem libri : et durat per sextum et septimum capitulum. Et distinguitur secunda visio in tres partes. Prima, qua videtur sedens in throno, pertinet ad contemplationem potentiæ. Secunda, qua videntur consequentia ad apertionem libri et solutionem sigillorum ejus, pertinet ad statum universalis Ecclesiæ. Dividitur autem istud capitulum in septem partes. In prima dicit Joannes se vidisse ostium cœli apertum, et audisse vocem invitantem ad ascensum cœli. Secunda pars est de ascensu. Joan. ibi, *Post hæc.* Tertia de iis, quæ vidit Joannes, ibi, *Et ecce sedes.* Quarta determinat qualis erat sedens et sedes, ibi, *Et qui sedebat.* Quinta ostendit, quæ et qualia circuibant sedem, ibi, *Et in circuitu.* Sexta determinat, quæ procedebant de throno, sive de sede, ibi, *De throno.* Septima agit de animalibus quatuor, quæ erant in medio in circuitu sedis, ibi, *Et in medio sedis etc.* Et notandum quod hæc visio respicit universalem statum Ecclesiæ a principio usque ad finem. Unde quædam dicit de ultimis fidelibus et passionibus eorum. Quædam de iis, quæ passi sunt fideles ante Christi incarnationem : quæ omnia valent ad exhortationem, et præmunitionem præsentium. Et ideo quia nemo idoneus est pati tribulationes, nisi correxerit malefacta, bene hæc visio, quæ est de exhortatione, sequitur primam, quæ est de correctione. Sic ergo post hæc non tempore sed ordine. *Vidi*, id est revelationem

seu visionem habui. *Et ecce*, admirationem et evidentiam notat, *Ostium apertum*, supple erat in cœlo. Nomine cœli intelligi potest Ecclesia militans, quia dicitur cœlum propter sublimitatem vitæ quam habet, propter claritatem, scientiæ qua fulget, propter stellarum id est fidelium varietates quas continet. Unde Matth. xiii, *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti etc.* Hujus cœli ostium est Christus, Unde Joan. x, *Ego sum ostium.* Hoc ostium nulli clauditur, neminem venientem ad se repellit. Unde quicumque excluditur, vel non ingreditur, non ostii sed sui culpa est. Unde Joan. v, *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit; et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Item nomine cœli potest intelligi Scriptura sacra : et dicitur cœlum a celando, quia sub littera celatur multiplex intelligentia : et ejus ostium intelligitur Christus, quia per ipsum intelligentia solvitur Scripturarum. Unde Eccl. v, *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Vel certe ostium Scripturarum est obscuritas figurarum, quæ usque ad Christum clausæ fuerunt, ita ut pauci intellexerint aliquid de Scripturis. Unde Psal. Tenebrosa aqua in nubibus aeris, id est obscura Scriptura in lege et prophetis. Sed quando venit Christus, qui est lux vera, recessit obscuritas figurarum, et patuit ostium Scripturarum. Unde Proverb. xxvii, *Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes.* Clavis qua apertum est ostium, est humilitas orationis. Isa. i, *Si quis vestrum indiget sapientia etc.* Eccl. xxxv, *Oratio humiliantis se penetrabit nubes*, id est Scripturarum obscurationes. Matth. xviii, *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli etc.* Apoc. iii, *Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem,* id est humilitatem, quæ modicam facit animam, inquantum ad sui reputationem. *Et vox ista quam audivi*, id est vetus Testamentum quod præcedit novum, fuit *Tamquam tubæ loquentis mecum*, id est terribilis et obscura, et invitans ad prælium. Unde Isa. xl, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Dicens, Ascende huc*, scilicet ad ostium. Totum enim vetus Testamentum ad Christum transmittit, nec aliud loquitur nisi Christum. Unde Matth. xvii, cum Petrus et Jacobus et Joannes primo vidissent cum Jesu Moysen et Eliam, statim sequitur : et levantes oculus neminem viderunt, nisi Jesum solum. Mich. iv, *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et fluent ad eum omnes gentes.* Mons iste Christus est, domus Domini Ecclesia ; hoc est Joannem ad ostium ascendere, quod omnes gentes ad montem fluere. Dicitur ergo Joanni, et cum illo cuilibet fideli. Ascende huc. Non corporis motu, sed mentis intuitu. *Et ostendam tibi, quæ oportet fieri cito*, id est in præsenti, quod comparatum æternitati, brevissimum est. Vel sic : ascende huc scilicet ad sensum spiritualem. Quasi dicat : Noli morari in superficie litteræ. In quo arguit duritiam et pigritiam Judæorum, qui adhuc ad radicem montis expectant cum asino, id est cum sensu stolido, ut dicitur Gen. xxxii. *Et ostendam tibi, quæ oportet fieri cito*, scilicet ante finem mundi, qui cito erit. I Joan. ii, *Filioli mei, novissima hora est.* Joel i, *A, a, a, quia prope est dies Domini!* Ter dicit A propter tria, quæ fient. Tria erunt in judicio, quæ timorem, et dolorem incutient. Primum erit vocatio ad judicium. De qua dicitur I Cor. xv : *Canet enim tuba et mortui etc.* I Thess. iv. *Ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo ; et mortui, qui in Christo sunt etc.* Et Hieronymus de hac voce dicit : « Sive bibam, sive comedam, sive aliud quid faciam, semper videtur auribus meis insonare illa tuba terribilis : O vos omnes qui jacetis in sepulchris, surgite et venite ad judicium salvatoris. » Secundum erit improperatio reproborum, qui non fecerunt quod facere debuerunt. Unde Matth. xxv, *Esurivi etc.* Tertium sententiæ erit promulgatio. De qua Matth. xxv, *Ite maledicti etc.* Item prima vox quam audivit Joannes fuit vox Angeli, qui ista nuntiabat ei, quæ tubæ comparabatur. Quia vocem angelicam seu inspirationem divinam, humana fragilitas vix ferre potest. De qua voce dicitur Act. ii, *Factum est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis.* Unde sensus est, Et vox prima, id est vox angelica, seu inspiratio divina, quæ dicitur prima respectu vocis corporeæ, quæ posterior est et tempore et dignitate et causalitate. *Tamquam tubæ*, quia invitabat ad prælium, id est contra diaboli tentamenta, contra mundi blandimenta, contra carnis oblectamenta, et ad convivium Christi, et ad festum cœli. *Loquentis mecum*, id est in me, sci-

licet intus in mente juxta illud Psalm. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Sic differunt vox spiritualis, et vox corporalis. Quia spiritualis vox loquitur in homine, corporalis ad hominem. Spiritualis formatur intus in mente. Corporalis intus in aure, sive in aere. Vel mecum, id est non mihi dissentienti, sed mihi concordanti. Quia mens ejus loquenti rationabiliter consentiebat. Et ex hoc patet quod idem desiderabat, quod Angelus admonebat dicens, Ascende huc, id est erige mentem, dilata visum, et quæ oculis carnis non potes cernere, mentis intuitu contemplare. Et ostendam tibi, post ascensum, quæ oportet fieri cito, scilicet tribulationes et persecutiones, et poste consolationem et remunerationes majores. I Petr. II, *Prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias. Post hæc statim*, id est hoc audito, *Fui in spiritu*, id est in spirituali contemplatione. Non enim intelligendum est quod spiritus ejus fuerit a corpore separatus; sed virtus divina sublevavit mentem ipsius ad contemplanda mysteria ista, ita quod nihil vidit vel audivit corporaliter; sed totus spiritualiter raptus in extasi, ita tamen ut scribere possit. *Statim.* Dicit contra pigros, qui semper procrastinant, quod eis præcipitur faciendum, voce corvorum dicentes cras. Sed vera obedientia statim parata invenitur. Unde Bernardus : « Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat auditui aures, linguam voci, pedes itineri, et manus operi, et se totum intus recolligit ut mandatum peragat imperantis. » Gen. XVIII, *Festinavit Abraham ad Saram dixitque ei, Accelera, tria sata similæ commisce etc.* Dicit ibi Origenes, « Accelerat Sara, currit Abraham, festinat puer, nullus piger in domo justi. » *Et ecce sedes etc.* Sedes Christi est cœtus prælatorum, et chorus Angelorum, in quibus ipse sedet et judicat; nec solum ii, sed omnes boni; sed ii maxime, per quos aliquos regit. Unde Psalm. *Regnabit Dominus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.* Isa. ultimo, *Cœlum mihi sedes est etc.* Sedens super sedem Christus est, qui præsidet Angelis et prælatis, et elevatur super omnem creaturam angelicam et humanam. Unde Isa. VI, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum.* Determinans ergo Joannes, quæ viderit, dicit, *Et ecce sedes*, id est cœtus prælatorum, et chorus Angelorum. *Posita*, id est ordinata, *Erat in cœlo*, id est in Ecclesia fide et miraculis coruscante, sicut cœlum luminibus. Psal. *Dominus in cœlo sedes ejus.* Item *paravit in judicio thronum suum.* Et alibi. *Sedisti super thronum, qui judicas justitiam. Et super sedem sedens* Christus scilicet omnes dignitate excedens, et potestate regens. Joan. III, *Qui de cœlo venit super omnes est,* supra primo. Christus inter candelabra dicitur ambulare; nunc vero super sedem sedere. Et tamen idem significatur hic per sedem, quod ibi per candelabra; scilicet cœtus doctorum, seu prælatorum. Sed Christus ibi ambulat discutiens, et inquirens merita singulorum. Hic sedet judicans et reddens singulis secundum merita eorum. Ibi ambulat quærens requiem, hic sedet inventa requie. Ibi ambulat in medio ut socius, hic sedet supra sedem ut Dominus. Nota quod dicitur sedes posita : nam prælati per positionem statuuntur in Ecclesia; et ideo poni dicuntur, quia deponi possunt. Quidquid est ponibile, est deponibile secundum artem. Joan. XV, *Posui vos etc.* Act. XX, *Attendite vobis etc.* Deinde ostendit Joannes qualis est iste sedens. *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis.* Duplici lapidi assimilatur Christus, ad demonstrandum duplicem naturam in Christo, divinam scilicet, et humanam, ex quarum contemplatione est vita æterna. Sicut dicitur Joan. XVII, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Divina natura in lapide jaspidis designatur, humana vero in lapide sardinis. Jaspis siquidem viridem habet colorem, viriditas autem inter omnes colores magis delectat et confortat visum : sic divinitatis species super omnia intelligibilia magis delectat et confortat intellectum. Sardix vero rubeum habet colorem, et Christi humanitas rubricata fut sanguine passionis. Unde Isa. LXIII, *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum?* In hac ergo visione consistit totius hominis beatitudo. Ut sive intus ingrediatur homo, per intellectum ad conspiciendam divinitatem, sive foras egrediatur per sensum, ad videndam humanitatem, in suo Salvatore pascua inveniat. Intus in aspectu divinitatis, foris in aspectu humanitatis. Unde Augustinus in libro *de Spiritu et anima* : Ideo totum assumpsit hominem Deus, ut totum in se beatificaret. Posita autem de-

scriptione sedentis, describit sedem dicens. *Et iris erat in circuitu sedis*, similis visioni smaragdinæ. Smaragdus viridis est et rubeus, et significat divinitatem et humanitatem Christi : delectat et confortat visum, quia in ejus visione tota felicitas hominis consistit. Iris significat pacem : unde Genes. IX dicitur, *Arcum meum ponam in nubibus et erit signum fœderis inter me et terram*. Unde iris proprie significat propitiationem Dei ad fideles per gratiam baptismi qui signatur in iride per colorem ceruleum, sive per rubeum quo significatur virtus baptismi per sanguinem. Et per hæc duo ad nos transit protectio divinæ propitiationis. Sequitur. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor etc.* Hic describitur Ecclesia per sedem designata : et dicit : *In circuitu sedis*, id est ad protectionem Ecclesiæ petita sunt sedilia, id est libri veteris ac novi Testamenti, in quibus debet anima sedere et quiescere et pasci. Psalm. *In loco pascuæ ibi me collocavit. Et super thronos vigintiquatuor*, id est super illa sedilia, scilicet in intelligentia spirituali sedent *seniores*, id est rectores et pastores aliorum, qui dicuntur vigintiquatuor propter dignitatem duodecim patriarcharum, et propter dignitatem duodecim Apostolorum, licet longe major sit numerus doctorum utriusque Testamenti. Dicuntur etiam seniores propter prudentiam. Job XII, *In antiquis est sapientia*. Dicuntur etiam sedentes propter justitiam, quia sic meditari debent et quiescere in Scriptura, ut seipsos districte judicent et etiam aliis justitiam exhibeant. Unde Gregorius, Dignum est ut cum aliena corrigimus, prius nostra metiamur. Sequitur, *Circumamicti vestimentis albis*, id est per temperantiam ceterasque virtutes sint undecumque vestiti indumentis temperantiæ, misericordiæ, fortitudinis et ceterarum virtutum. *Et in capitibus eorum*, id est in mentibus eorum, *Coronæ aureæ*, id est signa victoriæ ex virtute fortitudinis acquisitæ. Et dicitur in capitibus ; quia sicut caput est superior pars corporis, ita mens est dignior pars animæ, quæ regit vires inferiores. Dicuntur istæ coronæ aureæ propter eorum pretiositatem ; quia sicut aurum pretiosissimum est inter omnia metalla, ita pretiosissimum est vincere bella peccati. Sequitur.

Et de throno procedebant fulgura etc. Hic agit de his quæ procedebant a sede : quæ sunt tria, scilicet fulgura, voces et tonitrua : unde dicit : *Et de throno*, id est de Ecclesia, procedebant fulgura, scilicet miraculorum, quæ terrent et illuminant. Psalm. *Fulgura corruscationes et conturbabis eos. Et voces*, id est admonitiones de vitandis malis, augendis bonis et desiderandis præmiis. Cant. II, *Vox tua dulcis etc. Et tonitrua*, id est arguitiones et comminationes. Psalm. *Vox tonitrui tui in rota. Et septem lampades ardentes*, id est septem dona Spiritus sancti quæ illuminant ad instar lampadis ; quæ dicuntur ardentes, quia per effectum accendunt. Unde Judicum VII, legitur quod Gedeon lumine lampadarum adjutus fuit in nocte ut hostes vinceret. Hæ lampades erant *Ante thronum*, id est ante Ecclesiam, quia gratia donorum omnibus parata est, qui sunt sedes Dei. I Petr. I, *Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam. Et in conspectu sedis*, id est in evidentiam Ecclesiæ, *Tamquam mare vitreum simile chrystallo*. Mare triplex est effectus baptismi ; videlicet sinceritas a culpa, claritas innocentiæ et firmitas contra vitia. De prima dicitur Act. III, *Baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum etc.* De secundo dicitur Sap. I, *Clara est quæ etc.* De tertio dicitur in Psalm. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Per hoc mare etiam potest intelligi Scriptura quæ habet triplicem prædictum effectum. Verbum enim Domini mundat, clarificat et firmat. Hoc mare in conspectu sedis dicitur, quia frequenter meditandum est in Scriptura ; et comparatur vitro ; quia sicut vitrum ostendit rem, sed non plene, ita Scriptura ostendit Deum, sed non perfecte. Sequitur, *Et in medio sedis etc.* Hic describit ea quæ erant in medio sedis, id est Ecclesiæ erant quatuor animalia, id est quatuor evangelistæ qui sunt in medio et in circuitu Ecclesiæ ad disponendum et regendum et ad protegendum, quia per doctrinam scriptam ab Apostolis disponitur, regitur et protegitur Ecclesia. Regitur enim ut recte vivat, disponitur ut bene sit ordinata, protegitur ne succumbat. De istis quatuor animalibus legitur Ezechielis I, et dicuntur esse *plena oculis*, id est cœlesti cognitione et salubri consideratione, *ante*, quantum ad bona tenenda, *Et retro*, quantum ad vitia contemnenda. Philipp. III, *Qua quidem retro sunt etc*, *Et animal primum simile leoni :* quasi dicat : Primum ani-

mal habebat figuram leonis et per illud intelligitur Marcus, quia in ejus evangelio apparuit fortitudo Christi clarius quam in ceteris. Per vitulum intelligitur Lucas, qui Christi sacerdotium descripsit : per hominem vero Matthæus intelligitur qui nascentem Dominum plenissime describit : per aquilam vero Joannes qui de divinitate Christus altius ceteris locutus est. Per hæc animalia, item prædicatores designari possunt qui quatuor prædicare debent : scilicet credenda, agenda, vitanda et desiranda. Quilibet prædicator igitur debet esse leo per fortitudinem, vitulus per mortificationem, homo per discretionem, aquila per contemplationem. De primo dicitur Proverb. xxx, *Leo fortissimus bestiarum etc.* De secundo legitur I Corinth. ix, *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* De tertio dicitur Proverb. iv, *Oculi tui recte etc.* De quarto Job xxxviii, *Aquila de longe contemplatur escam etc. Et quatuor animalia etc.* Quilibet enim evangelista sex dotes spirituales habuit in sex alis designatas, quibus et se ipsos et alios provehant ad sublimia. Hæ alæ sunt, Fides certa, operatio perfecta, intelligentia Scripturarum, zelus animarum, caritas ad Deum, et desiderium supernorum. Et quia vigilantia maxime necessaria est, ideo multa dicit de oculorum multiplicitate ; ideo subjungitur, *Et in circuitu*, quod intelligitur quo ad exemplum exterioris conversationis, respectu proximi. *Et intus*, quo ad munditiam internæ conscientiæ. De primo dicitur Malach. ii. Vos autem recessistis etc. De secundo vero legitur in Psalmis, *Omnis gloria ejus ab intus.* Hæc animalia describuntur esse plena oculis propter vigilantiam magnam. Unde Gregorius super hunc locum dicit : Quisquis exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. At sancti viri exteriora sua circumspiciunt, ut sint bonorum exemplo. Matth. v, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Et interiora sua vigilanter attendunt dum se interni judicis oculis irreprehensibiles parant, quia omnia nuda et aperta sunt oculis Dei. Prædicatores item, qui, ut dictum est, per quatuor intelliguntur animalia, sex alas habere debent : scilicet legem naturæ, legem Moysi, prophetarum doctrinam, evangelium, documenta Apostolorum et eruditiones sanctorum : et ex his fundamentum medicationis a quolibet prædicatore sumi debet. Quilibet item fidelis habere sex alas debet : quæ sunt fides, operatio, injuriarum remissio, bonorum largitio, abstinentia et labor. Fides et operatio respiciunt Deum, injuriarum remissio et bonorum largitio considerantur quo ad proximum, abstinentia et labor diriguntur ad se ipsum. *Et requiem non habebant*, quantum ad vocem laudantium, quia laus eorum continua erat. *Die ac nocte*, id est in prosperis et adversis non cessabant laudare Deum. Unde sancti, sive tribulentur, sive prosperis afficiantur, semper Deum laudant et ipsi gratias agunt. Job i, *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum.* Psal. *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et Apostolus Paulus dixit, petendam esse salutem per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per infamiam et bonam famam. Quidam tantum laudant Deum in prosperis. Jac. ii, *Benedictus Dominus, divites facti sumus etc.* Psal. *Confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Quidam vero laudant Deum in adversis tantum. Psalm. *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur etc.* At sancti viri omni tempore Deum laudant, juxta illud. Psalm. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Vel die ac nocte, id est continuo. *Et dicebant. Sanctus, sanctus, sanctus.* Hic Apostolus ostendit formam laudis : et tangit multiplicem laudem. Sed in repetitione trina ostenditur trinitas personarum et unitas essentiæ, ibi : *Dominus*, et in dominando æternitas, ibi : *Qui erat*, et in essendo immutabilitas, ibi : *Et qui venturus est.* Ergo. Sanctus, sanctus, sanctus, ter dicitur propter trinitatem personarum : et dicitur sanctus ut invitet nos ad vitæ sanctitatem, juxta illud, *Sancti estote quia ego sanctus sum.* Et Paulus : *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus etc.* Hæc enim sanctitas est tantæ virtutis, ut sine ea nihil sit acceptum Deo qui dicitur omnis sanctitatis principium. Hæc fides de Deo uno et trino non solum est novorum fidelium, sed etiam antiquorum hominum, qui quodam lumine illustrati, licet a longe, cognoverunt Deum sub unitate essentiæ et personarum trinitate. Per hæc animalia, pos-

sunt intelligi prædicatores qui fuerunt in utroque Testamento. Hi namque præsident subditis in duobus; scilicet in prædicando et vigilando: hoc enim est prædicatorum officium. *Euntes* (inquit Dominus) *in universum mundum, prædicate evangelium*: et Paulus tantum se (inquit) missum ad evangelizandum et non baptizandum. Debent etiam vigilare per pastorale officium, quia pastoris est super gregem suum vigilias facere. *Pastores* (inquit Lucas) *erant in regione eadem vigilantes et custodientes vigilias noctis etc.* Divus Gregorius loquens de fide novorum ac veterum patrum inquit: Una fuit fides veterum et novorum patrum, et omnipotentem Deum trinum crediderunt. Ecce namque Joannes in sua revelatione dicit, quod animalia quatuor in cœlo clamabant, *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens.* In Domino enim notatur unitas essentiæ dum dicitur Dominus et non Domini sive dii. Dicitur etiam Dominus quasi dominans, omnibus enim dominatur. Esther XII. *Dominus omnium tu es.* In Deo item notatur naturæ unitas, juxta illud, Psal. *Vacate et videte quoniam ego sum Deus.* Hoc enim nomen excelsum est, amabile, reverendum et magnificandum. Unde infra XV, *Magna et mirabilia tua, Domine Deus omnipotens: quis non timebit te et magnificabit nomen tuum? omnipotens.* Hic ostenditur infinita potentia Dei quæ nisi esset una non esset infinita. Licet autem divinitas prius consideranda esset, præmittitur tamen dominatio divinitati, quia per notitiam universalis dominationis, devenimus in cognitionem omnipotentiæ ac divinitatis. Præterea adduntur hæc nomina, Dominus et omnipotens, ad manifestandam virtutem nominis Dei, Qui erat: quasi dicat: Mundus non erat et iste Dominus erat. Unde Joan. I, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum etc.* Et in libro Sap. dicitur, *Quando legem ponebat aquis, quando circumdabat mari terminum suum, quando appendebat fundamenta terræ, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, cum eo eram cuncta componens etc.* Augustinus: « In principio, id est in Verbo, creavit Deus cœlum et terram. » Psalm. *Ex utero ante luciferum genui te.* Unde notatur esse sine principio, II Machab. I, *Domine Deus omnium creator omnipotens et æternus et qui es immutabiliter etc.* Vel, Qui erat, singularis per omnia in esse divino, respectu cujus, omnia quasi non sunt, Et qui venturus est: quasi dicat: tota trinitas veniet ad judicandum, licet solus Filius visibiliter et corporaliter appareat. Quamvis autem Deus ubique sit et nullibi venire possit de novo, venire tamen secundum locum est proprium Christo, et secundum effectum justitiæ venire est proprium trinitatis quæ per effectum justitiæ manifestatur. Et venturus est omnino, etsi plurimi fuerint, qui hoc non crediderint, dicentes hoc esse impossibile, cum Deus ab initio omnia creaverit ut perpetuo durent, et temporum vicissitudo nunquam sit terminanda, et quod est futurum sit, et quod futurum est, jam sit pluries factum. Contra istos loquuntur prophetæ, loquuntur Apostoli, loquitur etiam ipse Christus qui etsi diem sui adventus non manifestaverit, tamen se venturum prædicit. Huc respicit virginum fatuarum parabola, huc ficulneæ et arborum similitudo, in quibus nos vigilantes et præparatos esse studeamus docet. Unde inquit: media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Et alibi, Videte ficulneam et omnes arbores cum producunt jam ex se fructum etc. Conemur igitur vigilare et inveniri parati, ne repentinus super nos veniat interitus, quia dies Domini, sicut fur ita in nocte veniet. De his qui diem adventus Domini negaverunt loquitur Petrus, II Petr. III, *Venient in novissimis diebus in deceptionem illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes et dicentes, ubi est promissio aut adventus ejus? ex quo igitur patres dormierunt, omnia perseverant ab initio creaturæ. Et cum darent*, id est attribuerent et danda esse profiterentur et prædicarent *illa* quatuor evangelistæ et universi prædicatores, *Gloriam*, fidei suæ, *Et honorem*, operationis bonæ, *Et benedictionem*, remunerationis futuræ. Item gloriam pro resurrectione, honorem pro ascensione. Benedictionem pro sancti Spiritus missione. Item gloriam conscientiæ, honorem vitæ, benedictionem doctrinæ. Hæc enim omnia attribuenda sunt Deo a quo est omne bonum. Jacob. I, *Omne datum optimum etc.* Item gloria Patri pro creatione. Honorem Filio pro recreatione. Benedictionem Spiritui sancto pro promissa glorificatione. Rom. XI, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria. Sedenti super thronum*, id est Christo judici, Joan. V,

Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Viventi in sæcula sæculorum, id est æternaliter, licet mortuus fuerit temporaliter. Supra I, *Fui mortuus et ecce sum vivens in sæcula sæculorum. Procidebant* quatuor animalia, id est universi prædicatores ut dicerent et ostenderent solum Christum glorificandum, honorandum et benedicendum, qui solus dat sanctis suis gloriam et honorem et benedictionem. Tunc *procidebant*, id est humiliabant se *Viginti quatuor seniores*, id est universi novi et veteris Testamenti fideles, *Ante sedentem in throno*, se in ejus reputatione nil reputantes: nil sibi, sed ei totum attribuentes. Quasi dicat illud Isa. XXVI, *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*. Ideo dicit Psalm. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Item in fine psalmorum cum dicitur, Gloria Patri, inclinant religiosi, quasi dicant ipso facto cum multitudine Angelorum, Luc. II. *Gloria in altissimis Deo etc. Et adorabunt viventem in sæcula sæculorum*, id est divinum honorem ei exhibebant, licet esset homo, juxta illud Psalm. Venite adoremus Dominum et procidamus ante Deum. *Et mittebant coronas suas ante thronum*, id est Christo judici victorias suas ascribebant : id est cum tentationes et tribulationes et peccata et ceteros hostes vicerant, non sibi sed Christo attribuebant *dicentes*, ore non corde credentes, *Dignus es*, dignitate, congruitate et condignitate, *Domine*, mala puniens, *Deus*, bona faciens, *noster*, te et tua tribuens, *Accipere*, ab omnibus creaturis, *Gloriam*, laudem cordis et *Honorem*, laudem oris, *Et virtutem*, laudem operis : quasi dicat : Laudandus, glorificandus, et honorandus es, orè, corde, opere. Et subdit causam : *Quia tu creasti omnia:* et ideo sunt ad te referenda. *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant*, Eccl. I. Judith. IX, *Deus totius creaturæ tu es*. Et ne crederet aliquis, quod subito et ex improviso creasset omnia Deus, ideo subditur : *Et propter*, id est juxta *voluntatem tuam*, erant in arte, id est in sapientia Dei, sicut arca vel domus ante est in mente artificis quam fiat actu. Joan. I, *Quod factum est in ipso vita erat. Et creata sunt*, id est existentia, quæ tamen prius erant in Dei sapientia.

CAPUT V.

Et vidi in dextera etc. Hæc est secunda pars hujus secundæ visionis, quæ continet hoc totum quintum capitulum, in qua ostenditur Joanni sacramentum redemptionis humanæ : et dividitur hoc capitulum in octo partes. In prima ostenditur Joanni dispositio divina de redemptione generis humani. In secunda ponitur desiderium antiquorum, de impletione illius dispositionis. Infra, *Et vidi Angelum*. In tertia ostenditur afflictio antiquorum de dilatione, *Et ego flebam*. In quarta ponitur consolatio flentium, ibi, *Et unus de senioribus*. In quinta ponitur adimpletio prædictæ dispositionis. *Et vidi, et ecce in medio*. In sexta ostenditur quod sancti reddunt Deo de apertione libri id est pro adimpletione dispositionis, ibi, *Et cum aperuisset*. In septima ponitur congratulatio Angelorum de redemptione et liberatione hominum, ibi, *Et audivi*. In octava ponitur consensus sanctorum in congratulationem Angelorum, ibi, *Et quatuor animalia*. Dicit ergo, *Et vidi*. Copulativa conjunctio ostendit, quod hoc quod dicitur in hoc capitulo, non est alia visio a præcedenti, sed illi sicut pars toti conjungitur. Sed in præcedenti capitulo, quod incipit, Post hæc vidi, propter dictionem ordinariam ostenditur quod visio illa erat alia a præcedenti. Ideo dicit : *Et vidi*, cum aliis, quæ dicta sunt in quarto capitulo. *In dextera sedentis super thronum*, id est Christi, qui constitutus est a Deo Patre judex vivorum et mortuorum, *Librum*, id est Scripturam sacram, *Scriptum intus et foris:* intus, quo ad vetus Testamentum, in quo erat abscondita sub figuris redemptio nostra. Foris, quo ad novum Testamentum, ubi est manifesta redemptio nostra. Item, scriptum intus, per sensum mysticum. Et foras, per sensum historicum. Item, scriptum intus, ad perfectorum exercitium. Et foris, ad minorum documentum. Item, scriptum intus, ut secreta sapientiæ indignis claudantur. Foris, ut dignis occasio exercendi in studio detur, et sic meritum augeatur. Item, scriptum intus, ne manifesta veritas contemnatur, Et foris, ne ignota penitus dimittatur. Item, scriptum intus, quo ad mysterium divinitatis, et foris, quo ad mysteria humanitatis. Et debet iste liber esse in dextera,

non in sinistra ; quia promittit æterna, non temporalia : et quia ducit ad dextram, ubi agni collocandi dicuntur. Matth. xxv, *Venite benedicti Patris mei. Signatum sigillis septem*, id est multis obscuritatibus clausum. Psal. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, id est obscura intelligentia in Scripturis, Isa. xxix, *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras dicent ei, Lege istum, et respondebit, Non possum, signatus est enim*. Item, liber iste est Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, ut dicitur Col. i Cujus signacula, sunt septem sacramenta nostræ redemptionis in lege figurata et a prophetis prædicta. Primum est conceptio sive incarnatio, quæ fuit figurata in conceptione Isaac, Gen. xxii, *Et approbata*. Isa. ix, *Parvulus natus est nobis et Filius datus est nobis*. Et de utroque istorum duorum dicitur Isa. vii, *Ecce virgo concipiet et pariet Filium*. Utrumque etiam figuratum fuit Num. xvi, in virga Aaron, quæ una nocte floruit et fronduit, et fructum fecit. Tertium est passio, quæ fuit figurata in morte Abel, Gen. iv. Et de immolatione vitulæ rufæ, Numer. xix, et agni, Exod. ii. Et prophetata Isa. liii, *Tamquam ovis ad occisionem ducetur*. Jerem. xi, *Ego quasi agnus mansuetus, qai portatur ad victimam*. Quartum est descensus ad inferos, qui fuit figuratus in Samsone, qui tulit portas Gazæ, Judic. xvi, Et approbatus, Zach. ix, *Tu autem in sanguine Testamenti tui, emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua*. Quintum est resurrectio, quæ fuit figurata in suscitatione filii mulieris Saraptenæ, III Reg. xvi, Et prophetata Oseæ vi, *Vivificabit nos post duos dies : et tertia die suscitabit nos*. Sextum est ascensio, quæ fuit figurata in translatione Enoch, Gen. v. Et in raptu Eliæ, IV Reg. ii. Et prophetata, Isa. lxiii, *Quis est iste, qui venit de Edom?* et Psal. *Ascendit Deus in jubilo*. Septimum est adventus ejus ad judicium, qui fuit figuratus in arcu cœli, post diluvium, et per calorem igneum. Gen. ix, Et prophetatus Isa. iii, *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui*. His sigillis clausus et signatus fuit liber, donec ipsemet aperuit ea, ut postea dicitur : Liber iste scriptus fuit intus et foris. Intus sapientia increata. Foris, sapientia creata, quæ scivit omnia, sicut alia. Item, scriptus intus, in anima litteris virtutum, Et foris, in corpore, vulneribus lateris, et pedum, et manuum. Psal. *Foderunt manus meas et pedes meos etc*. Item, scriptus intus in anima septem donis Spiritus sancti. Isa. xi. *Requievit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replevit eum spiritus timoris Domini*. Et foris, in corpore, septem infirmitatibus. Isa. iv, *In die illa apprehendent septem mulieres virum unum. Septem mulieres*, id est universæ infirmitates humanæ præter ignorantiam et peccatum. De quibus Job, *In septimo tribulationis liberavit te Dominus: et in septimo non tanget te malum*. Item Scriptura interior potest dici scientia universorum. Scriptura vero exterior septem verba, quæ protulit in cruce, quibus nos docuit septem bona. Liber iste est divina dispositio. Intus, id est in veteri Testamento, obscure, sub littera clausus, et paucis admodum revelatus. Et foris, novo Testamento ubi manifestata est et adimpleta dispositio ejus. Unde Judæis dictum est, Exod. xii, *Ad vesperum immolabitis agnum;* id est ultima ætate, reparatione generis humani, sciatis futura per Christi passionem. Septem signacula libri sunt figurativa facta patriarcharum et ænigmata dicta prophetica, sub quibus divina dispositio de reparatione hominum clausa latebat. Ab æterno hic liber scriptus fuit, quia ab æterno fuit ostensus vel sigillatus liber : sed quando cœperunt esse figuræ et prophetiæ, tunc cœpit liber ostendi et sigillari. Sigillum vero libro appositum, etsi librum claudit ne videatur, tamen significat, quod aliquod secretum in eo latet quod nondum videtur. Isa. xxiv, *Clamat, secretum meum mihi*, quando fuit Adæ de terra virgine plasmatio : quando ejus dormitio; quando mulieris de costa dormientis formatio, quando Abel occisio, quando diluvii inundatio, quandó Abrahæ circumcisio, quando rubi visio, quando virgæ floritio, quando agni immolatio, quando serpentis elevatio : et multa signacula hujus libri fuerunt, quæ omnia per Christum aperta fuerunt. Unde I Corinth. x, *Omnia contingebant illis in figura*, Eccl. xxiv. *Hæc omnia liber vitæ*. Item liber iste potest dici corpus Christi in sacramento altaris, Scriptum, intus consolationibus et suavitatibus plenus, Et foris, speciebus visibilibus tectus, et signatus sigillis septem, id est mirabilibus, quæ sunt ibi.

Primum est, quod fit de pane non mutato, manens idem, quod prius : sicut cognitio mea, mediante voce fit tua, manens in ea. Secundum est, quod tanta magnitudo, sub tam parva specie tota latet, sicut in pupilla oculi totus mons recipitur. Tertium est, quod tantum corpus per os hominis intrat, non diminutum, eadem potentia, qua clauso utero intravit et exivit de beatissima Virgine et de sepulchro, ut vere possit dici, Sic potuit clauso Christus prodire sepulcro. Quartum est quod comeditur non consumptum, vel divisum : sicut viror herbæ ab oculo videntis comeditur, nec tamen minuitur vel dividitur ; ut iterum possit dici, Sic editur Jesus : manet integer tamen esus. Quintum est quod ab immundis tangitur et sumitur, nec tamen polluitur ; sicut radius solis lutum tangit, sine contaminatione sui. Sextum est, quod a pluribus sumitur, et in pluribus locis conficitur : nec tamen augetur vel minuitur : sicut ignis candelæ non minuitur, etsi multæ candelæ inde accendantur. Septimum est, quod ibi quantitas sine quanto et dulcedo sine dulci, et multa hujusmodi, quæ non est reperire aliquatenus in natura. Ideo dicitur Isa. XXIX, *Erit vobis visio omnium, sicut verba signati libri, quem cum dederint sitienti litteras, dicent ei, lege istum, et respondebit, non possum, signatus est enim :* eo quod nullus mortalis est, qui possit hunc ad aliquid explicare. Item liber iste potest dici Ecclesia. *Scriptus intus*, divinis consolationibus, *et Foris* mundanis tribulationibus. Septem sigilla sunt septem virtutes, sub quibus latent septem beatitudines. Primum sigillum est paupertas, sub quo latet regni adeptio. Secundum mansuetudo, sub quo latet terræ possessio. Tertium est luctus, sub quo latet consolatio. Quartum sitis et esuries, sub quo latet saturitas. Quintum est misericordia, sub quo latet non miseria, sed misericordia. Sextum est munditia, sub quo latet visio divina. Septimum est pacificatio, sub quo latet divina filiatio. Hæc sigilla clausa fuerunt quousque Dominus ipse aperiens os suum dixit, *Beati pauperes etc.* Matth. V. Sequitur. *Et vidi Angelum fortem.* Secunda pars est, in qua ostenditur desiderium antiquorum de impletione divinæ dispositionis super reparatione generis humani, quæ in libro signata erat. Unde *Glossa*, Sancti patres intellexerunt aliquando a Deo dispositam reparationem hominum, et quod fieret exoptabant : sed quomodo fieret, ignorabant. Dicit ergo, Et vidi, id est mente intellexi, Angelum, id est patres veteres qui dicuntur Angeli, propter vitæ puritatem. Et dicuntur singulariter Angelus propter concordiæ et fidei unitatem. *Fortem,* propter expectationis longanimitatem, et tribulationum tolerantiam. *Prædicantem*, id est inquirentem, et aliis nuntiantem : unde I Petr. I, *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi. Voce magna*, id est desiderio, et studio magno. Luc. X, *Beati oculi qui vident etc. Dico enim vobis quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos auditis etc.* Hæc autem desiderabant antiqui propter multa. Primo ut Deo reconciliarentur. Job IX, *Non est qui utramque valeat arguere, et ponere manum suam in ambobus.* Ibi *Glossa*, Christo in ambobus manum posuit, quia homini operandi exemplum præbuit : ideo in se opera quibus placaretur ostendit, quod nullus alius unquam facere potuit. Secundo ut Dei familiaritatem quam amiserant assequerentur. Cant. VIII, *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciet ?* Unde Bernardus, « Jam promissiones et visiones non recipio, figuras et ænigmata volo, ipsas quoque angelicas species fastidio, omnes quippe superat specie et pulchritudine Jesus meus. » Tertio ut legis austeritas et onus mitigaretur. Act. XV, *Hoc est onus, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus.* Isa. XI, *Computrescet jugum a facie olei.* Quarto ut Scripturæ clausæ prius aperirentur. Job XXXVIII, *Numquid post ortum suum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum ?* est Scriptura quæ post ortum Christi fuit aperta. Quinto ut captivi de limbo liberarentur, ubi multi erant. Job. XVII, *In profundissimum inferni descendet anima mea.* Sed Christus liberavit. Zac. IX, *Tu vero in sanguine Testamenti etc.* Sexto ut ab eo opprobrium diaboli tolleretur. Psalm. : Aufer a me opprobrium et contemptum. Psalm. : Usquequo exaltabis me super me ? Septimo ut natura humana exaltaretur. Psalm. : *Tenuisti manum dexteram meam, et in volun-*

tate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me. Cant. : *Osculetur me osculo oris sui*. Et his desideriis vehementia antiquorum exprimitur per septem antiphonas, quæ cantantur in Adventu, ante Natale. De quo dicit Bernardus : Desiderium patrum suspirantium in carne præsentiam Christi frequenter cogitans, compungor et confundor in me ipso, et vix contineo lacrymas. Cui namque tantum nostrum gaudium luxerat his, gratiæ exhibitio, quantum antiquis intulit sola promissio? *Quis est dignus aperire librum ?* Sic Christus Patris dispositionem, suam et apostolorum impleta dispositione manifestavit, quod est solvere signacula libri. Unde Act. I, *Cœpit Jesus facere, et docere. Et nemo potest*, id est nullus, *neque in cœlo*, ut Angelus, *Neque in terra*, ut homo purus, *Neque subtus terram*, id est spiritus jam corpore exutus, *Aperire librum*, id est Dei dispositionem : impossibile, hoc est redimere genus humanum. Quicquid enim habet boni quælibet creatura totum Deo debet. Unde alias : et ubi unigenitus Dei Filius moreretur, genus humanum non redimeretur, et non redemptum periret. *Neque respicere illum*, id est perfecte intelligere librum, vel libri apertionem, id est modum nostræ redemptionis. Nam si antiquorum aliqui cognoverunt futuram incarnationem et passionem et cetera præludia nostræ redemptionis, tamen modum plene nunquam scire potuerunt. Unde et beata Virgo de modo dubitans, dixit Angelo, Luc. I, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Joannes etiam Baptista dicit, Joan. I, *Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti :* quasi dicat : non sufficio sensu capere vel verbis explicare unionem naturarum in Christo. Isa. LIII, *Generationem ejus quis enarrabit?* et de humana generatione Christi non solum de divina intelligitur, ut innuit *Glossa*. *Et ego flebam multum*. Sed quare flebat Joannes? quia aut intelligebat, aut non. Si non, ergo debuit flere, quia nesciebat qui erat in libro. Si intelligebat, ergo non debuit flere, sed potius gaudere, quia sciebat jam esse impletum. Solutio est in *Glossa*, quod hoc dicit Joan. in persona antiquorum, non in sua, qui flebant, et dolebant propter dilationem. Nam sicut dicitur Prov. XXII, *Spes quæ differtur affligit animam*. Unde hic incipit tertia pars in qua ostenditur afflictio antiquorum, propter dilationem redemptionis, quam expectabant. Dicit ergo Joannes in persona antiquorum, *Et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum*, id est redimere genus humanum. Quia omnes inquinati erant, ut dicit *Glossa* Job XIII, secundum aliam litteram, Nemo mundus a sordibus, etiam infans cujus vita unius diei est super terram. Ephes. II, *Eramus natura filii iræ. Nec videre illum*, id est perfecte intelligere : ut dictum est. Sed adhuc quare non dicit Joannes, quod Angelus fortis prædicans voce magna flebat, cum gerat typum antiquorum? Respondeo. Ad innuendum, quod una est Ecclesia ex patribus veteris et novi Testamenti. Cant. VI, *Una est columba mea. Et unus de senioribus*. Hæc est quarta pars, in qua ponitur consolatio. Unde dicit, Et unus de senioribus dixit mihi, id est cœtus prophetarum, qui dicuntur unus propter fidei et rei prophetatæ unitatem. Unum enim et uno spiritu prophetabant. Unde Job XXXVIII, *Numquid conjungere poteris nutantes stellas pleiadas?* id est, Numquid prophetas in unum concordare, ut scilicet unum sentiant, et unum prædicent. Et nota, quod non dicit, ne fleas, quia naturale est hominibus de dilatione rei desideratæ dolere, et quanto desiderium majus est, tanto est de dilatione dolor. Unde non prohibentur flere patres, sed fletum continuare : unde sensus est : *Ne fleveris*, id est fletum continuaveris, sed intercipe continuationem. *Ecce*, id est in proximo, *vicit*, id est vincet : præteritum est pro futuro, prophetica certitudine posuit. Quia cum futurum erat in re existenti, viderunt prophetæ jam factum in Dei sapientia. Sicut I Reg. II, *Arcus fortium superatus est, et infirmi accincti sunt robore. Leo*, id est Christus, qui fuit Leo in nativitate. Leo siquidem cauda sua vestigia delet, ne comprehendatur. Sic Christus cauda humanitatis, vestigia divinitatis abscondit, ne diabolus eum inveniret. Unde Isaiæ XLV, *Vere tu es Deus absconditus*. Isa. XI, *Leo quasi bos, paleas comedet*. Item, leo fuit in prædicatione quia audacter sine humano timore arguebat majores. Matth. XXIII, *Væ vobis Scribæ et Pharisæi*. Oseæ XI, *Quasi leo rugiet, quia ipse rugiet* et formidabunt filii maris. Item leo fuit in passione : quia tunc proprie diabolum vicit et prædam de manu ejus tulit. Num. XXIII, *Ecce populus, ut*

leæna consurget et quasi leo erigetur. Non accubabit donec devoret prædam. Gen. XLIX, *Catulus leonis Judas : ad prædam ascendisti fili mi, requiescens accubuisti ut leo.* Deuteronom. XXXIII. *Dan catulus leonis fluet largiter ex Basan.* Dan interpretatur judicium. Basan, confusio : et in passione flevit Dominus largiter, quia peccatores adjudicati sunt confusioni. Item leo fuit in resurrectione, quia motus, tertia die, virtute Patris quasi vocis ejus suscitatus fuit. Num, XXXIV, *Accubans dormivit ut leo, et sicut leæna quam suscitare nullus audebit.* Isa. XXXI, *Quomodo si rugiat leo et catulus leonis supra prædam suam, occurrit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit.* Hoc fuit post resurrectionem et sancti Spiritus missionem : quia ita fortes fecit Apostolos, ut multitudinem Pharisæorum et scribarum, aliquo modo non timerent. Item leo erit in judicio, quando emittet rugitum terribilem. Amos III, *Leo rugiet, quis non timebit?* Item leo dormit apertis oculis, et Christus vivente divinitate expiravit. Et nota quod dicit, *ecce*, quod est adverbium demonstrandi. Quia visibile erit ille qui vincet. Isa. XXV, *Dicetur in illa die, ecce Dominus noster iste : expectavimus eum et salvabit nos.* Luc. I, *Ecce Virgo concipiet et pariet filium :* quasi dicat : Visibilem pariet de tribu Juda procedens invulneratus. Micheas V, *Et tu Bethlehem Ephraim parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, Matth. II dicitur : *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Et per hoc excluditur error illorum, qui dicunt quod Christus non assumpsit carnem de Virgine, sed de æthere fecit sibi corpus et transfudit se in uterum Virginis. Unde dicunt quod Christus natus est de Virgine, sed non factus de Virgine. Contra quos dicit Apostolus, Galat. IV, *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum natum de muliere, factum sub lege etc. Radix David*, id est procedens a David, vel fundamentum David : immo utrumque : procedens a David quo ad humanitatem. Isa. XI, *Egredietur virgo de radice Jesse :* et fundamentum David, quo ad divinitatem quæ est radix et principium omnium. Joan. I. *Omnia per ipsum facta sunt.* Rom. XI. *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, Aperire librum et solvere septem signacula ejus :* quasi dicat : In hoc quod vicit librum aperuit, id est divinam dispositionem implevit, hoc est genus humanum redemit et septem signacula solvit : occulta prius mysteria declaravit.

Et vidi et ecce in medio throni etc. Quinta pars est in qua ostenditur impletio dispositionis. Et bene continuatur hæc pars præcedenti. Ibi enim ponitur consolatio flentium ex promissione, et hic impletio promissionis. Unde dicit : *Et vidi*, Sicut unus de senioribus dixerat mihi. Et exequitur Joannes quomodo vicit leo, *Et ecce in medio throni*, id est in medio prælatorum, per quatuor mundi climata currentium, *Et in medio seniorum*, id est in medio doctorum. In antiquis enim est sapientia et in multo tempore prudentia. Job. XII, *agnum*, id est Christum humilem et mansuetum, *stantem*, id est certantes adjuvantem : unde Act. VII, Stephanus inter lapides vidit Jesum stantem exemplum omnibus dantem. Matth. XX, *Ego sum in medio vestrum tamquam qui ministrat.* Joan. XIII, *Exemplum dedi vobis etc.* Item in medio omnium stat Christus, quia pro omnibus mortuus est. II. Corinth. V, *Christus pro omnibus mortuus est.* De hoc agno prædixerat Isa. XVI, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti*, id est Beata Virgine, *ad montem filiæ Sion*, id est in Ecclesiam. Vel de gentilitate ad Judæam. Sed quid est quod supra eodem vidit Joannes Dominum sedentem super thronum, et nunc videt stantem, et tamen eadem est visio ? Supra etiam capitulo primo vidit Joannes Dominum ambulantem. Significat quod Dominus excitat suos et disquirit merita singulorum. Item quod vidit stantem, significat quod judicat merita singulorum. Item ambulat Jesus, ut socius. Psalm. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Sedet, Ut Dominus.* Psalm : *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Stat ut Deus. Matth. XX, *Stetit Jesus et vocavit eum ad se.* Ibi dicit Glossa, Stat ut Deus, compatitur ut homo. Item quid juverit sibi hoc quod supra unus de senioribus in consolatione Joannis flentis vocavit Jesum leonem, et nunc Joannes in exhibitione vidit eum agnum ? Solutio. In hoc notatur duplex natura Christi. In leone significatur fortitudo divinitatis, per quam vicit mundum. In agno significatur mansuetudo humanitatis, in qua fuit occisus. Jerem. XI, *Ego*

quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam. Item leo est Dominus malos puniendo. Agnus bonos redimendo. Item leo fuit in promissione, ut infirmos roboraret. Agnus in exhibitione ne mens provida formidaret. Item fuit leo resurgendo, agnus moriendo. Et præponitur leo, ut spes resurrectionis confortet et erigat timorem passionis. *Tamquam occisum*. Hic insurgunt et insultant Manichæi, qui dicunt Jesum non verum corpus habuisse, sed phantasticum; nec vere mortuum, sed phantastice. Sed dicimus quod tamquam est expressivum veritatis. Sicut Joan. I. *Quasi unigeniti a Patre*. Sed si stans erat, quomodo occisus in humanitate. Ideo dicitur, tamquam occisum, quia in altera natura tantum. Simile in Psalm. *Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus*. Quomodo confractus si stetit? Si dicitur quod stetit in divinitate, confractus in humanitate, hoc significatur Lev. XVI, per duos hircos, quorum unus immolabatur, alter portans peccata populi dimittebatur. Item *Tanquam occisum*. Quia in se vere fuit occisus semel, sed in membris tamquam occisus est in quibus quotidie occiditur. Matth. XXV, *Quod uni ex minimis fecisti etc*. Et Petro dixit Dominus. Vado Romam iterum crucifigi. Et Act. IX dixit Paulo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Item. *Tanquam occisum*, dicit. Quia adhuc habet Dominus cicatrices vulnerum in testimonium contra reprobos qui nil pro eo volunt pati, quos ostendet in judicio. Ezech. XIII. *Quid plagæ istæ in medio manuum tuarum sunt?* et dicet. *His plagatus sum in domo eorum qui me diligebant*. Item, *Tanquam occisum*. Quia cito resurrexit ut non de morte, sed quasi de somno resurrexisse videatur: unde Psalm. *Ego dormivi et soporatus sum etc*. II Corinth. ult. *Et si crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute*. Docet etiam hic prælatus ut sit leo per audaciam. Proverb. XVIII. *Fugit impius nemine persequente. Justus quasi leo confidens absque terrore erit*. Item in eodem XXX, *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum*. Talis fuit Elias, de quo dicitur Eccles. In diebus suis non pertimuit principem et in persona nemo vivit illum, nec superavit illum verbis aliquis. Ideo dicitur Eccl. VII, *Noli fieri judex tempore, nisi virtute valeas irrumpere in iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis et ponas scandalum in agilitate tua*. Item debet esse agnus per mansuetudinem et humilitatem. Matth. XI, *Discite a me etc*. Matth. V. *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*, id est regent Ecclesiam. Ideo fuit electus Moyses in principem et ducem populi, quia erat mansuetus. Num. XVII. *Erat Moyses mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*. Psalm. *Supervenit mansuetudo*, id est in superiore venit, *et corripiemur*, quia utilius corripit mansuetus prælatus, quam durus. Debet igitur fieri quædam mixtura in prælato ex justitia leonis et misericordia agni, ut sit justus et misericors. Sicut enim legitur de Domino, justus et multum misericors. Augustinus: « Cum utrumque sit necessarium, plus a vobis amari appetat quam timeri. » Jacob II. *Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam*: superexaltat autem misericordia judicium. Eccles. VII, *Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est*. Isa. XV, *Lupus et agnus pascentur et leo quasi bos paleas comedet*. Hoc fit quando in prælato sit mixtum justitiæ et misericordiæ, ita ut nec justitia misericordiam expellat, nec misericordia justitiam nimis emolliat: unde prælato dicitur, verba patris habes, verbera matris habe. Sed heu hodie ad literam leo vicit et agnus occiditur. Quia multi prælati per violentiam opprimunt subditos et devorant mansuetos. Eccles. XIII, *Venatio leonis onager in eremo, sic pascua divitum pauperes*. Ezech. XIX, *Est leo et didicit prædam facere*, id est exactores et homines devorare. Et tamen dicitur Eccles. IV, *Noli esse ut leo in domo tua, subvertens domesticos tuos*. Bene ergo dicit Joannes quod vidit leonem vincentem et agnum quasi occisum, quia in prælatis vivit rapacitas et crudelitas, et mansuetudo, et pietas fere cum omnibus occisa est. Infra XIII, *Agnus qui occisus est ab origine mundi*. Bene dicit, ab origine mundi: quia statim ut oritur prælatus in mundo, occiditur in eo mansuetudo et pietas. Sequitur, *Habentem cornua septem*, id est regiæ potestatis perpetuitatem. Per cornua enim designatur regia potestas. Luc, I. *Erexit cornu salutis nobis*. Per septem vero cornua perpetuitas temporis; quia omnia tempore septenario dierum agimus. Dan. VII, *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur. Et regnum ejus quod non corrumpetur*. Luc. I, *Regni ejus non erit finis. Et oculos septem*, id est cognitionis

universitatem : per oculos namque cognitio designatur, et per septem universitas. Eccles. XXIV. *Domino Deo antequam crearentur omnia sunt agnita, sic et post perfectum respicit omnia.* Item per septem cornua signantur prælati cornuti, qui etiam debent esse cornei, carnem excedentes per continentiam et parentum suorum ignorantiam et capiti Christo adhærentes per jugem meditationem, et per fidem et amorem quæ sunt radices cordis. De primo dicitur Deuteron. XXIV, *Qui dixerit patri suo et matri suæ, nescio vos, et fratribus suis, ignoro illos, et nescierunt filios, ii custodierunt eloquium tuum et pactum tuum servaverunt.* Psalm.: *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, id est de sanguineis, *nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Ecclesiæ etiam sub nomine dicit Dominus, Psalm. : *Audi filia et vide et inclina aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Item dicitur Abrahæ qui typum tenet prælatorum, Gen. XII, *Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi, faciamque te in gentem magnam*, id est prælatum tunc demum quando egressus fueris. Moysen etiam in itinere voluit occidere Angelus, quia ducebat secum filios et uxorem, Exod. IV, Huic in commendatione novi sacerdotii, dicitur Hebr. VI, Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, primum quidem in tempore rex justitiæ : deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia. Et ita manifestum est, si secundum legem mandati carnalis factus est. Sed secundum virtutem vitæ insolubilis, reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Sed audi quid dicatur Job XXI, de prælatis modernis, *Egredientur quasi greges parvuli eorum, et infantes eorum exultant lusibus.* Et supra parum : *Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba et nepotum in conspectu eorum.* Beatus Bernardus : « Uno episcopante tota progenies episcopatus. Hodie est aliquis qui nullos habet parentes : cum sit episcopus ipsa die multos habet nepotes et consanguineos ». Ideo miratur Ecclesia de tam subita generatione multorum. Isa. XLVI, *Numquid parturiet terra ? in die illa una percutiet gens, quoniam parturivit et peperit Sion filios suos.* Item in eodem XLIX dicitur ad Jerusalem, *Dices in corde tuo, quis genuit mihi istos? ego sterilis et non pariens, transmigrata, et captiva, et istos quis enutrivit? ego destituta et sola et isti ubi erant ?* Ad hoc respondet Isa. ult. *Adducent*, inquit, *omnes fratres nostros de cunctis gentibus ad domum Domini, in equis et quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem ; et assument ex eis sacerdotes et levitas*, id est de illis fient decani, archidiacones et episcopi. De illis episcopis carnalibus qui nepotes et sanguineos qui intuitu sanguinis promovent in Ecclesiis conqueritur Dominus, Ezech. XLIV, *Sufficiant nobis omnia scelera nostra domus Israel, eo quod induatis filios alienos, incircumcisos corde et incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, et polluant domum meam.* Habacuc II, *Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, et præparat urbem in iniquitate.* Nahum III, *Væ civitas sanguinum, civitas sanguinum universa plena.* Soph. III, *Væ civitas provocatrix et redempta, civitas columba. Non audivit vocem, et non suscepit disciplinam, in Domino est confusa, ad Dominum suum non appropinquavit, princeps ejus in medio ejus, leones rugientes judices ejus, lupi vespere non relinquentes in mane, prophetæ ejus vesani, viri infideles. Sacerdotes ejus polluerunt sanctum : injuste egerunt contra legem.* De secundo dicitur I Corinth. VII, *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* Psalm. : *Innocentes et recti adhæserunt mihi*, dicit Christus de prælatis. De iis cornibus dicitur in Psal. *Omnia cornua peccatorum confringam et exaltabuntur cornua justi.* Item per septem oculos significantur iidem prælati, qui debent esse semper in capite et videre toti corpori Ecclesiæ. De primo dicitur Eccles. II, *Sapientis oculi in capite ejus.* Psalm. : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum.* De secundo dicitur Proverb. IV, *Oculi tui videant recta et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Qui sunt septem spiritus Dei*, id est perfecte spirituales effecti. Psalm. *Qui fecit Angelos suos spiritus*, id est spirituales. Missi in omnem terram ad prædicandum verbum Dei. Hebr. I, *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.* Item per septem cornua, possunt intelligi septem dotes beatorum : per septem oculos septem dona Spiritus sancti : quæ omnia habet Christus pro se et pro suis : unde quod dicitur, qui sunt septem spi-

ritus Dei, potest respicere utrumque. *Missi in omnem terram*, id est in omni terra existentibus, promissi Joel III. *Effundam spiritum meum super omnem carnem*. Sap. I, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, *Et venit*, agnus scilicet in mundum. *Et accedit*, inquantum homo, *De dextera sedentis in throno*, id est a seipso Deo et Dei Filio, *librum*, id est legem ad sciendum et aliis aperiendum. Et licet Christus homo gratiam intelligendi Scripturas aliis a Filio propter unionem, et quia Filio appropriatur sapientia, et quia filius dicitur Magister hominum, Matth. XXIII, *Ne vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.*

Et cum aperuisset librum, quatuor etc. Hæc est sexta pars capituli, in qua ostenditur quid sancti reddunt Deo pro redemptione generis humani, scilicet imitationem et laudem. Imitatio vero in quatuor attenditur. Primum est humiliatio, quia Christus se humiliavit formam servi accipiens sicut se humiliaverunt propter ipsum. Quod notatur ibi : *Ceciderunt*. Secundum est carnis mortificatio ; pro eis enim Christus mortuus est, et ipsi propter se mortificantur. Quod notatur cum dicitur : *Habentes singuli cytharas*. Tertium est latitudo amoris. Christus enim ex magno amore mortuus est pro sanctis, et sancti similiter propter amorem ipsius se morti exponunt. Quod notatur cum dicitur : *Et phialas*. Quartum est oratio pro se invicem. Christus enim oravit pro inimicis, et sancti similiter. Quod notatur ibi : *Plenas odoramentorum*. Per animalia vero et seniores intelligitur universitas sanctorum. Nam per animalia intelliguntur illi qui seminant verba ; per vigintiquatuor seniores illi qui se exercent in sex operibus misericordiæ, secundum regulam et doctrinam quatuor evangeliorum. Dicit ergo *Et cum aperuisset librum*. Agnus scilicet cum legis mysteria prius occulta manifestasset et divinam dispositionem de redimendo genere humano implesset, *quatuor animalia*, idest universi prædicatores *et vigintiquatuor seniores*, idest omnes fideles opera misericordiæ juxta doctrinam evangelicum implentes, *Ceciderunt coram agno*, de se humilia sentientes, Deum magnificantes, ab ipso justificari humimiliter postulantes. Ceciderunt, dicit, non descenderunt. Quia humilitas nescit descensum, quia semper est in imo. Imple illud consilium Domini, Luc. XXIV, *Si invitatus fueris ad nuptias, vade et recumbe in novissimo loco ; ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi : amice, ascende superius : et tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*. In hoc autem quod dicit, *Coram Agno*, nota differentiam inter casum humilitatis et casum peccati qui est retrosi Heli, I Reg. III. Qui autem coram Agno cadit, videt Agnum et videtur ab eo. Et ita in hoc notatur rectitudo intentionis. *Habentes singuli cytharas*, idest carnis mortificationes. Ubi tot sunt chordæ, quot in homine membra. Et omnes debent tangi, quia omnia membra quæ peccaverunt debent puniri. Rom. VI, *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Isa. XXIII, *Sume cytharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita bene cane, frequenta canticum, ut memoria sit tui*. Et dicit, *singuli*, quia non omnes unam, sed unusquisque sibi congruam debet agere pœnitentiam. Luc. IX, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam. Et phialas aureas*, idest corda lata et lucida. Lata quidem per caritatem, lucida per castitatem : et aurea per sapientiam cœlestem. De primo dicitur II Corinth. VI, *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii ; cor nostrum dilatatum est ; dilatamini et vos*. De secundo Isa. : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Proverb. XXII, *Qui amat cordis munditiam, propter gratiam labiorum habebit amicum regem*. De tertio, qui sapiens est corde appellabitur prudens, Prov. XVI, *Plenas odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum*, ides plenas devotis orationibus et piis desideriis, quales orationes sanctorum. Et comparantur omnia odori. Odor enim circumquaque se effundit et omnibus se communicat ; sic sanctorum oratio se extendit ad omnes. Et quanto odor intensior est, tanto diffusior, ut dicit *Glossa*. Unde Paulus pro omnibus docet orare. I Timoth. II, *Obsecro primum omnium fieri orationes, obsecrationes et postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti*. Item sicut odor ascendit, sic et devota oratio. Eccles. XXXV, *Oratio humiliantis se penetrabit nubes, et donec appropinquet non consolabitur*. Cant. III, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum*, idest per cœlum, *sicut virgula fumi, ex aroma-*

tibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii? Et cantabant, laudando et exultando in Domino, *Canticum novum*, de humani generis innovatione. De qua dicitur Isa. XIV, *Nova quoque annuntio*. Et statim subdit, *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ*. Vel novum de nova nativitate quæ fuit de matre sine patre. Prima quidem fuit sine patre et matre, sicut Adam. Secunda de patre sine matre sicut Eva. Tertia de patre et matre, ut Cain et Abel et omnium aliorum : hæc fuit quarta et nova quia de matre et sine patre. Jerem. XXX, *Novum faciet Dominus super terram ; femina circumdabit virum*. Ibi fuerunt tres miræ novitates : scilicet Deus homo, mater virgo, cor fidele. Propter quod illa die cantat Ecclesia, *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Dicentes* corde, ore, opere, *Dignus es Domine Deus noster*. Quia immunis a peccato et plenus virtutibus, *Accipere librum*, id est implere dispositionem divinam. *Et solvere signacula ejus,* id est legis ministeria sub figuris tecta manifestare, *Quoniam occisus es*, occidi prævisus. *Et redemisti nos*, qui sub peccato detinebamur conclusi. Rom. XI, *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. Deo*, id est ut essemus servi Dei qui prius eramus servi diaboli. Isa. L, *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis. In sanguine tuo*, I Petr. I, *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vestra vana conversatione traditionis paternæ sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Jesu Christi*. Quia sine originali ; immaculati, quia sine actuali peccato fuit. I Petr. II, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Sed quia non dicit, per sanguinem tuum, redemit totum genus humanum per sufficientiam, sed, in sanguine tuo, id est in fide et in unitate passionis suæ redemit tantum bonos per efficientiam, *Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione*, id est ex trina generatione trium filiorum Noe. Dicuntur tres tribus, et in qualibet tribu sunt plures linguæ. Et in qualibet aliqui fuerunt redempti. Quasi dicat : *Ex omni natione quæ sub cœlo est congregasti electos*. Unde Matth. VIII, *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum. Et fecisti nos* id est omnes redemptos, *Deo nostro regnum et sacerdotes*, id est regnantes spiritualiter, et nos ipsos humiliter offerentes et pro aliis orantes, *Et regnabimus*, per hoc *super terram* id est super carnem, eam spiritui subjicientes. I Corinth. IX, *Castigo corpus meum et in servitatem redigo*. Item ex ea fures et latrones, id est motus carnales penitus effugantes. Eccles. XIX, *Beata terra cujus nobilis est rex*. Prov. XX. *Rex qui sedet in solio judicii intuitu suo dissipat omne malum ;* et eodem infra, *Dissipat impios rex sapiens. et incurvat super eos fornicem*, id est arcum triumphalem.

Et vidi et audivi vocem Angelorum etc. Hæc est septima pars, ubi ostenditur Joanni, quia sancti Angeli congratulantur de reparatione generis humani inde laudantes Deum. Sed quare in præcedenti parti egit Joannes de congratulatione hominum ? quia ibi ostendit quod ex illa congratulatione homines imitantur Deum, secundum quod ipsum laudant, hic ostendit quod Angeli non dicuntur imitari Deum, quia non sunt ejusdem nostræ naturæ ; sed homines sunt ejusdem naturæ ; et ideo possunt eum imitari. Unde Hebr. II, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Unde debuit per omnia fratribus similari. Dicit ergo, *Et vidi et audivi*, id est intellexi, ac si vidissem et audissem, *vocem,* id est congratulationem, *Angelorum multorum*, existentium, *In circuitu throni*, scilicet prælatorum, *Et animalium*, prædicatorum, *Et seniorum*, id est doctorum : vel omnium electorum qui in septem operibus misericordiæ secundum regulam quatuor evangeliorum se exercent. Ex quo patet quod Angeli et majores et minores et medias personas Ecclesiæ muniunt et custodiunt. I Petr. V. Probabile est quod boni circuibant Ecclesiam ad defendendum. Psalm. : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Isa.: *Heu super muros tuos Jerusalem etc.* Psalm. : *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos. Immittit*, dicit, id est missus venit. *Et erat numerus eorum millia millium*. Hoc dicit, ut ostendat quia quanto major attestatio, tanto majus erit gaudium. Sicut nato Domino non unus Angelus, sed multitudo Angelorum caneret, *Gloria in excelsis Deo*, Luc. II. Per hoc quod dicit, *Millia millium*, nota quod numerus Angelorum finitus est, et infinitus. Mille enim numerus finitus est, sed propter

pluralem numerum infinitus. Quia non dicitur quod sint duo vel tria millia, sed millia millium. Deo igitur qui videt omnia finitus est numerus Angelorum, nobis autem infinitus. Unde Job xxv, *Numquid est numerus militum ejus?* Daniel. vii, *Millia millium ministrabant ei et decies centena millia assistebant ei*, *Voce magna dicentium*, id est magna aggratulatione. Nam si *gaudium est in cœlo Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, ut dicitur Luc. xv, Quantum majus est gaudium eis de totius humani generis salvatione ? *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem Glossa :* Immunitatem a peccato. Sed numquid in ipso instanti incarnationis habuit Christus immunitatem ab omni peccato ? constat quod sic. Quomodo ergo dicit, Quia dignus est accipere, quia occisus est ? Non enim ex merito passionis habuit Christus immunitatem peccati, sed ex unione animæ ipsius ad Verbum. Unde ita immunis fuit a peccato in primo instanti conceptionis suæ Christus, sicut post passionem, aut sicut modo est. Sic ipse quo ad se, semper habet immunitatem peccati, sed nobis accepit merito passionis ; quia ex passione inest baptismo jus regenerativa, et omnia sacramenta inde habent virtutem suam. Vel sic. Merito passionis accepit immunitatem peccati quo ad evidentiam. Simile Philipp. ii, *Propter quod exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Glossa :* Quod est Deus : quod revera non tunc donavit illi Deus, nisi quo ad notitiam hominum et divinitatem, id est fidem et notitiam quod sit Deus, licet visus fuerit ignorantiam habuisse, quando fuit parvulus. *Et fortitudinem*, qua diabolum vicit, licet victus in morte fuerit visus, *Et honorem*, quia fuit inhonoratus, *Et gloriam*, impassibilitatis, quia fuit passus, *et benedictionem*, quia fuit conviciatus. Item, *virtutem* contra nostram pusillanimitatem, *Et divinitatem*, contra nostram corruptibilitatem, *sapientiam,* contra nostram ignorantiam, *fortitudinem*, contra nostram imbecillitatem, *Et honorem*, contra nostram confusionem, *Et gloriam*, contra nostram miseriam, *Et benedictionem*, contra nostram maledictionem. Item *dignus est Agnus accipere virtutem*, in secundo adventu quam in primo occultavit. Matth. xxiv, *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute magna et majestate*, et divinitatem in ipso judicio, quam occultavit in patibulo : *ibi* enim *abscondita est fortitudo ejus*, id est divinitas, ut dicitur Habacuc iii. Et Psalm. *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Joan. v, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorant Patrem*, id est cognoscant ipsum Deum sicut patrem ; et sapientiam in sententiæ dictatione qua justissime illos reprobavit et istos elegit ; fortitudinem in diaboli damnatione, et honorem in resurrectione, et gloriam in ascensione, et benedictionem in fidelium multiplicatione. *Et omnem creaturam,* id est Domini, non omnis creatura *quæ in cœlo est*, ut Angeli, *Et quæ super terram*, ut homines, *Et quæ subtus terram*, ut dæmones, *Et mare et quæ in eo sunt*, id est omnes creaturæ. Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Philipp. ii, *Factus est obediens Patri, usque ad mortem : propter quod et Deus exaltavit illum et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum :* quasi dicat : omnis creatura erit ei subdita, ut de ea faciat quidquid voluerit. Matth. xi, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.* Item sic, *Dignus est Agnus qui occisus est,* id est prævisus occidi, *Accipere virtutem*, *et divinitatem et sapientiam*, id est uniri divinæ virtuti et divinæ sapientiæ, id est Verbo quod est *virtus Dei et Dei sapientia*, I Corinth. i, Et dicitur dignus dignitate congrui, et meriti, et fortitudine impugnandi fortem et diripiendi spolia ejus. Luc xi, *Cum fortis armatus custodit atrium Domini sui, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior illo superveniens vicerit illum, universa arma ejus auferet in quibus confidebat*, sicut Christus in mundo quem diabolus possidebat in pace, vicit ipsum et arma ejus, id est peccatores quibus armatus erat abstulit. Unde Isa. xlix, *Numquid tolletur a forti præda, aut quod captum fuerit a robusto salvum esse poterit?* Equidem quod ablatum fuerit a robusto salvabitur. Et honorem hominum, et Angelorum adorationem, et totius mundi subjectionem. Psalm. *Adorate Dominum omnes Angeli ejus,* Et gloriam, id est corporis et animæ stolam. Isa, xliii, *Iste formosus in stola gradiens in multitudine virtutis suæ.* Psalm. *Gloriam et magnum decorem imposuisti super caput*

ejus et benedictionem in nativitate. Luc. I, *Benedictus fructus ventris tui*. Psalm. *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis*. Et omnem creaturam ad obediendum et serviendum ei. Psalm, *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, Joan. XVII, *Omnia mea tua sunt quæ in cœlo sunt et quæ super terram*, id est Angelos et homines. Ephes. I, *Suscitans illum a mortuis et constituens ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed in futuro; et omnia subjecit sub pedibus ejus et quæ subtus terram*, id est in inferno. Coloss. II, *Expolians principatus et potestates transduxit confidenter*. Supra I, *Habeo claves mortis et inferni*, *Et mare et quæ in eo sunt*, idest omnem mundum, *omnes audivi dicentes*, omnes Angelos, scilicet vel omnes creaturas, *sedenti super throno et Agno* id est Christo sedenti secundum divinitatem et agno secundum humanitatem. Vel sedenti super throno et agno, id est Patri et Filio. *Benedictio et honor, potestas et gloria*. Hæc quatuor quæ acceperunt a Domino Angeli attribuunt ei a quo recognoscent se habere omnia. Benedictio pro dono creationis, quia tam nobiles et in tam nobili statu sunt creati. Hæc fuit benedictio de rore cœli desuper, id est sola gratia Dei, Gen. XXVII. Honor pro reverentia et honor quem exhibet eis tota Ecclesia humana. *Glossa*, pro dono visionis divinæ et confirmationis. Potestas pro dono potentiæ, quia potentes sunt super dæmones refrenandos. *In sæcula sæculorum*. Semper et continue dicant hæc omnes Angeli sedenti super throno et Agno. Sed cum hoc habuerint a principio antequam Christus incarnaretur, quomodo hæc attribuuntur Agno? Sic Agno attribuunt, quia per ipsum eorum ruina reparata est, et per ipsum hæc quatuor habuerunt et omnia quæ habent, quia *per ipsum omnia facta sunt*, Joan. I. Hæc quatuor tamen secundum unam *Glossam* exponuntur de ipso Agno, hoc modo : *benedictio*, id est exaltatio sit ei scilicet, *Et honor*, id est impassibilitas, *Et gloria*, id est immortalitas in resurrectione, *potestas*, quo ad omnium subjectionem, *in sæcula sæculorum*, id est in æternum. Item secundum aliam *Glossam*, *Benedictio*, id est augmentatio quam habemus in bonis operibus, *et honor* qui inde sequitur apud Deum et homines : *et gloria* de virtute quam in baptismo accepimus *et potestas* et qui concupiscentiis resistimus, non nobis, sed ipsi attribuimus in sæcula sæculorum. Unde Psalm. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Item *Benedictio*, id est laus sit ei pro donis fortunæ quæ dat quotidie nobis, quæ benedictio est de pinguedine terræ, *et honor* pro donis quæ dat et conservat in nobis, *et gloria* pro donis gratiæ quæ dat et conservat et augmentat in nobis, *et potestas* gloriæ quam præparat nobis, immo jam præparavit. Joan. XIV, *Vado vobis parare locum*, *in sæcula sæculorum*, *Et quatuor animalia*. Nona pars in qua ostenditur quomodo sancti consentiunt congratulationi Angelorum super hominum redemptione. Unde dicit : *Et quatuor animalia*, id est universi prædicatores, *Dicebant*, *Amen*, testimonio et congratulationi Angelorum super hominum redemptione, præbentes assensum et confirmationem, Amen enim nota est consensus et confirmationis. Unde *Glossa :* ad prædicatores ex officio suo convenit alios confirmare. Unde Petro dictum est, Luc. XXII, *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Supra tertio, confirma cetera quæ moritura erant. Sed quomodo possunt prædicatores confirmare dicta Angelorum qui sunt majores et digniores eis ? Solutio. Duplex est confirmatio : una est per ratificationem, et hæc est auctoritatis, et pertinet ad majores, sicut metropolitanus confirmat electiones episcoporum. Alia est per approbationem et assensum, et hæc pertinet ad minores, et de ista agunt hic. Amen enim hic est responsio minorum et finis ordinis. Unde I Corinth. XIV. *Si benedixerit spiritu, quis supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicat nescit ?* Unde in hoc quod prædicatores dicunt ad benedictionem Angelorum, Amen, notatur quod sunt minores illis. Unde Matth. XI, *Qui minor est in regno cœlorum major est illo*, id est Joanne Baptista. In hoc etiam quod homines dicunt Amen, et non ipsi Angeli, notatur concordia hominum et Angelorum in laude divina. Unde Psalm. : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum*, id est laudantium animarum. *Et viginti quatuor seniores*, id est universi doctores vel universi fideles sex operibus misericordiæ, juxta regulam quatuor evangeliorum intendentes, *Ceciderunt in*

facies suas, id est se humiliaverunt suas considerantes conscientias et non alios judicantes. Qui enim caderet frequenter in faciam suam, id est frequenter consideraret conscientiam suam, judicaret se et non alios. Job v, *Visitans speciem tuam, non peccabis*. Galat. vi, *Considerans te ipsum, ne et tu tenteris*. *Et adoraverunt*, corde, ore, opere. Quod sequitur non debet esse in littera. Sed quia plures libri habent, ideo exposui, *Viventem in sæcula sæculorum*, id est Christum, qui vivit in se in æternum, et dat aliis vitam. Joan. xvi, *Quia ego vivo, et vos vivetis*. Item Joan. v, *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat. Sic et filius vivificat etc.* Infra, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*.

CAPUT VI.

Et vidit quod aperuisset etc. Hic incipit tertia pars hujus secundæ visionis, in qua ostenditur septuplex status Ecclesiæ : et continet duo capitula, sextum scilicet et septimum. Dividitur autem hæc tota pars in septem partes secundum numerum sigillorum, et statuum Ecclesiæ. Sigillorum enim apertio nihil aliud est quam statuum Ecclesiæ manifestatio. In hoc autem sexto capitulo continetur apertio quinque sigillorum, et in parte apertio sexti : et secundum hoc, istud capitulum dividitur in sex partes. Prima pars est de primo statu Ecclesiæ, qui fuit tempore Apostolorum ; qui significatur per equum album, cujus sessor est Christus, qui primum sigillum aperuit Ecclesiæ primitivæ, id est resurrectionem mortuorum, quæ latebat in Scriptura, quæ significatur per Aaron. Et ob hoc necesse fuit ut primo pradicaretur resurrectio, ut credita resurrectione minus timeretur passio, et postea videant Christum viventem et morientem. Unde certi erant de ejus humanitate, de divinitate autem ipsius certificati fuerunt in resurrectione : et ideo primo debuit prædicari, ne inanis et vacua esset fides eorum. Dicit ergo, *et vidi* oculo interiori, *Quod aperuisset Agnus*, qui solus hoc potuit, quia ipse est solus Dei virtus, et Dei sapientia, I Corinth. i. Unde Sapient vii, Ipse sapientiæ dux est, et sapientium emendator. Item in eodem viii, Doctrix est disciplinæ, et electrix operum illius. *Unum de septem sigillis*, id est quod complesset quicquid de ipso usque ad ascensionem in veteri lege sigillatum fuerat id est obscure prædicatum. *Et audivi* auditu interiori, *Unum de quatuor animalibus*, scilicet Marcum, qui primus est in hac visione, et specialius agit de resurrectione Christi. Unde *Glossa* dicit, Unum, id est Joannem. Sed hic dicit *Glossa*, quia Joannes divinitatem Christi apertius et altius intonuit quam ceteri, virtute cujus Christus a morte resurrexit : de qua resurrectione Marcus apertius scripsit : et per hunc primus ordo prædicatorum significatur, qui corporalem Christi resurrectionem, et Ecclesiæ spiritualem prædicavit. *Dicens*, *tamquam vocem tonitrui*, id est evidenter, et terribiliter, et mirabiliter. Multa enim mirabilia et terribilia prædicaverunt et fecerunt Apostoli, Vel magnus Dominus quando ipsi prædicabant. Unde stupebant autem omnes, et mirabantur adinvicem dicentes : Nonne ecce omnes, qui loquuntur, Galilæi sunt? et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus, sicut omnes audiunt tonitruum. Unde Psalm. : *Vox tonitrui tui in rota*, id est in orbem terrarum. Deinde quid dixerit primum animal ostendit. *Veni*, ostendendo, *Et vide*, intelligendo. Vel veni a figuris umbras abjiciendo, et vide rei completæ veritatem intelligendo. Heb. x, *Umbram habens lex bonorum futurorum, non ipsam imaginem rerum*. Item *Veni*, fide, *Et vide*, spe, id est clare intellige. Isa. vii, Secundum aliam literam, Nisi credideritis non intelligetis. *Et vidi*, hoc audito, *Et ecce equus albus*, id est primorum prædicatorum cœtus, qui dicitur equus propter securitatis audaciam contra tentationum et tribulationum insultus. Et propter fortitudinem qua fortius sustinebant adversa, propter audaciam prædicationis, qua audacter prædicabant vera. Unde Job xxix, *Numquid præbebit equo fortitudinem, aut circumdabit in collo hinnitum? gloria narium ejus terror, terram ungula findet, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio*. Item propter velocitatem currendi, Isa. lx, *Qui sunt isti qui ut nubes volant ?* Habacuc i, *Velociores pardis equi ejus*, id est prædicatores hæreticis. Item propter patientiam. Psal. : *Bene patientes erunt, ut annuncient*. Proverb. xix, *In patientia vestra possidebitis animas ve-*

stras. Sella hujus equi est justitia, quæ parat locum sessori, id est Christo. Psal. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ*. Esther VI, *Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regis, et imponi super equum, qui de sella regis est*. Frænum quo ducitur equus huc et illuc, est obedientia. Psal. *In camo et fræno maxillas eorum constringe*. Jacob. III, *Equis frænum in ore mittimus, ad consentiendum nobis*. Equi sunt exempla sanctorum, quibus debent esse pedes muniti. Cant. VII, *Quam pulchri sunt gressus tui, in calceamentis, filia principis!* Ephes. VI, *Calceati pedes in præparatione evangelii pacis*. Calcaria quibus stimulatur equus timor et amor. II Corinth. V, *Charitas Christi urget nos*. Albus autem dicitur equus propter baptismum quem prædicabant, id est quo dealbata erant, et quam albedinem innocenter vivendo servabant. De qua dealbatione dicit Psal. *Asperges me Domine hyssopo, et mundabor : lavabis me, et super nivem dealbabor*. Item Isa. I, *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Item dicitur albus propter majorem claritatem cognitionis. Albedo enim inter omnes colores magis participat de lumine, et Apostoli plus habuerunt de vera cognitione. Unde eis dictum est spiritualiter, Matth, V, *Vos estis lux mundi*. Sequitur, *Et qui sedebat super illum*, Christus rector et dux illorum. Isa. XXXIII, *Dominus rex noster*, *Dominus legifer noster*, *Habebat arcum*, id est sacram Scripturam, quæ dicitur arcus, quia castrum Domini, id est Ecclesiam defendit, et inimicos ejus vulnerat et occidit : si tamen manu teneatur. Job. XXIX, *Arcus meus in manu mea instaurabitur*. Arcus fit ex duobus : ex duro ligno, et chorda molli ; et licet chorda sit mollis, tamen durum lignum inflectit. Lignum ergo est duritia veteris Testamenti. Chorda est gratia novi. Vel chorda est misericordia. Lignum duritia scilicet justitia quam flectit misericordia. Jac. II, *Misericordia superexaltat judicium*. De hoc arcu dicitur Gen. IX, quales debeant ipsum portare. *Ponam*, inquit Dominus, *arcum meum in nubibus cœli*, id est iis, qui a terra sunt levati per contemptum terrenorum, et desiderium æternorum : a quo sunt per compunctionem lucidi, per cognitionem clari, alti per contemplationem, placidi per prædicationem, agiles per obedientiam, molles per compassionem, coruscantes per bonam operationem, tonantes per comminationem, Qui talis non est, non debet portare arcum, id est habere prædicationis officium. Ex hoc arcu emittuntur sagittæ, quæ quosdam vulnerant ad mortem, et alios ad salutem. De quibus dicitur in Psal. *Sagittæ potentis acutæ*. Item : *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*. Isa. XIII, *Suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint ; sed sagittis parvulos interficient, et lactentibus uteris non miserebuntur*. Deut. XXXII, *Congregabo super eos mala, et furorem meum complebo in eis*. Item in eodem. *Inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes*. IV Reg. XV, *Sagitta salutis super Syriam*. I Reg. XXI, *Dixit Jonathas ad puerum suum*, id est Christus studentibus, *vade, et affer mihi sagittas, quas ego jacio*. Non quas jacit Aristoteles, vel Plato, vel inanis quælibet prophetia [1]. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, et attulit ad Dominum suum. Quia studendum est ad honorem Dei, non ad lucrum mundi, vel laudem hominum. Quales autem sint istæ sagittæ dicitur II Reg. I : *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum*, id est nunquam respicit temporalia. *Et data est ei*, id est sessori tenenti arcum. *Corona*, id est caro qua divinitas induta fuit, ut caput coronetur. Caput enim coronam portat, et corona caput vestit : sic divinitas humanitatem, et humanitas divinitatem vestit. Cant. III, *Egredimini filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*, beatissima scilicet Maria, *in die desponsationis ejus*, id est in die incarnationis quando humanitas divinitati sociata est. *Et exivit*, a Patre in ventrem, et de utero in mundum. Matth. II et Mich. V, *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel : et egressus ejus a principio, in diebus æternitatis*. Utrumque exitum tangit : sed qualiter, et qualis et ad quid exierit determinat, *Vincens, ut vinceret*. Vincens naturam. *Exivit*, quia non de utero aperto, sed de clauso exivit, sicut in uterum clausum et non apertum intravit. Isa. VII, *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*, Ezech. XLIV, *Porta hæc*

[1] Lege : « philosophia. »

clausa erit, et non aperietur, et vir non transibit per eam, eritque clausa principi. Isa. LXII, *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur, ut splendor, justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur.* Sion interpretatur speculum; et significat beatissimam Virginem Mariam, quæ est speculum totius Ecclesiæ. Et sicut speculum imaginem hominis etiam majoris se recipit totam sine fractione, vel læsione suæ integritatis; sic beata Virgo Filium Dei in utero suo verum hominem multo majorem se recepit sine læsione suæ virginitatis et integritatis. Unde elegantissime dicit : Donec egrediatur, ut splendor, justus ejus. Splendor egreditur a sole, sine solis læsione ac diminutione. Sic Christus e Virgine. Unde cantat Ecclesia, Sicut sidus radium profert, Virgo filium pari forma : neque sidus radio, neque Mater filio fit corrupta. Sic ergo vincens exivit, quia exiens naturam vicit. Et exivit ut vinceret diabolum, carnem, mundum. Diabolum per humilitatem, carnem per virginitatem, mundum per paupertatem. Luc. x, *Vade et tu fac similiter*, si vis esse victor. De hoc enim proprie dicit Joan. XIII, *Exemplum enim dedi vobis etc.* Item, *Data est ei corona spinea*, et exivit de Jerusalem, vincens Judæos et Pilatum, ut vinceret mortem et diabolum. De hac corona dicitur Matth. XXVII, *Plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus.* De exitu dicitur Joan. XIX, *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ* locum. Item, *Data est corona*, id est universitas fidelium, qui ei adhæserunt, ut corona capiti. Psal., *Exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti, et synagoga populorum circumdabit te.* Psal. *Circumdederunt me sicut apes, quæ in omni flore dulcedinem inveniunt.* Et exivit de angustia Judææ, Vincens paucos de Judæis quos convertit ad fidem. Ut vinceret in gentibus per prædicationem Apostolorum, convertendo eos ad fidem. Act. XIII, *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis vitæ æternæ : ecce convertimur ad gentes.* Item data est ei corona, id est corporis stola, et exivit de hoc mundo per januas mortis : vincens ipsam mortem, ut vinceret infernum spoliando ipsum. Oseæ XIII, *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne.* Vincens, ut vinceret. *Exivit*, inquam, de mundo per contemptum ipsius, *ut vinceret* ipsum per prædicationem. Aliter enim non potest vinci mundus, nisi per exitum ab eo : sed qui exit, debet exire totaliter, ut nihil de mundo secum ferat, nec de suo aliquid ferat, nec de suo aliquid in mundo relinquat. Quidam exeunt de mundo corpore, sed dimittunt in eo corpus, id est affectum suum in mundo : qui licet corpore sint in claustro, tamen corde et cogitatione sunt in mundo. Sicut solet dici : corpus in choro, cor in foro. Et tales significantur per uxorem Loth, quæ post exitum de Sodomis, retro respiciens, mutata est in statuam salis. Gen. XXIX, Statua figuram hominis habet, et non veritatem : sicut claustralis cujus cor est in mundo, figuram habet monachi, sed non veritatem : unde, I Reg. XIX, nuntii Saul credentes invenire David in lecto suo, id est monachum in claustro, non invenerunt nisi statuam, et pellem capræ, id est habitum monachalem sine monacho. Similiter Petrus et Joannes credentes invenire Jesum in sepulchro, non invenerunt nisi sudarium, Joan. XX. Ideo Abrahæ jam egresso de Chaldæa dixit Dominus, Genes. XII, *Egredere de terra tua.* Et dicit Augustinus : « Egressus erat jam corpore, sed adhuc illud tenebatur mente. » Alii exeunt de mundo, sed non totaliter, quia non toto mundo. Quia licet corde et corpore exierint de mundo quo ad divitias, tamen cor eorum occupatur deliciis mundi, et sæpe cogitando de divitiis quas habebant in mundo, pœnitent exivisse de mundo. Et tales significantur per Judæos, qui in deserto suspirabant ad ollas carnium Ægypti. Unde Num. XI, *Quis dabit nobis carnes ad vescendum? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis*, id est sine labore. *Nobis in mentem veniunt cucumeres, pepones, porrique, et cæpe, et allia.* Et supra parum, *Vulgus promiscuum quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio carnium, junctis sibi pariter filiis Israel.* Alii exuntes de mundo, portant secum multa de mundo. Quidam honores ipsius quos adhuc ambiunt in religione. Alii divitias, alii delitias, alii mores mundanos, verbi gratia, modum eundi sæculariter, modum loquendi, modum comedendi, et alios gestus sæculares. Et tales significantur per Rachel, quæ furata est idola Laban, et abscondit subter stramenta cameli, ut dicitur Genes. XXXI, Quæ sunt

idola Laban? nisi honores mundi, et divitiæ, et delitiæ, quas multi abscondunt subter stramenta cameli, id est pannis claustri. Sed timendum est, quod dicit ibi Jacob : Apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris. De hoc dicitur Isa. XXXIII, *Quis habitavit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* id est cum illis fratribus, qui habitant cum ardore sempiterno, id est charitate in Deum! Et respondet : *qui ambulat in justitiis*, id est extra obedientiam, *et loquitur veritatem*, non vanitatem. *Qui projicit avaritiam ex calumnia*, id est amorem rei temporalis calumniosum, *et excutit manus suas ab omni munere*, recipiendo, et etiam dando. *Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem*, id est detractionem ubi sanguis effunditur, *et claudit oculos suos ne mala videat : hic habitabit in excelsis :* quasi dicat : Qui mundum, et mores mundi, omnia dimiserit, hic poterit habitare in claustro. Item Isa. XIV, *Perdam Babylonis nomen*, id est verba sæcularia, et reliquias, id est gestus sæculares, et progeniem, id est opera sæcularia, et germen, id est sæcularia desideria. Hoc est quod dicitur ad Titum secundo. *Abnegantes impietatem*, id est cupiditatem, *et sæcularia desideria, sobrie et pie et juste vivamus in hoc sæculo. Sobrie* nobis, *pie* Deo, *juste* proximo. Et hoc est quod dicitur Abrahæ, Genes. XXII, *Egredere de terra*, id est de carne tua, et de cognatione, id est de parentela tua, *et de domo patris*, id est de amore mundi; *et sic veni in terram quam monstravero tibi.*

Et cum aperuisset etc. Hæc est secunda pars hujus capituli, in qua agitur de secundo statu Ecclesiæ, qui fuit tempore martyrum. Apertio hujus secundi sigilli, id est signaculi, est prædicatio passionis Christi, quæ in lege sigillata erat. Et recte sequitur hoc sigillum ad præcedens, id est apertio hujus sigilli ad apertionem præcedentis. Quia prædicata resurrectione Christi, per quam innotuit esse Deus, multi de Judæis crediderunt. Quibus invidens diabolus, quia homines ascendebant illuc unde ipse ceciderat, movit contra eos graves persecutiones, quæ a morte Stephani inceperunt, ut dicitur Act. VII : unde oportuit dispergi credentes inter gentes, ubi graves sustinuerunt molestias, propter quod necesse fuit prædicare Domini passionem, ut exemplo ejus nullus timeret mori pro Domino. quia pro ipsis mortuus est. *Equus* iste fuit tyrannorum cœtus : unde dicitur *rufus*, propter crudelitatem, Sessor ejus diabolus. Magnus gladius est potestas nocendi, et occidendi sanctos. Dicit ergo, *Et cum aperuisset*, ille idem qui præcedens aperuerat, scilicet Agnus sigillum secundum : id est consummasset passionem, et ipsa rei evidentia ostendisset, quod sub lege clausum erat, *Audivi secundum animal*, id est ordinem prædicatorum, qui tempore martyrum passionem Christi prædicaverunt. Unde significatur per Lucam, qui specialiter scribit de passione Domini. *Dicens, Veni et vide*, ut prius, vel, *Veni*, credendo quid dicitur, et *Vide*, id est et provide tibi, et Ecclesiæ. *Et exivit*, ab amicitia Dei, in odium, et persecutionem : vel *Exivit*, ab occulta malitia cordis, in apertam sævitiam operis. Juxta illud Psal. *Concepit dolorem, et peperit iniquitatem*, alius equus superiori contrarius. Superior quidem erat bonus, scilicet cœtus prædicatorum; hic malus, scilicet cœtus tyrannorum. Rufus, id est crudelis et sanguinolentus, sanguine sanctorum cruentatus. De quo Zach. I, *Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum; et qui sedebat super eum*, scilicet diabolum, qui tyrannos regit, et ducit in mortem et oppressionem sanctorum. *Datum est ei*, id est a Deo permissum, *ut sumeret pacem de terra*, id est quietem mentis tolleret a terrenis. *Glossa.* Israel sabbatum recipit a munere. Ægyptus vero percutitur muscarum multitudine. Isa. XLVIII, *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Joan. XVII, *In mundo pressuram, in me autem pacem habebitis.* Vel sic; *ut sumeret pacem de terra*, id est illatis persecutionibus mentes bonorum ab amore terrenorum avelleret. Gregoribus, « Cum mundus tot calamitates ingeminat, quid aliud nisi, ut fugiatur clamat? » Luc. XI : *Putatis quod pacem veni mittere in terram?* non : dico vobis : sed separare, Deo permittente, et diabolo suggerente. Matth. X, *Tradet autem frater fratrem in mortem, et mater filium, et exurgent filii in parentes, et morte afficient eos.* Joan. XVI, *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Et ut invicem se interficerent, gladio pravæ persuasionis, quo mutuo se occidunt multi. Judith. VII. *Mutua se cæde truncabunt.* Josue VIII, *Vociferantes pariter, et mutuo se occursitantes persecuti sunt*

eos malis, scilicet bonos. *Et datus est illi gladius magnus*, id est potestas magna persequendi et occidendi sanctos. Et dicitur gladius magnus pro multitudine occisorum, quia multos occiderunt tyranni, et pro magnitudine, quia non solum minores, imo majores, sicut Apostolos, occiderunt. Unde Thren. II, dicit Ecclesia ad Dominum. *Jacuerunt in terra foris pueri et senes, virgines meæ, et juvenes nostri ceciderunt in gladio, in die furoris tui*, id est tempore quo permisisti tyrannos furere contra sanctos : quod tempus recte dicitur dies, quia tunc exibant sancti de tenebris præsentis vitæ, in lucem vitæ æternæ, et etiam quia tribulatio illuminat bonos. Isa. XXVIII. : *Sola vexatio dabit intellectum auditui*. Primus equus fuit figuratus in innocentia Abel, Isaac et Jacob, David. Secundus in crudelitate Cain, Ismael, Esau, Saul, et ceteris binariis, quæ ponit Petrus in itinerario suo. Primus Abel, Cain. Secundus Noe, et gigantes. Tertius Abraham. Quartus Ismael. Quintus Jacob, Esau. Sextus Moyses et Magi. Septimus David et Saul. Octavus Filius Dei et Judæi. Nonus Simon Magus, Petrus. Decimus Christus et Antichristus. Et de hoc equo et equite suo dicitur Exod. XV, *Equum et ascensorem projecit in mare*. Ut patet in Nerone, et Valeriano, et Maxentio, qui plusquam Paulus, Laurentius, Vicentius, auxiliabantur, etiam dum torquebant eos.

Et cum aperuisset sigillum tertium etc. Hæc est tertia pars hujus capituli, in qua agitur de tertio statu Ecclesiæ, et tertii sigilli apertione. Videns enim diabolus se nihil proficere in occisione martyrum, sed magis eorum patientia et virtute Ecclesiam roborari, suscitavit hæreticos, qui perverse exponentes Scripturam, hæreses induxerunt. Et quia fere omnis hæresis circa nativitatem Dei versatur, ideo necessarius fuit tertius ordo prædicatorum, qui incarnationem Domini prædicarent : et ideo per tertium animal signatur Matthæus, qui expressius ceteris cripsit de incarnatione Domini, et nativitate ejus. Et dicuntur in hac parte quatuor. Primo, quis sit equus tertius, scilicet cœtus hæreticorum. Secundo, quis sessor, scilicet diabolus. Tertio quid teneat : quia stateram quæ est perversæ Scripturæ expositio. Quarto ponitur consolatio fidelium, ibi, *Et audivi*. Dicit ergo. *Et cum aperuisset*, Agnus, qui alia aperuit, sigillum tertium, id est ea quæ in tertio statu Ecclesiæ hoc est tempore hæreticorum facta sunt ostendisset, vel ostendere prævidisset. *Audivi tertium animal*, id est tertium ordinem prædicatorum, per tertium animal designatum : qui scilicet tempore hæreticorum prædicavit, et instruxit homines de incarnatione et nativitate, eliminans errores contrarios, et astruens veram fidem, dicens, *Veni*, credendo eis quæ audis. *Et vide*, id est tibi provide. Et quare sit tibi providendum subjungit. *Et ecce equus niger*, id est cœtus hæreticorum sordibus peccatorum denigratus, sed rigore patientiæ exterioris, ne possit perpendi ejus malitia, palliatus. Unde bene dicitur equus niger, quia nigredo provenit ex labore exteriori et carnis mortificatione, per quod calor naturalis extinguitur. Et ipsi modis omnibus nituntur extinguere fidem in aliis, qui est specialiter calor naturalis vivificans hominem interiorem. Habacuc II, *Justus in fide sua vivit*. Et iste equus proprie contrarius est primo : nam iste niger, ille albus est. Ille astruit fidem; iste destruit. Sessor illius Christus est. Sessor istius diabolus. Frenum illius obedientia, vel laus divina, juxta illud Isaiæ XLVIII, *Infrenabo te laude mea, ne intereas*. Frænum istius inobedientia, et Dei blasphemia. Sella illius justitia, sella istius injustitia. Ille ferratus est ferro patientiæ, iste deferratus sine patientia. Ille albus per innocentiam, iste niger per malitiam. *Et qui sedebat super eum*, scilicet diabolus, qui regit et ducit alios quo vult : *Habebat stateram in manu sua*, id est perversam Scripturæ expositionem, quæ stateræ comparatur. Quia sicut statera sine pondere de facili movetur huc atque illuc, sic Scriptura si non habeat pondus catholicæ expositionis, fluctuat huc et illuc. Et sicut statera per astutiam falsi mercatoris potest male inclinari, sic Scriptura per astutiam falsi expositoris potest male exponi. Sed bonus doctor sequitur sanctorum expositionem. Unde Gen. XLIX, *Issachar asinus fortis accubans inter fortes terminos*. Issachar interpretatur Dominum commemorans ; et significat doctorem catholicum, qui semper accubat inter terminos, quos patres posuerunt, id est sequitur sanctorum expositiones. Juxta illud Prov. XXII, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*. Job XIV, *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*. Et signanter dicit, *Habebat stateram*,

quia hæretici Scripturam habent, et non habentur ab ea. Nam superbe ei dominantes, suo sensui eam coaptant. E contrario catholici doctores non habent sed habentur a Scriptura. Quia habiliter subjiciunt se illi, *captivantes intellectum suum in obsequium Christi*, sicut dicitur II Cor. Item dicit, *In manu sua*. Quia se ipsos mactando, et juxta literæ superficiem operando affligunt. Sed totum hoc faciunt, ut videantur hujusmodi, et sic facilius decipiunt credentes sibi : et de talibus dicitur Oseæ xii, *Chanaan in manu ejus statera dolosa*. De qua statera dicitur Proverb. xxi, *Statera dolosa abominatio est apud Deum, pondus æquum voluntas ejus*. Item statera quam diabolus habet in manu sua, est tribulatio quam Deo permittente, bonos et malos affligendo ponderat. Ibi cognoscitur cito, qui sint gravioris et levioris ponderis : qui ex tribulatione moventur murmurando vel peccando, leves sunt, nec sunt justi ponderis, et tales projicit Dominus. Qui autem non moventur, justi ponderis sunt, et tales ponit Dominus in thesauros suos. Act. xiv. *Per multas tribulationes etc.* Sequitur. *Et audivi tamquam vocem*, scilicet Angeli existentis *in medio quatuor animalium*, id est vocem Christi, qui in medio prædicatorum est, ut doctor eorum dicentium idem quod Angelus. Quia Angelus loquitur in animalibus. Et promittitur hic auxilium sicut dicit *Glossa*. Quia in pugna hæreticorum majus imminet periculum, et ex promissione auxilii datur consolatio, quod diximus fieri in tertia parte capituli. Hæc autem vox nihil aliud est quam concors doctrina prædicatorum, quasi animali illa vox dicat, subjungit, *bilibris tritici denario.*. Bilibris ad litteram est mensura capiens duas libras : et significat sacram Scripturam habentem duplicem intelligentiam, scilicet historicam et mysticam, sive literalem et spiritualem. Igitur una libra est sensus spiritualis. Triticum vero, quia est cibum nobilium hominum, novum significat Testamentum. Bilibris, ergo tritici, est intelligentia novi Testamenti, duos sensus continens quasi duas litteras, scilicet naturale et spirituale hordeum quod est cibus rusticorum, et jumentorum, et duritiam habet in cortice, sed medullam interius dulcem, significat veteris Testamenti scripturam, quæ data est rudibus Judæis, et exterius in littera prætendit duritiam : sed interius continet suavem intelligentiam. Et quia vetus Testamentum duos sensus habet sicut et novum, scilicet litteralem et spiritualem : et dicitur similiter bilibris hordei. Sed quia convenientia veteris Testamenti tripartita est apud Hebræos, scilicet in legem, et Prophetas, et Agiographa : ideo sunt tres bilibres hordei, id est tres partes veteris Testamenti, quarum quælibet est bilibris, id est habens duas libras, id est duos sensus, litteralem scilicet intellectum, et spiritualem. Per denarium significatur unitas fidei. Denarius enim regis habet imaginem, et superscriptionem. Imago vero ad humanitatem, superscriptio refertur ad divinitatem : de quibus duobus est fides. Unde denarius est unitas perfectæ fidei continua : recte dicitur vendi vel emi denario. *Et bilibris tritici, et tres bilibres :* de quibus agitur hic sub specie nigri equi : quasi sic diceret, Vox audita inter quatuor animalia. Nolite timere vos fideles, si hæretici male exponunt Scripturam. Quia bilibris tritici, id est intelligentia totius novi Testamenti, tam secundum sensum litteralem, quam secundum spiritualem, denario emitur vel venditur, id est unitate perfectæ fidei, datur intelligentia novi Testamenti. Jac. i, *Si quis vestrum indiget sapientia, petat a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei : postulet in fide nihil hæsitans.* Ecce habes expresse quod merito fidei datur intelligentia Scripturæ. Vere ergo dicitur hic Bilibris tritici denario et tres bilibres hordei : id est sana intelligentia veteris Testamenti, secundum utrumque sensum emitur et venditur denario : id est unitate perfecte fidei, sicut et novum. Et merito idem pretium est utrobique : quia eadem intelligentia est in utroque Testamento. Quia *rota est in medio rotæ*, Ezech. i. In vanum ergo laborant hæretici, quia nunquam pervenient ad rectam intelligentiam Scripturarum nisi per unitatem perfectæ fidei. Quia in malevolam animam non introibit sapientia. Item bilibris dicitur novum Testamentum, propter duo, quæ continet : præcepta scilicet et consilia. Unde juveni, qui dixit. *Domine, hæc omnia servavi a juventute mea*, respondet Deus, *Unum tibi deest. Si vis perfectus esse, vade et vende omnia etc.*. Matth. x. Et tres bilibres sunt vetus Testamentum propter tres partes, scilicet legem et Prophetas et Agiographa : quarum habet duas libras : cæremonias exteriores, et veritatem la-

tentem interius quæ usque hodie occultatur Judæis. Unde II Cor, IV, *Usque hodie cum legitur Moyses, velamen est positum super corda Judæorum etc.* Quia ipsi tenacissime adhærent paleæ, medullam interiorem non percipientes. Unde Job XXX, *Mandebant herbas, et arborum cortices. Et vinum et oleum, ne læseris*, Tu scilicet qui sessor es equi rufi, id est bonos prædicatores, qui male viventes mordaciter increpant, et pusillos suaviter consolantur, et sicut Samaritanus, qui vinum et oleum imposuit vulneribus sauciati, Luc. X. Et quod dicitur, Ne læseris, intelligitur de læsione animæ; cui revera nullus potest nocere si ipse vult : corpus autem lædi potest et occidi, juxta permissionem Dei. Unde Job. II *dixit Dominus ad Satan, Ecce in manu tua est, verumtamen animam ejus serva.* Item Matth. X, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Item per per vinum et oleum intelligitur novum et vetus Testamentum, quæ præcepit Deus non lædi. Quia licet hæretici prave exponant, tamen veritas remanet incorrupta. Item Bilibris tritici est vetus et novum Testamentum, quod denario comparatur, id est vita æterna. Unde quicumque ad habendas duas libras tritici accedunt, propter unum Deum habendum accedere debent, ut non aliud pretium sive mercedem quærant, nisi vitam æternam. Matth. XX, *Conventione facta ex denario diurno, misit eos in vineam suam :* id est in sacram Scripturam. Tres vero Bilibres, quæ eodem denario comparantur, est fides Trinitatis operans per dilectionem Dei et proximi, ad cujus fidei medullam, quia nemo in hac vita recte attingere potest plene, jam recte non tritico sed hordeo comparantur. Unde pauci sunt, qui non solum disputare, imo cogitare de ea formident, pro ea tamen denarium recipient, si crediderent, quamvis non intelligant : hoc est ergo quod vox illa dicit Bilibris tritici denario uno, intelligentia veteris et novi Testamenti emitur a discipulis, et venditur a magistris pro vita æterna. Nec enim aliud præmium debet quærere doctor sacræ paginæ, vel auditor, nisi vitam æternam. Unde Job XXVIII, dicitur de sapientia, *Nescit homo pretium ejus.* Et infra, Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. Proverb. III, *Pretiosior cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Miserabiliter ergo decipiuntur, qui sacram paginam docent vel audiunt pro mercede temporali. Ideo dicitur Proverb. XXIII, *Noli vendere sapientiam et doctrinam, et intelligentiam.* Sequitur, *Et vinum, et oleum* ne læseris. Vinum est legis austeritas; oleum est evangelii suavitas. Illud inebriat, istud sanat. Illud pungit, istud ungit. Illud mentes evertit, istud dementes convertit. Littera enim occidit, spiritus autem vivificat : hæc læduntur quando prave intelliguntur. Vinum igitur et oleum lædit, qui vetus et novum Testamentum male exponit. Ideo hæreticis, qui significantur per equum, est vir justus, in quo est duplex libra, idest veritas et sapientia Christi, qui est triticum, de quo dicitur ad beatam Virginem Cant. VII, *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Mirum est, quod dicit, quod Virgo unum solum granum tritici habuit in ventre ; et tamen dicit, venter tuus sicut acervus tritici. Sed hoc est, quod ex illo grano infinita grana oriuntur, et in illo erant omnia per virtutem. Unde Joan. XII, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Tres bilibres hordei, sunt fideles imperfecti, qui habent paleam tenacem, id est temporalium amorem. Unde hi significantur, Joan II, per hydrias capientes mensuras binas vel ternas : utrique denario empti sunt : id est sanguine Christi. Unde I Petr. II, *Non corruptibilibus auro et argento etc.* Cor. VI, *Empti enim estis pretio magno.* Et quia imperfecti scandalizantur, perfecti vero non de facili ; ideo dicitur Exod. IX, quod *hordeum læsum est, eo quod virens esset.* Triticum autem, et farrum non sunt læsa, quia serotina erant. Vinum : id est pœnitentes, et Oleum : id est misericordes ne læseris, tu princeps, qui noces, quicumque sis. Et istos præcipue non lædit Deus, quia vicerunt. Unde supra, II, *Qui vicerit non lædetur a morte secunda*, licet tangatur tribulatione præsenti, quæ dicitur mors propria. Sap. III, *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis*, id est pœna inferni : pœna autem mundi sæpe tangit eos, et vult Deus ut hic tangantur. Gregorius : « Sancti pœnam præsentem lucrum putant, quia per hanc æternam evadere non ignorant. » Sequitur,

Et cum aperuisset sigillum etc. Quarta pars hujus capituli, ubi agitur de quarto statu Ecclesiæ. In quo fuit persecutio sive pestis falsorum fratrum, id est hypocritarum, quos diabolus tandem in Ecclesiam introduxit, per quos secretius et familiarius domesticos impugnat. Videns enim diabolus, quod neque per paupertatem, et per violentas tribulationes, nec per astutias et fraudulentas hæreses proficere potuit, immo per hæc Ecclesiam robustiorem et cautiorem fieri vidit, hypocritas introduxit, vulpes subdolas, quæ latenter vineam Domini demoliri nituntur. Unde Cant. II, *Capite nobis vulpes quæ demoliuntur vineas.* Dicit ergo, *Et cum aperuisset*, Agnus, scilicet *sigillum quartum:* id est secreta status, quia manifestasset. *Audivi vocem quarti animalis dicentis, veni et vide.* Quartum animal fuit aquila altius ceteris volans, et clarius videns: et significat Joannem qui Verbum apud Patrem æternaliter existens, et in mundo carnem factum temporaliter omnibus clarius Deo revelante prospexit. Et designat ordinem prædicatorum, contra hæreticos Verbi divinitatem simul et humanitatem fideliter prædicantium. Per equum autem pallidum designantur hypocritæ, qui ut de religione laudentur, jejuniis et vigiliis, et aliis corporalibus exercitiis coram hominibus se affligunt. Unde vigore subtracto et sanguine minorato, quasi jam moribundi pallescunt: unde Matth. V. de ipsis dicitur, *Exterminant enim facies suas ut videantur hominibus jejunantes: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Unde sequitur; *Et ecce equus pallidus*, hypocritarum cœtus falsa religione palliatus. De qua Job XV, *Congregatio hypocritarum sterilis. Et qui sedebat super eum:* quasi ductor et rector ejus. *Nomen illi mors:* id est Diabolus, qui fuit primus auctor mortis. Sapient. II, *Invidia Diaboli introivit mors in orbem terrarum, Et infernus:* id est hypocritæ, *Et cæteri*, inferno deputati, id est, *Sequebantur eum*, id est imitabantur eum in culpam et in pœnam. Unde Sapient. II, Cum dixisset Salomon, *Invidia Diaboli intravit mors in orbem terrarum*, statim adjunxit: *Imitabantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* Infra XX, *Infernus et mors*, id est peccatores, et Diabolus missi sunt in stagnum ignis. Vel infernus dicitur sequi Diabolus, quia quos ille decipit, iste recipit. Isa. V, *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum, absque ullo termino. Et data est illi potestas*, sed non voluntas mala, super quatuor partes terræ, id est super homines, qui in quatuor mundi partibus, scilicet Oriente et Occidente, Meridie et Septentrione morantur. Vel super quatuor genera hominum, qui sunt in terra: Judæi, Gentiles, Hæretici, et mali Christiani. Vel super quatuor partes terræ, id est super illos omnes, qui quatuor cordis affectiones, scilicet timorem, amorem, gaudium, et dolorem in terrenis ponunt. De quibus dicit beatus Bernardus: « Timent quæ non oportet: amant quæ non decet: gaudent vane: dolentque vanius. » Unde Job IX, *Terra data est in manus impii*, id est data est, in potestate Diaboli. *Interficere gladio peccati.* De quo Eccles. XXI, *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, et plagæ ejus non est sanitas. Fame* id est defectu verbi divini. De qua Amos VIII, *Mittam famem in terram:* non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. *Et morte*, id est doctrina mortifera. De qua Psal. *Venenum aspidum sub labiis. Et bestiis terræ*, id est crudelibus mundi Principibus, qui omnes devorant. De quibus Psal. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* Item interficere gladio, perversæ persuasionis. De quibus Psal. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, Et fame, scilicet terrena cupiditate. De qua dicitur Genes. XLI, *In cuncta terra Ægypti erat fames.* Et morte peccati, quo a Deo separantur animæ. De qua dicitur in Psal. *Non est in morte, qui memor sit tui.* Et bestiis terræ, id est bestialibus prælatis. De qua Baruch III, *Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram?*

Et cum aperuisset etc. Quinta pars capituli, in qua graves et magnas prædicit tribulationes: ne terrerentur electi, qui erant illis tribulationibus affligendi, propterea hic consolatur eos Joannes tripliciter. Primo, quia eas animas interfectorum, vidit sub altare, id est sub protectione Christi, qui eas defendebat. Secundo, quia singulos eorum singulis stolis vidit decoratos. Tertio, quia promissionem de implendo eorum desiderio audivit. Hoc ergo quintum sigillum est consolatio animarum in ætate septima quiescentium, quæ prius occulta erat. Sed fuit Joanni ostensa, et per eum Ecclesiæ revelata, et sic fuit apertum sigillum. Dicit ergo *et cum aperuisset* Agnus, qui

alia aperuit *sigillum quintum*, id est secreta quinti status, *Vidi sub altare*, id est Dei protectione, et Christi societate. *Animas interfectorum, propter verbum*, id est propter præceptum Dei, quod implebant. Vel propter Dei Verbum, id est Filium Dei, quem asserebant esse Deum et hominem. Vel propter Evangelium, quod prædicabant, et propter testimonium, id est Christianitatis titulum, quod habebant in corde, et testabantur voce et opere. Rom. x, *hoc est verbum fidei, quod prædicamus :* quod si confitearis in ore tuo Dominum Jesum Christum, et in corde tuo credideris, secundum quod Dominus excitavit illum a mortuis, salvus eris. Vel propter testimonium nativitatis, passionis, et ascensionis Christi, quod habebant et aliis testificabantur in prædicatione. De quo dicitur Act. IV, *Virtute magna reddebant testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri.* Altare ergo dicitur Christus, super quod oblationes et sacrificia nostra Deo Patri offerimus. Unde fere omnes orationes nostræ per ipsum terminantur. Unde infra VIII, dicitur, *Alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum.* Unde bene dicuntur esse animæ martyrum sub altare, quasi membra sub capite, per humilitatem id est subjectæ, per charitatem adhærentes Deo. *Et clamabant voce magna :* id est affectu, et desiderio magno. De quo clamore dicitur in Psal. *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos.* Item : *et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.* Sic clamabat Moyses, Exod. XIV ; sic Susanna, Dan. III. *Dicentes*, id est desiderantes. Quia desiderium est dictio hominis interioris, quam Deus audivit Psal. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua. Usquequo* id est usque ad quod tempus expectas, *Domine*, qui potes omnia, *Sanctus*, in operibus tuis, *Et verus* in promissis, *Usquequo non vindicas sanguinem nostrum*, id est effusionem omnem sanguinis nostri, pœnas debitas interfectoribus interserendo? Et hoc dicunt sancti non pœnam male optando, vel in ea delectando : sed justitiæ Dei aggratulando, et voluntati divinæ se conformando. De cujus impletione gaudent. Ita enim sunt sancti juncti Deo, ut de omni voluntate Dei gaudeant, etiam de pœnis parentum inquantum sunt volitæ a Deo. Unde Psal. *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Ad majorem autem expressionem desiderii eorum repetit idem verbum dicens, *Et non vindicas*, et debet subintelligi, Usquequo, quasi, et usquequo, non vindicas, non scilicet *de his*, qui habitant in *terra*, non solum corporis habitatione, sed mentis affectione. De quibus dicitur IV Reg. *Ecce habitatio civitatis*, scilicet Hierico, id est mundi, *optima est.* Ita videtur mundi amatoribus, quod sit bona propter divitias, melior propter delitias, optima propter honores. Sed e converso mala est propter divitias, quia cito pereunt. Pejor propter delitias, quia cito transeunt. Pessima propter honores, quia nimis affligunt. Propter quod dicitur infra VIII, *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* De his autem conqueruntur sancti, quia propter amorem terrenorum capti non festinant ad cœlum, ut sic impleretur numerus electorum, et sic sancti consummarentur in gloria, utraque stola recepta. Non enim consummabuntur sine nobis. Unde Hebr. XII, *Deo pro nobis aliquid melius providente*, ut non consummarentur sine nobis. Vel : usquequo non vindicas de his, qui habitant in terra, separando scilicet bonos a malis, ut utrique vadant ad loca sua : scilicet boni in cœlis, ubi est eis paratus locus. Joan. XIV, *Vado parare vobis locum.* Et mali in infernum, ubi est eis paratus locus, secundum merita eorum. Act. I, *De quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Similem quæstionem facit Habacuc I, *Usquequo Domine clamabo, et non exaudies? vociferabor vim patiens, et non salvabis? quare respicis contemptores, et taces, conculcante impio justiorem se? Et datæ sunt.* Ecce post clamorem sanctorum, datur consolatio de præmii collatione, et spei confirmatione, de malorum punitione et bonorum salvatione. Et patet hic admirabilis largitas pietatis divinæ, quæ petentibus unum, scilicet liberari se a consortio malorum, dat quatuor : scilicet consolationem de præmii adeptione, de spei confirmatione, de malorum punitione, de bonorum salvatione : et in his omnibus est sanctorum consolatio. Dicit ergo, *Et datæ sunt illis*, scilicet sanctis clamantibus, *Singulæ stolæ albæ*, id est unicuique beatitudo animæ, *Et dictum est illis*, idem a Deo inspiratum, *Ut requiescerent tempus adhuc modicum*, id est diem generalis resurrectionis patienter. Et dicit, *Modicum*, quia brevis est cursus totius temporis, respectu futuri.

Joan. XVI, *Modicum, et jam non videbitis me etc.* Et promittitur hic eis adimpletio sui desiderii de sua salvatione, et hostium suorum vindicatione, quia quod differtur non aufertur. Quantum autem, id est usque ad quod tempus debeant expectare, determinat. *Donec impleatur numerus conservorum illorum*, qui Deo sicut ipsi serviunt. *Et fratrum eorum*, qui ad eamdem hæreditatem vocati sunt, *qui interficiendi sunt sicut et illi*, scilicet eadem causa qua illi, scilicet propter verbum Dei, et testimonium Christi. Et confirmatur hic spes eorum de salvatione fratrum suorum, et receptione corporum propriarum in generali resurrectione. De quo dicitur Isa. XXVI, *Vivent mortui tui, interfectique mei resurgent.* Et de vindicta malorum statim post subjungit, *Egredietur Dominus de loco sancto suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, et revelabit terra sanguinem suum, et non operiet ultra interfectos suos.*

Et vidi cum aperuisset etc. Sexta pars : in qua agitur de sexto statu Ecclesiæ, et de apertione sexti sigilli, quæ nihil aliud est quam persecutionis futuræ ostensio, tempore Antichristi : hæc autem erit duplex. Una corporalis, quæ in tantum desæviet in sanctos, quod multi timore cadent, et si fieri posset moverentur electi, ut dicitur Matth. XXIV : et de hac primo agitur hic. Alia erit spiritualis, quæ scilicet erit impedimentum prædicationis verbi Dei, quia sancti non permittentur prædicare : et de hac agetur in principio septimi capituli, in qua agetur de sexto statu Ecclesiæ. Hæc autem prædicuntur a Joanne duplici ex causa : primo, ut moderni ex contemplatione futurorum sanctorum animentur ad tolerantiam præsentium tribulationum. Quia istæ tribulationes, quas modo sustinent, quasi nihil sunt respectu futurarum. Secundo, ut cum venerint, minus gravent, quia jacula quæ prævidentur minus feriunt, id est feriendo minus lædunt, sicut dicit Gregorius. Dicit ergo, *Et vidi*, oculis mentis, *Cum aperuisset*, Agnus scilicet, *sigillum sextum*, id est sextum statum Ecclesiæ futurum tempore Antichristi, ostendit scilicet, *Et ecce* : nota est admirationis. *Terræ motus factus est magnus.* Ad litteram, quia *terra movebitur*, sicut dicitur Matth. XXIV, et Aggæus : *Adhuc modicum, et movebo cœlum et terram, mare et aridam.* Vel terræmotus magnus, id est terrenorum commotio magna contra sanctos. Et dicit, magnus, quia si semper desæviant mali contra bonos, tunc apertius et crudelius insurgent in eos. Unde Matth. XXIII, *Consurget gens contra gentem, et regnum adversus regnum ; et erunt pestes, et fames, et terræmotus per loca : hæc omnia initia sunt dolorum.* Et nota quod dicit terræmotus, non aeris, vel aquæ, vel ignis. Quia propter amorem terrenorum spernunt persecutiones bonorum, qui terrena despiciunt, et despicienda ostendunt. *Et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.* Ad litteram, tunc obscurabitur sol et luna et cætera luminaria cœli. Unde Joel II : *Contremuit terra a facie ejus, moti sunt cœli : sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.* Præteritum ponit pro futuro, prophetica certitudine, vel mystice. Et sol, id est Christus. De quo Psal. *Ortus est sol, et congregati sunt, dispersi sunt.* Et Malachiæ ult. *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ, et sanitas sub pedibus eorum. Factus est niger tanquam saccus cilicinus*, id est non lucebit miraculis ; immo e contra Antichristus, et sui multa miracula facient et ideo multi movebuntur. Matth. XXIV, *Surgent pseudo Prophetæ, et dabunt signa maxima, et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Sacco cilicino comparat eum Joannes, quia mali tunc reputabunt Christum fuisse indutum solo sacco nostræ mortalitatis, et peccati cilicio obvolutum, id est reputabunt eum hominem peccatorem. Ipse autem homo fuit non peccator : sed similis peccatori in pœnalitatibus. Saccum enim nostrum induit, sed non meritum sacci habuit. Unde ipse dicit per Psal. *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia*, in resurrectione, Sed, quia non erat licitum *indutum sacco in palatium regis intrare,* ut dicitur Esther v, Unde Ezech. III, dicitur de Jesu sacerdote magno, *Jesus indutus erat vestibus sordidis et stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, et ait ad eos, qui stabant coram se, dicens, Auferte vestimenta sordida ab eo : et dicit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitatem tuam*, id est mortalitatem et pœnalitatem assumptam pro nostra iniquitate toleranda, *et indui te mutatoriis. Et luna*, id est Ecclesia a sole Christo illuminata *Facta est* reputatione malorum, *tota*, id est totaliter secundum omnem statum sui. *Et sanguis* vilis et

peccatrix. Quia sublato fundamento, necesse est ut ædificium corruat. Nomine sanguinis, accipitur peccatum propter horrorem. Oseæ IV, *Sanguis sanguinem tetigit*, id est peccatum peccato additum est. Vel sanguis sanguinem tangit, quia pœna peccato redditur statim. Item, et sol, id est cœtus major ardens et lucens igne charitatis, luce fidei. Factus est niger, id est vilis reputabitur, et afflictus multis tribulationibus, exterius niger erit, sed candorem animæ non amittet. Cant. I, *Nigra sum, sed formosa*. Tanquam saccus cilicinus, qui vilis et asper a cilicio, vel a cilicia dictus, ubi primo inventum fuit cilicium, quo utuntur pœnitentes. Et per hoc notatur, quod sancti in magna asperitate et vilitate erunt. Et luna tota, id est totus cœtus mediocrium. Facta est ut sanguis, id est quasi homicidæ occidentur, et suo sanguine respergentur, *Et stellæ* cœli, id est montes aliquid luminis in illa tenebrosa persecutione habentes, *De cœlo*, id est a fide *ceciderunt*, id est cadent. *Super terram*, id est adhærentes terrenis promissionibus Antichristi. Eusebius : et multos hodie avertit a Christo amor terrenorum. Infra Tim. VI, *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, a fide erraverunt, et inseruerunt se doloribus multis*. Ibi dicit *Glossa*, Qui veram fidem habent de Christo, non cupiunt in his miseriis divites fieri. Modum autem cadendi determinat dicens, *Sicut ficus emittit grossos suos,* inutiles fructus, qui non firmiter adhærent ramis arboris. *Cum a vento magno movetur*. Per hoc ostendit, quod magnæ erunt persecutiones Antichristi, et quod minores quamplurimi cadent a fide faciliter, sicut grossi in magno vento de facili cadunt. Sed, sicut dicit *Glossa*, Illos qui Christo vero amore serviunt non permittet cadere Christus, sicut bonæ ficus non cadunt impulsu ventorum. Sequitur, *Et cœlum,* id est Ecclesia stellata virtutibus, lucens sapientia, rotunda fide, alta conversatione, mobilis obedientia, firma patientia, et cœlum recessit, id est domus Christi *recessit*, id est recedet, a malis fide, et opere eis dissimilis. Vel cœlum, id est Evangelica doctrina. *Recessit*, id est recedet tunc a sanctis. Quia præ nimietate persecutionum non audebunt nec poterunt prædicare. *Sicut liber involutus*, in quo litteræ sunt clausæ, sed non apparent : ita tunc in sanctis erit sapientia, et sapientia, et scientia legis : sed non apparebit. Erit etiam in sanctis fides, et sanctitas, sicut et modo : sed non apparebit, quia non facient mirabilia. Isa. XXX, *Erit visio omnium sicut verba libri signati*, ubi litteræ non apparent licet sint ibi. Vel ad litteram : tunc recedent boni, et abscondent se latentes in cavernis et speluncis. Sicut de primitivis sanctis dicitur Hebr. XI, *In solitudinibus errantes, in montibus et cavernis terræ*. Isa. XXVI, *Vade populus meus, intra in cubicula tua, et claude ostia super te ; abscondere modicum donec pertranseat indignatio mea*, scilicet in morte Antichristi, *Et omnis mons*, id est majores de ecclesiastica vita et scientia eminentes, *Et insulæ*, id est sancti undique tribulationem fluctibus transibunt, *De locis suis motæ sunt*, id est movebuntur ad litteram, quia separabunt se a malis corporaliter et spiritualiter. Vel montes dicit, superbos et elatos. Insulas vocat divites mundi negotiis agitatos, qui tempore persecutionis illius movebuntur de locis suis, id est a fide et charitate, licet de se modo magna præsumant contra illud Eccles. X, *Si spiritus potestatem habentis ascenderit supra te, locum tuum ne dimiseris*. *Et reges terræ*, id est sancti se ipsos regentes, motus carnales, quasi latrunculos trucidantes et de se ipsis justitiam facientes quasi boni reges *et principes*, id est illi qui suis sensibus, et membris et moribus principantur. *Et tribuni* illi qui tres vires animæ in suis actibus ordinare noverunt, *Et divites,* divitiis virtutum et bonorum operum. *Et fortes* contra hostium tentationes. *Et omnis servus*, id est conjugatus *et liber,* id est solutus : vel omnis servus Dei, et liber a servitute, *Absconderunt se*, id est abscondent se, *In speluncis et petris montium*, id est sanctorum Angelorum suffragia postulabunt, ut eorum precibus mereantur evadere pœnas et misericordiam judicis consequantur. *Et dicunt* orando, *Montibus et petris*, id est Angelis et aliis sanctis, *Cadite super nos*, id est precibus vestris protegite nos, et abscondite nos sub velamento orationum vestrarum, *A facie,* id est ab animadversione *Sedentis super thronum*, id est Christi secundum divinitatem. *Et ab ira agni*, id est Christi secundum humanitatem. Causam autem quare sic rogabunt sanctos subjungit dicens : *Quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum*, id est dies judicii, quando Christus ostendet iram suam malis. De qua ira dicit Psalm.

Domine ne in furore tuo etc. Et quis poterit stare nisi sit adjutus precibus vestris ? Non quod tunc valeant preces sanctorum ; sed modo valent, ut tunc possint homines stare securi. Hoc dicitur Malach. III, *Ecce dies veniet, dicit Dominus, nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus et gravis ad portandum etc.* Psalm. *Quis novit potestatem iræ tuæ et præ timore tuo iram tuam dinumerare ?* Moraliter ab illo loco, Sol, id est prælatorum cœtus, qui debent splendore suo alios illuminare ad cognitionem Dei et calore suo inflammare in amore Dei et proximi. De quo Isa. XXX, *Lux solis septempliciter erit sicut lux septem dierum.* Ita lucem omnium superabit lux prælatorum ; ut sicut præsunt dignitate, sic præsint sapientia et sanctitate. Vel lucebunt prælati per septem opera misericordiæ quæ continentur in hoc versiculo :

Visito, poto, cibo, solor, tego, colligo, condo.

Item per dispensationem septem sacramentorum quæ continentur in hoc versiculo :

Cingo, firmo, ligo, cibo, nubo, Clericus, ungo.

Factus est niger negotiorum terrenorum sollicitudine. Thren. IV, *Denigrata est super carbones facies eorum, et non sunt cogniti in plateis.* Facies est dignior et sublimior pars hominis ; et ideo significat prælatos. Tamquam saccus qui est totus pilosus, et per hoc innuitur magna cupiditas prælatorum. Isa. XIV, *Replebuntur domus eorum draconibus*, id est detractoribus, *et habitabunt ibi struthiones*, id est hypocritæ, *et pilosæ saltabunt ibi*, id est cupidi et avari officiales, *et respondebunt ululæ in ædibus suis*, id est joculatores, *et saltatrices et sirenæ in ædibus voluptatis*, id est adulatores. Item Isa. XXXIV, *In ædibus ejus spinæ*, id est divitiæ, *et urticæ*, id est deliciæ quæ generant carnis pinguedinem, *et paliurus in munitionibus ejus*, id est avarus prælatus, *et cubile draconum et pascua struthionum et occurrent dæmonia, onocentaurus et pilosus clamabunt alter ad alterum*, nobilitas ad avaritiam. *Et luna tota facta est ut sanguis*, id est Ecclesia tota facta est ut carnalis, fundata in sanguine non Apostolorum, sed nepotulorum et consanguineorum procedens et per successionem sanguinis ; quia fere ubique nepos avunculo, et consanguineus consanguineo succedit in beneficio. Unde vere potest dicere Ecclesia, quod dixit Moysi uxor sua : *Sponsus sanguinis tu mihi es.* Oseæ. IV, *Sanguis sanguinem tetigit*, id est nepos nepoti succedit. Jerem. II, *In menstruis invenient eam.* Joel III, *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Abundantia, id est sanguis Ecclesiæ signum est appropinquantis judicii. Et stellæ cœli, id est claustrales viri. De quibus Eccles. XLIII, *Gloria stellarum species cœli*, De cœlo ceciderunt super terram, id est de cœlesti vita ad terrenam. Vel de claustrali ad mundanam. Psalm. : *Commixti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum.* Matth. XXIV, *Sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellæ cadent de cœlo*, id est monachi exibunt de claustro discurrentes per mundum, propter divitias terrenas. Exod. V, *Dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Sicut ficus emittit grossos suos, ita emittit claustrum inutiles monachos ad peragendum negotia terrena, vel ad causas tractandas. Cum a vento magno movetur, cum aliqua tribulatio oritur. I Corinth. VI, *Judicia sæcularia si habueritis, contemptibiles qui in Ecclesia sunt illos constituite ad judicandum.* De his dicit Judas in Canonica sua : *Hi sunt sidera errantia, quibus procella tenebrarum conservata est in æternum.* Sed stellæ manentes in ortu et cursu suo pugnaverunt adversus Sisaram, Et cœlum, id est clericorum cœtus. Recessit a promissione sua, in ordinum susceptione, quando dixit, *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* Quare ergo non sunt contenti clerici hac partitione ? quia recesserunt ab ista promissione. *Sicut liber involutus*, ubi nulla eruditio vel doctrina potest haberi, nec litera videri, nec verbum eruditionis audiri. Isa. XXXIV, *Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.* Nullus hæreticus, nullus Judæus, nullus Gentilis modo in Ecclesia intrat : quare ? nisi quia involutus est liber, id est clerici qui sunt libri laicorum. Isa. XXIII, *Complicabuntur sicut libri cœli. Et omnis mons*, id est prælatus superbus, *Et insulæ*, id est temporalibus curis agitati, *De locis suis*, id est de fide Ecclesiæ *motæ sunt.* Quia hæc duo, scilicet superbia et avaritia, inducunt principaliter in hæresim

De superbia habetur Eccles. x, *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo.* De avaritia, I Tim. vi, *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Reges terræ, id est archiepiscopi et principes, id est episcopi. Et tribuni, id est archidiaconi et divites, id est presbyteri, et fortes, id est diaconi, et omnis servus, id est laicus, et liber, id est clericus. Absconderunt se in speluncis, id est fugerunt ad claustra, petentes orationes claustralium, Et petris montium, id est ad duram vitam sanctorum. Psalm. *Petra refugium herinaciis.* Job xxxix, *In petris manent. Et dicent montibus*, et petris ad litteram, *Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni, quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum*, id est reproborum, id est ad animadversionis Dei contra eos : quasi dicat : Libentius vellent mali a montibus opprimi, quam judicem iratum videre et sententiam ejus audire. Unde immanitatem terroris illius diei exprimere volens Joannes exclamat dicens, *Et quis poterit stare ?* quasi dicat : nullus per se. Job xxv, *Luna non splendet et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus ; quanto magis homo putredo et filius hominis vermis ?* Item in eodem xxvi, *Cum vix parvam stillam sermonum ejus audiverimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri ?* Hoc totum malum provenit a malitia prælatorum, qui si essent boni, tota Ecclesia esset bona ; sed quia mali sunt pro majori parte, ideo infiniti sunt mali. Isa. xiii, *Stellæ cœli et splendor eorum non expandent lumen suum ; obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo.*

CAPUT VII.

Post hæc vidi etc. Septimum capitulum est, in quo adhuc agitur de apertione sexti sigilli fere usque ad finem capituli, de ostensione persecutionis futuræ tempore Antichristi, quæ est duplex, ut dictum est. Corporalis, de qua jam dictum est ; et spiritualis, de qua agitur hic, quæ nihil aliud est quam impedimentum divini verbi prædicationis. Dividitur hoc capitulum in septem partes. In prima parte ostenditur conatus diaboli ad impediendum prædicationem verbi divini. In secunda ostenditur Angelus refrenans conatus diaboli, ibi : *Et vidi alterum.* In tertia ponitur numerus signatorum in quos non habet diabolus potestatem, ibi : *Et audivi numerum.* In quarta agunt signati gratias de sua conversione, ibi : *Et clamabant.* In quinta ponitur Angelorum congratulatio de hominum signatione, ibi : *Et omnes Angeli.* In sexta quærit a Joanne si cognoscat illos, ut ipse congratuletur illis et doceat alios ad illorum gloriam properare, ibi : *Et respondit unus.* In septima ostenditur Joanni qui sunt illi, ibi : *Et cum aperuisset.* Dicit ergo, *Post hæc.* Dictio, post, non notat hic diversitatem visionum, sed ordinem visorum juxta ostensionem Angeli et narrationem Joannis, *vidi*, spiritualiter, *quatuor Angelos*, id est dæmones universos qui dicuntur quatuor propter naturam numeri. Quia quaternarius maxime divisibilis est, et ipsi non intendunt nisi divisionem facere. Item quaternarius non est numerus solidus sed superficialis : ita suggestio dæmonum superficialis est nullam habens soliditatem. Item dicuntur quatuor quia quatuor evangelia pugnant et quatuor vitia suggerere intentant. Vel quia per quatuor angulos terræ, id est in quatuor partibus mundi immorantes ut omnes tentent. Vel hoc dicitur, quia ipsi laborant, ut ponant homines in angulo, id est in sordibus peccatorum. Nam in angulo sunt sordes. Vel in angulo duplicitatis. *Tenentes quatuor ventos terræ*, id est retinentes et impedientes omnes prædicatores Ecclesiæ ; qui dicuntur quatuor, quia debent habere quatuor virtutes, scilicet justitiam, fortitudinem, temperantiam, prudentiam. Vel doctrinam quatuor evangeliorum quæ signatur Gen. i, per quatuor flumina Paradisi. Vel quia debent prædicare per quatuor partes mundi : et dicuntur venti, quia nubes, id est peccatores in pluvia lacrymarum dissolvunt. Item terræ humiditatem desiccant, id est carnis voluptatem et mentis. Et de his ventis dicitur Job xxxi, *Qui facit ventis pondus et aquam appendit in mensura. Ne flarent super terram*, id est super illos qui sunt arabiles vomere prædicationis et divini seminis susceptibiles, *neque super mare,* id est super fluidos et instabiles, *Neque super ullam arborem*, id est super illos qui ad fructificandum sunt habiles. Quasi dicat : Dæmones conati sunt et conantur quotidie impedire prædicatores, ne prædicent, neque bonis, neque malis, neque ad ex-

hortationem bonorum, neque ad revocationem malorum. Sciunt enim dæmones, quod nihil adeo prodest, ut prædicatio verbi Dei. Unde *Glossa*, In tempore tribulationis nil magis erit necessarium quam prædicatio ; et ideo nititur diabolus detinere animam in omni loco. E contrario autem Dominus vocat prædicatores, ut prædicent. Ezech. XXXVII, *A quatuor ventis venit spiritus, et insufflabit super interfectos istos, ut reviviscant.* Cant. IX, *Surge aquilo et veni auster ; perfla hortum meum et fluent aromata illius.*

Et vidi alterum Angelum etc. Hæc est secunda pars, in qua ostenditur Joanni Angelus bonus refrenans conatum dæmonum ne impediant prædicatores a prædicatione: et hic Angelus est Christus. De quo Isa. IX, *Parvulus natus est nobis*, et infra : *Et vocabitur magni consilii Angelus.* Et significatur per lapidem excisum de monte sine manibus qui statuam ex quatuor metallis confregit compositam, Dan. II. Sicut Christus quatuor malos Angelos deviat. Dicit ergo, *Et vidi* per spiritum *alterum Angelum* illis contrarium, id est Christum *ascendentem ab ortu solis*, id est a Patre qui est fons et origo totius luminis, juxta illud Jacob. I, *Omne datum optimum etc.* Et ideo Christus dicitur oriens. Zach. VI, *Ecce vir oriens nomen ejus.* Luc. I, *Visitavit nos oriens ex alto.* Sed quo vel quomodo ascendit Christus ad Patrem, cum ipse sit altissimus ? immo potius descendit. Isa. LXIII, *Utinam disrumperes cœlos et descenderes.* Psalm., *Inclinavit cœlos et descendit.* Sic Christus dicitur ascendere ad Patrem, quia a Patre veniens supra carnem, quam assumpsit, ut dominus fuit. Unde Isa. XIX, *Ascendet Dominus super nubem levem.* Item ascendit in carne in ascensione. Sed has ascensiones præcessit descensus humilitatis. Ephes. IV, *Qui ascendit, ipse est, qui descendit primum in inferiores partes terræ.* Sic quicumque vult ascendere, oportet quod prius descendat. Luc. XVIII, *Qui se humiliat exaltabitur.* Proverb. XXIX, *Gloriam præcedit humilitas.* Alioquin qui vult ascendere priusquam descenderit, corruet in profundum, sicut Lucifer qui voluit ascendere, et tamen non descenderat. Unde dicitur Isa. XIV, *Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris, qui dixisti in corde tuo, ascendam in cœlum et similis ero Altissimo : verumtamen ad infernum detraheris in profundo laci. Habentem signum Dei vivi*, id est omnimodam immunitatem peccati, vel potestatem miracula faciendi et peccata dimittendi, quia utrumque solius Dei est. Unde Matth. VIII, *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico, Tibi dico surge etc.* Item signum Dei vivi est crux sancta Christi. De quo Isa. XXX, *Levate signum in nationibus.* Et hoc signum habuit Christus, primo in se, postea in suis dupliciter. In corde per fidem. In corpore per imitationem. De primo Ezech. IX, *Signum Tau super frontes virorum gementium et dolentium.* De secundo Luc. IX, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me.* Sed quomodo fuit crux signum Dei vivi ? quia ibi moriente homine vixit Deus : cujus signum fuit clamor validus quem moriendo emisit : quod est supra naturam humanam. Quia in morte ita debilitatur spiritus et coarctatur meatus, quod vix potest homo tunc loqui. Item alia quæ fuerunt tunc facta, id est obscuratio solis, motus terræ, scissio petrarum, apertio sepulchrorum etc, hæc fuerunt verum signum divinitatis. Unde Centurio dixit : *Vere filius Dei erat iste, Et clamavit voce magna quatuor Angelis*, id est cum magno auctoritatis imperio refrenavit quatuor Angelos, *Quibus datum est*, id est permissum, *Nocere terræ*, id est avaris vel omnibus amantibus terrena, *Et mari*, id est superbis et luxuriosis, vel omnibus malis. Mare enim omnes proprietates septem criminalium peccatorum habet in se. Nam tumet, per quod significat superbos. Livet per quod invidos. Fervet, per quod iracundos. Absorbet, per quod avaros. Stat, per quod accidiosos. Spumat, per quod luxuriosos. Mergit, per quod gulosos. Dicens : *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus*, id est omnibus peccatoribus. Sed quare prohibet hic Angelus cum datum sit nocere talibus ? Solutio. Quia dæmones excedunt et semper vellent plus quam permittatur. Unde mala voluntas eorum prohibetur, ne tantum possint quantum vellent. Unde dicitur : *Nolite nocere.* Iterum pluribus, et plures, et pluribus modis affectant nocere, quam concessum est eis : quod patet per hoc quod additur, *Neque arboribus*, quod fuerat positum supra, quando agebatur de potestate nocendi sibi data. Ipsi enim semper volunt nocere bonis, qui sunt arbores fructiferæ facientes fructus bonorum operum, ha-

bentes folia verborum in medicinam et fructum operis in satietatem, radicati in Christi humilitate. Extendere ramos per charitatem, operiri cortice per vitæ austeritatem. Dantes umbram aliis per bona exempla et per consilium, et operationem, et consolationem. Tales sunt arbores Paradisi quæ semper fructificant in bonis operibus, semper frondent in bonis sermonibus, semper florent in bonis opinionibus, quas habent de aliis et alii de ipsis. Unde II Cor. : *Bonus odor Christi sumus Deo, in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt.* Hæ arbores sunt vitis, ficus et oliva, quæ nolunt regnare super ligna silvarum, super homines infructuosos, Judic. IX, *Immo dixit oliva : Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suavissimos, et ire, ut inter ligna promovear ? Vitis etiam respondet : Numquid possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines, ut inter ligna promovear ?* Olivæ sunt activi misericordes. Ficus sunt contemplativi claustrales. Vitis sunt sancti prædicatores et doctores, *Quousque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Non solum in mentibus enim signantur servi Dei in baptismo per caracteris impressionem, vel per imaginem sanctæ Trinitatis quæ imprimitur in baptismo virtute verborum, scilicet, In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Signantur etiam in mentibus per fidem Dominicæ passionis. Quam utramque significationem facit Christus per gratiæ infusionem ; sicut in denario facit auri faber ex una parte imaginem regis, ex alia crucem. In frontibus vero signatur per constantiam et audaciam confitendi nomen Christi : quæ audacia et constantia datur proprie in sacramento Confirmationis, quando episcopus in fronte chrismando facit signum crucis, ubi est locus erubescentiæ : quasi dicat : Noli de cetero erubescere nomen Christi, cujus unguento ungeris ; sed coram regibus et principibus audacter porta et prædica illud, sicut dixit Dominus Paulo, Act. IX. Unde postea ipse dixit, Rom. I, *Non erubesco evangelium.* Matth. X, *Qui me erubuerit et sermones meos coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo et Angelis ejus.* Sic signatis, non possunt nocere dœmones : quod signatum fuit Exod. XII, ubi Angelus exterminator occidit omnes illos, qui non habuerunt signum sanguinis agni in postibus domus suæ. Illos autem qui habuerunt signum sanguinis in utroque poste et in superliminaria, non læserunt. Duo postes sunt corpus et anima, superliminaria est intellectus sive ratio. In corpore debet esse signum sanguinis per imitationem passionis, id est per carnis mortificationem. Unde Galat. VI, *Stigmata in corpore meo porto.* In anima per compassionem et recordationem. Deuteronom. XXII, *Erit vita tua pendens ante oculos tuos semper.* In corde per fidem. Unde Apostolis : habitare per fidem Christum in cordibus nostris. De utroque dicitur Cant. VIII, *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum supra brachium tuum.* Et hic dicit *Glossa*, Signum geritur in fronte, ne celetur in tribulatione. Nam signatio pectoris consecratio est cordis. Et nota quod dicit Angelus, *signemus*, ego scilicet et ipsi : in quo notatur cooperatio liberi arbitrii. I Corinth. III, *Dei coadjutores sumus.* Item per hoc quod dicit, quousque, non innuitur quod postea noceant illis dæmones ; sed nec post, nec ante. Similiter Matth. I, *Non cognoscebat eam donec peperit filium primogenitum :* et constat quod nec ante nec post cognovit eam. Tamen dæmones magis insidiantur bonis et magis persequuntur. Quia Pharao contemptus surgit in scandala, et Dominus aliquando servos suos indutos virtutibus exponit dæmonibus quasi milites armatos, ut pugnando vincant et coronentur ; sicut patet in Job et Tobia et Paulo et multis aliis.

Et audivi numerum signatorum etc. Tertia pars, in qua ostenditur Joanni numerus electorum. Et procedit sic in hac parte. Primo ponit numerum electorum de Judæis et postea de Gentibus, ubi dicit, *Post hæc vidi.* Et quia pauciores fuerunt electi de Judæis : ideo ponitur certus numerus et finitus. Tamen per hunc numerum, secundum unam *Glossam*, intelligitur numerus omnium electorum, quia est certus et finitus Deo. Et postea incertus numerus eorumdem, quia nobis est incertus, quandiu in via sumus. Dicit ergo, *Et audivi*, id est spiritualiter intellexi. *Numerum signatorum*, id est signandorum, vel signatorum jam in præscientia Dei. *Centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Israel.* Per hunc numerum signantur omnes electi, sive salvandi secundum quadruplicem statum salutis. Nam per centum signantur illi quibus debetur

fructus centesimus, id est virgines; per quadraginta qui est numerus pœnitentiæ, significantur illi, quibus debetur fructus quadragesimus, id est continentes qui semper sunt in pœnitentia, qui tribulantur a carne, sicut dicitur Corinth. VII, Et ideo oportet carnem restringere operibus pœnitentiæ. Per quatuor illi, quibus debetur fructus trigesimus, id est conjugati, qui sunt divisi; et ideo per quatuor recte significantur, quia primus numerus divisibilis in numeros. Unde I Corinth. VII, *Quicumque habet uxorem est sollicitus quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Et omnes isti dicuntur mille, sive millia, quia millenarius est numerus sive solidus habens trinam dimensionem, scilicet decies decies decem. Et omnes isti decalogum ad honorem Trinitatis, id est Patris et Filii et Spiritus sancti, vel cum fide et spe et charitate. Item in hac summa ponuntur quatuor nomina numerorum: scilicet quadraginta, quatuor, centum, millia. Quadrupliciter status omnium salvandorum, in hoc designantur. Quadraginta numerus pœnitentiæ. Unde Dominus, Moyses et Elias quadringinta dies jejunaverunt. Et sicut partes quadraginta simul sumptæ faciunt quinquaginta qui est numerus remissionis, sic per pœnitentiam venitur ad remissionem peccatorum et Dei reconciliationem. Nam iste numerus pertinet ad incipientes. Quaternarius propter exercitium quatuor virtutum pertinet ad perficientes. Centenarius qui transit de læva ad dexteram et surgit ex ductione denarii in se, pertinet ad perfectos. Millenarius qui ultimus est numerorum, quia ultra mille nullus numerus habet numerum proprium, nisi sumptum ex prioribus, pertinet ad perseverantes, qui est terminus et perfectio virtutum et quæ sola coronatur, scilicet perseverantia. Unde ad hos quatuor status reducuntur omnes salvandi; et hi similiter designantur per nomina duodecim tribuum. Juxta quod tria prima nomina pertinent ad statum incipientium. Tria sequentia ad statum proficientium, tria terna nomina ad statum perfectorum, tria ultima nomina ad statum perseverantium. Verbi gratia: Judas confitens interpretatur Ecclesiæ confessio. Ruben filius visionis, id est visio peccatorum per quod contritio. Gad. accinctus ad satisfactionem: ecce status incipientium. Aser beatus in profectu justitiæ. Psalm. *Beati qui custodiunt justitiam etc.* Nephtalim latitudo in profectu charitatis. Psalm. *Latum mandatum tuum nimis.* Manasses oblivio in contemptum mundi, ecce status proficientium. Simeon audiens mœrorem in passione miserorum. II Corinth. XI, *Quis infirmatur etc.* Levi addictus in addictione consiliorum. Issachar merces in visione contemplationis; ecce status perfectorum. Zabulon habitaculum fortitudinis, per victoriam vitiorum et tentationum. Joseph augmentum per gratiarum actionem. Benjamin filius dextræ per præmii adeptionem: ecce status perseverantium. *Glossa* ponit aliam rationem, quare per hunc numerum designantur generaliter omnes salvandi. Nam duodecim fiunt in quaternario et ternario, si unus ducatur in alium. Nam ter quatuor, vel quater tria, sunt duodecim: et sic habes duodecim tribus. Item duodecim ducti per quatuor faciunt quadringinta octo; qui ducti per tres, sunt centum quadraginta quatuor. Per mille significatur perfectio: et in centum quadringinta quatuor millia sunt omnes qui fidem Trinitatis in quatuor partibus mundi cum perfectione operum sunt secuti: et omnes tales et tantummodo tales salvantur. Sed si ita est, quare non dixit in generali de qualibet tribu Israel duodecim millia signati. Solutio. Propter duo exprimuntur nomina tribuum et patrum sigillatim. Primo propter hoc ut ostendatur quod salvandi debent habere virtutes per nomina filiorum Israel designatas. Secundo ut aliquos filios Israel computandos, non omnes alios ab hoc numero excludendos ostenderet. Nam tribus Dan et tribus Ephraim non ponitur hic. Nam ex Dan nascetur Antichristus qui omnino cum suis ab hoc numero exclusus est. Ex Ephraim natus est Jeroboam qui filios Israel duxit ad idololatriam. Sed iterum, quare isti duo, scilicet Dan et Ephraim, ponantur cum aliis in benedictionibus, Deuteronom. XXXVI, et Simeon non ponatur; hic autem e contrario? Solutio. Hoc est propter mysterium sumptum ex nominum interpretatione. Dan enim judicium interpretatur; et significat pœnitentes qui se judicant hic; et ideo non judicabuntur in futuro. Juxta illud Corinth. XI, *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Ephraim interpretatur fructificans, et significat proficientes; et tam hi quam illi recipient benedictionem, quæ in nova

lege continetur, id est benedictionem gloriæ. De qua dicitur Matth. XXV, *Venite benedicti etc.* Ideo ponuntur in Deuteronomio quæ dicitur *nova lex*. Simeon vero interpretatur nomen habitaculum mundi : et tales non habebunt benedictionem novæ legis ; et ideo non ponuntur in Deuteronomio in benedictionibus filiorum Israel. Item quare non servatur hic ordo tribuum sive filiorum Israel ? Solutio. Hic agitur de designatione electorum quæ fit per gratiam, quæ nec genus, nec dignitatem, nec tempus attendit ; et ideo non servatur hic nec dignitatis, nec nativitatis ordo. Item nota quod de qualibet tribu Israel ponuntur duodecim millia signati : non quod tot præcise sint de qualibet tribu salvandi, vel quod tam parvus numerus sit in unaquaque tribu ; sed propter duodecim Apostolos quorum vocatione et doctrina sunt vocati ad salutem propter fidem Trinitatis et perfectionem operum in quatuor partibus mundi habitam a salvandis. Determinans ergo unde venit illa summa signatorum, subjungit, *Ex tribu Juda duodecim millia signati*. Judas primo ponitur, quia confessio peccati, primum signum salutis. Juxta illud Rom. X. *Ore autem confessio etc.* Conversio peccatorum significat salutem, contritio enim soli Deo patet. I Reg. XVI, *Homines vident quæ parent : Deus autem intuetur cor.* Sed nota quod est triplex confessio peccati. De qua Psalm., *Dixi : confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Et tanguntur in hoc verbo sex quæ debet habere confessio. Primum est vera præmeditatio, quod notatur per *dixi*. Secundum est conjunctio cordis, id est ut corde simul et ore fiat, quod notatur per *confitebor*. Tertium quod sit accusans, quod notatur per *adversum me*. Quartum est quod sit de malis, non de bonis, quod notatur per *injustitiam*. Quintum est quod sit propriorum, id est de propriis non de alienis, quod notatur per *meam*. Sextum est quod fiat ad honorem Dei, non ad laudem mundi, vel ad quæstum lucri ; quod notatur per *Domino*. Et talis confessio est utilis. Unde sequitur, *et tu remisisti impietatem peccati mei.* Secunda est confessio laudis. De qua Eccles. LI, : *Confitebor tibi, Domine rex, et collaudabo te.* Unde de his duabus simul dicit Psalm. *Confitebimur tibi etc.* Tertia est confessio fidei. Rom. XIX, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Sequitur, *Ex tribu Ruben duodecim millia signati.* Ruben interpretatur filius visionis. Unde tribus Ruben sunt omnes qui per fidem, qua vident Deum, fiunt ejus filii. Joan. I. : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Sed quia *fides sine operibus mortua est*, ut dicitur Jacob II, Ideo sequitur, *Ex tribu Gad, duodecim millia signati.* Gad enim interpretatur accinctus ad operandum, scilicet in vinea et in agro Domini. Gen. XLIX, *Gad accinctus præliabitur ante eum.* Sed iterum quia operatio, quæ non fit in spe salutis æternæ, non valet, sequitur, *Ex tribu Aser duodecim millia signati.* Aser enim interpretatur signatus, alias beatus ; et spes in præsenti beatificat. Rom. VIII, *Spe salvi facti sumus.* Sed quia sine charitate nihil salubre, ut dicitur I Corinth. XIII, ideo sequitur, *Ex tribu Nephtalim, duodecim millia signati.* Nephtalis enim interpertatur latitudo, et charitas dilatat cor. Juxta illud Psalm. : *Latum mandatum tuum nimis*, scilicet mandatum charitatis qua præcipit diligi amicos et inimicos. Sed quia charitas duplex est, scilicet in proximum et in Deum : ideo sequitur de charitate Dei, *Ex tribu Manasse, duodecim millia signati.* Manasse enim interpretatur oblivio, et charitas Dei omnia temporalia facit oblivisci. Sed quia exhibitio operis est probatio dilectionis, ut dicit *Glossa*, Ideo sequitur, *Ex tribu Simeon duodecim millia signati.* Simeon enim interpretatur audiens mœrore, quod bene convenit charitati, quæ mœrore proximi audit compatiendo et subveniendo. Unde Sap. I. *Auris zeli audit omnia.* Sed quia « charitas, aut deficit, aut proficit, » ut dicit Augustinus, Ideo sequitur, *Ex tribu Levi, duodecim millia signati.* Levi enim interpretatur additus : et charitas opus operi et virtutem virtuti addit, donec perficiatur. Sed quia cum tribus prædictis virtutibus, scilicet spe, fide et charitate, quæ dicuntur virtutes theologicæ, sunt necessariæ aliæ quatuor quæ dicuntur politicæ, quæ circa inferiora versantur, *quibus utilius nihil est in vita hominibus*, ut dicitur Sap. VIII, Joannes sequitur de illis : et primo de justitia, *Ex tribu Issachar, duodecim millia signati.* Issachar interpretatur merces ; et significat justitiam operum cui merces debetur. Sap. X, *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum.* Matth. XX : *Voca operarios et redde illis mercedem suam,*

Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Zabulon interpretatur habitaculum fortitudinis ; et ideo significat fortitudinem. *Ex tribu Joseph, duodecim millia signati.* Per Joseph, qui fuit providus dispensator Ægypti, interpretatur augmentum, quia per sapientiam augmentavit redditus Pharaonis ; et significat prudentiam. *Ex tribu Benjamin, duodecim millia signati.* Benjamin enim interpretatur filius dexteræ : per hunc significatur temperantia quæ ratione continentiæ facit hominem filium dexteræ. Quia virginitas in dextera est, et Benjamin filius dexteræ interpretatur. *Post hæc vidi.* Secunda pars hujus tertiæ partis : in qua ponitur numerus signatorum infinite ad innuendum numerus electorum qui est Deo finitus, nobis est infinitus. Vel primo posuit numerum signatorum de Judæis : nunc ponit numerum signatorum de Gentibus qui major est ; et ideo infinite ponit. Unde dicit : *Post hæc vidi turbam magnam*, id est spiritualiter intellexi, quod illi signati erant turba magna : vel post illos vidi alios de Gentibus, qui erant turba quasi innumerabili. Unde sequitur, *Quam dinumerare nemo poterat.* Non dicit quæ dinumerari non poterat, quia ille eorum novit numerum qui numerat multitudinem stellarum. Unde Eccl. I, *Arenam maris et pluviæ guttas et dies sæculi quis dinumerat?* quasi dicat : Solus Deus et non homo. Unde et Abrahæ dixit Dominus, Gen. XV, *Suspice cœlum et numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* Item Gen. XII, *Benedicam tibi et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est in littore maris.* Et ne aliquis putaret, quod nullus esset signandus in tota illa multitudine nisi ex Judæis, ideo addit, *Ex omnibus gentibus. Glossa*, Etiam de barbaris : *et tribubus et Gentibus, et populis, et linguis* populorum. In gentibus enim diversæ sunt tribus. In tribu diversi sunt populi. In populo diversæ sunt linguæ ; et de omnibus his aliqui sunt salvandi. Unde Matth. XIV, *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, et ex omni genere piscium congreganti.* Quomodo autem vel in quo statu viderit hanc turbam determinat dicens : *Stantes ante thronum*, quasi paratos obedire : vel stantes, id est erectos ad cœlestia, non ad terrena curvatos. Sicut illi de quibus dicit Psalm. *Statuerunt oculos suos declinare in terram.* Item stantes, quia in judicio non cadent. Nam pro eis non dabitur sententia. Sap. V, *Stabunt justi in magna constantia.* Sed mali ibi cadent, quia contra eos dabitur sententia irrevocabilis. Amos VIII, *Cadent et non resurgent ultra.* Psalm. : *Non resurgent impii in judicio etc. Et in conspectu agni*, id est in consideratione Christi puri et mansueti sibi, sed malis erit durus et crudelis. Isa. XXX, *Ardens furor ejus et gravis ad portandum*, *Amicti stolis albis*, id est innocentia baptismali et sanctitate pœnitentiali. His duabus stolis vestiuntur sancti in præsenti. Unde Prov. ult. *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Primam stolam dealbat aqua baptismalis. Unde Psalm, *Lavabis me et super nivem dealbabor.* Secundam dealbat aqua lacrymarum, sicut dicit *Glossa.* Unde Psalm : *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, id est per singula peccata conscientiam meam *lacrymis meis. Et palmæ in manibus eorum*, id est coronæ pro operibus eorum. Infra XIV, *Opera illorum sequuntur illos*, id est præmia operis.

Et clamabant voce magna etc. Quarta pars capituli est : in qua ostenditur Joanni, quod sancti gratias agunt, non solum in præsenti, sed etiam in futuro de bonis sibi impensis tam in præsenti, quam in futuro. Dicit ergo, *Et clamabant omnes prædicti voce magna*, id est affectu magno, *dicentes* voce cordis et oris, *Salus*, quam habemus, id est remissio peccatorum, et opera bona, et vita æterna, *Deo nostro* attribuitur : quasi dicant : quod salvi sumus, non a nobis, sed a Deo habemus, id est remissio peccatorum, et opera bona, et vita æterna : unde a Deo habemus, *qui sedet super thronum*, ut judex omnium, *Et agno*, id est homini Christo : quasi dicat : A Christo, qui est Deus, et homo, habemus salutem. Unde Exod. XV, *Fortitudo mea Dominus, et factus est mihi in salutem.* Psal. : *Dominus illuminatio mea etc. Et omnes Angeli stabant* ad obediendum parati, ad juvandum prompti, ad protegendum strenui, ad recipiendum signatos voluntarii, ad introducendum ad nuptias ferventissimi. Et ubi stabant? *In circuitu throni*, ut scilicet ex omni parte protegerent ipsum thronum, id est Ecclesiam, et exequerentur mandatum sedentis in throno, *et seniorum*, id est prælatorum ad muniendum, et juvandum eos specialiter. Quia totum pondus præ-

lii vertitur contra illos, ut dicitur I Reg. ult. de Saule. Unde VII, Isa. LII, *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes. Et quatuor animalium*, id est prædicatorum omnium ad revelandum eis mysteria, et docendum utilia, et mundandum eorum labia. Isa. VI, *Volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari ; et tetigit os meum, et dixit : Ecce tetigit labia tua, ut auferatur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Vel sicut supradiximus, per thronum intelliguntur prælati, in quibus judicat Christus : per quatuor animalia, ordo prædicatorum : per vigintiquatuor seniores intelliguntur doctores, in quibus est sapientia. Juxta illud Job XII. *In antiquis est sapientia* : Vel generaliter omnes fideles ratione prædicta. Vel in circuitu omnium sunt Angeli stantes, id est juvantes, et defendentes. Unde Isa. XVIII, *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam ab amore terrenorum et dilaceratam multis tribulationibus, et populum terribilem* dæmonibus, *gentem expectantem* gaudia cœlorum, *et conculcatam* pedibus malorum. Et de hoc circuitu dicitur in Psal. *Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Et *ceciderunt Angeli in conspectu throni*, id est Christi in throno sedentis, *Ante facies suas,* id est sapienter se humiliaverunt coram Christo, gratias agentes pro signatione fidelium, et adoraverunt Deum, id est adorationem latriæ, quæ soli Deo debetur, Christo reddiderunt *dicentes Amen.* Respondentes, et confirmantes laudationem signatorum, sicut pueri respondent amen in fine orationum. In quo notatur magna humilitas Angelorum : quasi dicant Angeli ad signatos, verum est, quod vos dicitis, et nos consentimus, et congratulamur dicentes Amen. Quod autem sequitur postea, *Benedictio*, id est exaltatio nostra quam super omnem creaturam habemus. *Et claritas*, id est intelligentiæ perspicacitas, qua clare omnia intelligimus, et Deum clare videmus, non per speculum in ænigmate, ut homines, sed facie ad faciem : *et sapientia* qua in cognitis delectamur, *Et gratiarum actio*, id est gratuita, vel grata laudatio. Isa. LI, *Gaudium et lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, et vox laudis : honor,* qui vobis ab Ecclesia exhibetur. Vel quem habuimus stando aliis cadentibus, vel quem habemus Deo serviendo, cui Deo servire regnare est, *Et virtus*, id est potentia resistendi, et vincendi diabolum, *Et fortitudo*, id est virtutis confirmatio, Deo nostro attribuitur, non nobis, dicunt Angeli, et hoc non ad horam, immo, *In sæcula sæculorum*, id est continue, et cum tempore. Isa. LXII, *Tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Supra IV, *Requiem non habebant dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus etc.* Psal. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Item potest dici, quod Angeli hic agunt gratias de bonis collatis, hominibus, concivibus suis, id est signatis : et tunc exponitur sic, Benedictio, id est bona datio, id est bonorum datio, fortunæ bona, naturæ, et gratiæ, atque gloriæ. Nam hæc quatuor dat Deus electis. Jacob. I, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum est a Deo patre luminum.* Datum bonum dicitur bonum fortunæ, datum melius bonum naturæ. Datum optimum bonum gratiæ. Donum perfectum bonum gloriæ. De hac benedictione dicitur Eccles. XI, *Benedictio Dei in mercedem justi festinat.* Et claritas conscientiæ, vitæ, famæ, scientiæ. De prima dicitur II Cor. I, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* De secunda Sapientiæ quarto : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate.* De tertia Eccles. XL, *Curam habe de bono nomine.* II Cor. *Bonus odor Christi sumus Deo.* De quarta Sap. VIII, *Habeo per hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores :* et sapientia, id est Dei et sui cognitio : Philosophus : « Sapientia est hominis sui ipsius cognitio. « Eccles. LI, *Multam inveni in memetipso sapientiam, et multum profeci in ea.* Boetius : « Sapientia est humanarum divinarumque rerum perfecta veraque cognitio ». Quam utilis sit hæc sapientia, patet per illud Sapientiæ VII, *Neminem diligit Deus nisi eum, qui cum sapientia inhabitat.* Item in eodem XIII, *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Cognitio Dei tollit desperationem, cognitio sui præsumptionem, Et gratiarum actio, quæ quantum sit oculis patet ex suo contrario, id est in ingratitudine, de qua dicit Bernardus : « Ingratitudo est ventus urens, exsiccans fontem pietatis, venas misericordiæ, et fluenta gratiæ ». Unde alibi dicit, Disce in referendo gratias non esse tardus neque segnis ; disce ad singula dona gratias agere ; diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla Dei bona debita gratiarum actio-

ne frustrentur. I Thes. v, *Sine intermissione orate : in omnibus gratias agite :* hæc duo, sicut dicit beatus Bernardus, scilicet oratio et gratiarum actio, debent sibi condividere totam vitam sanctorum. Quia sancti vident, vel bona, vel mala. Si bona, debet personare gratiarum actio; si mala, sequi debet oratio pro illis amovendis. Unde beatus Bernardus alibi dicit : « Charitas tot modis in oratione, vel gratiarum actione, in Deum se jugiter refundit, quot in suis, vel necessitatibus, vel consolationibus, vel proximi compassionibus, vel congratulationibus carnales materias invenit pius affectus ». Honor, id est pax, et quies a tumultu et lite. Prov. XVI, *Honor est homini, qui se separat a contentionibus*. Hunc honorem non habent advocati, qui sequuntur et quærunt lites, sicut corvi cadavera. De quibus dicit Isidorus, Hi sunt, qui causas morantur, admissi impediunt, prætermissi fastidiunt, admoniti obliviscuntur, sine sponsione præmii, dedignantur locupletati : hi sunt in exactionibus Harpiæ, in collationibus statuæ, in quæstionibus bestiæ, ad intelligendum saxei, ad judicandum lignei, ad favendum vulpes, ad irascendum tigres, ad serviendum tauri, ad consumendum minautori, quorum si nares afflaverit rubiginosi aura marsupii, mox videbis oculos Argi, perjuria Laomedontis, Ulyssis argutias, Sinonis fallacias, Achitofelis consilia, Absalonis oscula. Item in quodam libro *Tragœdiarum* Senecæ, qui intitulatur, liber *de nugis senum*, dicitur, cum quidam inspiceret infernum, videns Neronem balneantem se, et multos circumstantes, qui fundebant aurum calidum in balneum ipsius, Nero videns turbam advocatorum ad se venientem, ait : venite huc venale genus hominum. O advocati amici mei, accedite huc, ut mecum in hoc vase vos balnectis. Adhuc enim superest locus in eo, quem vobis reservavi. Et virtus, id est audacia resistendi malis, quæ optime conjungitur honori. Quia non debet habere honorem, qui non habet virtutem. Eccl. VII, *Noli quærere fieri judex etc.* Vel virtus bene vivendi. Augustinus : « Virtus est bona qualitas mentis, quam Dominus operatur in nobis sine nobis, qua bene vivitur, et nemo male utitur ». Et fortitudo, ardua aggrediendi, et gravia sustinendi propter Deum. De qua Psal. : *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Deo nostro attribuenda sunt, et pro his laudemus eum dicunt Angeli, quia nobis dedit hæc, In sæcula sæculorum, per hoc notatur continuatio laudis, Amen, potest accipi nominaliter, verbaliter, adverbialiter. Si nominaliter, tunc est sensus, *Amen*, id est veritas attribuenda est ei. Si verbaliter, quia verus est in promissis. Si adverbialiter, tunc est optatio, id est fiat, fiat : ut dicit *Glossa*.

Et respondit etc. Sexta pars : in qua ostenditur Joanni, unde isti venerunt in tantam gloriam ; ut per hoc, et Joanni et aliis consimilis via ostendatur. Dicit ergo, *Et respondit unus de senioribus*, id est universitas Prophetarum et Apostolorum meo desiderio satisfecit, qui desiderabam esse cum illis. Sed potest quæri, quare modo loquantur quatuor animalia? Solutio. Per animalia intelliguntur sancti secundum statum præsentem, ubi sunt adhuc in pascuis Scripturarum sicut bonæ pecudes : per seniorem vero intelliguntur secundum statum futurum. In præsenti vita est diversitas, quia non omnes sancti idem volunt vel sentiunt ; sed in patria erit voluntas et sensus omnium unum et idem. Et ideo supra loquuntur quatuor animalia, hic vero unus de senioribus, et respondet mihi desideranti intelligere unde venerant illi signati, *hi Amicti stolis albis*, sicut supra expositum est, *Qui sunt, et unde venerunt?* quasi dicat : Attende bene, in quo statu sunt ibi, et a quo statu venerunt ; quia de magna miseria ad magnam gloriam, de magna paupertate ad magnas divitias, de exilio ad patriam, de angustia ad delitias, de carcere ad regnum, de vinculis ad liberationem. *Et dixi illi seniori, Domine, tu scis.* Et ideo debes me nescientem docere. Dominum vocat, quia minor in cœlo major est quolibet existente in mundo. Sicut dicitur Matth. XI, de Joanne Baptista : *Qui minor est in regno cœlorum major est illo. Et dixit mihi.* Quia humiliter responderat, meruit edoceri. Prov. XI, *Ubi humilitas, ibi sapientia*. Psal. *Inter medium montium pertransibunt aquæ*. Exemplum in *vitis patrum* de illo, qui tanto tempore rogaverat Deum, ut revelaret quiddam quod dubitabat ; et ad ultimum cum non posset invenire veritatem, cœpit ire ad quemdam vicinum Eremitam ; et dum esset in via, occurrit ei Angelus Domini, et dixit ei : quamdiu orasti, et noluit tibi Dominus revelare, quod petebas, quia confidebas in precibus tuis : sed quando te humiliasti ut

ires ad fratrem tuum, et peteres edoceri ab eo, misit me Dominus, ut doceam te quid dubitas, et docuit eum. *Hi sunt, qui venerunt*, et veniunt quotidie, et venient usque in fine sæculi. *Ex magna tribulatione,* id est ex multiplici : nam ex una parte dæmones turbant pacem cordium, ex altera parte hæretici destruunt fidem, ex altera falsi Christiani corrumpunt mores, ex altera Tyranni auferunt substantiam. Et bene dicit, Hi sunt, per quod innuit, quod qui non est in tribulatione, non vere est, quia non est in eo Christus. Psal. : *Cum ipso sum in tribulatione.* Ecce ostendit senior unde venerunt de mundo ubi magna tribulatio est, tamen major erit in purgatorio, maxima in inferno, præter illa quatuor, quæ dicta sunt. Et habet tria : Longum, latum, et spissum. Longum in abrenunciatione sui ; et hoc habet sursum et deorsum. Sursum in demissione propriæ voluntatis. Deorsum in dimissione curæ carnis : sicut dicitur Rom. XIII, *Curam carnis ne feceritis in desideriis.* Latum in abrenunciatione mundi : et hoc habet dexteram et sinistram. Dexteram quidem prosperitatis, et sinistram adversitatis, ut inter utrumque vir sanctus procedat, sicut dicitur Numer. XX, *Via publica gradiemur, non declinabimus neque ad dexteram neque ad sinistram.* Spissum, in abrenuntiatione parentum ; et hoc habet ante et retro. Ante, patrem et matrem. Retro, filios et nepotes. Quia his omnibus renunciaverunt sancti, ideo dicitur, *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* Vel ex magna tribulatione, id est mundi turbatione. *Et laverunt*, in aqua baptismi, vel lacrymarum, *Stolas suas*, id est corpora sua, quibus animæ, quasi quibusdam tunicis teguntur, *Et dealbaverunt eas*, id est cum albæ essent, magis albas fecerunt, *In sanguine Agni*, id est in fide, et imitatione passionis Domini nostri Jesu Christi. Sed cum sanguis non sit albus, sed rubeus, videtur, quod Joannes debuit dicere, et rubeas fecerunt eas, et non dealbaverunt. Solutio : sanguis calore decoctus in mamillam, convertitur in lac, et mutat colorem ; et qui prius erat rubeus, fit albus. Sic sanguis Christi in igne caritatis decoctus mente sanctorum, albos facit eos, non rubeos. Vel potest dici, quod in hac dictione *dealbaverunt*, ponitur de pro additione : et est sensus : et dealbaverunt eas in sanguine Agni, id est cum essent albæ prius, per innocentiam seu munditiam, rubeas eas fecerunt sustinendo martyrium pro Christo, et ita factæ sunt simul albæ et rubeæ. Proverb. ult. : *Purpura et byssus indumentum tuum.* Cant. V, *dilectus meus candidus et rubicundus. Ideo sunt ante thronum Dei. Glossa,* In consortio Angelorum purificantur, et serviunt per laudum decantationem, et reverentiæ exhibitionem. *Die ac nocte*, id est continue sine intermissione sicut angeli. De quibus dicitur Isa. LII, *Tota die et tota nocte, perpetuo non tacebunt. In templo ejus,* Primo in militanti. Secundo in triumphanti. Psal. : *In templo ejus omnes dicent gloriam*, id est laudem. In templo militantis Ecclesiæ serviendum est Domino quadrupliciter : scilicet sancte, juste, recte, perseveranter. Unde Luc. I, *Serviamus illi in sanctitate et justitia etc.* Item in templo triumphantis Ecclesiæ servietur ei quadrupliciter : scilicet vacando, videndo, amando, laudando. Unde Augustinus in fine *de Civitate Dei*, Vacabimus, et videbimus : videbimus, et amabimus : amabimus, et laudabimus : ecce quid erit in fine sine fine ; scilicet vacare et videre, amare, et laudare. *Et qui sedet in throno*, scilicet Christus, *habitat super illos*, protegens, et gubernans eos, et bonum suum eis communicans. Unde sequitur, *Non esurient*, pane vitæ satiati. Joan. VI, *Ego sum panis vitæ, Neque sitient*, aqua vitæ potati. Joan. IV, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* De utroque dicitur Eccles. XV, *Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum.* Item de primo, Psal. *Cibavit illos.* De secundo : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ad utrumque vocat sponsa, Cant. V, *Comedite amici, et bibite et inebriamini charissimi.* Ad hanc autem satietatem et ebrietatem pervenitur per esuriem et sitim justitiæ. Unde Matth. V, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Isa. LXV, *Servi mei comedent, qui hic esurierunt ; et vos sitietis, qui hic ebriati estis.* Luc. VI, *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis amplius.* Contra Eccles. XXIV, *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient.* Solutio. Dua sunt in esurie : scilicet defectus et desiderium. Defectus omnino tolletur. Desiderium remanebit : et ita sancti reficientur semper, et saturabuntur, et nunquam fastidient. Juxta illud, *Fruuntur, et non fastidiunt*, quo

magis frui sitiunt. I Petr. I, *In quem desiderant Angeli prospicere.* Hic ergo sumitur esuries pro defectu, in Ecclesiast. pro desiderio sive affectu : utrobique in semiplena significatione. *Neque cadet super illos sol, neque ullus æstus*, id est neque major neque minor tribulatio. Psal. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Ullus, dicit : neque corporalis, neque spiritualis, neque æterna erit eis. Et subjungit causam, unde hoc erit, *Quoniam agnus*, id est Christus pius, innocens, mansuetus, *Qui in medio throni est*, id est Ecclesiæ, vel Angelorum, vel prælatorum, ut supra, *Reget illos*, et ideo nil deerit illis, juxta illud Psal. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit. Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, ubi continue potabunt. Et loquitur hic Joannes per metaphoram ovium et pastoris : pastor enim primo regit oves suas, ducendo ad bona pascua ; postea ducit ad aquas, ut post pastum bibant. Sic Dominus in via regit bonos, ducendo de virtute ad virtutem ; tandem deducit eos ad fontes vitæ aquarum in patria, id est contemplandum sanctæ Trinitatis majestatem, quæ est unus fons propter unitatem essentiæ. Unde Psal. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quasi dicat : Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* Aquæ hujus fontis, vel horum fontium, sunt gaudia ex intuitu divinæ majestatis surgentia ; quæ quanto plus bibentur, plus sitientur. Juxta illud Eccles. XXIV, *Qui bibunt me adhuc sitient.* Item quanto plus haurientur, tanto profundiores invenientur. Et de hoc dicitur Eccl. XLVII, *Ecce redundantes a latere dextro.* Latus templi dextrum, est cœlestis patria. Nam vita præsens, est latus sinistrum, sicut dicitur Cant. V, *Læva ejus sub capite meo etc.* Et sequitur, *Cum egrederetur vir, mensus est mille cubitos, et tranduxit me per aquam, usque ad talos. Rursusque mensus est alios mille cubitos, et transduxit me per aquam usque ad genua. Rursus mensus est alios mille, et transduxit me usque ad renes ; et mensus est mille et duxit me per torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerunt aquæ profundæ torrentis, qui non potest transvadari.* Tres primi millenarii, signant tria gaudia electorum in patria, quæ finita sunt, et alia quatenus possunt a sanctis comprehendi. Primus venit ad infernum, ubi vident Dei justitiam adimpleri, de quo multum eis gaudium. Unde Psal. *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Isa. ult. : *Egredientur ut videant cadavera mortuorum, qui prævaricati sunt in me : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Secundus venit a mundo de pulchritudine creaturarum. De quo Isa. LX, *Tunc videbis et afflues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Tertius a cœlo, et jucunda et grata societate. De quo Isa. LXV, *Exultabo in Jerusalem, et gaudebo in populo meo.* Sed quartus millenarius, qui non potest transvadari, est gaudium Dei, de ineffabili visione majestatis divinæ. Quod tantum est, ut dicat Isa. XLIII, *Quod oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te.* De his quatuor gaudiis dicitur Luc. VI, *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Bonam dicit, quo ad primum ; confertam, quo ad secundum : coagitatam quo ad tertium : supereffluentem quo ad quartum. Item alio modo. Tres millenarii, qui mensurantur, et possunt transvadari, sunt tres sensus Scripturæ ; scilicet historicus, allegoricus, tropologicus. Quartus vero, est millenarius qui non potest transvadari, est quartus sensus, id est anagogicus, qui est de secretis cœlestibus, quæ non possunt in hac vita comprehendi. Hoc totum quod hic dicitur, sumptum est de Isa. XLIX, ubi dicitur : *Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum ; non esurient neque sitient, et non percutiet eos sol neque ullus æstus, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* Sed priusquam ad istos fontes clarissimos et dulcissimos, de quibus dictum est, pervenire possimus, oportet potare de aliis quinque fontibus : quos vobis foderunt Judæi in optima terra, scilicet carne Christi, qui sunt quinque vulnera ejus. Unde ipse dicit, *Foderunt manus meas et pedes meos.* Isa. II, *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo.* Cant. II, *Veni columba mea, in foraminibus petræ in caverna maceriæ.* In his fontibus potantur aquæ vivæ, quibus abluuntur sordes animarum, et restinguitur ardor et sitis malæ concupiscentiæ. Unde Isa. XII, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* Sequitur, *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, id est omnem dolorem et tristitiæ causam amovebit ab eis. Isa. XXV, *Auferet Deus lacrymam ab omni facie.* Item LXV, *Exaltabo in Jerusalem, et gau-*

debo populo meo, et non audietur in ea vox fletus ultra et vox clamoris. Item LI, *Venient in Sion laudantes, et lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium et lætitiam tenebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Omnem lacrymam, dicit. Quia variæ sunt lacrymæ electorum. Nam alius plangit, quia mala fecit. Alius quia bona non fecit. Alius quia flagella correctionis diu sustinuit. Alius quia jaculis vitiorum pungitur. Alius quia peregrinatur a patre et a patria. Alius quia videt fratres perire. Tali modo varii sunt sanctorum fletus et gemitus in hac vita, qui tunc utique abstergentur ad plenum, quando præsenti fletui lætitia jucunditatis æternæ succedet. Juxta illud Matth. v, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Et Joan. XVI, *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Commutatio significatur Joan. II, in mutatione aquæ in vinum. Rabanus autem quatuor distinguit genera lacrymarum, dicens : hoc modo quatuor modis fit planctus sanctorum. Aut cum propria peccata deplorant. Aut cum in infernum cadentes plangunt. Aut cum in peccatis viventes lacrymantur. Aut cum desiderio regni lugent. Sunt autem lacrymarum quatuor proprietates, sed iterum quatuor faciunt bona. Nam sunt humidæ, ut sordidum cor abluant, sunt et calidæ, ut frigidum calefaciant, sunt et salsæ, ut fetidum condiant, sunt et amaræ, ut dulcorem carnalium voluptatum temperent. Et postea addit : uno eodemque momento Deum pulsant, oculos rigant, animam lavant, ignem infernalem extinguunt, quod non faceret tota aqua maris. Omnes has lacrymas absterget Dominus propria manu. Unde Bernardus. « Felix lacryma quam pia manus conditoris abstergit : et si non esset causa lacrymandi, nisi hæc, bonum esset flere. » Qui autem modo nolunt flere ad horam, flebunt sine fine ; et tales lacrymas, quæ non refrigerabunt, sed quæ corpus cremabunt. Unde quidam sanctus Pater in *Vitis patrum* dixit discipulo suo. » Ploremus hic, frater, antequam veniamus ad locum, ubi animæ comburunt plorantium. Unde dicitur Luc. VI, *Væ, qui, ridetis, quia lugebitis.* Proverb. XIV, *Extrema gaudi, luctus occupat.*

Et cum aperuisset. Septima pars hujus capituli : ubi ostenditur apertio septimi sigilli, quæ nihil aliud est quam manifestatio status futuri, post mortem antichristi, quando dabitur pax Ecclesiæ, sed parum durabit. Unde quia hic status, quasi signatus, latuerat clausus in Scriptura, et hic ostenditur hoc sigillum septimum aperiri, dicit ergo, *Et cum aperuisset sigillum septimum*, id est cum futurum statum Ecclesiæ post mortem Antichristi, manifestasset. *Factum est silentio in cœlo*, id est pax et tranquillitas in Ecclesia, et ponit præteritum pro futuro. Tunc enim libere prædicare licebit sanctis, nec aliquis impugnabit sanctos, nec affliget eos. *Quasi media hora :* id est valde parum, quia statim veniet Dominus ad judicium : nec tantum bonis erit pax et tranquillitas, immo etiam ministris Antichristi, qui deinde crederent se in prosperitate victuros, et ideo obstinati in malitia, non convertentur, sed in peccatis suis morientur. Unde Jerem. XLIV, *Requiem Moab in fæcibus :* scilicet : ideo est transfusus de vase in vas, id est de statu peccati, in statum pœnitentiæ : quadraginta quinque enim dies dabuntur post mortem Antichristi, ut pœniteant illi, qui in persecutione Antechristi titubaverunt et ceciderunt. Sed ministri Antichristi dicent : licet princeps noster sit mortuus, nos tamen pacem habemus : et ideo ducent uxores, et facient convivia : et cum dixerint sibi bene esse, tunc veniet judex, et morientur omnes. Unde I Thess. v, *Cum dixerint, pax, et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus.* Quantum vero spatium sit futurum inter illos quadraginta quinque dies, et in fine mundi, nemo scit, nisi forte alicui fuerit divinitus revelatum. Unde Matth. XXV, *De die autem illa nemo scit, nisi filius hominis, et cui filius hominis voluerit revelare.*

CAPUT VIII.

Et cum aperuisset sigillum etc. Hoc est octavum capitulum, in quo incipit tertia visio, in qua agit Joannes de septem Angelis tubis canentibus, per quos designatur universitas prædicatorum, turbines persecutorum et retributiones præmiorum annunciantium : et incipit ab exordio nascentis Ecclesiæ, et perducit usque ad finem. Unde hic ostenditur Joanni, quomodo prædicatores consolantur Ecclesiam in quolibet statu ejus. Et patet ordo visionis hujus ad præcedentem.

In illa enim aperiuntur omnes status Ecclesiæ, in quibus multas sustinuit passiones. In ista ponuntur consolationes quas habuit a prædicatoribus. Continet autem hæc visio quatuor capitula : scilicet octavum, nonum, decimum, et undecimum. Et dividitur hæc visio principaliter in duas partes. In prima agit de his generaliter, ponens quædam communia toti visioni. In secunda agit singulariter de unoquoque Angelo, ibi, *Et primus Angelus*, circa medium hujus capituli. Hoc autem capitulum dividitur in duas partes. In prima ostenditur Joanni sermo, sive ornatus, septem Angelorum, et præparatio eorum. In secunda agitur sigillatim de clangore quatuor Angelorum, et quid factum est in clangore eorum, ibi, *Et primus Angelus*. Dicit ergo, *Et vidi* spirituali visione *septem Angelos*, id est prædicatores universos, qui dicuntur septem propter septenarium, qui est numerus universitatis, vel quia septem donis sunt perfecti, et septem vitia prædicando eradicant, et septem virtutes plantant, et septem sacramenta annunciant. Unde Jerem. I, *Constitui te super gentes et regna : ut evellas, et destruas, disperdas, et dissipes*. Hæc quo ad vitia, quæ quatuor modis committuntur, scilicet delectatione, consensu, opere, commissione. Ideo ponit quatuor verba ad idem pertinentia. Et sequitur, et ædifices, mores, et plantes, fidem. Vel ideo dicuntur septem quia fidem Trinitatis prædicant per quatuor partes mundi ; vel quia in omnibus statibus Ecclesiæ, qui sunt septem, erunt prædicatores Ecclesiam consolantes : ostendendo præmia bonorum, et damnationem malorum. Vocat autem eos Angelos, quia missi sunt ad serviendum aliis, non ut serviatur eis, sicut Dominus eorum. Matth. xx, *Filius hominis non ministrari venit, sed ministrare etc.* Hebr. I, *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi etc.* Roman. x, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Item vocat eos Angelos, quia debent esse spirituales, non carnales. Psalm. *Qui facit Angelos suos spiritus*. Item quia debent jugiter vacare contemplationi cœlestium. Matth. xviii, *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in cœlis est*. *Stantes*, id est secure laborantes, non timore corruentes, nec otio torpentes. Psalm. *Mane astabo tibi, et videbo*. Item Stantes, id est obedire, ire, et purgare paratos. Joan. xv, *Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat* apud me in deposito, donec ego reddam vobis. II Tim. I, *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare*. Vel Stantes, quia quandoque prædicatores stando prædicant populo, quia Dominus stans prædicavit turbæ. Luc. vi : *Claustralibus autem prædicavit sedendo*. Matth. v. In quo notatur quod claustralibus est prædicandum otium contemplationis, laicis vero labor actionis. In conspectu Dei active, id est ut Deum conspiciant, et alios conspicere doceant. In primo notatur, quod pura intentio prædicatorum debet esse pure ad Deum, non ad aliud emolumentum. Et finis debet esse ut alios faciant, ut doceant videre Deum, nunc per fidem, ut postea per speciem. Vel in conspectu Dei, quia quicquid dicant vel faciant conspiciuntur a Deo. Boetius, « Magna nobis necessitas indicta est nisi dissimulare velimus, cum cuncta agamus ante oculos judicis cuncta cernentis. » Ideo dicit Elias III, *Vivit Deus in cujus conspectu sto*. *Et datæ sunt illi septem tubæ*, id est officium prædicationis, quod septem tubis designatur eadem ratione, qua prædicatores dicuntur septem : vel quia per prædicationem septem murationes mundi, quod significatur per Jericho, destruuntur, Josue sexto. Prima est amor divitiarum, secunda amor delitiarum, tertia ambitio honorum, quarta amor parentum, quinta oblivio Dei, sexta ignorantia sui, septima contemptus evangelii. Funes quibus Samson fuit ligatus, sed irruente spiritu in eo disrupit eos, sicut filum stupæ solvitur ad ardorem ignis. Judicum XVI, Samson interpretatur sol eorum. Hic est prædicator, qui debet alios exemplo vitæ informare, et luce doctrinæ illuminare, unde Matth. Vos estis lux mundi. Unde patet quod nihil debet esse in prædicatore quod sit inunctio mundi, cum officium suum sit dirimere muros Jericho. Vide ergo quomodo capta et diruta fuit Jericho. Sacerdotes tulerunt tubas, quorum usus erat in jubilæo, et clangentes, et septies circuientes civitatem, in septimo circuitum tubis clangentibus muri Jericho funditus corruerunt. Sacerdotes tubis clangentes typum gerunt prædicatorum, qui debent tenere in manu tubas, et clangere ore, sicut de Domino dicitur Act. I, *Cœpit Jesus facere et docere*. Septem circuitus Jericho sunt septem considerationes mundi quas si

haberent frequenter prædicatores in corde et in ore, tunc muri Jericho in seipsis corruerent, et postea in aliis corruere facerent. Prima est consideratio vanitatis, quia vana sunt omnia in mundo. Sapient. v, *Transierunt omnia, quæ sunt in mundo, velut umbra.* Psalm. *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Eccle. I, *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.* Rom. VIII, *Creatura vanitati subjecta est.* Secunda est consideratio utilitatis, quia vilia sunt omnia quæ in mundo sunt, I Joan. II, *Omne quod in mundo est etc.* Philipp. III, *Omnia arbitratus sum ut stercora,* quibus nihil est vilius. Tertia est consideratio brevitatis. Eccl. XI, *Omnis potentatus brevis vita.* I Cor. VI, *Præterit figura hujus mundi.* I Joan. I, *Transit mundus, et concupiscentia ejus.* Quarta consideratio est instabilitatis. Thren. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Unde appellatur mare. Isa. LVII, *Impii quasi mare fervens quod quiescere non potest.* Quinta est consideratio infidelitatis, quia nulla fides seu fidelitas in mundo invenitur. Oseæ IV, *Non est misericordia, non est veritas, non est scientia Dei in terra.* Luc. XLIII, *Putas Filius hominis cum venerit inveniet fidem super terram?* Item IX, *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in fratre suo non habeat fiduciam.* Sexta est consideratio falsitatis seu hypocrisis, quia alius est mundus, alius apparet. Job. XX, *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Ideo dicitur Nahum III, *Qui viderit se resiliet a se.* Septima est consideratio malignitatis. I Joan. V, *Totus mundus in maligno positus est, caveat maledictionem.* Josue VI, *In die illo imprecatus est Josue dicens, Maledictus vir coram Domino, qui resuscitaverit et ædificaverit civitatem Jericho, in primogenito suo, fundamenta illius jaceant, et in novissimo librorum ponat portas ejus. Et alius Angelus.* Hic agit de Christo Joannes, de quo est tradita prædicatio septem præcedentium Angelorum, de quo multa dicit. Alius Angelus, id est Christus Jesus, qui dicitur Angelus: id est Patris nuntius. Ipse enim nunciavit Patrem in mundo. Joan. I, *Unigenitus qui est in sinu Patris ipse vobis enarravit illum.* Et bene dicitur Alius; quia cunctis prædicatoribus, et gratia, et sanctitate, et virtute, et potentia, et sapientia, et dignitate remotus. Unde Isa. IX, *Et vocabitur nomen ejus, magni consilii Angelus.* Venit quando carnem humanam, et animam rationalem sibi univit. Psalm., *Tunc dixi, ecce venio. Et stetit* quasi Agnus immolari, vel quasi sacerdos immolare paratus. *Ante altare*, id est ante crucem, et in hoc ostenditur promptitudo obedientiæ ipsius. I Philipp. II, *Humiliavit se factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* De quo Isa. XIX, *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti et titulus Domini juxta manum ejus, quia super caput ejus imposuerunt causam ejus scriptam, Jesus Nazarenus rex Judæorum,* Matth. XXVIII. Item Isa. LX, *Offerentur super placabili altari meo et domum majestatis meæ glorificabo.* Et bene dicit placabili, quia per crucem Christi placatus est nobis Deus Pater. Et vide quam signanter dicit, Venit et stetit. Per hoc enim innuit et ostendit Christi humanitatem et divinitatem: venit quippe pertinet ad humanitatem, per quam transit de loco ad locum. Stare vero ad divinitatem, per quam ubique stat immobilis, juxta illud Jerem. Cœlum et terram ego impleo. Demum ostendit, quod Christus licet staret ut Deus, tamen potuit immolari, quia habuit verum corpus mortale. Unde dicit: *Habens thuribulum aureum in manu sua.* Thuribulum apertum est superius, clausum inferius: per quod significatur quod corpus Christi non opere inferiori, scilicet humano, sed divino formatur, id est factum fuit. Unde Luc. I, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est umbram capiet in te, vel de te, vel umbram faciet, id est refrigerium. Item thuribulum multa habet foramina, et Christus habuit quinque vulnera. Cant. II, *Veni columba mea in foraminibus petræ.* Jerem. XLVIII, *Esto quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Sed in thuribulo sunt foramina ex parte superiori. Et Christus non ex culpa sua, sed ex mera misericordia vulneratus fuit. Isa. LIII, *Oblatus est quia ipse voluit* (non quia meruit) quia peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore ejus. Item in thuribulo crematur thus, ut Domino offeratur; et per Christum omnes orationes Ecclesiæ diriguntur. Unde fere omnes orationes finiuntur, Per Dominum nostrum Jesum Christum. Aureum autem dicitur, non deauratum; quia non sanctificatum, sed sanctum factum est. Unde Luc. I, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Jerem. XXI,

Suscitabo David germen justum, id est Christum qui fuit justus in germine. Auri fulgor significat innocentiæ puritatem, quam Christus super omnes habuit. III Regum VII, *Fecit Salomon thuribulum ex auro purissimo*. Corpus Domini fuit aurum purum in Adam ante peccatum, sed factum est impurum per peccatum. Unde Thren. IV, *Filii Sion inclyti*, Adam et Eva scilicet, *amicti auro primo. Quomodo reputata est in vasa testea opus manuum figuli? Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Purius fuit in Beata Virgine post sanctificationem. Postea fuit purissimum in Christi assumptione. In Adam fuit purum, quia peccatum non fecit. In Beata Virgine fuit purius, quia nec peccavit, nec peccare potuit, nec voluit, et ita fuit tunc purissimum. Proverb. XXV, *Aufer rubiginem de argento* (id est de Beata Virgine), *et omnem fomitem, et peccati originem, et egredietur vas purissimum*, id est corpus Christi. De quo Ecclesiast. V, *Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*. Et sic dicitur habere thuribulum in manu sua, quia quomodo et quando voluit natus et passus et resurrexit. Item beata anima ejus ad Adam, quia non habuit fomitem qui est in nobis origo rebellionis. Unde Galat. V, *Caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem*. Et hoc significatum fuit Gen. VII, Ubi omnia animalia fuerunt pacata in arca, scilicet omnes motus concordes in Christo. Unde Psalm. *Anima mea in manibus meis semper*. Job. XX, *Animam meam porto in manibus meis*. Item thuribulum aureum est sancta Ecclesia igne divini amoris accensa. Clausa inferius ad terrena, aperta superius ad cœlestia. In qua sunt carbones, id est ignea desideria vel animæ charitate ignitæ. De qua ascendit fumus orationis et sanctæ devotionis. Unde Psalm. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Et bene dicitur aureum propter fulgorem sapientiæ, et charitatis, et obedientiæ quo vestita est Ecclesia. III Reg. X, *Fecit Salomon thronum de ebore grandem et vestivit eum auro fulvo nimis*. *Glossa* dicit, habens thuribulum, id est Apostolos qui sunt vas ignis, id est Spiritus sancti, de quibus exeunt orationes quæ elevantur coram Deo, *Et data sunt ei*, id est Christo, *incensa multa*, id est orationes multæ Deo acceptabiles a sanctis oblatæ, *ut daret ipse*, id est Patri repræsentaret, *de orationibus sanctorum omnium*. Non dicit orationes, sed de orationibus, quia non omnes orationes repræsentat Christus Patri, quia aliquando petunt quod non esset petendum, ut patet in Paulo qui petiit stimulum carnis amoveri a se. II Corinth. XII. Sed illas tantum repræsentat quæ pertinent ad salutem, quia illas exaudit. Joan. XVI, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Super altare aureum*, id est super crucem, ubi oravit pro peccatoribus. Luc. XXV, *Pater, ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt*. Et dicitur crux altare, quia ibi oblatus est. Aureum vero dicitur, quia ex sola charitate passus est et crucifixus. Jerem. XXXI, *Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*. Quod totum ipse fecit in cruce, unde omnem virtutem attrahendi habuit. Tria enim naturaliter attrahunt: scilicet vacuum, calidum et simile: et ipse fuit ibi vacuus per humilitatem. Philipp. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Item calidus fuit per charitatem. Joan. XV, *Majorem hac dilectionem nemo habet*. Fuit etiam similis nobis passibilis, et tunc refecit in nobis ipse similitudinem quam perdideramus. Rom. III, *Quos præscivit hos et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii Dei*. Propter hoc ipse dicit, Joan. XII, *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*. Ergo qui non trahitur ab eo, nil est. *Quod est ante thronum* in conspectu Dei, id est in beneplacito Dei. Quia passio Christi in cruce, Deo placuit, licet crucifixio Judæorum ei displicuerit. Unde dicitur, Actio displicuit, passio grata fuit. Vel Ante thronum Dei, id est coram Ecclesia, quæ est thronus Dei. *Et ascendit fumus incensorum*, id est compunctio cordium devotorum procedens *de orationibus sanctorum*: sicut enim fumus ex aromatibus accensis procreatur, sic virtus compunctionis ex studio gignitur orationum. Cant. II, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* Sed ne crederetur quod oratio sanctorum ab eis haberet virtutem, addit *de manu Angeli*, id est Christi, qui sanctorum orationibus dat virtutem ascendendi. Joan. XV, *Sine me nihil potestis facere*. Et postea ostendit quomodo ascendunt orationes sanctorum, quas in manus suas recipit, et eas offert Deo Patri, ostendit ei continue humanitatem assumptam et passam pro redemptione generis humani. Unde Joan. II, *Si*

quis peccavit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum justum et purum, et ipse est propitiatio, non pro peccatis nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi. Beatus Bernardus, « Securum accessum habes homo ad Deum, ubi habes Filium apud Patrem et ante Filium habes matrem totius misericordiæ. Ille ostendit Patri latus et vulnera : ista ostendit filio pectus et ubera : nulla possunt esse repulsa, ubi tot currunt charitatis insignia.» *Et accepit Angelus thuribulum aureum.* Supra diximus thuribulum aureum significare humanitatem Christi vel Apostolos, seu etiam Ecclesiam. Si primo modo accipiatur thuribulum pro humana natura Christi, tunc accepit Angelus thuribulum aureum, quando Christus in utero virginis assumpsit humanam naturam. *Et implevit primo de igne altaris*, id est eodem spiritu quem dedit Ecclesiæ implevit seipsum. Joan. I, *Videmus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. Et misit in terram*, scilicet thuribulum plenum igne, id est seipsum plenum Spiritu sancto, misit in mundum prædicare. Isa. XLI, *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum misit me*. Nec calumniandum est, quod dicimus, quod Christus misit se, cum mittens sit dignior misso semper. Quia Christus Deus misit in terram Angelum, id est Christus Deus dignior est Christo homine. Vel sic. Et misit in terram Angelum, id est Christus Spiritum sanctum in Ecclesiam. Act. II, *Factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum*, id est totam Ecclesiam. Thren. I, *Ignem misit de excelso in ossibus meis.* Item Accepit Angelus thuribulum aureum, id est Christus passioni exposuit corpus, scilicet quando ivit in Jerusalem, sciens, quando ibi traderetur. Unde dixit discipulis suis, Matth. XX, *Ecce ascendimus Jerosolymam. Et filius hominis tradetur.* Sed prius cum haberet thuribulum in manu, quomodo dicitur hic, quod accepit thuribulum in manu? Respondeo : prius habebat in potestate sua, sed nunc accepit in actu, quando spreto timore mortis ivit Jerusalem, ut ibi moreretur. *Et implevit illud de igne altaris*, id est charitatis qua dilexit nos, plenum fuisse monstravit, quia pro illa se tradidit. Juxta illud Psalm. *Zelus domus tuæ comedit me.* Ephes. V. *Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Et bene dicit, implevit, quia plenus fuit afflictione et dolore propter Ecclesiam. Job X, *Justus si fuero, non lavabo caput saturatus afflictione et miseratione.* Psalm. *Repleta est malis anima mea. Et misit in terram thuribulum*, scilicet in corpus suum, quod postea positum fuit in sepulcro. Isa. X, *In die illa*, id est passionis, *radix Jesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, erit sepulchrum ejus gloriosum.* Si autem per thuribulum intelligatur Apostolorum cœtus vel Ecclesia, ut dicit *Glossa*, Tunc erit sensus, Accepit Angelus thuribulum, id est Christus cœtum Apostolicum, quod prius habebat in manu, id est in potestate sua. Accepit illud de igne altaris, id est ardore charitatis, ut actu explerent ad quod electi erant. Act. II, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Et misit in terram, id est in Ecclesiam prædicare et testificari. Luc. X, *Misit illos binos ante faciem suam.* Matth. X, *Ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et facta sunt* ipsis missis in prædicatione *tonitrua* comminationum *et terræmotus magnus* factus est, quibusdam motis ad pœnitentiam, quibusdam ad indignationem et iram Christo discipulis et prædicatoribus. Unde Psalm. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit et commota est terra*, De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua : *et septem Angeli*, id est prædicatores universi qui habebant septem tubas, id est officium prædicationis, præparaverunt se, ut tuba canerent, id est ut prædicarent. Tribus autem modis se præparare debent sancti. Primo ut quæ dicturi sunt in prædicatione prius ostendant opere, id est sua conversatione, juxta illud Act. I, *Cœpit Jesus facere et docere.* Eccles. XVIII, *Ante judicium præpara justitiam*, id est ante quam judices sis justus. Secundo ut prius addiscant quod judicent, vel quod prædicent. Eccli. XVIII, *Antequam loquaris disce.* I Esdræ VII, *Esdras paravit cor suum, ut addisceret legem Domini et investigaret, et faceret et doceret in Israel præceptum et judicium.* Judith. IV, *Congregaverunt frumentum in præparationem pugnæ.* Tertio ut priusquam prædicent prævideant et cogitent secum, quando et quomodo et quid singulis personis prædicare oporteat. Nam aliter et aliud laicis, aliter et aliud clericis. Aliter et aliud prælatis, aliter et aliud subditis. Aliter et

aliud servis, aliter et aliud dominis. Aliter et aliud viris, aliter et aliud mulieribus. Aliter et aliud juvenibus, aliter et aliud senibus. Aliter et aliud religiosis, aliter et aliud sæcularibus. Aliter et aliud justis, aliter et aliud peccatoribus. Aliter et aliud duris, aliter et aliud mansuetis. Aliter et aliud christianis, aliter et aliud infidelibus. Aliter et aliud rudibus, aliter et aliud perfectis. Aliter et aliud idiotis, aliter et aliud sapientibus prædicare oportet, sicut docet Gregorius *in Pastorali.* Eccli. XXXII, *Vir sapiens plebem suam erudit et fructus illius sensus fideles sunt*, quia quilibet habet aliquid utilitatis. Et nota quod dicit, *Tuba canerent.* In tuba notatur terror, in cantu lætitia, quia prædicator et terrorem comminationis et lætitiam consolationis debet habere. Matth. XI, *Cecinimus vobis et non saltastis, lamentavimus vobis et non plorastis.* Ideo in libro quem vidit Ezechiel. II, *Erant scriptæ lamentationes et carmen et væ.* Item officium tubæ erat vocare ad prælium contra mundum, contra carnem et contra diabolum, ad convivium et festum quod faciet Dominus in cœlo electis suis. Isa. XXV, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium vindemiæ pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Pingue medullatum dicit gaudium de præsentia omnis boni. Vinum defæcatum dicit gaudium de absentia omnis mali. Item tuba non sonat nisi manu teneatur, nec prædicatio valet nisi opere impleatur. Deuteronom. XXXIII, *In dextera ejus ignea lex.* Item tuba arctior est ex parte canentis, latior ex parte audientis : sic vita prædicatoris, arctior debet esse quam populi : et prædicator sibi arctiora quam populo debet imponere. Sed heu modo fit e contrario. Unde Matth. XXIII, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : quæcumque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere ; dicunt enim et non faciunt, et imponunt humeris onera gravia et importabilia, digito autem suo nolunt ea movere.* Unde perversa est tuba, cum latum habet prædicator ad se, arctum autem ad populum ; et ideo non potest bene sonare.

Et primus Angelus tuba etc. Hæc est secunda pars hujus capituli, quæ agit de quatuor Angelis et clangore eorum : et dividitur in quatuor particulis secundum numerum Angelorum qui ibi sunt tubis canituri. Nam de tubicinio aliorum trium agitur in sequenti capitulo. Per hos autem septem Angelos signantur septem consolationes Ecclesiæ, vel septem ordines prædicatorum, consolantium Ecclesiam, secundum septem status ipsius. Et nota quod hic dicitur Angelus tuba canere, in veteri Testamento dicuntur sacerdotes tubis clangere. In veteri Testamento est clangor tubæ, quia incutit timorem. In novo est cantus tubæ, quia invitat ad amorem. Dicit ergo, *Et primus Angelus*, id est primus ordo prædicatorum, secundum ordinem narrationis. Nam ordo Angelorum intelligendus est secundum ordinem persecutionum Ecclesiæ cui diabolus a principio multas suscitavit, et Dominus e contrario mittebat consolationes, sicut legitur in Judith I. Suscitavit diabolus Judæos, contra quos misit Dominus Apostolos. Secundo romanos ; contra quos misit Dominus martyres. Tertio hæreticos, contra quos misit Dominus doctores. Quarto falsos christianos, contra quos misit Dominus pauperes prædicatores. Quinto mittet Antichristum, contra quem mittet Dominus Eliam et Enoch. Sexto est ipsorum dæmonum sævitia, contra quam est ipse Deus qui solus potest diabolum superare et ejus malitiam refrenare. His devictis pax est. Unde in voce septimi Angeli nullum obstaculum invenitur. Dicit ergo, *Et primus Angelus*, id est primus ordo prædicatorum, *Tuba cecinit*, id est consolando Ecclesiam prædicavit : hic fuit ordo Apostolorum, qui prius prædicavit in Judæa contra sævitiam Judæorum, quorum prædicatio fidelibus fuit cantus, id est dulcis et suavis, sed Judæis clangor tubæ terribilis. Quid autem secutum fuerit ad hanc tubam, subjungit. *Et facta est grando*, id est terroris commotio in Judæis qui partim fuerunt ad prædicationem Apostolorum, *et ignis*, id est ardor indevotionis et indignationis contra Apostolos, quibus non poterant resistere. Juxta illud quod Dominus dixit eis, Luc. XXI, *Dabo vobis os et sapientiam, quibus non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Act. VI, *Surrexerunt quidam disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur.* Item in eodem VI, *Surrexerunt quidam disputantes.* Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis et stridebant dentibus in eum : quod erat signum maximæ iræ et indignationis. Item facta est grando, id est exterior persecutio Judæorum in

Apostolos. Et ignis, id est interior æmulatio eorumdem, et hæc duo *mixta sanguine*. Nam Judæi ex nimio zelo et indignatione, sanguinem Apostolorum effundere voluerunt et aliquorum effuderunt, ut Stephani et utriusque Jacobi et multorum aliorum. Hæc mixtio fuit significata Exod. IX ubi dicitur: Grando et ignis mixta pariter ferebantur. Item possumus dicere, quod per grandinem intelligitur indignatio et ira et persecutio Judæorum, per ignem inflammatio amoris et illuminatio cognitionis conversorum; quia Apostolis prædicantibus, Judæi magis et magis indignabantur et persequebantur Apostolos, et conversi magis, ac magis inflammabantur ad amorem Christi et illuminabantur in cognitionem ipsius, et ex his occidebantur catholici a Judæis. Et ira et grando, et ignis mixta erant sanguine, et illis duobus erat occisio sanctorum. Ita facta est grando prædicationis Apostolorum, et ignis, et indignationis et æmulationis Judæorum, et tandem hæc duo fuerunt mixta sanguine, quia fuerunt causa occisionis ipsorum, *Et missum est in terram*, id est Judæos terrenos, hoc totum, scilicet grando, ignis, et sanguis. A quo missum? A diabolo suggerente: vel missum est ad Dei judicium, In terram, id est contra Judæos terrenos. Et nota quod dicit, missum est, in plurali, quia propter hoc Judæi perdiderunt omnem statum, scilicet regnum et sacerdotium. Unde Oseæ III, *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, et sine principe, et sine sacerdotio, et sine altari, et sine ephod, et sine therephin. Et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combustum est.* Prima pars Judæorum fuerunt illi, qui ante prædicationem Christi et Apostolorum crediderunt. Secunda illi, qui postea per Apostolos crediderunt. Tertia omnes illi, qui credere noluerunt: et hæc combusta est igne peccati, et postea combusta est, vel comburetur igne fœni. Et dicuntur Judæi terra, arbores et fœnum. Terra quidem, propter fidem unius Dei, qua elevati fuerunt in cœlum. Fœnum propter cupiditatem et avaritiam, qua semper terrenis adhæserunt. Quia quidam Judæorum legis et prophetarum doctrina bene usi sunt, quidam male. Similiter fidem unius Dei. Quia quidam bene usi sunt, quidam male. Ideo dicitur quod tertia pars terræ et tertia pars arborum combusta est. Sed quia nemo potest bene uti avaritia, ideo dicitur, quod omne fœnum combustum est. Item per terram significatur status subditorum, qui tenentur ab omnibus, et omnes suo labore sustentant. Horum tres sunt partes: scilicet invocantes, pœnitentes, pertinaces: et hæc tertia pars comburitur. Unde infra per arbores significantur prælati, qui super alios sunt elevati, et habent folia verborum in medicinam, et fructus operum in satietatem, et ramos exemplorum ad refrigerationem, et stant immobiles, ne ventorum et tribulationum turbinibus agitentur hinc et inde: et horum tres sunt partes: quidam magis actioni, et prædicationi, et visitationi. Tertii magis litibus, et causis, et terrenæ negotiationi: hæc pars combusta est, et comburenda: sed combusta igne avaritiæ. De quo Job. XV, *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.* Vel igne luxuriæ. De quo Job XXXI, *Ignis est usque ad consummationem devorans, et omnia eradicans genimina.* Comburenda vero igne gehennæ. De quo Isaias, *Ignis eorum non extinguetur.* Per fœnum vero viride signantur omnes illi, qui gaudent de virore hujus mundi; et hi omnes combusti sunt, id est cito comburentur igne inferni: hoc est enim fœnum quod *hodie viret, et cras in clibanum,* id est in infernum *mittitur*, ut dicitur Matth. V. Isa. XL, *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni.* Fœnum sunt homines dum virent, in fide et charitate; sed quia virorem cito amittunt, ideo comburentur. Unde Psal. *Mane floreat et pertranseat, vespere decidat, induret, et arescat.* Talis est, qui manu prosperitatis videtur floridus, id est bonus, et in vespere adversitatis desiccatur, et maledicet regi suo. Totum ergo fœnum comburitur, quia omnes, qui de mundi flore gloriantur, vicini sunt æternæ combustioni. Unde super illud Jac. I, *Gaudete fratres cum in varias tentationes incideritis :* dicit *Glossa :* ne indignemini, si mane florent in mundo, et nos patimur. Non enim Christianæ religionis est temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, nos enim in mundo. Ideo spe illius boni ad quod tenditis, quicquid vobis in via contingit, gaudere debetis. Horum primus Angelus est fides, quæ est prima virtutum, juxta illud, Prima petit in campum pugnatura fides: hæc facit duo: scilicet grandinem, et ignem, per quæ significatur dolor, et

cognitio peccati. Hæc duo facit fides cum miscetur sanguini id est peccato. Nam cum anima illuminatur per fidem cognitione, sic peccatum et pœnam peccati, id est quod per peccatum obligatur pœnæ inferni, timet, et dolet. Sed quia hæc duo quodammodo ex libero arbitrio oriuntur, ideo dicitur, Tuba cecinit, id est ex voluntate pœnitentis hæc duo produxit. Et sequitur, quod tertia pars terræ, et tertia pars arborum, et omne fœnum viride, combustum est. Quid per terram accipitur nisi terrena bona, quorum tres sunt partes? Prima est usus pietatis in proximum. Secunda est usus necessitatis in seipsum. Tertia est usus voluptatis in corpus proprium. Et hæc tertia pars comburitur igne pœnitentiæ. Per arbores vero status contemplantium designatur, cujus tres sunt partes. Prima est desiderium orationis, secunda est studium lectionis. Tertia est otium meditationis: et hæc comburitur per exercitium meditationis. Per fœnum viride significatur voluptas carnis: juxta illud Isa. XL, *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni.* Unde et omne fœnum comburi dicitur, quia omnis voluptas carnalis, per dolorem abjicitur. Unde Paulus, Gal. V, *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

Sed et Angelus secundus etc. Secunda pars hujus secundæ partis, in qua agitur de secundo Angelo, id est de secundo consolatore Ecclesiæ, et est cœtus martyrum. Nam cum discipuli Christi, id est dispersi et fugati a Judæis intrassent ad gentes, et cœpissent fidem Christi prædicare, diabolus excitavit contra eos tyrannidem principum Romanorum, qui tunc habebant Dominium totius mundi, qui etiam tunc multos martyres occiderunt. Hic est secundus Angelus de quo dicit, *Et secundus Angelus*, id est prædicatorum ordo. Secundus, scilicet martyres, qui Apostolis successerunt, et etiam contemporanei in parte fuerunt, sed tamen dicitur Angelus, quia primo Judæis per Apostolos prædicatum est: secundo gentibus per eosdem Apostolos, et martyres simul. Unde et Apostoli, qui gentibus prædicaverunt, ad secundum Angelum pertinent, licet prædicando Judæis fuerint sub primo. *Tuba cecinit*, id est terribiliter et dulciter prædicavit gentibus. Nam terror in tuba, dulcedo prædicationis significatur in cantu. Sic etenim prædicatores terrere debent comminando, et dulciter alloqui consolando, et promittendo. Sic fecit Joannes Baptista, Matth. V, *Primo dixit, Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ecce cantus: deinde adjunxit: *Jam securis ad radicem posita est etc.* Ecce tuba. *Et ecce tamquam mons*, id est Diabolus, qui dicitur mons propter tumorem elationis, et grandinem oppressionis. Magnus potestate. Job XLI, *Non est potestas sub cœlo, quæ ei possit comparari*, qui factus est, ut nullum timeret, Magnus dicitur, quia habet magnitudinem per superbiam, qua contra Dominum erigitur. Psal. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper ad te.* Item quia habet latitudinem per invidiam, qua se extendit ad hominem ut ei noceat. Sap. II, *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Item quia habet spissitudinem, seu profunditatem, per iracundiam qua se ipsum occidit. Altitudo respicit ima et suprema; quia diabolus superbia volens ascendere supra, cecidit infra. Isa. XIV, *Dicebas in corde tuo, ascendam in cœlum, et ero similis Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Latitudo respicit dexteram et sinistram, quia diabolus invidia nocet amicis et inimicis, id est bonis et malis. Unde Job XL, *Absorbebit fluvium*, id est peccatores, *et non mirabitur.* Habet fiduciam quod influat Jordanis, id est boni, in os ejus. Spissitudo respicit ante et retro, quia irascetur sibi ipsi propter illos qui jam sunt in patria, et propter illos, qui adhuc sunt retro in via. De hoc monte dicitur Zach. IV, *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel in planum igne ardens*, scilicet invidiæ, ad nocendum? Psal. *Ignis exardescet in Synagoga eorum.* Job. XL, *De ore ejus*, id est Beemoth, *lampades procedebant sicut flammæ ignis ardentis.* Vel igne gehennæ ardens, qui ardet quocumque vadat, *Missus est in mare*, id est ad gentiles amaros et fluidos. Isa. LVII, *Impii quasi mare fervens quod quiescere non potest*: ut eos contra prædictos peccatores concitaret. Sed a quo fuit missus? potest dici a Deo permissive, vel a propria libidine. *Et facta est tertia pars maris*, id est gentilium *sanguis*, id est crudelis sitiens sanguinem sanctorum secundum *Glossam*. Tertia pars sunt peccatores nondum conversi, qui in necem prædicantium sævierunt. Item, prima pars maris id est gentilitatis possunt dici illi, qui fidem aperte recepe-

runt et confessi fuerunt. Secunda pars illi, qui occulte receperunt, sed præ timore confiteri non audebunt. Tertia pars, qui nec aperte, nec occulte receperunt : sed in sua malitia remanserunt. Item tertia pars maris, id est mundi ; facta est sanguis, id est sanguinolenta sanguine sanctorum quos persequitur inquantum potest. Prima pars est populus, id est minores laici. Secunda est simplices, scilicet clerici. Tertia pars est principes et prælati : et hæc facta est sanguis : *et mortua est* morte peccati. De quo Psal. *Mors peccatorum pessima.* Tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant *animas in mari.* Hi sunt Philosophi, qui propter discretionem suam dicuntur habere animas in mundo. Unde et ipsi dicuntur *creatura mundi.* Rom. I, secundum unam expositionem. *Invisibilia* (inquit) *Dei a creatura mundi*, id est a Philosophis, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Horum tres sunt partes. Una pars per solam diligentiam et inspirationem divinam fuerunt conversi. Alia pars per auditum prædicationis. Tertia pars nec sic nec sic, et hæc facta est tamquam sanguis, quia in sanguinem sanctorum desævierunt, et quia in suo peccato permanserunt. *Et tertia pars navium,* id est principum alios gubernantium, *interiit* interitu peccati. Horum tres sunt partes. Quidam doctrinam catholicæ prædicationis approbaverunt et receperunt. Alii approbaverunt, sed non receperunt. Tertii nec approbaverunt, nec receperunt, sed sanctos persecuti fuerunt, et hæc pars interiit. Moral. secundus Angelus est species, quæ est secunda virtus : hæc tuba canit quando pœnitenti veniam promittit, Et tunc mons magnus, id est aliquis sublevatus, igne ardens, id est charitate accensus mittitur in mare, id est in amaritudinem doloris et timoris quam fides induxit, ne omnino absorbeatur peccator ; et tunc fit tertia pars maris sanguis, et moritur tertia pars creaturæ eorum, quæ habent animas in mari, et tertia pars navium interiit. Prima pars maris est amaritudo timoris. Secunda amaritudo doloris. Ex his duobus sequitur tertia pars, scilicet amaritudo desperationis. Sed hanc omnino excludit securitas spei, et convertit in sanguinem, id est in pœnitentiæ asperitatem, et carnis mortificationem. Item prima pars eorum quæ habent animas in mari, est timor pœnæ mundi. Secunda timor pœnæ purgatorii. Tertia timor pœnæ inferni : hanc tollit securitas spei, et convertit in sanguinem, id est in pœnitentiæ asperitatem et sic moritur id est omnino excluditur. Item naves sunt humanæ mentis cogitationes, a quibus ipsa mens fertur super aquas hujus mundi. Harum prima pars sunt cogitationes necessariæ, quæ sunt circa hæc, quæ sunt necessaria ad salutem propriam. Secunda pars sunt cogitationes piæ, quæ sunt circa proximos, omnino interiit canente tuba secunda, id est spe promittente veniam et misericordiam Dei. Unde Psal. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis id est cogitationes explorantes, et quærentes gaudia hujus mundi. Sequitur, *Et tertius Angelus*, id est tertius ordo prædicatorum *tuba cecinit*, id est contra hæreticorum astutias seu versutias prædicavit, quos adversus Ecclesiam primo Judæorum sævitiam, et gentium malitiam, quasi tertio loco suscitavit post mortem Apostolorum et martyrum : sed contra eos doctores et confessores præparavit, qui eos rationibus et Scripturæ auctoritatibus confutarent. De quibus dicit Job. XXXVIII, *Numquid ingressus es thesauros nivis*, *aut thesauros grandinis aspexisti*, *quæ præparavit in tempore hostis*, *et in diem pugnæ et belli?* Thesauros nivis et grandinis, vocat sanctos prius absconditos, quos Dominus præparavit contra malitiam Judæorum et gentium, et versutias hæreticorum. *Et cecidit de cœlo*, id est de Ecclesia, vel de fide catholica, vel de societate fidelium Stella *magna*, id est magnus quidem hæresiarcha, nocte lucens, id est de nocte, et in latibulis et in obscuris docens. Job XXXV. *Ingredietur bestia latibulum suum*, *et in antro suo morabitur.* Proverb. IX, *Aquæ furtivæ dulciores sunt*, *et panis absconditus suavior.* Joan. III, *Qui male agit*, *odit lucem*, *et non venit ad lucem*, *ut non arguantur opera ejus.* De hoc casu dicit Apostolus. I Tim. VI, *Devitans profanas vocum novitates et opiniones*, *falsi nominis scientiæ*, *quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Stella ergo dicitur hæresiarcha quilibet, qui lucet nocte, idest quia docet in nubilo. Unde Job. XXIV, *Oculus adulteri observat caliginem.* Nigra dicitur propter multitudinem sequentium. Eccles. I, *Stultorum infinitus est numerus.* Item propter arrogantiam suam et reverentiam sibi exhibitam. Jerem. XLVIII, *Audivimus superbiam Moab*, *superbus est*

valde : sublimitatem ejus, et arrogantiam, et superbiam, et altitudinem cordis ego scio, ait Dominus. Ardens igne invidiæ contra dolores Ecclesiæ. Non sicut vera stella, sed potius sicut facula, quæ alios inflammando se ipsam consumit, et quicquid incendit, in carbonem teterrimum redigit. Nahum II : *Facies hominum quasi nigredo ollæ. Et cecidit* propria principatus superbia. *In tertiam partem fluminum*, idest Scripturarum. Quarum prima pars est vetus Testamentum. Secunda novum. Tertia expositiones sanctorum. In hac cadunt, quia ipsam non recipiunt. Item prima pars fluminum, scilicet Scripturarum, est expositio historialis. Secunda expositio spiritualis. Tertia, fictio, sive adinventio humana : et in hac cadunt ipsi, quia sequuntur sensum suum, et non sensum sanctorum. *Et in fontes aquarum*, quæ sunt proprie quatuor Evangelia, quæ et ipsi male exponendo depravant sicut ceteras Scripturas, et proprium spiritum sequentes. *Et nomen stellæ dicitur absynthium*, quia amaritudinem pravæ intelligentiæ, inducit, et quisquis ab eo seducitur, in amaritudinem gehennæ perducitur ; et ita sicut absynthium mixtum sapido cibo totum facit amarum, sic prava expositio hæreticorum, cibum Scripturæ sapidum et dulcem reddit abominabilem et amarum. Juxta illud I Corinth. v *Modicum fermentum totam massam corrumpit. Et facta est tertia pars aquarum*, idest hominum neutram duarum expositionem, sed tertiam sequentium, *in absynthium*, idest infecti et abominabiles facti sunt, et multi homines mortui sunt, idest a Deo separati, qui est vera vita fidelium. *Ex aquis,* idest ex usu aquarum interfectorum, hoc est receptione doctrinarum perversarum. Quia amaræ factæ sunt, idest perversæ factæ sunt, expositæ, et admixtum est fel, hæreticæ pravitatis, seu falsitatis, cum vino catholicæ veritatis. Isa. I : *Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua.* Rom. II, *Ecce habitatio civitatis optima*, idest sacræ Scripturæ : *sed aquæ pessimæ sunt*, idest expositiones hæreticorum perversæ et falsæ. Scriptura enim in se dulcis est : sed admixtio hæreticæ pravitatis facit amaram. Sap. IV, *Multigena impiorum multitudo non erit utilis, et adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, et ad nihilum apti : ex iniquis enim filii qui nascentur, testes sunt nequitiæ adversus parentes.* Ideo dicit Isa. XXX, *Amara est potio bibentibus illam.* Possunt autem dulcorari aquæ per salis appositionem, idest per veræ sapientiæ elucidationem. Unde IV Reg. II dicitur ad fontem aquarum, misit in eam sal, et ait : *Hæc dicit Dominus, sanavi aquas has, et non erit in eis ultra mors, neque sterilitas.* Hoc etiam figuratum fuit in Exod. XV, ubi dicitur, *Murmuravit populus contra Moysen dicens : Quid bibemus ? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum emisisset in aquis, in dulcedinem versæ sunt.* Per lignum autem vera sapientia designatur. Unde Prov. III, *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, et qui tenuerit eam beatus.* Aliter ab illo loco, *Et tertius Angelus tuba cecinit*, idest tertius ordo prædicare incepit. Et cecidit de cœlo stella magna, idest diabolus de consortio Angelico. Unde Isa. XIV, *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris ?* Sed quomodo dicitur, quod nunc cecidit de cœlo diabolus, clangente tertio Angelo, qui a principio mundi cecidit? Solutio. Ideo tunc dicitur cadere, quia tunc cœpit acrius contra Ecclesiam desævire. Unde tunc apparuit casus ejus. Luc. X, *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Imo quanto magis tertius Angelus clangebat, tanto magis diabolus sæviebat. Unde sequitur, *Igne ardens, invidia furens, tamquam facula, quæ tota ardet.* Sap. II : *Invidia Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum.* Fontes sunt doctores majores, qui dicuntur hæresiarchæ ; flumina discipuli eorum. Flumina enim a fontibus oriuntur, et postea currunt in mare. Sic ab hæresiarchis discipuli nascuntur, qui postea sequentes magistros suos currunt in infernum. Aqua fontium sunt populi ab eis decepti, idest credentes eorum. Unde Jer. XVII, *Aquas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ.* Fontes igitur et flumina sunt omnes hæretici, qui sub tertia parte mundi continentur, in quos diabolus cecidit tunc, quia per eos doctrinam erroris seminavit : et quia isti sub specie sanctitatis prædicant, ideo stella appellatur, qui mons dicebatur, cum de Romanorum superbia agebatur. Magna vero dicitur, quia etiam magni et potentes per eos seducuntur. Sed quia doctrina hæreticorum perversa est, et ad infernum ducit, ideo sequitur, Nomen

stellæ dicitur absynthium, quæ est herba amarissima, et ideo per eam recte significatur hæreticorum doctrina, quæ in se amara est propter falsitatem quam continet, et ad amaritudinem inferni trahit. Et facta est tertia pars aquarum in absynthium, idest tertia pars hominum infecta est doctrina hæreticorum : ut prima pars dicatur, qui nunquam fidem receperunt, ut Pagani et Judæi. Secunda qui fidem receperunt, et servant eam, ut veri Christiani. Tertia qui fidem receperunt, et ab ea recesserunt, ut hæretici. De quibus I Joan. II, *Ex vobis prodierunt, sed ex vobis non erant. Nam si fuissent ex nobis, utique nobiscum permansissent. Et multi homines mortui sunt, utique de aquis*, idest hæreticorum doctrinis, quia *amaræ factæ sunt* per illos hæreticos male exponentes. Et revera multi mortui, non tantum mortui morte animæ, sed morte corporis. Quia multi sunt combusti.

Et quartus Angelus etc. Sicut dictum est in principio hujus capituli, in hac visione ostenditur prædicatio sanctorum, monstrans per comminationem reproborum damnationem : et distinguit per septem status Ecclesiæ, et septem clangores tubarum, et septem Angelos. Primus Angelus fuit primus ordo prædicantium, quo ad primum statum Ecclesiæ, demonstrans damnationem Judæorum : et ostenditur in pœna damni et transgressionis. Unde dictum est ibi, quod primo Angelo clangente, id est cœtu Apostolico prædicante, Facta est grando, id est verborum contumelia, Et ignis, id est animorum iracundia, Mixta sanguine, id est corporum interfectione, Et combusta est tertia pars terræ, arborum, et omne fœnum viride, id est cupidi, qui per terram : et elati, qui per arbores : et luxuriosi, qui per fœnum designantur. Et dicitur tertia pars comburi, quia duæ sunt partes electorum, scilicet innocentes et pœnitentes : et tertia est reproborum, ut dictum est. Secundus Angelus fuit secundus ordo prædicantium : quo ad secundum statum Ecclesiæ, demonstrans damnationes reproborum, Romanorum principes, qui martyres occiderunt : ut similiter ostenditur pœna damnationis secundum proportionem transgressionis. Unde Romani principes significantur per mare, propter elationem superbiæ, et amaritudinem iracundiæ. Et dicitur ibi, quod secundo Angelo clangente, id est secundo ordine prædicante sanctorum, Mons magnus, id est diabolus, magnus per potentiam. Unde Job. XLII, *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeat, omne sublime videt, ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Dicitur quoque igne ardens, id est invidia furens contra hominem, qui locum ejus adepturus est per humilitatem, quam ipse perdidit per elationem. Et dicitur missus in mare, id est in Romanos, quos inflammavit contra sanctos, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit. Tres ponit differentias pœnæ, secuncundum differentias culpæ. Mare designat superbiam Romanorum, ut dictum est. Creatura habens animas in mari, designat carnalitatem eorum. Navis vero cupiditates eorum. Cupiditate enim sicut quædam naves aguntur, de provincia in provincia, de contracta in contracta ad augendas divitias. Tamen quia his tribus involvuntur etiam aliquando electi, qui sunt duæ partes, scilicet perfecti et imperfecti, quorum comparatione, tertia pars sunt reprobi : ideo dicitur, tertia pars sanguinis facta est, et mortua est. Tertius Angelus fuit tertius ordo prædicantium, quo ad tertium statum Ecclesiæ, demonstrans damnationem hæreticorum, qui fidem Ecclesiæ corrumpere voluerunt. Videns enim diabolus, quod nec per Judæos, nec per Romanos potuit extinguere Ecclesiam, suscitavit hæreticos contra ipsam. Et dictum est ibi, quod tunc tertio Angelo clangente, id est tertio ordine prædicante, scilicet confessorum, *Cecidit de cœlo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum.* Et dictum est, quod diabolus dicitur stella propter scientiam. Magna propter potentiam. Ardens propter invidiam. Quæ de cœlo cecidit in tertiam partem fluminum, qui in tertiam partem hominum, id est super hæreticos majores, scilicet et minores, propter quos multi postea mortui sunt illis adhærentes. Quartus Angelus est ordo quartus prædicatorum, quo ad quartum statum Ecclesiæ demonstrans damnationem hypocritarum. Et hæc quatuor narrantur ut præsentia, sicut dicit *Glossa.* Tria sequentia narrantur ut futura, quo ad finalem statum Ecclesiæ, id est in quibus introducuntur clangores trium Angelorum, scilicet quinti, sexti, et septimi. Quintus

monstrat antecessores Antichristi. Sextus Antichristum. Septimus finem mundi. Dicit ergo, *Et quartus Angelus*. Hic igitur ostendit damnationem hypocritarum, secundum triplicem differentiam ipsorum. Et primo ostenditur damnanda hypocrisis prælatorum, quæ signatur in tertia parte solis. Secundo ostenditur damnanda hypocrisis clericorum, quæ significatur in tertia parte lunæ. Tertio ostenditur damnanda hypocrisis religiosorum, quæ significatur in tertia parte stellarum. Quarto ostenditur damnanda hypocrisis laicorum, quæ signatur in tertia parte diei. Dicit ergo. Et quartus Angelus, id est quartus ordo prædicantium, qui modo sunt, *tuba cecinit*, id est a parte prædicavit, *et percussa est tertia pars solis*, jaculis prædicationis illorum. Per solem, ut dictum est, significantur prælati Ecclesiæ. Nam sicut sol totum mundum illuminat, ita prælati totam Ecclesiam debent illuminare. Ut dicitur Matth. *Vos estis lux mundi*. Item sol non variatur per augmenta et decrementa, sed stat : ita prælati stabiles debent esse, ut nec adversitate, nec prosperitate, nec destructione, nec adulatione moveantur. Unde Eccles. xxvii, *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol*. II Reg. xiv, *Sicut Angelus Domini, sic Dominus meus rex, ut nec benedictione*, id est adulatione, *nec maledictione*, id est detractione *moveatur*. Item tertia pars percutitur, sed non occiditur; quia fidem informem retinet, sed in moribus læduntur. Horum ergo tres sunt partes : nam sol corpus habet magnum, in quo notatur potestas prælatorum, et hæc est prima pars. Item sol habet corpus calidum saltem in effectu, in quo notatur charitas prælatorum : et hæc est tertia pars, quæ fere in omnibus prælatis percussa est. Quia etsi potestatem et fidem retineant, fervorem charitatis perdiderunt. Item prælatorum quidam ardent et lucent hi sunt prima pars. Alii ardent sed non lucent, hi sunt secunda pars. Tertii lucent sed non ardent, hi sunt tertia pars solis : et hæc percussa est a serpente ignito, et ideo non inveniunt, vel recipiunt medicinam. Juxta illud Eccles. xii, *Quis medebitur incantatoris a serpente percussi ?* quasi dicat : difficilis est ejus percussio. Caput enim animalis difficile excoriatur. Hæc est pars prælatorum, quæ percussa est, quæ lucet exterius simulata sanctitate, sed non ardet interius habita charitate : et hanc percussit Dominus. Matth. xxiii, ubi dicitur, *væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Sic vos quidem a foris apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi, et iniquitate. Et tertia pars lunæ*, percussa est similiter gladio hypocrisis et simulationis, vel potius gladio prædicationis propter hypocrisim et simulationem. Per lunam clerici designantur. Nam sicut a sole luna recipit lumen, sic a prælatis clerici informantur; et quales sunt prælati, tales sunt clerici. Unde Eccles. x, *Qualis rector civitatis, tales et habitantes in ea*. Horum autem tres sunt partes : nam alii scholares, qui frequentant scholas. Alii sunt chorales, qui sequuntur chorum. Alii curiales, qui sequuntur curias principum et prælatorum, et hæc tertia pars fere tota percussa est, et utinam non mortua : de his enim dicitur Matth. xxv. *Stellarum tertia pars :* hic agitur de hypocrisi religiosorum, qui per stellas significantur : stellæ enim parvæ videntur, et tamen magnæ sunt : sic religiosi pauci debent videri exterius mundo, et magni esse interius coram Deo. Item stellæ noctem illuminant, et religiosi Ecclesiam. Unde Phil. ii, *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Item stellæ stant fixæ in cœlo, nisi paucæ, quæ moventur sub cœlo ; sic religiosi fixi stant in claustro nisi pauci, qui sunt officiales, et procurant negotia exteriora. Unde Judith v, *Stellæ manentes in cursu et ordine suo contra Sisaram pugnaverunt*. Horum tres sunt partes, juxta tria, quæ vovent omnes, scilicet obedientiam, continentiam, et paupertatem. Prima et secunda pars non sunt adhuc ita aperte percussæ ; sed tertia pars, scilicet paupertas, jam omnino et aperte fere ubique percussa est. Ita ut dicat Apostolus. Omnes, quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Et hoc est signum quod refriguit vel deficit charitas. *Quia non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi*. Contra hoc dicitur Phil. ii, *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum*. Item tres partes stellarum, id est religiosorum, sunt prælati, officiales, claustrales. Hæc tertia pars percussa est magna parte vulnere simulationis. Quia simulant sanctitatem donec fiant officiales vel prælati, ita ut obscuretur tertia

pars eorum, id est amittant interiorem illuminationem, et sui ac Dei cognitionem, et tertia pars diei non luceret, et noctis. Similiter hic agitur de hypocrisi laicorum, qui nomine diei et noctis intelliguntur. Nam sicut dies a sole, et nox a luna et stellis recipit lumen, sic laici a prælatis et clericis et religiosis doctrinam et informationem. Horum autem tres sunt partes. Prima illi, qui aliis dominantur, et nulli serviunt, ut majores et principes. Secunda illi, qui omnibus serviunt, et nulli dominantur, ut rustici et laborantes. Tertia sunt medium statum habentes, qui suis prioribus serviunt, quæ universitati dominantur. Quælibet istarum potest dici tertia pars : et licet quælibet istarum perversa sit, tamen illa tertia quam secundo posuimus, maxime est percussa. Quia omnes illam opprimunt et spoliant, et nullus eam defendit. Unde conqueritur Dominus. Isa III, *Quare atteritis populum meum, et facies eorum emollitis ?* Vel duæ partes laicorum sunt perfecti et imperfecti de numero delectorum. Tertia pars sunt reprobi inter eos. Vel certe prima pars sunt illi, qui sunt in statu virginali. Secunda illi, qui sunt in statu viduali. Tertia illi, qui sunt in statu conjugali. Et in quolibet statu istorum trium, quidam sunt boni et perfecti, quidam reprobi; et hi sunt tertia pars percussi, *Et vidi.* Hic ostenditur differentia inter quatuor prædictas visiones, et tres sequentes. Nam quatuor præcedentes narrantur ut præteritæ, tres autem sequentes narrantur ut futuræ. In quo potest intelligi quod tres sequentes status Ecclesiæ, graviores et periculosiores erunt, quam fuerunt quatuor præcedentes. Ideo introducit vocem unius Aquilæ volantis per quam designatur prædicatorum sublimium cœtus, qui nostras miserias peccatoribus denuntiat. Dicit ergo : *Et vidi*, visu interiori, *et intellexi*, et audivi, auditu exteriori *vocem unius aquilæ*, id est prædicatorum qui dicuntur aquila propter acutum visum et altum volatum. Aquila siquidem ultra mare videt escam suam. Sic prædicatores, non in hoc mundo, sed ultra in cœlo conspiciunt et quærunt refectionem suam. Job. XXXIX, *Numquid ad præceptum tuum evacuabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ? in petris manet, et in ruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus : inde contemplatur escam, et de longe oculi ejus prospiciunt.* Dicuntur autem una aquila licet multi sint, propter concordiæ unitatem ; quia concorditer in unum sentiunt, unum quærunt, unum prædicant. De quo uno dicit Psal. : *Unam petii a Domino, hanc requiram.* Luc. *Porro unum est necessarium*, *Volantis per medium cœlum*, id est discurrentis velociter, non propter terrena, sed propter cœlestia, per mediam Ecclesiam, non dextram tantum, id est ad divites tantum, nec ad sinistram id est non ad pauperes tantum, sed communiter ad omnes, sine personarum acceptione, *Et dicentis,* id est prædicantis, voce magna, quia propter magna fiebat, vel quia in toto mundo resonabat, vel quia ex magno affectu procedebat, *Væ, væ, væ,* id est triplex miseria imminet habitantibus in terram, mente et corpore, hoc est diligentibus terrena. Non filiis Dei quorum habitatio in cœlis est, juxta, illud Philipp. III, *Conversatio nostra in cœlis est :* ideo tales non timent Væ terrenorum. Unde Proverb. I, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Ibi *Glossa*, Facile evadit laqueos in terris, qui semper oculos habet in cœlis. Terrenæ siquidem tribulationes reprobis veniunt in dispendium, quæ bonis cooperantur in bonum, ut dicitur Rom. VIII, *Qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Agios, id est sine terra : ideo non dicit simpliciter : Væ habitantibus ; sed addidit, in terra. Et dicitur ter væ, væ, væ, propter triplex periculum mundi, in quibus fere omnes periclitantur, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ id est divitiæ, delitiæ et honores. Ideo dicitur : in delitiis castitas, in divitiis charitas, in honoribus humilitas. Isa. XXIV, *Formido, et fovea. et laqueus super te, qui habitas in terram.* Fovea luxuriosis, formido avaris, laqueus ambitiosis. Et huic ternario misero, respondet alius ternarius miserior, in inferno. Ignis contra avaritiam, sulphur contra luxuriam, spiritus procellarum pars calicis eorum. Vel væ propter pœnarum diversitatem, væ propter pœnarum acerbitatem, væ propter pœnarum æternitatem. Item væ animæ, væ corpori, væ conjuncto. Item væ Gentili, væ Judæo, væ malo Christiano. Item væ conjugatis, væ viduis, væ virginibus fatuis. Item væ clericis, væ laicis, væ religiosis. Item væ propter peccatum cordis, væ propter peccatum oris. væ propter peccatum

operis. Item væ propter peccatum in Deum, væ propter peccatum in proximum, væ propter peccatum in seipsum. Item væ propter peccatum in Patrem, væ propter peccatum in Filium, væ propter peccatum in Spiritum sanctum. Item væ pro culpa originali, væ pro culpa actuali, væ pro omissione præcepti. Item væ facientibus, væ consentientibus, væ negligentibus. Item væ in mundo, væ in purgatorio, væ in inferno. Item væ nascentibus, væ viventibus, væ morientibus. Diabolus promisit homini tria: scilicet vitæ perpetuitatem, *Nequaquam moriemini*. Potentiæ libertatem, *Eritis sicut dii*. Scientiæ universitatem, *Scientes bonum et malum*, Gen. III. Et ipse miser cecidit in tria contraria : scilicet in moriendi necessitatem, in servitutis vilitatem, in ignorantiæ cæcitatem. Ergo dicitur væ, propter primum væ, propter secundum væ, propter tertium væ. Propter omnes istas causas dicitur Zach. II : *O, o, o, fugite de terra Aquilonis*. Jerem. I, *A, a, a Domine*. Ezech. IX, *Heu, heu, heu, Domine Deus*. Joel, *A, a, a diei qui prope est dies Domini*. Secundum *Glossam* triplex væ, respondet tribus Angelis sequentibus. Sed quomodo convenit væ tertio Angelo, qui inter omnes prospera nunciat ? ut patebit in suo loco. Sed dicimus quod gloria electorum, quam ille nunciat, erit occasio quædam augens pœnam reproborum, sicut e converso pœna reproborum erit occasio augens gloriam electorum. Ad literam ergo triplex ponitur, propter futurum triplicem statum Ecclesiæ. Unde sequitur *de ceteris vocibus*, trium Angelorum, *qui erant tuba canituri*, supple oritur hic triplex væ. Tamen quidam dicunt, quod hoc non respicit præcedentia, sed est quasi titulus sequentis capituli, in quo agitur de tribus aliis Angelis. Tamen Glossator isto modo exponit.

CAPUT IX.

Et quintus Angelus etc. Hoc est nonum capitulum in quo agitur de duobus penultimis Angelis tuba canentibus, et de persecutionibus ad eorum tubicinium contra Ecclesiam suscitatis. Secundum hoc patet, quod hoc capitulum duas habet partes, secundum quod in eo status Ecclesiæ, et duo Angeli consolantes Ecclesiam describuntur. In prima parte de persecutione Ecclesiæ, sub præcursoribus Antichristi futura, et de quinto Angelo consolante eam, et hic est quintus Ecclesiæ status. In secunda agitur de persecutione Ecclesiæ sub Antichristo futuro, et de sexto Angelo consolante Ecclesiam, qui est sextus status Ecclesiæ, ibi, *Et sextus Angelus*. Ad vocem ergo ultimi Angeli introducuntur præcursores Antichristi sub specie locustarum, de quibus quatuor determinantur. Primo est generatio eorum, ibi : *Vidi stellam*. Secundum paritas eorum, ibi : *Et ita dotata est*. Tertium est similitudo eorum, ibi : *Et similitudines*. Quartum est rex eorum, ibi : *Habebant*. Generatio harum locustarum est cognitio præcursorum Antichristi per signa antecedentia ; potestas ostenditur per signa sequentia, Similitudo per signa præsentia, et hæc notitia sumitur ex parte rei. Præcursores vero Antichristi quodam modo cognoscuntur per nomina sui regis qui quarto loco ponitur. Postquam enim diabolus sigillatim per Judæorum æmulationem, per Romanorum crudelitatem, per hæreticorum calliditatem, per hypocritarum falsitatem, impedire non potuit prædicationem, multa mala contra Ecclesiam hic modo struit, ut quod per singula non potuit per prædicationem multa facere conetur. Et nec sic tamen potuit vel potest, prædicationem omnino auferre immo plus modo quam alias prædicatur, quod est quartus status Ecclesiæ et prope quintum. Dicit ergo, *Et quintus Angelus*, id est quintus ordo prædicatorum secundum ordinem narrationis et temporis et statum Ecclesiæ. Nam bene potest fieri ut desint prædicatores in quinto statu, qui fuerunt in quarto, qui ita sunt de quarto et de quinto ordine. Nam magis attenditur diversitas et ordo statuum Ecclesiæ, quam diversitas prædicatorum sibi adinvicem succedentium : Apostoli enim multi et suo primo ordine et secundo fuerunt, sicut et multi sub quarto et sub quinto potuerunt simul esse. Non determino tamen quod ita sit. *Tuba cecinit*, id est prædicare et Ecclesiam consolari et prævenire incepit et se ad prælium parare. Hoc enim innuit clangore tubæ. *Et vidi* spiritualiter *stellam*, id est diabolum qui prius ut stella splendidissima luxit ; nam plenus sapientia et perfectus decore fuit, ut dicitur Ezech. XXVIII, de cœlo Empyreo ubi creatus fuit *cecidisse*, propter peccatum superbiæ qui

semper habet casum, juxta illud Prov. xxix, *Superbum sequitur humilitas*, id est dejectio. Luc. x, *Videbam Satanam de cœlo cadentem*. Et ubi ceciderit determinat : *in terra*, id est in terrenos, in quibus accepit dominium : vel in terram, id est in istum aerem terræ vicinum, qui quasi carcer teterrimus respectu cœli Empyrei deputatum est eis ad hominum probationem, usque in diem judicii. Unde Ephes. v, *Colluctatio est nobis adversus principes et potestates mundi hujus, adversus rectores tenebrarum et spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est in aere habitantes. Vel in terram, id est in infernum, ubi forsan jam aliqui sunt et in finem omnes projiciendi. Unde II Petr. ii, *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed inferni rudentibus detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*. Isa. xxiii, *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terra qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, In cœlum ascendam et ero similis Altissimo, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci. Et data ei clavis putei abyssi*, id est concessa est ei potestas nocendi et dominandi super eos qui sunt puteus propter malitiæ profunditatem. Juxta illud Prov. xviii, *Peccator cum venerit in profundum peccatorum*, veniam *contemnit*. Et qui sunt puteus propter conscientiæ tenebrositatem. Juxta illud Ephes. iv, *Tenebris obscuratum habentes intellectum*. Item per puteum abyssi intelligitur Antichristus, qui erat puteus, id est profundus per astutiam et tenebrosus per malitiam : unde de ipso dicitur Dan. viii, *Cum creverint iniquitates, consurget rex impudens, faciens et intelligens propositiones, et reprobabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis, et supra quod credi potest universa vastabit et prosperabitur*. Et secundum hoc sic exponitur litera, *Et data est ei*, id est diabolo, *Clavis putei abyssi*, id est potestas revelationis Christi, id est concessum est quod suscitet et revelet Antichristum. Unde sequitur, *Et apperuit puteum abyssi*, id est revelavit et extulit malitiam et astutiam Antichristi, et eduxit extra de corde ipsius et suorum satellitum ad nocendum bonis. Hic est usus clavis, id est potestas concessa a diabolo. Unde Job. xxxix *Super ipsum sonabit pharetram, et decipiet eum*, scilicet prædicatorem, *si potest* machinatione occulta ; *et si non potest, vibrabit hastam et clypeum*, id est aperta pugnatione desæviet. Unde ibi dicit Gregorius : « Contra prædicatorem Dei post sonitum pharetræ hasta vibratur, quando post terrores exhibitos, e vicino jam ferietur, aperta pœna perducitur ». *Et ascendit fumus*. Hic ostenditur triplex effectus acceptæ potestatis qui sequitur ex usu ejus. Primus productio pravæ doctrinæ ejus. Secundus obscuratio veræ doctrinæ. Tertius multiplicatio falsorum prædicatorum qui erunt præcursores Antichristi, de quibus agitur sub nomine locustarum. Dicit ergo, Et ascendit fumus, id est prava doctrina invaluit, obscura et obscurans et excæcans oculos multorum. Ascendit dicit, per superbiam Antichristi et præcursorum ejus : de quo dicit Dan. xi, *Adversus Dominum dominorum loquetur magnifica*. Item fumus est mala cogitatio de corde in opus exiens. Et sicut fumus ascendens signum est ignis ardentis sub cinere, sic mala operatio signum est malitiæ accensæ in corde. Unde Isa. xiv, *De radice colubri egredietur regulus*, id est de mala cogitatione malum opus ; *et semen ejus absorbens volucrem*, id est bonos devorare intendens. Et quia non modicum invalescit prava doctrina Antichristi et præcursorum ejus ; ideo sequitur *Sicut fumus fornacis magnæ*, a qua magnus fumus et altus ascendit. Et signanter comparatur Antichristus et præcursores ejus fornaci magnæ. Primo propter abundantiam ignis malitiæ et propter magnam nocendi cupiditatem. Unde Oseæ vii dicitur de ipsis, *Applicuerunt quasi clibanum cor suum cum insidiaretur eis : tota nocte dormivit coquens eos : mane ipse succensus quasi ignis flammæ : omnes calefacti sunt quasi clibanus et devoraverunt judices suos*. In hoc clibano coquitur panis mendacii, id est falsa doctrina. De quo Prov. ix, *Aquæ furtivæ dulciores sunt et panis absconditus suavior*, in principio, sed postea fit valde amarus. Unde Job xx, *Panis ejus in utero ejus vertetur, in fel aspidum intrinsecus*. Item comparatur fornaci, quia purgat bonos et consumit malos, sicut legitur Dan. iii. de fornace Babylonica, cujus flamma Chaldæos interfecit et pueros illæsos servavit. De hac fornace potest intelligi illud Gen. xix, *Vidit Abraham favillam ascendentem de terra tamquam fumum fornacis. Et obscu-*

ratus est sol. Ecce secundus effectus diabolicæ potestatis ; scilicet obscuratio veræ doctrinæ. Per solem enim intelliguntur hic doctores catholici alios illuminantes ad cognitionem veri et inflammantes ad amorem boni. Per aerem vero illi qui illuminantur utroque fumo fornacis, id est prava doctrina Antichristi et præcursorum ejus obscurabuntur. Quia vera doctrina non reputabitur, immo tamquam falsa a multis repudiabitur. Unde Job XLI, *Sub ipso erunt radii solis, et sternet aurum quasi lutum*. Et hoc est quod dicitur, *Et obscuratus est sol et aer*, id est doctores et discipuli catholici, *De fumo putei*, id est ex prava doctrina eorum non reputabitur propter novam doctrinam pseudo prædicatorum. Et videtur quod jam venerit in tempore illud ; quia hodie plus placet novitas quam veritas ; et libentius auditur vana subtilitas quæ facit admirationem, quam utilis veritas quæ facit compunctionem. Unde II Timoth. IV, *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus ; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Psal. : *Narraverunt iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*. Vel certe hoc dicitur, quia multi ex his et illis, id est ex majoribus et minoribus, prava doctrina malorum procurante diabolo decipientur, et contempta sana doctrina Christi, confugient ad præcursores Antichristi. Dicitur autem sol et aer obscuratus, non pœnitus excæcatus, quia Antichristo et suis lumen dextri oculi sui, id est veram sapientiam Dei subtrahent, sed lumen sinistri oculi, id est sapientiam et astutiam mundi relinquent. Sicut Naas voluit facere Jabes Galaad I Reg. XI. Naas autem interpretatur coluber, et significat Antichristum, de quo dicitur Gen. XIX, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita :* id est Antichristus de Tribu Dan nasciturus mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. *Et de fumo putei*. Ecce tertius effectus clavis, id est diabolicæ potestatis ; scilicet multiplicatio pseudo prophetarum, vel prædicatorum qui revera ex doctrina Antichristi et præcursorum ejus multiplicabuntur. Unde Salomon de Antichristo, Eccle. IV, *Vidi cunctos juvenes qui ambulabant sub sole cum adolescente secundo*, id est Antichristo, qui est adolescens secundus Christi qui consurget pro eo, id est loco Christi. Infinitus est numerus populi omnium qui fuerunt ante illum ; et qui postea futuri sunt non lætabuntur in eo. Dicit ergo, de fumo putei, id est de prava et vana doctrina Antichristi, *Exierunt locustæ in terram*, id est exibunt falsi prædicatores in Ecclesiam, terrena amantes et quærentes. Matth. XXIV, *Surgent pseudo christi et pseudo prophetæ, et dabunt signa magna et prodigia :* et isti comparantur locustis, quia salient in altum per superbiam, cadent in terram per avaritiam, plus diligent terrena quam cœlestia, quod signant crura locustarum, quæ retro sunt longiora. Tales modo sunt in Ecclesia multi doctores et prædicatores. Unde Nahum III, *Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum*. Joel. I, *Residuum erucæ comedet locusta*. Per erucam signatur humana corruptio quæ mores depravat ; et quæ modo non corrumpitur malis moribus, decipietur ab illis falsis prædicatoribus. Isti etiam alte saltabunt, sed cadent sicut locustæ, quia per Enoch et Eliam destruetur prava doctrina eorum. In cujus rei significationem Joannes Baptista, qui est Elias, ut dicitur Matth. III, *Comedebat locustas :* et hoc est quod virga Moysis virgas Magorum devoravit, ut dicitur Exod. VII. *Et data est illis*. Hic agitur de potestate præcursorum Antichristi. Quorum duo genera erunt : scilicet quidam mali principes, et quidam pseudo prædicatores. Et dicuntur hic quatuor. Primo ostenditur potestas, per similitudinem scorpionum. Secundo ostenditur refrenatio potestatis impiorum, ibi : *Præceptum est*. Tertio ostenditur in quibus nocebunt, ibi : *Et dictum est*. Quarto ostenditur quod quamvis refrenetur eorum malitia, tamen tanta erit persecutio, quod homines desiderabunt mori, ibi, *Et cruciatus eorum*. Dicit ergo, *Data est illis*, id est pseudo prædicatoribus et malis principibus præcursoribus Antichristi, *Potestas nocendi*, et sæviendi, et affligendi data est. Sed usus malus illius potestatis permissus, in simili Dan. VII, *Post hæc aspiciebam et ecce alia bestia quasi pardus, et alas habebat quatuor super se, et quatuor capita erant ei, et potestas data est ei, sicut habent potestatem scorpiones terræ qui blandientes cauda pungunt occulte*. Sed isti blandiendo verbis, per temporalia quæ debent esse retro decipient : et sicut non sentitur in principio punctio scorpionis, sed postea paulatim venenum diffunditur per totum corpus et moritur

punctus, sic decepti ab istis præcursoribus Antichristi, primo non sentient deceptionem, sed tandem miserabiliter experimentur. Prov. v, *Favus distillans labia meretricis ejus etc.* Item in eodem xxiii, *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splendet in vitro color ejus ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et quasi regulus venena diffundet.* Psalm. *Molliti sunt sermones ejus super oleum et ipsi sunt jacula. Et præceptum est illis.* Hic ostenditur refrenatio potestatis et malitiæ illorum Antichristianorum. Nisi enim Dominus illorum malitiam refrenaret, nullus aut paucissimi possent resistere. Unde Matth. xxiv, *Erit tribulatio magna qualis nunquam fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet postea ; et nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi*, id est non diu durabit illa tempestas tribulationis, quia Dominus temperabit et abbreviabit : et salvabuntur quidam de numero incipientium, quidam de numero perfectorum, quidam de numero proficientium. Primi per fœnum, proficientes per viride, perfecti per arborem designantur. Dicit ergo, *Et præceptum est illis*, id est divina virtute prohibiti sunt, licet occulta. Unde dicit *Glossa :* licet non intelligant : *ne læderent fœnum terræ* incipientes, virides in fide et decipi faciles. *Neque omne viride*, id est provectos, seu proficientes, qui jam virent in bona operatione, *neque omnem arborem,* id est perfectos et aliis fructum bonum exemplorum tribuentes. Sed quare non apponitur omne primum sicut alia duo? Solutio. Quia incipientium major numerus est ; nec omnes qui incipiunt perseverant, quia de facili seducuntur, tamquam novellæ plantationes. Cant. vi, *Sexaginta sunt reginæ*, ecce perfecti jam coronati ; *et octoginta concubinæ.* Ecce proficientes, qui jam cubabant cum sponso. *Et adolescentularum non est numerus*, ecce incipientes. Et nota quod dicit, *Ne læderent ;* et non dicit, ne percuterent, quia sancti percussionem corporum non reputant læsionem, sed magis lucrum. Unde Gregorius : « Sancti pœnas præsentes lucrum putant, quia per has æternas evadere non ignorant ». Philipp. i, *Donatum est vobis pro Christo non solum ut in eo credatis, sed etiam ut pro eo patiamini.* Ideo Apostoli gaudebant quando pro Christo aliquid sustinebant. Act. v, *Ibant Apostoli gaudentes etc.* Matth. vi, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vel per ista tria significantur tres ordines salvandorum, scilicet Daniel, Noe et Job. Per fœnum Job, id est conjugati qui terræ adhærent. Per viride Daniel, id est continentes qui vigorem corporis servant. Per arborem Noe, id est prælati designantur, quorum rami umbram refrigerii præstant aliis. Est ergo sensus : *Præceptum est illis* a Deo limitante potestatem eorum, *ne læderent fœnum terræ*, id est conjugatos, in anima, licet corpus affligerent et temporalia auferrent. Job ii, *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* Neque enim viride, id est continentes vigore pudicitiæ, neque omnem arborem, id est prælatos foliis arborum, id est verborum suorum alios sanantes, et fructibus operum reficientes, et verba exemplorum vel consolationum alios recreantes. *Nisi tantum homines* ab humo, id est carnales. I Cor. iii, *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? qui non habent signum Dei in frontibus suis.* In alphabeto hoc signum est Tau, quod post signum crucis est ultima littera in alphabeto Hebræorum, et interpretatur confirmatio. Unde significat finalem pœnitentiam, quæ confirmat hominem, et hoc signo liberantur omnes, qui habent. Unde Ezech. ix, *Signa Tau super frontes virorum dolentium, et gementium super cunctis abominationibus suis : et ita omnem super quem videritis Tau ne occidatis.* Hoc signum non solum in corde, sed etiam in ore et in fronte ubi est locus erubescentiæ, et est locus manifestus, portare oportet, ne homo erubescat pœnitentiam facere aperte, et confiteri nomen Domini nostri Jesu Christi. Luc. ix, *Qui me erubuerit, et sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum.* Quasi dicat : Illi qui erubescunt agere pœnitentiam, et confiteri nomen Domini nostri Jesu Christi, læduntur ab istis pseudo prædicatoribus, et aliis præcursoribus Antichristi : et hos permittet lædi Dominus, quia non merentur a Domino custodiri, quia diligunt plus carnem suam quam animam suam. Joan. xii, *Qui amat animam suam*, id est istam carnalem, *perdet eam. Et datum est.* Hic ostenditur in quibus læduntur Christiani boni, in corporibus, et in

animabus, et ideo non sunt timendi juxta illud Matth. x, *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*. Dicit ergo, *Et datum est illis*, scilicet Antichristianis, id est providentia ordinatum, sive dispositum, *ne occiderent eos in anima*, quamvis in corpore permittantur occidi. Unde *Glossa*. Cum per dolos nequeunt hæretici in aliqua volunt : contra quos Dei præceptum est, ut occidant corpora, sed animas non decipiant. Et hoc est quod sequitur, *Sed ut crucient mensibus quinque*, id est in corporibus, quia quinque sensibus reguntur. Vel secundum aliam litteram, mensibus sex, id est ætatibus sæculi, in quibus Dei permissione tribulantur electi, ut in septima sint securi. Job vi, *In sex tribulationibus liberabit te Dominus, et in septima non tanget te malum*. Deut. xv, *Si sex annis servierit tibi, in septimo dimittes eum liberum. Et cruciatus eorum*. Hic ostendit Joannes quam gravis erit illa persecutio. Possent enim dicere : ex quo Dominus refrenabit potestatem illorum, non oportet multum timere. Ideo dicit, quod adhuc oportet timere, quia nimis gravis illa persecutio erit. Et hoc est quod dicit, *Et cruciatus eorum*, id est illatus ab eis, *ut cruciatus scorpii*, cujus cruciatus valde gravis est, et vix potest sanari *cum percutit hominem*, facie blandiens, et cauda pungens. Sic illi primo dicunt blanda, et quædam vera : et in fine miscent venenum mortiferum erroris. Unde Joan. ii, *Omnis homo primo bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, id quod deterius est*. Vel hoc dicit, quia isti non propriis manibus sævient in electos, sed occulte principibus suggerent ut torqueant eos, *Et in diebus illis*, scilicet quando aliis lædent per hæresim, alii per exemplum timore cadentes. *Quærent homines mortem*, id est mori cupientes desiderabunt corporaliter præ nimio terrore et dolore tribulationis affecti tædio vivendi. Sicut Elias in persecutione Jezabel, III Reg. xix, quæsivit animæ suæ ut moreretur, dicens, *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam ; neque enim melior sum quam patres mei*. Et Tob. iii, *Et tu, Domine Deus, secundum voluntatem tuam fac mecum misericordiam, et præcipe in pace recipi spiritum meum : expedit mihi mori magis quam vivere*. Jonas iv, *Et nunc, Domine, quæso tolle animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. Tædet animam meam vitæ meæ. Et non invenient eam*, ut probatiores reddantur, vel propter minores quos ipsi consolantur, et ne in morte eorum minis perterriti vincantur. Et ut ostendat Joannes magnum affectum et desiderium moriendi quem habebunt electi illius temporis, propter mala quæ videbunt, subjungit, *Et desiderabunt mori* timentes casum, et dolentes de his quæ videbunt, *et fugiet mors ab illis* ne minores absque consolatione remanentes, caderent in desperationem. O Domine Jesu ! quantus dolor erit videre hæc quando amici tui turpiter occidentur, nec audebit aliquis loqui, et inimici tui florebunt divitiis et honoribus, et affluent deliciis, insuper et miracula multa facient, o Domine, quis poterit sustinere ? Mathathias pater Machabæorum propter quamdam modicam tribulationem quam vidit in Israel, non valens amplius sustinere, inquit I Mach. ii, *Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ ? Et similitudines locustarum*. Hic determinat Joannes qualitatem prædicatorum Antichristi, quæ in undecim conditionibus comprehenduntur : quorum quinque pertinent ad mali perpetrationem, quatuor ad boni declinationem. Decima ostendit prædicatores Antichristi sub similitudine locustarum similes, in quo habent potentiam nocendi. Undecima monstrat quo instigante nocebunt. Prima autem illarum quinque conditionum, quæ complent malitiam, est desiderium nocendi. Unde dicit : *Et similitudines locustarum similes equis paratis in bellum* erant, supple in impetu, et sine discretione currentes in conculcatione electorum. Thren. iv, *Velociores fuerunt hostes tui aquilis cœli*. Æqualiter currunt et irruunt in cives et in hostes. Sic illi non attenderent quos opprimant et conculcent dummodo non faciant voluntatem eorum. Isa v, *Ungulæ equorum ejus quasi silex*. Erunt igitur similes equis propter velocitatem, atrocitatem, impetuositatem. Et sic nota desiderium eorum, quo desiderabunt vehementer exaltare nomen Antichristi, sicut boni prædicatores nomen Christi, sed tamen differenti fine. Quia illi propter divitias et delitias et honores quæ Antichristus dabit illis. Isti vero tantummodo propter gloriam Christi quam toto corde volunt et desiderant exaltare. *Et super capita eorum etc*. Hic ostenditur secunda conditio eorum, quæ est perversa

intentio eorum qui intendunt exaltare suos hæresiarchas et suum dominum Antichristum, et sicut nos Apostolos honoramus et Dominum nostrum Jesum Christum, attribuentes illis victorias quas dicent se habere ab Ecclesia, et se inde præmia habituros. Sed re vera, nec illi victoriam, nec isti præmia habebunt. Unde dicit, *Et super capita eorum*, id est super doctores eorum, tamquam coronæ, sua scilicet opinione, sed non re vera coronæ, id est victoria de præcipitatione justorum, *Similes auro*, id est Apostolis quibus suos doctores æquiparabunt. Item super capita eorum, id est mentibus eorum, *Tamquam coronæ*, id est retributiones æternæ, similes auro, id est veræ sapientiæ : quasi dicat : suis doctobus victorias, et sibi præmia æterna, de hoc quod per sapientiam suam vicerunt Ecclesiam. Sed re vera nec doctores eorum victoriam, nec ipsi præmium habebunt, sed utrique descendent in infernum. Unde II Petr. II, *Hi sunt fontes sine aqua sapientiæ et nebulæ turbinibus exagitatæ quibus caligo tenebrarum reservatur. Et facies eorum sicut facies hominum*. Hæc tertia conditio, scilicet hypocrisis, qua exterius apparebunt boni et interius erunt mali. Unde Matth. VI, *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Item per tria quæ sunt in facie hominis, scilicet oculi, nasus et os, notantur tria, scilicet intelligentia, discretio, eloquentia, quibus isti videbuntur pollere, propter quod etiam multos seducent, quia facilius creditur prædicatori, quando est intelligens, discretus et eloquens, et insuper mansuetus : et tales apparebunt isti. Et hoc est quod dicitur, Et facies eorum, scilicet locustarum, id est prædicatorum Antichristi, sicut facies hominis, id est mansueti, intelligentes, discreti et eloquentes apparebunt, sed non erunt : quod notat hæc dictio, sicut. Quarta ipsorum est latens malitia. De qua subditur, *Et habebant capillos, sicut capillos mulieris*. id est habebant mores femineos, molles in vita, lucentes in apparentia, *Ad terram dependentes*, in quo notatur avaritia. *Collum tegentes*, in quo fallacia. Sicut enim capilli colli tegunt turpitudinem, sic isti majorum suorum pravitatem abscondent. Unde Psalm. : *Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt*. Calcaneum Christi sunt ultimi sancti, qui tunc portabunt Ecclesiam, quibus illi insidiabuntur. Unde et de Eva in figura Ecclesiæ dicitur, Gen. III, ad diabolum, *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus*. Item capilli eorum sunt sicut capilli mulierum, quibus adhærentes sibi decipiunt, subtrahentes vigorem fidei et virtutum, subtiles in malitia, sibi invicem cohærentes ad invicem se defendentes. Unde Job XLI, *Corpus ejus*, id est Beemoth, *quasi scuta fusilia compacta squamis sese prementibus, una uni jungitur, ut nec spiraculum quidem incedat per eas*. Et quia omnes tales erunt molles et flexibiles in omne vitium, sicut mulieres. Ideo dicit, Et habebant, id est habebunt præcursores Antichristi, capillos id est discipulos sibi adhærentes, sicut capilli capiti adhærent. Sicut capillos mulierum, id est molles et effeminatos et flexibiles ad omne malum. Quinta conditio eorum est aperta credulitas. De qua sequitur *Et dentes eorum sicut leonum erant*, quasi dicat : Quando per falsi boni ostentationem et veri mali occultationem lædere non poterunt, tunc aperte sævient in electos, laniantes eos et devorantes quasi leones sine omni contradictione. Vel per dentes locustarum intelliguntur doctores eorum, qui exponunt eis Scripturas et præparant panem mendacii, sicut dicitur Job XXIV, *Vigilantes ad prædam præparant panem liberis*. Et dicuntur dentes leonis propter crudelitatem, quia crudeliter sine pietate devorabunt sanctos. Unde Eccles. XXI, *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum*. De istis dentibus dicit Job XXIX, *Convertebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam*. Tria igitur dicuntur habere isti pseudo prædicatores : scilicet faciem hominis, quia omnia se dicent agere ad normam rationis. Item capillos mulieris, quia ad mollitiem vitæ fraudulenter detrahent. Item dentes leonis, quia crudeliter et aperte in bonos desævient. Per primum simulant bonum, per secundum malum, per tertium aperte desævient. De his dicitur Job XLI, *Quis revelabit faciem indumenti ejus*, id est diaboli, id est quis deteget speciem boni quam prætendit et in medium oris ejus quis intrabit ? id est latens malum ejus, quod cogitat, quis manifestabit ? De tertio nihil dicit, quia apertum est malum omnibus notum. Vide ergo quam signanter posuit illa quinque, quæ faciunt ad completionem mali, ut

diximus : scilicet desiderium nocendi, malam intentionem, simulationem boni, dissimulationem mali, apertam sævitiam in electos. Sequitur, *Et habebant.* Hic ostendit quatuor quæ pertinent ad declinationem boni. Primum est obstinatio. Secundum clamor, ibi : *Et vox.* Tertium malus conatus, ibi : *Et habebant caudas.* Quartum defensio mali, ibi : *Et aculei.* Dicit ergo, *Et habebant loricas, sicut loricas ferreas*, id est corda obstinata et scientiis deceptoriis munita. Unde de diabolo dicitur Eccles. XLIII, *Super omnem congregationem aquarum*, id est mentium frigidarum et fluidarum *requiescit, et sicut lorica induit se aquis,* id est cordibus frigidis et gelatis, et in peccato obstinatis. Ferreas autem dicit loricas : propter duritiam talium cordium quæ non possunt sagittis sacræ Scripturæ penetrari. Unde Job XLI, *Cor ejus indurabitur quasi lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* Et postea additur, *Reputabit quasi paleas ferrum et quasi lignum putridum æs, non fugabit eum vir sagittarius. In stipulam enim versi sunt lapides fundæ quasi stipulas æstimabit malleum et deridebit vibrantem hastam.* Pluraliter autem dicit loricas propter duritiam affectus ad amandum bonum. Unde Luc. XXIV : *Dixit Dominus discipulis suis : O stulti et tardi corde ad credendum. Vox alarum earum*, id est quasi quibusdam alis elevabantur, ut justi et sapientes credantur a multis. *Sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum* id est diversi currus diversis equis tracti, cum impetu currentium in bello contra eamdem personam. Sicut isti Antichristi diversis hæresibus interfecti et diversis rationibus præmuniti current unanimiter contra Ecclesiam expugnandam ; quorum vox clamosa, impetuosa, irrationabilis et multiplex erit. Unde signantur Judith XV per vulpes caudas habentes ligatas, sed facies diversas. De hoc bello Antichristianorum contra Ecclesiam dicitur Job XXXIX, *Procul odorabitur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus.* Item XXXVIII, *Numquid ingressus est thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quos paravi in tempus hostis et in diem pugnæ et belli ? Et habebant caudas similes scorpionum*, id est doctrinas blandas et deceptorias. Unde Isa. IX, *Disperdet Dominus ab Israel caput et caudam incurvantem et depravantem in die una.* Longævus et honorabilis ipse est caput, et propheta docens mendacium ipse est cauda. Vel *caudas* vocat principes illius temporis qui ad modum caudarum blandiendo et terrendo multos pervertent, qui caudas Antichristiani sibi associabunt contra Ecclesiam utrique pugnantes, *Et aculei.* Hic ponitur quarta conditio ; scilicet defensatio mali, quæ fiet per potentiam principum et astutiam pseudo prædicatorum, quibus se defendent a bonis. Cum enim non potuerint eos per blandimenta seducere, oppriment per tormenta. Unde dicit : *Et aculei,* id est violentiæ, *in caudis eorum*, id est in principibus temporis illius. Item aculei in caudis eorum, id est blasphemiæ et astutæ argutiæ et in fine prædicationis eorum. Sicut enim aculeis pungitur equus vel asinus, ut recalcitret, sic illi falsi prædicatores sanctos illos qui tunc erunt, et argutiis et blasphemiis pungent, si quo modo possent eos movere ad iram et a recta semita facere deviare. *Sed frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, ut dicitur Prov. I. *Et potestas eorum.* Hæc decima conditio, scilicet potentia nocendi, quam habebunt principes et pseudo prædicatores illius temporis. Unde dicit, *Et potestas earum locustarum*, id est præcursorum Antichristi, *nocere hominibus*, id est ad nocendum carnalibus, humum sapientibus, *Mensibus quinque*, id est omni tempore, sicut supra expositum est. *Et habebant.* Hic ponitur undecima conditio, scilicet instigatio, seu suggestio diaboli. Ipso enim procurante et instigante, facient hæc principes et pseudo prædicatores. Et ad quid tendent? scilicet ad oppressionem sanctorum monstrat per quæ potuerunt hoc, scilicet per diabolum. Unde dicit, *Et habebant omnes*, prædicti Antichristiani, id est locustæ, et capita, et caudæ eorum, hoc est pseudo prædicatores et doctores eorum et principes eis assentientes, et eos defendentes, *Super se regem*, quem ipsi sibi constituerant, *Et Angelum abyssy*, idest diabolum qui est de abysso inferni, id est sine bysso et candore omnis boni etsi aliquando se transfiguret in Angelum lucis, II Corinth. XI. Diabolus autem dicitur rex super omnes filios superbiæ. *Cui nomen Hebraice Laabadon.* Aliqui libri habent Aabadon. Sed vera littera est Laabadon. Unde Hieronymus dicit Laabadon, Hebraicum, et interpretatur exterminans : Abadon vero Græcum et interpretatur judicans. Unde

cum postea ponitur idem nomen in græco Apolleon et in Latino exterminans, patet quod non debet esse Abadon, sed Laabadon. Græce autem Apollion, id est quod Laabadon, et eadem interpretatio, scilicet exterminans et Latine habens nomen exterminans, tres linguas solemnes ponit, ut in omni lingua versutia diaboli intellecta vitetur. Et hoc præcipue, quia in triplici lingua, evangelica doctrina scripta est. Matthæus enim in lingua Hebraica, Lucas et Joannes in Græca, Marcus vero scripsit in Latina. Unde et titulus Domini super crucem, hac triplici lingua scriptus fuit, Joan. XIX. In omni lingua nomen diaboli significat exterminans. Quia de omnibus aliquos exterminat, id est extra terminos catholicæ fidei ponit, et in terram exterminii in infernum, quia exules a patria sua relegat. Unde Psalm. *Exterminavit eam aper de sylva*, id est Antichristus, qui dicitur Aper propter ferocitatem. Sylvaticus autem seu sylvester dicitur propter inhumanitatem. Sap. III, *Ab itinere justo abierunt in exterminium*, id est in infernum, ad quem diabolus multos trahet. Unde Job XXI, *Ipse ad sepulcra ducetur et in congerie mortuorum vigilabit : dulcis fuit glareis Cocyti, et post se omnem hominem trahit et ante se innumerabiles. Væ unum abiit*, id est tribulatio quæ sub tuba quinti Angeli continetur. *Et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc*, id est duæ tribulationes quæ sub tubis sexti et septimi Angeli continentur. De quibus consequenter dicit.

Et sextus Angelus etc. Ecce post singularem descriptionem quinque Angelorum consolantium Ecclesiam in quinque persecutionibus prædictis, subjungit Joannes de sexto Angelo. Et hæc est secunda pars hujus capituli, in qua ostenditur acerbitas persecutionis futuræ sub Antichristo. Et dicuntur hic septem, quæ fient in illa misera persecutione. Primo ostenditur potestas et conatus dæmonum ad nocendum et duratio malitiæ eorum, ibi : *Qui parati sunt.* Secundo ostenditur malus profectus eorum, ibi : *Et ceciderunt.* Tertio ostenditur numerus dæmonum, ibi : *Et numerus equestris.* Quarto agit de numero equorum diaboli, ibi : *Et vidi equos.* Quinto de armatura equitum, ibi : *Et qui sedebat.* Sexto de potestate equorum, ibi : *Et capita equorum.* Septimo ostenditur damnatio infidelium, ibi : *Et ceteri homines.* Dicit ergo, *Et sextus Angelus*, id est sextus ordo prædicatorum, qui tempore Antichristi erit, *Tuba cecinit*, id est dulciter et terribiliter prædicabit. Dulciter bonis ; et hoc innuitur in cantu. Et terribiliter malis, et hoc innuitur in tuba. Et talis debet esse omnis prædicator, ut sit dulcis per consolationem et promissionem, et terribilis per consummationem et asperam reprehensionem. Et sic primus Angelus dicitur. *Tuba cecinit. Et audivi vocem unam*, id est intellexi per spiritum futura prædicationis, procedentem *ex quatuor cornibus altaris aurei*, id est ex quatuor evangeliis quæ sunt cornua, id est protectio altaris aurei, in qua offertur omnis oblatio quæ accepta est Deo. De quo altari dicit Psalm.: *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta ; tunc imponent super altare tuum vitulos.* Quod dicitur aureum, quia Ecclesia rubea est per charitatem, fulgida per castitatem. Sap. IV, *O quam pulchra est casta generatio cum claritate!* Item solida per patientiam, ductilis per obedientiam, sancta per prædicationem, ponderosa per maturam conversationem, *Quod est ante oculos Dei*, id est quam Ecclesiam semper respicit Deus oculis misericordiæ. Sap. IV, *Gratia Dei et misericordia Dei est in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Psalm. *Oculi Domini super justos.* Deuteronom. XI, *Terra ad quam gradieris possidendam non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ ; sed montuosa est et campestris, de cœlo expectans pluviam, quam Dominus Deus semper invisit : et oculis illius in eo sunt a principio anni usque ad finem ejus.* Item nomine ejus altaris intelligitur Christus, super quem omnis oblatio est accepta Deo. De quo dicitur Exod. XX, *Altare de terra facies*, id est Christum de virgine educes. Et dicitur aureum propter divinitatem, sapientiæ charitatem, vel charitatis puritatem, vel obedientiæ facilitatem, vel propter doctrinæ severitatem. Quatuor cornua altaris sunt prædicatores quatuor evangeliorum, per quos debet Christus elevari, qui debent Syriam, id est mundi superbiam ventilare, quæ debent intingi sanguine Agni, id est fide et memoria dominicæ passionis. Quæ dicuntur quatuor, quia debent de Christo prædicare, ut dicit *Glossa*, nativitatem, passionem, resurrectionem et admirabilem ascensionem. Omnia alia ad hæc quatuor referuntur. Duo prima sunt infirmitatis. Duo alia sunt potestatis. De istis cornibus dicitur

in Psalm.: *Omnia cornua peccatorum confringam* (id est malos Antichristi prædicatores), et exaltabuntur cornua justi, id est boni prædicatores Christi. Vox una quam audivit Joannes est concordia prædicatorum et ad unum. Dicit ergo, *Et audivi* aure cordis, id est intellexi spiritu revelante vocem unam, id est concordiæ doctrinam, *Ex quatuor cornibus altaris aurei*, id est ex universis prædicatoribus Christi procedentem. *Quod est ante oculos Dei* ut filii ante patrem, id est in beneplacito patris. Matth. XVII. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Item ut advocatus ante judicem. I Joan. II, *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem*, Dominum nostrum Jesum Christum justum. Beatus Bernardus, « Securum habes, o homo, accessum ad Deum ubi habes filium, habes matrem. Filius ostendit patri latus et vulnera. Mater ostendit filio pectus et ubera. Nulla certe potest esse repulsa, ubi tot occurrunt charitatis insignia. » Ideo clamat Ecclesia in Psalm. : *Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui, Vocem*, dico, *Dicentem sexto Angelo*, id est ordini prædicatorum tempore Antichristi futuro. *Qui habebat tubam*, id est qui habebat officium prædicandi, *Solve quatuor Angelos*, id est dæmones universos prædicat solvendos, ut homines cautiores reddantur, *Qui alligati sunt divina virtute*, in flumine magno Euphrate, id est in malignorum hominum societate, seu congregatione. Euphrates enim fluvius profundus est et impetuosus currens per Babylonem, et interpretatur humus, vel pulverulentus, vel crescens : et significat amatores hujus mundi, qui sunt profundi in astutia et impetuosi in malitia et currunt per sæculum ex avaritia in humo et pulvere, in carnalibus deliciis et in temporalibus divitiis crescentes. In hoc sunt alligati omnes dæmones, quia in istis habitant quasi in propriis domiciliis. Nec adhuc permittuntur aperte pro sua voluntate desævire in bonos, quod tamen fiet tempore Antichristi ; et tunc solventur dæmones, id est sævire crudelius et apertius permittentur in bonos. Et bene dicuntur fluvius magnus amatores mundi. Fluvius quidem, quia sunt fluidi per luxuriam, tumidi per superbiam, proclivi per avaritiam : et tandem decurrent in mare, id est in amaritudinem inferni. Eccles. I, *Omnia flumina intrant in mare.* Magnus vero dicuntur vel propter multitudinem vel propter scientiarum magnitudinem. Quia majores in sæculo sunt his tribus vitiis, id est luxuria, avaritia, superbia irretiti. I Joan. II, *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Item dæmones dicuntur Angeli, id est missi, quia mittuntur a Deo ad probationem bonorum a principe suo et sua propria voluntate, ad deceptionem et damnationem malorum. Quatuor autem dicuntur, quia per quatuor mundi partes, quatuor vitia principalia suggerendo discurrunt. Unde supra VII, *Post hæc vidi quatuor Angelos terræ.* Item per magnum fluvium Euphratem potest significari baptismum, ubi dæmones alligantur, quia ibi eorum potestas debilitatur et vincula peccatorum solvuntur. Unde Exod. XV, *Ingressus est Pharao eques cum curribus et equitibus ejus in mare, et reduxit super eos Dominus aquas maris.* Item Euphrates fluvius potest dici sanguis et aqua quæ de latere Christi in Ecclesia exierunt. De quo Ezech. XLVII, *Ecce aquæ redundantes a latere dextro, cum egrederetur vir ad orientem*, id est Christus ad immortalitatem, per ostium mortis, ubi ligati sunt dæmones, quia ibi debilitata est eorum potestas. Unde sequitur bene in Ezech. *Qui habebat funiculum in manu sua*, quo scilicet dæmones ligarentur, et fuerunt ligati usque hodie, sed in fine, id est in tempore septimi Angeli et sextæ tubæ, id est in sexto statu Ecclesiæ, id est in tempore Antichristi solventur, quia minus refrenabuntur a Deo et magis permittentur sævitiam suam ejicere in bonos. Unde sequitur. *Et soluti sunt*, id est solventur. Præteritum pro futuro : vel soluti sunt jam in Dei præsentia *quatuor Angeli*, id est dæmones universi, qui dicuntur quatuor ratione prædicta, vel propter quatuor suggestione quas faciunt in ordinandas et corrumpendas quatuor animæ affectiones, ut anima sit intemperata, amet quæ non decet, timeat quæ non oportet, gaudeat vane, doleatque vanius, ut dicit beatus Bernardus. Vel propter quadruplicem modum temperandi. Est enim quædam tentatio gravis et occulta, quædam gravis et aperta ; quædam levis et occulta ; quædam levis et aperta, sicut beatus Bernardus, super illud, *Non timebis a timore nocturno.* Ecce prima. *A sagitta volante.* Ecce secunda. *A negotio perambulante in tenebris.* Ecce tertia. *Ab incursu et dæmonio meridiano*

Ecce quarta. *Qui parati erant*, paramento malitiæ et astutiæ diligentis, *In horam, et diem, et mensem et annum*, et in omni tempore diei, mensis et anni, sine interpolatione et sine termino ; quasi dicat : nulla pars est in die vel mense vel anno, in qua dæmones non sint parati ad nocendum ; nunquam enim dormiunt. I Petr. v, *Vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Job xxx, *Qui me comedunt non dormiunt.* Vel in his nominibus exprimuntur conatus et diligentia dæmonum ad nocendum : qui statim ut soluti sunt dicuntur parati in horam, et mensem, et diem, et annum, id est in tribus annis et dimidium : tantum enim durabit persecutionis illius acerbitas : ut per horam dimidius annus significetur, per alia tria tres anni. Et quia primo ponitur hora, postea dies, postea mensis, postea annus, significat qualiter illius processus persecutionis semper crescendo procedet. In principio gravis erit, sed in secundo gravior, in tertio gravissima et in fine omnino desæviet ille iniquus, ut vix omnino possit ab aliquo sustineri. Unde Job xl, *Stringet caudam suam*, id est ultimam malitiam, quasi cedrum. Et xli, *Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum.* Semper ergo parati referuntur dæmones, ut nos semper parati esse studeamus, ne imparati inveniamur. Matth. xxv, *Et vos estote parati.* Quanto ergo potestas diaboli decrescet in tempore, tanto crescet in malignitate. Unde Jerem. xii, *Væ terræ et mari, quia descendet diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quia modicum tempus habet.* Sic tentatio diaboli in fine crescit : et hoc est signum quod debet cessare tentatio, quando incipit aggravari. Unde dæmones quando exibant ab obsessis corporibus gravius affligebant. Ad quem autem finem tendant dæmones in suis tentationibus, et ad quid tendat Antichristus, ostendit Joannes cum subditur, *Ut occiderent tertiam partem hominum*, prius morte peccati, et postea morte inferni. Tertiam partem hominum vocat omnes reprobos, ut dicit *Glossa*, in quos habebunt potestatem. Prima pars sunt innocentes. Secunda pœnitentes. Tertia reprobi in malitia pertinaces : et hos occidet, ut supra viii, Tertia pars terræ combusta est. Et tertia pars arborum concremata est. *Et numerus equestris.* Hic ostenditur Joanni numerus equorum diaboli et equorum Dei, secundum unam expositionem. Et sic in solutione quatuor Angelorum ostenditur libertas diabolicæ potentiæ tempore Antichristi. Ita in visione equorum et equitum ostenditur nocumentum malitiæ. Equi diaboli sunt prædicatores Antichristi ; equites vero sunt ipsi dæmones, qui ducunt eos quocumque voluerunt. Equi Dei sunt prædicatores Christi ; equites sunt boni Angeli, qui regent eos et defendent. Triplici autem ratione ostenditur Joanni numerus equorum et equitum Dei post ostensionem equorum et equitum diaboli. Primo, ne visa multitudine malorum desperarent sancti. Sic fecit Elisæus IV Reg. vi, puero suo nimis timenti visa multitudine Syriorum qui obsidebant Samariam, per orationem suam aperuit oculos, et vidit, quod mons erat plenus equorum, et curruum igneorum in circuitu Elisæi. Item secundo, ut consolarentur boni super solutionem dæmonum ; quia et si solvendi sunt tunc dæmones, non permittentur omnino facere quod volunt, sed per bonos Angelos coercebuntur, et per eosdem servabuntur electi. Item tertio ne illi qui stabunt tunc possint præsumere de suis viribus, et se solos inter præssuras stabiles remansisse. Sicut Elias qui dixit, *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israël, altaria sua destruxerunt, et Prophetas tuos occiderunt gladio, et relictus sum ego solus.* Et dictum est ei, *Dereliqui mihi septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Primo ponitur numerus equorum diaboli, et signatur per vicies millies : postea ponitur numerus equorum Dei, et signatur per dena millia. Et plures sunt mali, quam boni ; ideo majori numero designatur numerus equorum diaboli quam equorum Dei. Utrobique tamen ponitur finitum pro infinito. Utrobique ponitur mille qui est numerus cubicus, idest habens tres dimensiones. Nam decies decem decies faciunt mille : et illi peccant in tribus : scilicet in Deum, in proximum et in seipsos. Isti autem vivunt sobrie pie et juste. Sobrie sibi, pie Deo, juste proximo. Item illi habent trinam dimensionem malitiæ : scilicet concupiscentiam carnis et concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ. Isti autem habent trinam dimensionem bonitatis : scilicet fidem, spem et charitatem. Item denarius simpliciter ponitur ex parte bonorum, quia ipsi ser-

vant decalogum præceptorum : sed denarius duplicatus ponitur ex parte malorum, scilicet vicies, quia binarius recedit ab unitate, et sic significat transgressionem ; unde binarius denarii transgressionem significat decalogi. Mille enim perseverantiam significat. Bene ergo dicuntur equi diaboli vicies millies, quia prædicatores Antichristi erunt transgressores decalogi habentes malitiæ dimensionem et in ea perseverantes. Boni vero dicuntur dena millia, quia in observantia decalogi et in bona dimensione perseverabunt. Dicit ergo. *Et numerus equestris exercitus*, idest numerus equorum exercitus, idest numerus equorum et equitum diaboli, *vicies millies*, et numerus equorum et equitum Dei *dena millia*, idest multi et infiniti, sed pauciores. Equi diaboli sunt prædicatores mali qui portant ubique diabolum ; equites sunt dæmones qui ducunt eos, ut diximus. Equi Dei sunt boni prædicatores. Equites Dei sunt Angeli. Et hæc expositio de utroque exercitu simul. idest bono et malo, ponitur in *Glossa*, Et sumitur ex eo quod dicitur numerus equestris exercitus, nec additur Dei, vel diaboli. Sed quare malos significat per adverbia, bonos vero per nomina? Solutio. Ad ostendendum, quod malum non stat per se, sed coalescit in bono, ut dicit Augustinus ; bonum vero per se stat. Item quæritur quare exercitus tam bonorum quam malorum designetur per numerum significantem et non per numerum numerantem? Nam numerus hic positus non numerat exercitum dæmonum vel Angelorum, sed tantum signat. Nam multo plures sunt mali, quam vicies millies ; et boni multo plures quam dena millia. Ad hoc dicimus quod numerus significans magis exprimit qualitatem utriusque exercitus quam numerus numerans. Per numerum enim hic positum ostenditur quales sunt illi et isti, ut diximus : quod non fieret per numerum numerantem. Aliqui intendunt, per hos numeros, tantum malos designari. Nam cum sint tantum tres ordines Angelorum, ad decimum, qui cecidit, decem millia referuntur : per millies vero qui est numerus multiplex, dæmonum multitudo signatur : per vicies vero qui bis decem continet, ostenditur dicimus ordo ex dæmonibus et malis hominibus duplicatus. Nihil ergo aliud est vicies millies, dena millia equestris exercitus, nisi quod decimus ordo ex malis hominibus et dæmonibus duplicatus innumerabilis et quasi infinitus existit, qui contra Ecclesiam tempore Antichristi pugnabit. Modo autem conservat Deus Ecclesiam suam. Alii dicunt, quod per utrumque numerum designantur boni : per vicies designantur sancti novi Testamenti, qui decem mandata legis dupliciter servant, scilicet corde et opere, et secundum literam, et secundum spiritualem intellectum et perfecti sunt in justitia. In vicenario est duplex observantia decalogi et in millenario perfecta justitia monstratur. Per dena millia significantur sancti veteris Testamenti qui legem ad literam servaverunt, utpote umbram futurorum. Et quia contra utrosque diabolus bellum habuit, ideo per hos numeros etiam exercitus numerus dæmonum et malorum hominum, per quos pugnat diabolus, designantur. Omnes istas expositiones innuunt *Glossæ*, sed satis obscure. Sequitur. *Et audivi numerum eorum*, idest intellexi quid numerus eorum significaret. ***Et ita vidi equos in visione*** sicut dixit supra, secundum numerum equitum, numerum tam bonorum quam malorum. Per hoc, quod dicit. Vidi in visione, nota hic : non corporaliter, sed tantum spiritualiter. Vel sic : et ita vidi equos in visione ; idest sicut equites, idest sicut dæmones intendunt ad destructionem Ecclesiæ, *Sic vidi equos*, idest malos prædicatores, laborare ad destructionem Ecclesiæ. Nam equi et equites, in prælio ad idem tendunt, sed equi per equites ducuntur. Sic Antichristiani per dæmones, contra Ecclesiam malignabuntur. *Et qui sedebant*. Hic agitur de armatura istorum equitum, quæ duplex est : una ad muniendum, altera ad expugnandum : tamen hic non agitur nisi de armatura munitionis. Quia diabolus nullum potest vulnerare nisi Deo volente ; et ideo cassa esset armatura impugnationis. Dicit ergo. *Et qui sedebant super eos equos*, idest prædicatores Antichristi, *habebant loricas igneas et hyacinthinas et sulphureas*. Prima furor iræ ferventis in principibus. Secunda simulatio sanctitatis in prædicatoribus. Tertia fœtens doctrina in prælatis, qui tunc erunt. Et huic triplici persecutioni convenit hæc triplex qualitas armaturæ equitum, idest dæmonum, qui super istos equos sedebunt. Diximus enim, quod equi sunt falsi prædicatores ultimorum temporum, equites sive sessores eorum dæmones, qui dicuntur habere hanc triplicem armaturam, qua se

et equos muniunt. Per loricas significatur duritia obstinationis, et scientiarum perplexitas, quæ dicuntur igneæ propter iracundiæ fervorem, quæ erit in principibus contra Ecclesiam. Item dicuntur *Hyacinthinæ*, propter simulationem sanctitatis, quæ erit in prædicatoribus. Hyacinthus enim habet colorem similem cœlo. Item dicuntur sulphureæ propter doctrinæ fœtorem, quæ erit in prælatis, et doctoribus temporis illius. Dicit ergo, *Et qui sedebant*, scilicet dæmones super eos, idest falsos prædicatores, habebant loricas, idest duritiam obstinationis, et scientiarum perplexitates, *Igneas*, idest igne iracundiæ accensas, *Et hyacinthinas*, idest sanctitatis simulatione coloratas, *Et sulphureas*, idest perversa doctrina fœtentes. Hæc dicuntur habere equites, idest dæmones, qui habebant ea in equis. Erunt ergo equi idest prædicatores et ministri Antichristi, obstinati, iracundi, simulati, hæretici. Vel aliter. Equi sunt prædicatores, ut diximus, Loricæ sunt omnes ministri ejus, quibus quasi lorica corpus suum tegitur et munitur, ne sagitta verbi Dei vulneretur. Unde quilibet malus est una macula loricæ hujus, qui conjuncti ad invicem contra Ecclesiam faciunt loricam diaboli, qua corpus ejus munitur. Unde Job XLI, *Corpus ejus, quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus, una uni conjungitur, et nec spiraculum quidem incedit per eas.* Quod Job dicit scuta, vocat Joannes loricas. Iste loricæ dicuntur igneæ, hyacinthinæ, sulphureæ, quia ministri Antichristi erunt cupidi, superbi, luxuriosi. Nam per ignem cupiditas, per hyacinthum superbiæ vanitas, per sulphur fœtor luxuriæ designatur, et maxime luxuriæ contra naturam, propter quam pluit Dominus ignem et sulphur. Gen. XIX, Omnes etiam, qui tales sunt computantur in familiam Antichristi : propter quod dicit Joannes in prima Canonica cap. II : *Sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi sunt.* Bene ergo dicit, *Qui sedebant super eos*, idest dæmones falsi prædicatoribus insidentes, et eos regentes, *habebant loricas*, idest ministros se protegentes, et munientes. Igneos, igne cupiditatis accensos, et hyacinthinos, idest vanitate superbiæ elatos. Hyacinthus enim colorem habet aureum, et ideo significat vanitatem, Et sulphureas, idest luxuria fœtentes. Hic etiam bene dicuntur habere dæmones quasi arma, quia his vitiis impugnant Ecclesiam, unicuique suggerendo id in quo ipsius animum magis declinare concupiscunt. Sequitur, *Et capita.* Postquam egit de armatura equitum Joannes, agit de potestate et virtute equorum, incipiens a capite ipsorum, quæ sunt hæresiarchæ doctores, et ceteri majores inter eos *erant*, idest erunt *tanquam capita leonum.* In quo notatur superbia crudelitatis, et aperta malitia. Nam majores inter eos armabuntur contra Ecclesiam, superbia crudelitate, et aperta malitia. Unde Jerem. VI, *Crudelis erit, et non miserebitur.* Hoc de potestate eorum, et convenit etiam membris, *Et de ore ipsorum*, idest de prædicatione et doctrina falsorum prædicatorum, procedit ignis avaritiæ, et fumus superbiæ, et sulphur luxuriæ. Vel ignis furoris, odii, et iracundiæ, et fumus erroris, et cæcitatis faciens mentes hominum caligare, ne possint veritatem agnoscere. Et sulphur verba maledictionis, et blasphemiæ. Item ignis invidiæ, et fumus idololatriæ. Et sulphur, idest fœtor blasphemiæ. Item ignis, idest malitia comminationis, et fumus, idest obscuritas simulationis, et sulphur, idest fœtor corruptæ eruditionis : et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, idest reprobi, quia aliis duabus partibus, idest innocentibus et pœnitentibus, non nocebunt hæ plagæ, immo proderunt potius, juxta illud Rom. VIII : *Omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Item prima pars hominum sunt perfecti. Secunda sunt proficientes. Tertia incipientes, sive imperfecti ; et his pro majori parte nocebunt hæ tres plagæ. Item prima pars hominum sunt illi qui inceperunt pœnitentiam, et compleverunt, et in gratia decesserunt ; et his debetur paradisus. Secunda pars sunt qui inceperunt pœnitentiam, sed non compleverunt, et in gratia decesserunt, et his debetur purgatorium. Tertia pars sunt illi, qui nec inceperunt, nec compleverunt, et tamen peccaverunt ; his debetur infernus, et his nocebunt hæ tres plagæ. Item prima pars illi sunt, qui latitabant in speluncis et cavernis, propter metum Antichristi. Secunda illi, qui audacter confitebuntur, et prædicabunt Christum. Tertia illi, qui aperte negabunt ; et hæc tertia pars ab his plagis occidetur, et de igne, et de fumo, et de sulphure, quæ procedent de ore ipsorum. Hic determinat, quæ sunt illæ partes, et tres plagæ.

Unde ponitur Proverb. : *Potestas enim equorum etc.* Hic ostendit Joannes in quo sit potestas prædicatorum Antichristi : et ponit duo in quibus consistit potestas eorum : scilicet in ore, et in cauda, scilicet in prædicatione. Per caudam, quæ tegit turpitudinem, simulatio intelligitur ; et hæc est potestas Antichristi, *Equorum*, idest prædicatorum Antichristi, *In ore eorum est. Glossa*. In mala prædicatione. *Et caudis eorum*, idest occultis deceptionibus, si aperte nequeunt. Et bene dico, quod in caudis habent potestatem nocendi. Nam cauda eorum similis serpentibus, qui blandiuntur facie, occulte mittunt venenum. Item per os equorum intelligitur persuasio, sive comminatio, seu promissio prædicatorum ; per caudas intelligitur malitia ministrorum, qui occident sanctos, et his duobus consistet tota potestas prædicatorum Antichristi, scilicet falsa persuasione, et in malitia eorum. Dicit ergo, *Potestas equorum*, idest malorum, In ore eorum est, idest in fallenti persuasione eorum, *Et in caudis eorum*, idest malis ministris, *Nam caudæ eorum*, idest ministri, qui sequuntur prædicatores ad faciendum voluntatem eorum, *similes sunt serpentibus*, quia non quærent nisi pulverem terrenorum. Mich. ult. *Lingent pulverem sicut serpentes.* Isa. LXV, *Serpentis pulvis panis ejus*, Psal. *Inimici ejus terram lingent.* Gen. III, *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Item per os significatur rationum inductio, per caudas temporalium donorum largitio, quæ data sunt homini ad velandum, et supplendum defectum. Et per hæc duo, idest per inductionem rationum, et per largitiones donorum, multos subvertent. Et ideo bene dicit, quod potestas equorum, in eorum ore est, idest in rationum inductione. Et in caudis eorum, idest in dona temporalia eorum, similes serpentibus, quia in fine venenum mortiferum infundunt, quo dantes et recipientes occiduntur, licet placeant quando recipiuntur. Item per os intelligitur gula. Unde Eccles. VI, *Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur.* Per caudam vero accipitur luxuria. Unde legitur Judicum XV, quod Samson cepit trecentas vulpes, et caudas earum ligavit et faces ligavit in medio, quas igne succendens dimisit, ut illuc et huc discurrerent. In his duobus multum consistit potestas diaboli, et ministrorum ejus. Nam per hæc duo vitia multi corrumpuntur. De quibus dicitur Proverb. XXX, *Sanguisugæ*, idest diaboli sanguinem sugentis, duæ sunt filiæ, quæ semper clamant, affer, affer : scilicet gula et luxuria. Et bene dicuntur caudæ similes serpentibus, quia luxuria in principio habet voluptatem, sed postea pœnitudinem. Unde quidam sanctus cum tentaretur de luxuria, dixit, Non emo tanti pœnitere. *Habentes capita*, idest principes, qui præsunt ministris, *Et his nocent*, idest auctoritate et violentia eorum. Vel capita eorum sunt doctores falsorum Philosophorum, scilicet Plato, Pythagoras, et hujusmodi, quorum dictis corroborabunt sententias suas, *Et in his nocebunt*, idest decipient formando per eos doctrinam suam, *Et ceteri homines, qui non sunt occisi in his plagis prædictis*, idest reprobi contra quos diabolus non faciet conatum suum per Antichristum, quia erunt omnino obedientes ei. *Neque egerunt pœnitentiam de operibus manuum suarum*, idest de peccatis suis. *Ut adorarent dæmonia* post pœnitentiam *et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ*, scilicet simulacra, *nec videre possunt, nec audire neque ambulare*, idest aliquem actum exercere. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, nec a fornicatione sua, nec a furtis suis.* Omnes enim inquam peribunt morte æterna. Quamvis conatus diaboli non sit contra eos, qui mortui sunt jam morte prima. Et tangit hic Joannes Paganos idolis servientes. Sed quæritur, Quare potius determinatur de equis, quam de equitibus ? Solutio. Quia quicquid facient dæmones, facient per malos prædicatores. Item quare ponit fornicationem in singulari numero, cum alia vitia ponat in plurali ? Solutio. Ad notandum, quod plures pereunt per fornicationem, quam per cetera prædicta. Plus enim importat numerus singularis, quam pluralis, et sic dicitur nomen speciei, quæ omnibus convenit. Dæmonium interpretatur scientia. Unde dæmonium aureum potest dici theologia, quæ in splendore et valore omnes scientias superat, sicut aurum cætera metalla. Aliæ enim scientiæ sunt ancillæ, et ipsa domina, sicut dicit Boetius in libro *Consolationum*. Unde de illis potest intelligi illud Proverb. VIII, *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem*, idest ad theologicum apicem, quo vix aut nunquam potest ascendi nisi per illas

Item dæmonium argenteum est legalis scientia quæ lucratur argentum, unde lucrativa scientia appellatur. Item dæmonium est sermocinalis scientia, idest logica, quæ plus aliis resonat, immo etiam quasi mutæ essent aliæ nisi ab ista reciperent sonum. Item dæmonium lapideum, est naturalis scientia, quæ est immutabilis, nec nobis subjacet, ut dicit Algazel, et ideo dicitur lapidea. Item dæmonium ligneum est moralis scientia, quæ sicut lignum formari potest. Qui ergo istas scientias addiscunt tantum ut sciant vel sciantur, vel certe ut ditent vel ditentur, vel honorentur, nec alium finem ponunt in studio suo, procul dubio hi adorant dæmonia, vel argentea etc. Et de his dicit Psal. : *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* Beatus Bernardus, Quidam student, ut sciant : quidam ut sciantur, et vanitas est : et quidam ut ditentur, et cupiditas est : quidam ut ædificent, et charitas est : quidam ut ædificentur, et prudentia est. Baruch III. *Ubi sunt principes gentium*, idest philosophi, *qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum, qui argentum fabricant, et solliciti sunt, nec est inventio operum eorum?* Et respondet, *Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt.* Item simulacra possunt dici multi prælati. Juxta illud Zach. XI, *O pastor, et idolium, et derelinquens gregem.* Dicuntur autem aurea per avaritiam, argentea propter apparentiam, ærea propter impatientiam, lapidea propter duritiam, lignea, quia materia sunt ignis infernalis, qui sunt tales. Isa. XXX, *Præparata est ab heri Tophet, regi, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa.* Bar. V, *Cum sint lignea, et inaurata, et inargentata, scietur postea, et falsata sunt a gentibus universis, et regibus, quæ manifesta sunt, quia non sunt Dii*, idest veri prælati, *sed opera manuum hominum.* Hæc simulacra adorant, qui tales prælatos adorant, honorant, et eis serviunt propter divitias temporales, vel honores sæculares. De quibus Psal. dicit : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.* Item similes illis fiant, qui confidunt in eis.

CAPUT X.

Et vidi alium etc. Decimum capitulum est, in quo agitur de consolatione fidelium tempore Antichristi : et dividitur in tres partes, secundum tres consolationes, quæ hic ponuntur. Quarum prima est de pœna malorum, quæ hic affirmatur. Secunda de promissione vitæ immutabilis : ibi, *Et Angelus quem vidi.* Tertia de prænuntione futurorum malorum, ut citius caveantur. ibi : *Et vocem quam audivi.* Et nota quod sicut solutio quatuor Angelorum indicavit supra violentiam potentiæ dæmonum, ut visio equorum et equitum nocumentum malitiæ : sic significatio tonitruorum, quæ ponitur in hoc capitulo, indicat subtractionem prædicationis et sapientiæ tempore Antichristi. Procedit autem Joannes hoc ordine. Primo commendans Christum, describit eum a quatuor conditionibus. Secundo ipsius testimonium, pœnam malorum futuram ostendit ibi, *Et clamavit.* Tertio hoc idem probat testimonio prædicatorum, idem prædicantium, ibi, *Ego.* Dicit ergo, *Et vidi.* Conjunctio copulativa. Nota quod hæc visio non est alia a præcedente, sed illi quasi pars parti copulatur, *Alium Angelum*, a prædictis, scilicet Christum, qui *Angelus* est *magni consilii.* Isa. XI : *Et Deus totius consolationis.* II Corinth. *Qui dicitur* alius idest contrarius. Illi enim ad nocendum intendunt, iste ad salvandum. Illi sunt pura creatura, iste creator simul et creatura. *Fortem*, Quia ipse est *Dei virtus*, ut dicitur I Corinth. I, et Psal. *Dominus fortis et potens* : sed fortitudinem suam ipse abscondit, in sanctam crucem. Habacuc III, *Ibi abscondita est fortitudo ejus :* sed eam manifestavit ibidem, quia mortem moriendo destruxit. Amplius autem eam manifestavit resurgendo. Sed plenissime manifestabit eam in futuro judicio. Unde Psal. : *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Job. IX, *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Ergo fortitudo Dei recipit comparationem ? Verum est quantum ad manifestationem, ut dictum est. Fortis enim apparuit moriens, mortem superando, fortior a morte propria resurgendo, fortissimus dæmones omnes cum omni suo corpore mortaliter condemnando, *Descendentem de cœlo*, id est de incognitione ad cognitionem, sive invisibilitate ad visibilitatem, sive de occulto ad publicum, sive de Patre ad mun-

dum humiliter venientem. Joan. xv, *Exivi a Patre, et veni in mundum.* Psal. : *A summo cælo egressio ejus.* Joan. vi, *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Amictum nube*, id est vestitum carne. Isa. xix, *Ascendet Dominus super nubem levem, et ingredietur Ægyptum*, id est mundum. III Reg. viii, Dixit Dominus. ut habitaret in nebula, de qua venerunt salutifera. Unde Eccles. xliii, *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Ergo nube amictus fuit in nativitate, sive in incarnatione, quando veritas de terra orta est, sicut nubes ex aqua. II Reg. vii, *Ecce in nebula parva, quasi vestigium hominis ascendebat de mari*, id est Christus puer parvulus nascebatur de Maria. Hæc nubes in cruce levata refrigerium dedit toti mundo, ardorem solis, id est iram Dei Patris temperans. Psal. : *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Cant. ii, *Sub umbra illius quem desideraveram sedi.* Tunc de illa pluvia pluit Dominus duplicem pluviam : scilicet pluviam sanguinis in redemptionem, et pluviam in ablutionem. Joan. xix, *Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua :* his duobus indigebat genus humanum. Quia venditum erat, indigebat redemptione ; quia sordidum erat, indegebat ablutione. Hæc nubes dicitur levis, quia ab omni onere peccati immunis est. Item quia surrexit et ascendit. Psal. *Ascendit Dominus super Cherubim, et volavit super pennas ventorum*, id est velocius et levius ventis, *Et iris*, id est ritus reconciliandi et propitiandi. *In capite ejus*, id est in divinitate, quæ est caput humanitatis. I Cor. xi, *Caput Christi Deus.* Et bene dicitur, Iris in capite, quia non esset sufficiens redemptio, nisi Christus esset Deus. Unde II Cor. v, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Vel Iris in capite ejus, id est clementia et pietas intentione ejus. Oseæ. vi, *Misericordiam volo, et non sacrificium, Et facies ejus*, id est præsentia humanitatis ipsius. *Erat sicut sol*, Illuminans et inflammans mentes hominum, quas fumus putei caligaverat. Isa, xix, *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ.* Hæc est facies, quam ita desiderabant antiqui. Unde Psal. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salvi erimus.* Exod. xxxiii, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Esther xv, *Valde mirabilis es tu Domine, et facies plena est gratiarum suarum*, id est facies ejus sicut sol, in virtute sua. Item facies ejus, id est divinitas ejus, *Erat sicut sol*, id est fons omnis luminis et caloris, quia ab ipso inquantum Deus, est omne bonum. Jacob i, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum. Vel sicut sol*, quia splendore suo reverberat oculos humanos, ut in suo fronte non plene possit videri. I Tim. vi, *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.* Cant. vi, *Averte oculos, quia ipsi me avolare fecerunt.* Item faciem ejus, id est sancti, in quibus lucet facies ejus, id est imago, et similitudo ipsius. Juxta quod dicitur in Psalm. *Illumina super nos lumen vultus tui, Domine :* et alibi : *Illumina faciem tuam Domine.* Erat sicut sol, id est fidei cognitione clari, et calore charitatis fervidi, et immutabiles et infatigabiles in servitio Christi. Eccl. xxiii, *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol. Nam stultus ut luna mutatur. Et pedes ejus*, id est finales prædicatores per totum mundum ipsum portantes, non solum in corde per fidem, et in ore per confessionem et prædicationem, sed etiam in corpore per sanctam conversationem. I Cor. vi, *Empti enim estis pretio magno ; glorificate, et portate Dominum in cordore vestro. Tamquam columna ignis*, id est plani per justitiam, recti per charitatem, erecti per contemplationem et desiderium æternorum, fortes per fidem, alios portantes per pietatem infirmórum sustinere. Gal. ii, *Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse.* Nec dicit simpliciter, Tamquam columna, sed addidit, Ignis. Quia ipsi erunt ardentes in se per zelum : lucentes aliis per exemplum et doctrinam. Joan. v, *Ipse erat lucerna ardens et lucens.* Matth. v, *Vos estis lux mundi.* De his pedibus dicitur Isa. lii, *Quam pulchri pedes annuntiantis pacem annuntiantis bona, prædicantis salutem ! Et habebat in manu sua libellum apertum*, id est in potestate sua totam legem jam reservatam. Ipse enim omnia, quæ in figuris de seipso in lege legebantur implendo aperuit, et prædicando per Apostolòs manifestavit. Unde supra in v, *Vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire, et solvere signacula ejus.* Ibi satis diximus de libro, et ideo hic transimus. Et bene dicit, quod habebat in manu sua libellum, quia operatione legem adimplevit. Unde

Matth. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Sed quare dixit supra, librum, nunc dicit libellum, diminutivo nomine utens? Solutio. Ibi clausus ostenditur, quem superbia claudit. Hic autem liber apertus ostenditur, quem humilitas aperuit, quia per humilitatem venitur ad intelligentiam legis. Unde Matth. XVIII, *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, id est in intellectum. Supra in quarto, *Ecce dedi te in ostium apertum, quia modicam virtutem habes*, id est humilitatem. *Et posuit pedem suum dextrum*, id est fortiores prædicatores. *Super mare*, id est super impios et infideles plenos amaritudine peccatorum. Quia Dominus ad majores peccatores misit firmiores prædicatores. Verbi gratia Petrum et Paulum ad Romanos, qui semper omnibus ferociores et crudeliores fuerunt. Et quia Romæ maxime vigebat ritus Gentilium, et cultus idolorum. *Sinistrum autem super terram*, id est minores prædicatores missi sunt ad minimos malos peccatores. Item per mare, significatur gentilitas amaritudine infidelitatis et idololatriæ. Per terram, significatur duritia et avaritia Judæorum, quæ frequenter fuit arata prophetia. Per pedem dextrum significatur vita æterna per sinistrum pœna æterna. Unde in judicio boni ponentur a dextris judicis, mali vero a sinistris, ut dicitur Matth. XXV. Propter quod dicitur Proverb. IV, *Vias, quæ a dextris sunt, novit Dominus; perversæ* vero sunt, quæ a sinistris sunt. Est ergo sensus : Et posuit pedem suum dextrum super mare, id est gentilitatem illuminans ad fidem prædicando convertit, et perduxit ad beatitudinem. Unde Luc. II, *Lumen ad revelationem gentium.* Gen. XLIX, *Ipse erit expectatio gentium.* Sinistrum autem super terram, id est Judæos, qui fuerunt terra culta per legem et prophetas, propter duritiam suam et avaritiam excæcari permisit ad æternam damnationem. Roman. XI, *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Item pes dexter est amor Dei, qui debet omnem tribulationem et adversitatum amaritudinem conculcare, et ideo poni dicitur super mare. Ut sicut Christus pro amore nostro calcavit amaritudinem passionis, sicut ipse dicit Isa. XLIII, *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum;* sic nos pro amore ipsius calcemus omnem amaritudinem mundi, etiam non timentes pro ipso mori, si necesse fuerit. Unde dicit beatus Bernardus : « Audi luctam, sustinuit te dilectus, sustine et tu dilectum : non illi vincent peccata tua, te quoque illius flagella non superent. » Hoc pede quidquid tangimus nostrum facimus. Unde Deut. XI, *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Pes sinister est amor proximi, quo omnia terrena debemus calcare, quia amorem proximi debemus omnibus terrenis præponere. Juxta illud Levit. XIX, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, id est citra Deum, et super omnia terrena, et hoc exigit justitia. Unde Prov. XII, *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.* Eccl. XXIX, *Perde pecuniam propter fratrem et amicum, et non abscondas sub lapide in perditionem.* Ideo hunc pedem dicitur posuisse super terram ; ut sicut ipse propter nos omnia terrena contempsit, et amorem nostrum toti mundo præposuit ; sic et nos toti mundo amorem proximi præponamus, alioquin non habemus hunc pedem. I Joan. III, *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua, quomodo charitas Dei manet in illo?* Quasi dicat : Nullo modo. Quia probatio dilectionis exhibitio est operis : et qui non habet hunc pedem, non habet dextrum. Quia qui non amat proximum non amat Deum. Unde I Joan. IV, *Qui non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Quasi dicat: Nullo modo. Nota quod in hac serie verborum, quæ posita sunt, describitur et commendatur Christus a decem, quæ debet habere quilibet prælatus, et quilibet prædicator. Primum est obedientia, quia missus a Patre implevit ejus mandatum pro nobis moriendo. Unde Joan. XIV, *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Phil. II, *Factus obediens usque ad mortem, etc.* Hæc obedientia notatur per hoc, quod vocatur Angelus. *Vidi,* inquit, *alium Angelum etc.* Secundum est charitas sive amor, quod notatur per hoc quod dicit, alium a prædictis, qui missi sunt in mundo a principe suo ex odio implent obedientiam suam, Christus autem ex amore charitatis. Joan. XV, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ephes. I, *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam chari-*

tatem suam qua dilexit nos, tradidit semetipsum. I Joan. III, *In hoc apparuit gratia Dei.* Tertia est patientia, quæ notatur per fortem. De qua Proverb. XIX, *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Isa. XLII, *Silui, patiens fui, semper tacui etc.* Quartum est humilitas, quæ notatur per descendentem de cœlis. De qua Philipp. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Ibi ponit *Glossa* quatuor gradus humilitatis dicens, O quanta humilitas Christi ! humiliavit se usque ad incarnationem, usque ad mortalitatis humanæ partipationem, usque ad diaboli tentationem, usque ad populi irrisionem, usque ad flagella, usque ad alapas, usque ad vincula, usque ad sputa, usque ad mortem, et si parum est hoc, addendum est aliquid de genere mortis : Mortem autem crucis, quæ erat ignominiosior. O pellis morticina quid tenderis ? o sanies fœda quid inflaris ? princeps tuus humilis, et tu superbus ; caput humile, et membrum superbum. Absit. Ecce habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum. Quintum est misericordia, quæ per amictum nubis notatur. Unde Eccles. XXIII, *Thronus meus in columna nubis.* Sextum est justitia, quæ notatur per iridem capitis, de qua Psal. *Justitia ante eum ambulabit, et ponet in via gressus suos.* Sed annexa erit justitiæ ejus misericordia, quod significat cæruleus color iridis, qui conjungitur igneo. Unde Psal. : *Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt.* Septimum est sapientia, quæ notatur ibi, *Et facies ejus sicut sol.* Eccles. VIII, *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Eccles. XXVII, *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol.* Octavum est rectitudo affectionum, quæ notatur ibi, *Et pedes ejus sicut columna ignis.* De qua Psal. : *Dulcis et rectus Dominus, et propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* Nonum est perfecta doctrina, quia ostendit opere quod prædicavit ore, et hoc notatur ibi, *Et habebat in manu sua libellum.* De quo dicitur Act. I, *Cœpit Jesus facere et docere.* Luc. ult. *Qui fuit vir potens in opere et sermone.* Decimum est discretio prædicationis quæ notatur ibi : *Et posuit pedem suum,* quia aliter et alia prædicavit duris et rebellibus Judæis, aliter et alia gentibus obedientibus. Gentibus blande loquebatur, Judæis autem dure et acriter comminabatur. Matth. XXIV, *Væ vobis Scribæ et Pharisæi :* et ponit octo, quæ omnia comminantur Judæis : sic prædicator alios increpando debet prædicare veritatem. II Tim. IV, *Argue, obsecra, increpa.* Sequitur, *Et clamavit.* Hic ostendit testimonio Christi et suorum prædicatorum pœnam malorum futuram, in consolationem bonorum, qui etsi ad modicum puniantur modo, postea coronabuntur in gloria ; et e converso punitores eorum, et si modo sunt in gloria, punientur post modum in gehenna. Juxta quod dicitur Joan. XVII, *Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Dicit ergo, *Et clamavit Angelus,* scilicet Jesus Christus, *Voce magna,* id est prædicatione magna, *Promittente,* scilicet regnum cœlorum. *Et magnas comminationes,* scilicet pœnas inferni. Ideo dicitur prædicatio vox magna. De primo dicitur Matth. IV, *Cœpit Jesus prædicare et docere.* Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. De secunda Matth. XXIII, *Væ vobis Scribæ et Pharisæi,* id est æterna damnatio. Matth. XI, *Vobis etc.* Deinde determinat modum clamoris. *Quemadmodum cum leo rugit,* id est audacter et terribiliter. Unde *Glossa* Vox leonis ostendit ejus virtutem, et infert terrorem ; cum leo cauda circa sylvam sulcum fecerit, nulla bestiarum audet exire. Ita Christus fide concludens rugit, ut aliquis exeat. Oseæ XI. *Quasi leo rugiet, quia ipse rugiet, et formidabunt filii maris.* Legitur autem triplex clamor Christi. Primum fecit Jesus in templo docens Psal. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ. Secundus fuit in cruce. Matth. : *Clamavit Jesus voce magna dicens : Eli, Eli etc.* Item infra : *Jesus iterum clamans voce magna emisit spiritum.* Hebr. V. *Cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Tertius clamor erit in judicio. De quo Isa. XLII, *Vociferabitur, et clamabit super inimicos suos.* Proverb. XX, *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis ; qui provocat eum peccat in animam suam.* Quarto autem legitur clamasse in Lazari suscitatione. Joan. XI, *Cum hæc dixisset, voce magna clamavit. Lazare veni foras.* Sequitur, *Et cum clamavisset,* idest cum pœnam malorum futuram insinuasset, et bonorum remunerationem. *Locuta sunt septem tonitrua,* id est universi prædicatores, septiformi gratia Spiritus sancti repleti, *Voces suas,* id est tempori, et negotio eorum congruas. Item voces suas

ab eo receptas. Nihil enim prædicabunt nisi quod ab eo audierunt. Matth. x, *Quod in aure audistis, prædicate super tecta.* Sed quæritur quare dicat Christum clamare, et prædicatores loqui. Solutio. Ejus est comminari, cujus est punire. Ideo dicitur Christus clamare comminando, quia est ejus punire. Prædicatorum autem est cum modestia populum exhortare, et ideo dicuntur loqui. Item supra VIII, signantur prædicatores, per Angelos habentes tubas ; hic autem per tonitrua. Quare hoc est? Quia ibi hortabantur ad bellum, quod est usus tubarum. Hic agitur de pœna malorum, quam prædicatores comminando annunciant; et ideo tonitrua dant voces suas, id est cum prædicatores annunciantes malorum pœnam futuram, ut a malo cessarent, et bonorum remunerationem, ut amplius ferventes in bono perseverarent. *Et ego scripturus eram*, id est paratus scribere audita, ut aliis nunciarem, *Et audivi*, id est intellexi *vocem de cœlo*, id est inspirationem a Deo missam, vel admonitionem angelicam Antichristi. Qui volent prædicare, sed prohibebuntur, ne sanctum dent canibus, et margaritas spargant ante porcos, id est claude, et ne reveles, quæ locuta sunt septem tonitrua, id est omnes prædicatores, *Et noli ea scribere*, id est infidelibus manifestare, in quibus non habent locum, quia in eis non capit sermo. *Tunc enim erit tempus cum sanam doctrinam non recipient, sed coacervabunt sibi magistros prurientes auribus,* ut dicitur II Tim. IV. Tob. XII, *Sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Et Angelus quem etc.* Hic incipit secunda pars hujus capituli, in qua datur secunda consolatio, de promissione vitæ incommutabili facta a Christo, quam per se, et per partem confirmat. Unde dicit, *Et Angelum quem vidi stantem supra mare*, quo ad pedem dextrum, *Et super terram*, quo ad pedem sinistrum, *Levavit manum suam ad cœlum*, id est modum et gestum jurantis accepit, *Et juravit per viventem in sæcula sæculorum*, id est firmiter statuit, et veraciter affirmavit contra hæreticos. Qui dicunt, quod non licet jurare. Et ostendit, quod ille per quod juratur, potens est promissa implere, dicens, *Qui creavit*, id est de nihilo fecit *cœlum* empyreum scilicet *Et ea, quæ in eo sunt*, id est Angelos simul cum cœlo creavit. Unde Beda, Hoc superius cœlum quod a volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum est. Angelis impletum est, quos in principio cum cœlo conditos testatur Dominus dicens, *Ubi eras cum me laudarent astra matutina*, Job XXXIX. Item cœlum sydereum, Et ea, quæ in eo sunt, id est stellas. Item cœlum aereum, et ea quæ in eo sunt, scilicet volucres, et terram, et ea quæ in ea sunt, id est animalia gressibilia et reptilia tam mitia quam immitia. Item *Terram*, id est Ecclesiam. *Et ea quæ in ea sunt*, id est distinctiones personarum, dona gratiarum, distributiones officiorum, bona temporalia, et quæ data sunt Ecclesiæ ad sustentationem bonorum. *Et mare*, quamlibet aquarum congregationem. *Et ea quæ in eo sunt*, id est pisces. Item mare, id est tribulationum amaritudinem. Et ea quæ in eo sunt, id est tribulationum utilitates. Et ex hac littera convincitur Manichæus, qui dicit tantum invisibilia creata a malo Deo, id est a diabolo. Item, qui creavit cœlum, scilicet spiritum humanum, et ea quæ in eo sunt, id est sensus et membra. Et mare, id est sæculum, ubi major minorem devorat et sicut in mare major piscis minorem devorat. Unde Habacuc I, *Facies hominis sicut pisces maris.* Et ea, quæ in eo sunt, id est homines et jumenta et omnia alia quibus vita hominum sustentatur. Deinde ostenso qualis est per quæ juravit Angelus, id est Christus, qui juravit dicens *Quia tempus non erit amplius.* Contra. Psalm.: *Et erit tempus eorum in sæcula.* Solutio. Tempus duobus modis accipitur : uno modo prout est mensura motus primi mobilis; sic non erit, quia stabit firmamentum, et sol et luna et cæteri planetæ et stellæ omnes. Unde Habacuc III, *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*, id est stabunt in loco, *in quo creata fuerunt in principio.* Secundo modo dicitur tempus, prout est mora motus rerum mutabilium; sic erit tempus, quo ad malos in inferno, ubi *transibunt ab aquis nivium ad colorem nimium*, ut dicitur Job XXIV. Verbum ergo psalmi intelligitur de statu malorum in inferno; quod vero dicitur hic, intelligitur de statu bonorum in cœlo, ubi erunt omnia in statu. Unde Rom. VIII, *Creatura vanitati subjecta est*, id est mutabilitati; *sed liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei.* Triplex ergo est vanitas a qua liberabitur creatura. Prima est mortalitatis, et hæc est in homine, Secunda mutabilitatis, et hæc est in his,

quæ facta sunt propter hominem. Tertia est curiositatis, et hæc est in his, quæ sunt ab homine. Et quia homo omnium causa est, et omnes habet in se, ideo dicitur in Psal. *Universa vanitas omnis homo vivens*. Quod ergo juravit Angelus, scilicet quod non erit tempus amplius, intelligitur, id est rerum vicissitudo, sive vanitas, et successio gaudiorum et tribulationum : quasi dicat Angelus fidelibus, qui tunc erunt. Estote patientes modicum tempus, quoniam finita hac horaria persecutione, nihil amplius tribulationis et varietatis patiemini. Neque etiam illud durabit multum. *Sed in diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere*, id est diebus ultimorum prædicatorum post tempus Antichristi cum ipsi cœperint prædicare, id est ipso initio prædicationis eorum, *Consummabitur mysterium Dei,* id est implebitur promissio Dei, super remuneratione sanctorum, qui modo tribulationibus premuntur. Quæ dicitur mysterium, quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* I Corinth. II, Psal. *Magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Sicut evangelizavit per servos *suos prophetas*, quorum intentio fuit de adventu Domini et consummatio sæculi prophetare, quando bonis præmium, malis pœnam reddet Deus. Per hoc enim, et bonos ad pœnitentiam, et malos retrahebant a peccatis. Jerem. XXIII, *In novissimo dierum intelligetis ea.*

Et audivi vocem etc. Tertia pars Capituli, in qua datur fidelibus tertia consolatio, quæ est de eo, quod Joanni præcipitur, ut ea quæ vidit nuntiet, ut sic ex provisione habeatur consolatio, et cautela in futuris persecutionibus. Mala enim quæ videntur, minus lædunt. In hac enim parte duo dicuntur Joanni. Primo ut accipiat librum. Secundo, ut prædicet gentibus : postea ostenditur ei modus prædicandi. Infra XII cap. Dicit ergo, *Et vocem quam audivi*, idest Angelicam admonitionem, vel divinam inspirationem, *Iterum de cœlo*, idest de secreto, et in occulto cordis interius, *Loquentem mecum*, idest mihi desideranti. Unde quia desiderium cordis est locutio, qua anima loquitur Deo, et Joannes desiderabat scire hæc, ideo dicitur, *Loquentem mecum*, et non mihi, *Et dicentem*, idest præcipientem, *Vade*, passibus mentis, *Et accipe librum apertum,* idest Evangelii prædicationem, quod in veteri lege clausum est, et signatum ipse Christus aperuit, nascendo, moriendo, et resurgendo, ascendendo. *De manu Angeli*, idest de potestate Christi, *stantis super mare et super terram*, idest parati juvare Gentiles et Judæos accedentes ad se. Sed quomodo dicitur Joanni, quod accipiat librum, qui jam dudum ipsum acceperat, quando sibi et aliis discipulis Christus dedit officium prædicandi, et aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas? Solutio. Hoc dicitur Joanni in persona futurorum prædicatorum, qui non acceperant officium prædicandi, sed accepturi erant. Item dicitur quod vadat in diœcesim suam, ut accipiat librum apertum sibi, ut resumat prædicationis officium, quod intermiserat propter exilium, in quo erat. Unde prædicitur ei reditus de exilio, et libera potestas prædicandi ea quæ sibi ostensa fuerunt, scilicet graves tribulationes, quas patientur sancti tempore Antichristi, et eorum remunerationem ; et hoc ad consolationem præsentium, ut illis auditis non reputent magna quæ patiantur, et cum illa venerint patientius sustineantur, vel potius caveantur. Item sic. Et vocem, idest Angelica revelatio. Quam audivi, aure cordis. Item. De cœlo loquentem mecum, idest de Ecclesia, vel de utilitate Ecclesiæ, et dicentem, idest prædicantem. Vade, idest vades, vel vade ex præcepto, Et accipe librum de manu Angeli, id est prædica, manifesta omnia mysteria legis adimpleta jam operatione Domini nostri Jesu Christi, stantis super mare, et super terram, idest qui superavit omnes passiones, amaritudines, et mundi cupiditates, et regnat immobilis et impassibilis in cœlo. Stare enim dicitur Christus post resurrectionem, quando factus est immutabilis et impassibilis. Unde Joan. XX, dicitur stare Jesus in littore, et discipuli maris fluctibus laborabant. Et nota quod illud quod Joannes dicit, Vox de cœlo, dicit cuilibet clerico : licet pauci audiant, idest se audivisse ostendant. Unde contra clericos quæritur Dominus per Isa. XLII, *Quis cæcus nisi servus meus, et quis surdus nisi ad quem misi nuntios meos?* idest Clericus, cui fit vox primum, et iterum, et frequenter, scilicet in lectione, et in prædicatione, in disputatione, in secreta meditatione. Vel primo fit invitando ad fidem. Secundo invitando ad operationem. Et quid dicit vox ? Vade, et accipe librum

apertum de manu Angeli, stantis super mare, et super terram. Liber est vitia Christi, in quo sunt tot literæ quod virtutes. Humilitas enim ejus una littera est, patientia alia, benignitas alia, et sic de aliis. Quas litteras ipsemet suscepit in se. Unde Job XXXI : *Librum scribat ipse qui judicat*, id est Filius, *cui Pater dedit omne judicium*, ut dicitur Joan. V. Sed postea in hoc libro scripserunt homines, et alias literas satis legibiles nimio sanguine rubricatas, scilicet vulnera pedum, et manuum, et lateris, et sulcos virgarum totius flagellati. Unde Isa. VIII, *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo cum stilo hominis* id est lancea Pilati, et clavis Judæorum. Utræque literæ valde legibiles sunt. Nemo enim potest se excusare quod non potuerit legere in libro. Unde Habacuc : *Scribe librum, et explana illum super tabulas ut percurrat qui legerit.* Ad exemplar hujus libri, debet quilibet scribere suum ; quod qui non fecerit judicabitur de falso. Ipse enim dicturus est nobis, ostendite mihi numisma census. Quo ostenso quæret cujus imago et superscriptio. Væ illis, qui dicent Cæsaris : nam sententiando concludet consequenter : *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Nec poterit quis decipere judicem, quia liber exemplaris in judicio apertus omnibus apparebit, ut videant omnes falsitatem librorum suorum, et etiam aliorum. Unde infra XX, *Libri aperti sunt, et alius liber, qui est vitæ apertus est, et judicati sunt mortui, ex his, quæ scripta erant in libris.* Item liber est lex divina: sive Scriptura sacra. De qua dicitur in Psalm. *In capite libri scriptum est de me*, id est in principio Scripturæ, ibi scilicet : *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Hunc librum debent habere magistri legis divinæ, in corde per intelligentiam, in opere per efficaciam, et tamdem in ore per doctrinam. Sic habuit, qui dicit Rom. XVI, *Non audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non effecit Christus.* Ideo Ezech. III. *Missus est liber in manu*, ut ipse doctor aut prædicator legem faciat priusquam doceat, et sic auditores librum accipiant non solum de ore, sed etiam de manu. Unde non solum a lingua, sed magis a vita, procedat doctrina necesse est. Dupliciter enim accipiendus est liber a doctore : scilicet de manu, et de ore. De primo dicitur hic Joanni, *Vade, et accipe librum de manu Angeli*, id est boni magistri, vel prædicatoris, qui est nuntius Dei. De secundo dicitur Malach. II, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem ex ore ejus requirent quoniam Angelus Domini exercituum est.* Sed quoniam exempla efficacius movent quam verba, et quia multi librum in ore, pauci in manu habent, ideo dicitur hic, *Accipe librum de manu Angeli*, id est exemplum tene boni magistri, qui facit quod docet. E converso Matth. XXIII, *Super cathedram Moysi etc. Quæcumque dixerint vobis facite ; secundum opera eorum facere nolite :* quasi dicat Dominus. Accipite librum de ore eorum, non de manu, sed de bono doctore. Stantis super mare, et super terram, id est superantis adversa et prospera mundi hujus. Talis enim doctor non emolliet, neque mirabitur exponendo Scripturam, sed nudam dicet veritatem : et talis quærendus esset magister, et talis credendus esset. Sed heu talis magister non quæritur, et si esset aliquis talis non audiretur, quia non dicit placentia. Isa. XXX. *Erit in die novissimo Testamentum usque in æternum, populus enim ad iracundiam provocans est, filiique mendaces : filii volentes audire verbum Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, et aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt ; loquimini nobis verba placentia. Videte vobis errores, auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostra Sanctus Israel*, id est doctor docens veritatem. Hoc consonat Apostolis, II Timoth. IV : *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus ; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Sequitur, *Et abii*, id est mundanis renunciavi, et terrenis curis me expoliavi, *statim* tamquam vere obediens. *Ad Angelum*, id est ad Christum, ad quem aliter non itur. Unde Luc. XIV, *Si quis venit ad me, et non odit patrem*, id est mundum, *et matrem suam*, id est concupiscentias, *et uxorem suam*, id est sæcularem sapientiam, *et filios et fratres*, id est totam parentelam *adhuc autem et animam suam*, id est vitam carnalem, *non potest meus esse discipulus. Dicens ei : Glossa :* quod verbo et opere, *ut daret* ei gratis non venderet meritis, *mihi* audienti et postulanti *librum*, id est libri intelligentiam. Ex libro isto patet quod ore et obedientia debet quæri sapientia. Unde Jacob I,

Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat. Eccles. I, *Fili concupiscens sapientiam, serva justitiam, et Deus præbebit eam tibi.* Loquitur autem Joannes hic in persona prædicatorum, qui erunt in ultimis temporibus, qui forsitan non habebunt doctores veritatis, nisi Evangelium, id est Christum, qui eos docebit per Spiritum sanctum. *Et dixit* mihi oranti, et dicenti, obedienti. *Accipe librum*, id est legis intelligentiam, et prædicandi officium. Hic dicit *Glossa* : Deus si quem invenit paratum, quod necessarium sponte offert. Inter alia, quæ præparant animam ad suscipiendam intelligentiam sapientiæ divinæ, est humilitas. Jacob II, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam.* Psal. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Item Psal. *Valles abundabunt frumento*, id est humiles intellectu divino. Proverb. XII, *Ubi humilitas ibi sapientia. Et devora illum,* id est audi, *Et festinanter comede illum.* Non dicit, mastica illum, exponendo, et prædicaudo aliis : sed devora includendo in corde, et memoriter retinendo. Quia mysteria Christi et Ecclesiæ, non tunc erunt prædicanda ; sed tamen a bonis, ne pereant , erunt colligenda. Sicut dicitur Joan. VI, *Colligite fragmenta ne pereant*, *Et faciet amaricari ventrem tuum*, id est mentem tuam. Et hoc dicit, quia veritatem oportebit tunc in corde celare, quod facient cum magno dolore et amaritudine, quia libentius prædicarent, si haberent auditores. *Sed in ore tuo erit dulce tamquam mel :* quasi dicat : Amarum erit prædicatoribus illius temporis tacere veritatem, quam habent in corde clausam ; sed dulce erit si possent eam aliis ore prædicare. Sed revera signatur liber tunc, quia auferetur prædicatio omnino, et doctrina veritatis. Unde supra eodem dixit Angelus, Joan I, Christus ultimis prædicatoribus, *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua.* Et Dan. XII, *Dixit alius Angelus, Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum*, hoc est usque ad mortem Antichristi, quando licebit libere prædicare ; sed ipso vivente non audientur, neque possent si velint, quia non permittentur. Item *Accipe librum :* intelligendo, *Et devora illum*, operando. *Et faciet amaricari ventrem tuum*, idest sensualitatem tuam, quæ mollis est et fragilis. Scriptura difficilis est ad intelligendum, maxime fragilibus, sed tamen facilis et dulcis ad prædicandum. Magnus labor est in studio legis, et major in exercitio operis ; sed quædam recreatio est prædicatio sermonis. Unde Psal. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel ori meo.* Unde et hic sequitur : *Sed in ore tuo erit dulce tanquam mel*, idest illud quod cum amaritudine intellexisti studendo et operando, cum jucunditate et dulcedine dices prædicando. Ergo qui non laborant studendo et operando, non sentiunt aliquam devotionem vel suavitatem legendo et prædicando : et ideo tales nec libenter prædicant, quia nullam sentiunt devotionem. Illi autem, qui forti animo laborant studendo et operando, quando legunt vel prædicant sentiunt aliquam devotionem, ex hisque reficiuntur in ipsa locutione vel prædicatione, propter quod etiam libentius prædicant et legunt, et minus gravantur legendo et prædicando. Job III, *Antequam comedam*, idest reficiar per devotionem, *suspiro*, scilicet in studio et operatione. Sequitur, *Et accepi librum*, idest Scripturæ intellectum, et prædicandi officium, *De manu Angeli*, idest ex dono et opere filii Dei, non ex meo merito vel studio, *Et devoravi illum*, idest memoriæ tradens, et opere adimplens. *Et erat in ore meo tanquam mel dulce*, idest in prædicatione. *Et cum devorassem eum*, idest memoriæ commendassem, et opere adimplessem, idest hoc duplici modo mihi incorporassem, *Amaricatus est venter meus*, idest sensualitas mea, in ipsa scilicet devoratione, idest in studio et operatione. Jerem. IV, *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me.* Item accepto et devorato libro, dicit Joannes, amaricatum esse ventrem suum, quia intellectis malis quæ passuri erant sancti temporibus ultimis, ex passione doluit. Et hæc mala ostensa fuerunt Joanni, ut ea præsentibus prædicaret ad eorum consolationem. Nam ista mala quæ modo patitur Ecclesia, vel passa est temporibus Joannis, modica sunt respectu eorum quæ patietur tempore Antichristi. Et ut cautior reddatur Ecclesia contra mala futura, ideo sequitur, *Et dixit mihi* Angelus, scilicet, *oportet te iterum*, post quam exieris de exilio, *prophetare*, id est futura mala, quæ prævidisti, prædicare *populis, et gentibus, et linguis*, idest diversis nationibus, et regibus multis. Sed quæritur, quibus, quia non legitur, quod Joan-

nes post reditum ab exilio exierit de Asia. Dicimus quod si non verbo, tamen scriptura pluribus regibus prædicavit, et adhuc hodie prædicare non cessat, quia *quæcumque ab eo scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, Rom. xv. Item hoc dicitur de prædicatoribus ultimis, quos oportebit iterum prædicare, mortuo scilicet Antichristo. Unde sensus est, Et dixit mihi, idest prædicatoribus ultimis, quorum personam gerebat Joannes, Oportet te, idest eos mortuo Antichristo scilicet, prophetare, idest libere prædicare populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis, qui erunt tunc, quibus dabitur spatium ad pœnitentiam agendam, ut dictum est supra, quadraginta dierum.

CAPUT XI.

Et datus est mihi calamus etc. In primo ostenditur auctoritas, et modus prædicandi. Nam in fine præcedentis capituli fuit promissa Joanni libertas redeundi ab exilio, facultas prædicandi : et ideo in principio hujus capituli bene ostenditur modus et auctoritas prædicandi. In secunda ponitur prædicatio, mors, et resurrectio Eliæ, quæ est quarta consolatio Ecclesiæ, ut diximus in principio capituli præcedentis : et hæc pars incipit ibi, *Et dabo duobus.* In tertia agitur de tubicinio septimi Angeli, ubi terminatur tertia visio : et hæc pars incipit ibi, *Septimus Angelus.* Dicit ergo Joannes, *Et datus est mihi calamus*, id est libertas prædicandi, quæ calamo scribitur, vel calamus, id est scientia Scripturæ, lingua, sive eloquentia ad prædicandum ipsam scientiam. Isa. L, *Dominus dabit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.* Eccles. LI, *Dedit mihi Dominus linguam etc. Et similis virgæ* per quam significatur regia majestas : quasi dicat Joannes : Ex auctoritate jubentis accepi libertatem prædicationis : quasi dicat : Non ex mea voluntate, sed Christi auctoritate prædicandi accepi libertatem : hoc dicit contra illos qui non missi a Deo prædicabant. Contra quos dicitur Rom. IX, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Et Jerem. XXXIII, *Non mittebam eos et ipsi currebant.* Prædicatio autem Scripturæ dicitur calamus, quia sicut calamo scribitur, sic fides et ceteræ virtutes ministri prædicatione auditorum cordibus inserentur. Unde Rom. x, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Deuteronom. XXX, *Dabo legem meam in visceribus eorum et scribam eam.* Virgæ vero dicitur similis, quia regit homines, sicut virga pastoris oves. Unde Psalm. *Virga directionis, virga regni tui.* Item quia flagellando castigat. Prov. XXII, *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam.* Item quia virga flexibilis est in omnem partem, sic et Scripturæ prædicatio catholicam exquirit expositionem. II Timoth. III, *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei.* Item virga recta et rectos facit credentes. Prov. VIII, *Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum ; recti sunt intelligentibus et æqui invenientibus scientiam.* De hoc calamo dixit Psalm. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Scriba est Spiritus sanctus. Matth. x, *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Sicut ergo non laudatur calamus de bona littera, sed scriptor, ita non debet laudari de prædicatione bona prædicator, sed Spiritus sanctus. Unde beatus Bernardus : « De bona Scriptura laudatur manus non calamus : sic de bona scientia laudatur non prædicator, sed Spiritus sanctus. » *Et dictum est mihi ab Angelo, surge*, de lectulo pigritiæ. Proverb. VI, *Usque quo piger dormis? quando consurges ex somno tuo ?* Vel surge, id est a morte erige. Ephes. II, *Surge qui dormis et exurge a mortuis, id est a terrenis quæ mortua sunt, et illuminabit te Christus*, sicut sol electos et conversos ad se illuminat, non conversos ad terram, *Et metire templum et altare, et adorantes in eo*, id est omnibus secundum eorum capacitatem prædica, majora majoribus, sicut Apostolus I Corinth. II, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et minoribus minora. I. Corinth. III, *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus ; tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi non escam.* Per templum Dei signatur Ecclesia communiter, id est fidelium congregatio. I. Corinth. III, *Templum Dei sanctum est quod estis vos.* Per altare signantur pœnitentes qui die ac nocte vigiles in jejuniis et disciplinis et aliis spiritualibus exercitiisque macerant et mortificant

carnem suam in sacrificium Deo, juxta illud Rom. xii, *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra Deo hostiam vivam, sanctam et beneplacentem. Vivam* fide, *sanctam* spe, *beneplacentem* charitate. Per adorantes in templo signantur viri spirituales qui magis orationi et contemplationi intendunt. De quibus Joan. iv, *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et ipse Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.* Item per templum quod totum erat auro tectum interius et immobile, signatur Ecclesia triumphans, ubi splendet et lucet aperta Dei bonitas et sapientia et immobilis perseverat. Unde Isa. xxxiii, *Respice Sion civitatem solemnitatis vestræ : oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest, nec auferentur clavi ejus in sempiternum.* Et de hoc templo dicit Psalm : *In templo ejus omnes dicent gloriam.* Quod enim ibi dicitur erit gloria dicentis. Per altare significatur Christus super quod offeruntur Deo Patri omnes oblationes Ecclesiæ. De quo Exod : Altare de terra facietis mihi, id est Christum de Virgine nasciturum secundum carnem credetis per me. Per adoratores signantur omnes fideles. Et valde eleganter ponuntur altaria inter templum et adorantes, quia per Christum conjungitur militans Ecclesia triumphanti et triumphans militanti. Unde et *mediator* dicitur I Timoth. ii, Mensura templi est bonorum operum contemplatio quæ sunt in Ecclesia triumphante. Quæ mensura extenditur a summo cœli usque ad profundum inferni, et in circuitu undique, quia quocumque te vertas invenies gloriam. De qua mensura dicitur Luc. iv, *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Bonam*, quia de re bona : *confertam*, quia profundam : *coagitatam*, id est dilatatam, *supereffluentem*, quia altam. Mensura altaris est fides qua credendum est de Christo, quod est verus Deus et verus homo. Unde Sap. viii, *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Prov. ult. *Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* Primus finis Deus est ; ultimus finis homo, Christus est Deus et homo. De hac mensura dicitur Rom. xii, *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Mensura adorantium est a solis ortu et occasu, ab Aquilone et mari, quia ex omnibus gentibus hominum constat Ecclesia, et ipsa se extendit ad quatuor partes mundi. Unde Ezech. xxxvii, *A quatuor ventis veni spiritus et insuffla super interfectos istos et reviviscant.* Dicitur ergo Joanni, id est cuilibet prædicatori, *surge*, id est soporem tolle. Vel surge, id est mentem ad cœlestia erige, Et metire templum Dei, id est contemplare gaudia cœli, ut aliis dicas, sicut exploratores qui post explorationem, ut alios incitarent ad amorem terræ, attulerunt inde uvam, ficum et malogranatum, Num. xiv. Per uvam intelligitur lætitia divinæ visionis, per ficum dulcedo dilectionis, per malogranatum securitas habitationis, quia sub cortice quasi in securitate sunt concorditer grana ordinata sicut sancti in cœlo. Unde Isa. xxxii, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in habitaculis fiduciæ, in requie opulenta.* De qua securitate dicit Salomon, Prov. xv, *Secura mens quasi juge consilium, Et altare* metire, supple, id est Christum verum Deum et verum hominem crede, et hoc aliis prædicare stude. *Et adorantes in eo* metire, id est numerum et multitudinem fidelium. Attende quia non ex una gente tantum congregata est Ecclesia, immo ex omni gente sine personarum acceptione. Unde et omnibus annuntianda est mensura templi et altaris, id est gloria cœli et fides Christi. Unde Ezech. xl, dicitur, *Ecce ubi erat species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus : stabat autem in porta et locutus est mihi in die victoriæ, Fili hominis, vide oculis tuis et auribus tuis audi et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi adductus sum huc.* Iste vir est prædicator qui debet virere virtutibus, et ad modum æris sonare in prædicatione, et dilatari in tribulatione. Funiculus lineus est castitas, quam debet habere, non solum in ore, sed in opere. Calamus mensuræ est prædicationis discretio, qua mensurat unumquemque secundum capacitatem ejus, quam recte portat in manu, quia quod dicit prædicator ore, debet opere demonstrare. Sed quare supra ix, dicitur de Ecclesia malignantium quod fuit numerata, ibi : *Et numerus equestris exercitus.* Hic autem dicitur de Ecclesia fidelium, quod sit mensurata. Unde hoc ?

Solutio. Numerus dicit divisionem, mensura vero continuitatem. Quia ergo mali divisi sunt ab invicem et a Christo, ideo recte dicitur eorum Ecclesia numerata. Sed quia boni conjuncti sunt adinvicem et continui ad invicem, et cum Christo glutino charitatis conjuncti, ideo recte dicitur eorum Ecclesia numerata. Sequitur. *Atrium autem quod est foris templum*, id est falsos christianos qui sunt extra Ecclesiam numeratos et sine numero, numero licet non nomine. *Ejice foras. Glossa*, Excommunicando ostende esse foras. Et est argumentum quod pro quolibet peccato mortali episcopus potest excommunicare subditos suos : quod concedimus si post legitimam admonitionem noluerunt dimittere peccatum suum. Unde Timoth. III, *Hæreticum post unam et secundam correctionem devita.* Item *Ejice foras*, idest prædic ejiciendos in futuro cum diabolo. Unde infra ult. *Foris canes etc.* Matth. IX, *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob et omnibus prophetis in regno Dei, vos expellemini foras; et venient ab oriente et occidente, ab aquilone et austro, et accumbent in regno Dei.* Hæc est mensura, de qua supra diximus, qua mensurantur omnes adorantes in templo. Matth. XIII, *Elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt.* Hoc signatum fuit in ejectione Adam de Paradiso, Gen. III, Et in ejectione Agar et Ismael, Gen. XXI. Unde Paulus Galat. III, *Ejice ancillam et filium ejus : non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Bene autem per atrium signantur mali christiani ; quia et si per baptismum sint sanctificati, tamen sunt intus pleni peccatis ; sicut atrium in terra sancta est, et tamen ibi reponuntur cadavera mortuorum. Item atrium adhæret Ecclesiæ ; quia tamen informis est, propter peccatum manet extra. Sequitur, *Et ne metiaris illud*, idest mensuram prædicationis omnino subtrahe illis quasi indignis, non enim merentur metiri calamo verbi, qui nolunt subesse præcepto. Unde Matth. VII, *Nolite sanctum dare canibus, neque spargatis margaritas ante porcos.* Et quare ? quia datum est gentibus, idest dati sunt erroribus, et vitiis gentium, et quia sunt conformes in culpa. *Et civitatem sanctam*, idest Ecclesiam in unitatem fidei congregatam *calcabunt,* idest persequentur ad conculcandum, Gentiles scilicet et falsi christiani, *Mensibus quadraginta duobus*, idest tribus annis et dimidio, quibus regnabit antichristus. Item per hunc numerum, qui constat ex senario ductum in septenarium, significatur tota vita præsens, quæ septem diebus agitur et sex misericordiæ operibus occupatur. Vel conculcavit bonos, quod significat persecutio Cain contra Abel, et Ismael contra Isaac, et Esau contra Jacob, et Saul contra Daniel, et Judæorum contra Christum ; in cujus rei figuram fecerunt filii Israel mansiones in deserto, ut dicitur Num. XXXIII.

Et dabo duobus testibus meis etc. Secunda pars capituli, in qua præmittitur Ecclesiæ adventus Enoch et Eliæ, quorum prædicatio fuit eorum consolatio : et dicuntur novem in hac parte de his duobus. Primum est de tempore prædicationis. Secundum est de habitu corporis eorum, ibi : *Amicti saccis.* Tertium de habitu mentis eorum, ibi : *Hi sunt duæ olivæ.* Quartum de fiducia eorum, ibi : *Et si quis.* Quintum de potestate eorum, ibi : *Hi sunt.* Sextum de morte ipsorum, ibi : *Et cum fuerit.* Septimum de resurrectione eorum, ibi : *Et post dies tres.* Octavum de ascensione in cœlum, ibi : *Et audierunt vocem.* Nonum de plaga futura in mundo, in ascensione eorum, ibi : *Et in illa hora.* Et sicut dicit *Glossa*, per istos duos intelliguntur omnes alii prædicatores qui sunt modo, et erunt : istos autem adducit in exemplum, ut sicut illi per tam graves persecutiones non dimittuntur tunc prædicare, ita et alii per minores tribulationes non debent cessare prædicare etiam si propter hoc debeant mori ; quia sicut illos suscitabit et remunerabit Dominus, ita interfectores damnabit : ita faciet et aliis prædicatoribus. Dicit ergo, *Et dabo*, non dicit quid ; ad significandum, quod inenarrabile est illud quod dabit. Isa. XLIV, *Oculus non vidit Deus absque etc.* Simile dicitur in Psalm. *Ponam in salutari ;* non dicit quid, ut intelligas omne bonum *Duobus testibus meis.* Eliæ et Enoch et aliis omnibus, qui ideo sub binario ponuntur, quia de duobus Testamentis accipiunt quod prædicant. Unde Psalm. De medio petrarum dabunt voces. Item quia duo de Christo prædicant : scilicet quod pertinet ad humanitatem, et quod pertinet ad divinitatem. Item quia Christum prædicando magnificant et Antichristum damnando monstrant. Item quia præmia bonorum ad consolationem et supplicia malorum ad resur-

rectionem prædicant. Item quia docent declinare a malo et facere bonum, quæ sunt duæ partes justitiæ. Item quia *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, et ut dicitur Deuteronom. VIII. Ideo etiam *misit Dominus duos discipulos suos binos ante faciem suam in omnem locum, quod ipse erat venturus*, ut dicitur Luc. x. Hi fuerunt testes Christi. Primo prædicando. Unde Act. III, *Et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa*. Secundo moriendo, Unde supra II, *In diebus illis Antiphas testis meus fidelis occisus est apud vos*. In hoc quod dicit, *dabo*, notat quod maximam gratiam facit Dominus illi, cui dat gratiam ut prædicando et moriendo sit testis ejus. Philipp. I, *Donatum est vobis non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro eo patiamini*. Ideo *ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, ut dicitur Act. V. *Et prophetabunt diebus mille ducentis et sexaginta*. *Glossa*, In tribus annis et dimidium. Tamen alia *Glossa* dicit : Nota quod hi dies non perficiunt tres annos et dimidium : et hoc verum est, quia desunt viginti unus dies : sed non est contrarietas, quia Elias et Enoch solummodo prædicabunt tanto tempore quanto Christus prædicavit tribus annis et dimidium, uno defuit fere quinta pars dimidii anni. Christus enim post quam fuit baptizatus, supervixit tribus annis tantum, et quantum est ab Epiphania usque ad Pascha quod pro anno dimidio computatur. Unde sicut Christus præcise non perfecit tres annos et dimidium in sua prædicatione, sic isti non perficient : et hæc solutio habetur in interlineari quæ dicit sicut ipse prædicavit. Alia solutio potest dari : scilicet quod Scriptura non facit vim in numeris minutisque minutorum ; et ideo licet mille, ducenti sexaginta dies desint, non fecit vim Scriptura. Prima solutio melior est : quia ita poterat ita bene dixisse, Prædicabunt mille ducentis sexaginta diebus. Sequitur, *Amicti saccis*. Hic agitur de habitu corporis qui satis vilis et abjectus erit, scilicet saccus : et hoc facit Joannes, ut ostendat, quod Ecclesia in sua senectute revertetur ad diem juventutis suæ. Idem enim dicitur de præcone primi adventus, scilicet Joanne Baptista, Matth. I : *Et erat Joannes vestitus pilis camelorum, et zona pellicea circa lumbos ejus*. Item ut ostendat qualem habitum debent habere prædicatores medii, qui scilicet prædicant inter prædicationem Joannis Baptistæ et istorum duorum. Non debet enim medium ab extremis discrepare. Unde de Isaia, qui fuit magis prædicator evangelicus, quam propheta, ut dicit Joannes, dicitur XX ejusdem. *Vade et solve saccum de lumbis tuis et calceamenta tolle de pedibus tuis, et fecit sic*. Item Isa. L. *Induam cœlos tenebris, et ponam saccum operimentum eorum* : quasi dicat : Præcones adventus Domini, licet sint cœlestes, tamen vilibus induentur ; ergo qui pretiosis et mollibus induuntur non sunt præcones adventus Domini, sed potius Antichristi. Ideo dicuntur prædicatores, *Amicti saccis*, qui est habitus pœnitentium, quia debent prædicare pœnitentiam, non solum verbo, sed exemplo. Sequitur de habitu mentis. *Hi sunt*, non enim sufficit habitus exterior. Nam multi sunt qui habent habitum sanctitatis exterius, et interius portant habitum iniquitatis, sicut dicitur Eccles. XIX, *Est qui nequiter se humiliat, interiora ejus plena sunt dolo*. De quibus dicitur Matth. VI, *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces*. Dicit ergo, *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra*. Oliva propter opera misericordiæ. Dicit vero duplicem effectum misericordiæ. Iteriorem scilicet, qui est compassio cordis ; et exteriorem, qui est subventio operis. Zach. IV, *Isti sunt duo filii olei*. Candelabra propter lumen doctrinæ. Duo propter exemplum et verbum. Matth. V, *Vos estis lux mundi : Vos estis sal terræ, In conspectu Domini terræ stantes*. *Glossa*, id est quod Domino placeant attendentes, sicut Elias, qui dicit III Regum XVIII, *Vivit Dominus ante vultum cujus sto*. Item stantes dicuntur in conspectu Domini, quia in nullo se inclinabunt ante conspectum Antichristi, licet cadant corporaliter ante eum. Vel stantes dicuntur ante eum, id est erecti in cœlis : sic omnes prædicatores, qui portant Christum et Ecclesiam, in atriis tuis Jerusalem, id est in tribulationes per quas intrat in gloriam. Act. XIV, *Per multas tribulationes etc*. *Et si quis*. Hic ostenditur fiducia eorum, quam habebunt in Deum, per quam stabunt firmi et et immobiles, secundum quod dicitur Jerem. XVII, *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus : et erit quasi lignum, quod plantatum est*

super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus, id est *tribulatio*. Dicit ergo, *Si quis* parvulus, vel magnus homo, vel diabolus *voluerit nocere eis*. *Glossa*, id est a prædicationis proposito revocare, vel eorum doctrinam annullare, vel eos a fide retrahere. Sicut, qui primo blanditiis, postea minis conabitur eos avertere, vel ad minus facere eos. *Ignis*, id est prædicatio verbi divini, quæ dicitur ignis, quia inflammat ad amorem, illuminat ad cognitionem, emollit ad compassionem, consumit peccati rubiginem. Unde Jerem. XXIII, *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et sicut malleus conterens petram? Exiet de ore eorum* quasi de fornace accensa. Eccles. LXVIII, *Surrexit Elias quasi ignis, et verbum illius quasi facula ardebat. Et inimicos eorum devorabit*, id est devorandos et damnandos ostendet. Quod significatum est IV Reg. I, in duobus quinquagenariis, qui ad verbum Eliæ consumpti sunt igne cœlesti. Unde ibi dicitur, Ecce ignis descendit de cœlo, et devoravit duos principes quinquagenarios. Item devorabit principes eorum, id est prædicando et disputando confutabit, quia Antichristus et sui non poterunt respondere eis. Juxta illud verbum Domini, Luc. XXI, *Ecce dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. Ideo Antichristus videns eos inflexibiles, et in doctrina fortes, tentabit eos occidere, sed non impune. Unde sequitur, *Et si quis voluerit eos lædere*, id est corporali morte occidere, *Sic*, id est simili sententia sicut primi, oportet eos occidi, id est æternaliter condemnari. Matth. XXVI, *Omnis, qui gladium acceperit, gladio peribit. Hi sunt etc.* Hic agitur de potestate eorum, quæ consistet in clausione et resurrectione sanctorum, quæ in Scriptura celantur, propter quod vocatur cœlum ; et in manifestatione falsæ doctrinæ adversariorum, et comminatione peccatorum. Unde dicit, *Hi sunt, qui habent potestatem claudendi cœlum*, id est Scripturas, quibus celantur arcana, vel totam Ecclesiam, quæ est Gaza Elias, id est Domus Dei. Isa. ult. Cœlum mihi sedes est. *Ne pluat*, pluviam doctrinæ *diebus prophetiæ illorum*, quæ durabit per tres annos et dimidium, quod significatum est III Reg. XVII, ubi ad præces Eliæ clausum est cœlum, ne daret rorem, vel pluviam annis tribus et mensibus sex. Unde Jacob. V, *Elias homo erat similis nobis passibilis, et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et mensex sex ; et rursum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum*. Sequitur : *potestatem habent super aquas*, id est suas doctrinas quibus fidelium mentes irrigantur, ut fructificent, *Convertendi eas in sanguinem*. *Glossa*, id est, In peccatum, vel cum audita negligitur, vel cum audita contemnitur. Hoc duplici modo convertitur doctrina sanctorum reprobis in peccatum ; scilicet cum audire contemnunt, vel cum audita facere nolunt. Jacob. IV, *Scienti facere bonum et non facienti, peccatum est illi*. Item potestatem habent super aquas, Convertendi eas in sanguinem, id est contra peccata malorum redarguenda et contemnenda. Jer. XLVIII. *Maledictus vir, qui prohibet sanguinem suum a sanguine*, id est doctrinam suam a peccati repræhensione. Item potestatem habent super aquas, id est super humanas mentes, *Convertendi eas in sanguinem*, id est in fidem passionis dominicæ, et martyrii amorem. Exod. VII, Elevans Aaron virgam, id est doctrinam, percussit aquam fluminis, id est mentes populi fluidi, quæ versa est in sanguinem, id est in fidem Christi, et amorem martyrii, et in carnis mortificationem. Item potestatem habent super aquas, id est super falsorum prædicatorum doctrinam, Convertendi eas in sanguinem, ostendendi eorum falsitatem, et latentem perversitatem, quia pervertere intendunt bonos ; *Et percutere terram*, id est terrenos, qui dicuntur terra propter nimium amorem, quo uniuntur ipsi terræ. *Omi plaga*, omni genere damnationis, sicut Dominus per Moysen et Aaron, percussit Ægyptum multis plagis. Luc. XII, *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non se præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis. Quotiescumque voluerint.* Quia sicut ipsi faciunt voluntatem Domini, ita Dominns facit voluntatem eorum. Unde Psal. *Voluntatem timentium se faciet Dominus*. Joan. XV : *Quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis. Et cum finierint*. Hic agitur de morte illorum, et de derisione, seu illusione, quam facient eis mali. Postquam enim prædicaverunt tribus annis et dimidio, tunc Antichristus occidet eos in medio platearum Jerusalem. Dicit ergo : *Et cum finierint*

testimonium suum, id est prædicationem suam, in qua testimonium perhibebunt veritati, unde supra eodem appellati sunt testes. *Bestia*, id est Antichristus ferox et malus et immisericors, ut bestia, *Quæ ascendit de abysso*. *Glossa*, id est per tenebrosos exaltabitur ad regnum. Item quæ ascendit de abysso, id est quæ de vilitate generis sublimatur in regem; et per hoc significatur, quod de fornicatione vili nascetur. Item quæ ascendit de abysso, scilicet qui nascetur de vili tribu, scilicet de Dan, qui fuit de concubina Bala, ancilla Rachel, ut dicitur Gen. XLIX, *Fiat Dan coluber in via*. *Glossa*. ibi, Antichristus veneno consumens eos, quos ad latitudinem vitæ provocat. Item, Quæ ascendit de abysso, id est de obscura et occulta malitia cordis in opus exibit. In principio enim bonus videbitur, unde tyranni et hypocritæ ponent eum in regnum. De hoc dicitur Dan. VII, *Post hæc accipiebam, et ecce bestia quarta*, per quam designatur regnum Romanorum, *terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos*, id est principes severos *habebat magnos, comedens atque comminuens*, id est omnes reges destruens, *et reliqua pedibus suis conculcans*, id est omnia sibi subjugans. *Dissimilis autem erat ceteris bestiis, quas ante videram*, id est regno Assyriorum, et regno Medorum, regno Græcorum, *quia omnibus illis ferocior et crudelior fuit. Et habebat cornua decem, id est reges decem, quos sibi subjugavit. Et considerabam cornua, et ecce parvulum cornu ortum est de medio eorum*, id est Antichristus, qui tempore regni Romanorum nascetur, et tunc fiet dissensio Romani imperii temporalis vel Ecclesiastici, ut dicitur secundæ Thess. II. *Faciet adversus eos bellum* multiplex scilicet disputando, blandiendo, promittendo, miracula faciendo, *et vincet illos*, secundum vulgi opinionem. *Et occidet eos*, corporaliter. *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ*, id est Jerusalem, quæ dicitur magna, vel multitudine et magnitudine ædificiorum, vel multitudine et magnitudine peccatorum, quæ in ea erunt. Unde Jerem. VI, *Hæc est civitas visionis, omnis calumnia in medio ejus*. Isa. I, *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ*. In plateis autem jacebunt corpora eorum, vel quia nullus audebit eos sepelire propter timorem Antichristi, aut propter odium eorum, vel ut homines videntes, timeant eos imitari, vel eis conformari. *Quæ vocatur spiritualiter Sodoma*, id est cessans a laude Dei. Unde Isa. I, *Legem Dei vestri populus Gomorrhæ*. Hoc dixit Isaias pro tempore Antichristi. Unde Thren. IV, *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum. Et Ægyptus*, id est tenebrosa sine Dei cognitione, *ubi et Dominus eorum*, id est Christus, qui duplici jure erat Dominus eorum, scilicet jure creationis, et jure emptionis. Et intellige, eorum, scilicet Eliæ et Enoch, sicut dicit *Glossa*, Cui ipsi servient usque ad mortem. *Crucifixus est* in se corporaliter, spiritualiter in suis. Matth. XXIV. *Quod uni ex minimis meis fecistis*. Luc. X, *Qui vos spernit, me spernit*: ergo qui vos occidit, me occidit. Unde dixit Paulo Act. X, *Saule, Saule, quid me persequeris? Et videbunt de populis, et tribubus, et linguis, et gentibus*. Quidam oculis, quidam litteris, quidam fama. *Et jacebunt corpora eorum inhumata per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis*. *Glossa*, ne memoria eorum habeatur, vel ut alii magis terreantur. Sed quare permittet Dominus, tam inhumane et tam crudeliter tractari servos suos? Solutio. Ut major sit eorum gloria: de his autem permittit, ut per hoc fiat eorum evidentior resurrectio; quia etsi sepulta essent, non ita clare pateret eorum resurrectio, quæ facta sunt post tres dies. Sed iterum quæritur, Cum terra illa calida sit, quomodo possunt jacere super terram corpora illorum sine magno fœtore? Solutio. Non putrefient corpora illorum, quia solidata erunt propter frequentem usum ligni vitæ, quo ipsi vescuntur modo, et usi sunt, ex quo translati fuerunt in paradiso; tamen tamdiu possent ibi jacere quod feterent, vel putrescerent. Vel forte hoc erit a virtute divina, ut magis appareat bonitas eorum, et clarior sit eorum resurrectio. *Et inhabitantes terram*, id est omnia terrena amantes, gaudebunt super illos, quia mortui sunt, et jucundabuntur. *Glossa*, Justorum afflictio impiorum est epulatio. *Et munera mittent invicem*, id est obsonia et dona ad literam, vel congratulationes et confabulationes in invicem, de eis loquentes præ gaudio, et putantes se esse liberos et securos, illis occisis, qui vitæ eorum derogabunt. Unde sequitur, *Quoniam ipsi duo prophetæ cruciaverunt eos*, id est prædixerunt cruciandos, vel con-

tradicendo eorum iniquitati, et resistendo audacter, juxta illud Proverb. xxviii, *Justus quasi leo confidens absque terrore erit. Qui habitant super terram*, id est qui amant terrena, quæ illi contemnebant, et contemnenda prædicabunt; et ideo odiosi et contemptibiles erant eis, sicut dicitur Job xv, *Deridetur justi simplicitas*, lampas contempta parata apud cogitationes divitum ad tempus statutum. Sap. ii, *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatæ sunt viæ illius. Et post tres dies.* Hic agitur de resurrectione illorum, quæ fuit post tres dies et dimidium : sed non videtur hoc credibile, quod tanto tempore potuissent stetisse, et præterea Antichristus post eorum adventum non regnavit tantum. Verum est quod surrexerunt quarta die post interfectionem suam, mortuo prius Antichristo. Sed quæritur qualis erit eorum resurrectio, scilicet an gloriosa fuerit, ut resurrectio Domini nostri Jesu Christi, aut non gloriosa qualis fuit resurrectio Lazari ! Si primo, ergo ante alios erunt consummati : quod est contra Apostolum Hebr. xi, *Hi omnes testimonio fidei probati, nec acceperunt repromissionem Domini, pro nobis ad melius providente, ne sine nobis consummarentur.* Si secundo modo, ergo fiet eis injuria, cum iterum sint morituri. Solutio. Dicimus, quod resurgent glorificati, sicut Dominus noster Jesus Christus, nec iterum morientur. Cum enim nunc alantur fructibus paradisi, propter quod nec corrumpenda sint corpora eorum, gravissima erit mors illorum, quia optimæ sunt complexionis, et maxime vigent sensus in eis. Unde maxime sentient dolorem, et divisionem animæ et corporis: propter quod habebunt corpora glorificata. Et quod objicitur de auctoritate Pauli, dicimus quod hoc erit eis privilegium speciale, propter quod occidentur. Præterea non debent dici resurgere ante alios, quia parum post erit resurrectio generalis. Sed iterum quæritur, si habebunt corpora glorificata, quomodo videbuntur ab hominibus ? Ad quod dicimus, quod naturaliter, et sine miraculo. Nam corpora glorificata naturaliter sunt visibilia, quando non utuntur sua subtilitate ; sed quando utuntur tunc non possunt videri, et hoc habent a virtute glorificationis, ut quando volunt, possunt uti et non uti, et ita quando volunt videntur et non videntur. Dixerunt quidam quod anima intrabat in corpora eorum, non ut in organa, sed ut in materia. Unde nec corpora erunt viva. Quod patet esse falsum, per hoc quod hic dicitur, scilicet, quod spiritus vitæ intrabit in eos. Dicit ergo, *Et post tres dies et dimidium ab interfectione eorum, spiritus vitæ*, id est anima vivificans corpus, et vivificata a Spiritu sancto, *a Deo*, id est virtute divina, non sua natura, *Intrabit in eos*, id est intra eos. Per hoc, quod dicit, a Deo, patet quod resurrectio corporum non erit naturalis, sed miraculosa. *Et steterunt*, id est stabunt *super pedes suos. Glossa*, Immortales et impassibiles. *Et timor magnus* ex tam subita resurrectione eorum, *Cecidit*, id est cadet sicut pondus grave opprimens pro Dei reverentia, vel pro inferni pœna, *Super eos, qui viderunt*, id est qui videbunt eos tam gloriose resurrexisse, *Et audierunt*, id est audient Elias et Enoch. *Vocem magnam*, id est magnæ potestatis judicativam, vel magnam id est omnibus audibilem, *De cœlo dicentem*, id est a Domino nostro Jesu Christo. Vel ab Angelo in aere factam, et directam id est Eliæ et Enoch suscitatis, et stantibus super pedes suos in terra, *Ascendite huc* ad consortium sanctorum de medio hominum impiorum. *Et ascenderunt in cœlum* Empyreum, *in nube* eos obrumbrante, et malos terrente, sicut Christus, Act. i. Justum est, ut illi, qui Christum sic imitabuntur in prædicatione et tribulatione, conformentur ipsi in ascensione : et quia ipsi descenderunt prius humiliati saccis amicti, pro Christo occisi, jam merito dicuntur ascendere. Luc xiv, *Qui se humiliat exaltabitur.* Joan. ii, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis.* Ephes. iv, *Quis ascendit, nisi qui descendit ? ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, Et viderunt illos*, id est videbunt sic glorificatos, *inimici*, qui de morte eorum gaudebant, sed multo plus timebunt, atque stupebuut de resurrectione eorum. Unde Sap. v, *Videntes autem turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, Et illa hora.* Hic agitur de plaga futura mundo post ascensionem, *Factus est terræmotus magnus*, ad literam, vel terræ id est terrenorum, qui post mortem audacius et violentius movebuntur, et insurgent ad Ecclesiæ destructionem, vel ad suam damnationem ; et forte movebuntur aliqui ad pœnitentiam ex timore et

subita visione. *Et decima pars civitatis cecidit*, id est omnes sancti : de quibus decimus ordo Angelorum debet restitui, se humiliaverunt gratias agentes Deo de glorificatione servorum suorum. Vel ceciderunt in mortem gladio malorum. Vel decima pars civitatis dicuntur omnes mali, qui decalogi præcepta transgressi sunt, et non sunt de aliquo novum ordinum Ecclesiasticæ hierarchiæ. Ecclesia enim militans facta est ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis, secundum quod dictum est Moysi. Exod. xxv, *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Unde, sicut in Ecclesia triumphante sunt novem ordines Angelorum, ita in Ecclesia militante sunt novem ordines hominum ; et sicut de quolibet ordine aliqui ceciderunt, et tot quot possent facere decimum ordinem, ita de novem ordinibus hominum tot salvabuntur, quot poterunt reparare integrum numerum Angelorum ; et ideo numerus electorum signatur Luc. xv, per decimam ovem, quam pastor venit quærere, et per decimam drachmam, quam mulier invenit. Maligni, qui de nullo novem ordinum sunt, dicuntur decima pars civitatis, quæ cecidit, id est cadet in infernum irreparabiliter, sicut Antichristus dux eorum, de quo dicitur in Psal. *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Et alibi de malis, Cadent in retiaculum ejus peccatores, *Et occisa sunt in terræmotu* supradicto *nomina hominum septem millia,* id est omnes reprobi nominati, et septem vitiis irretiti, sive illaqueati, Occisi sunt, inquam, morte prima, et secunda : et dicit *Glossa,* Mali dicuntur nomina, quia tantum nomen habent, et non rem nominis. De quo Isa. xiv, *Perdam Babylonis nomen.* Proverb. ix, *Nomen impiorum putrescet. Et reliqui,* qui scilicet non sunt in peccatis indurati, *In timorem sunt missi*, id est in reverentiam Dei, visa pœna aliorum. Prov. xxi, *Mulctato pestilente sapientior erit parvulus.* Vel in timore ne cadant, sicut alii ceciderunt, quia nemo securus est. Unde I. Corinth. x, *Qui se existimat stare, videat ne cadat. Et dederunt,* id est dabunt, boni scilicet, gloriam Deo cœli, gratias referentes Deo de exaltatione humilium et depressione superborum sicut Beata Virgo, Luc. xii, *Magnificat anima mea Dominum;* et postea addit quare ; quia *deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. Væ secundum abiit,* id est tribulatio tempore Antichristi futura pertransiit, id est transibit celeriter, *Et ecce væ tertium veniet cito,* id est pavor et tribulatio judicii post mortem illorum veniet cito.

Et septimus Angelus etc. Tertia pars est hujus capituli quæ est finis tertiæ visionis, in qua agitur de septimo statu Ecclesiæ et septimo ordine prædicatorum qui erunt post mortem Antichristi, qui signatur per hunc septimum Angelum qui ultimo tuba cecinit : et dicuntur hic tria. Primum exultatio justorum, et quies eorum in comparatione ad pœnam malorum, de qua immediate supradictum est. Secundum est gratiarum actio sanctorum, ibi *viginti quatuor seniores.* Tertium est causa exultationis justorum, quia scilicet Deus malos judicabit, et bonos exaltabit, ibi : *Quia accepisti virtutem. Et septimus Angelus tuba cecinit*, id est septimus ordo prædicatorum dulciter et terribiliter prædicavit : dulciter inquam bonis et terribiliter malis. Dulcedo enim in cantu, terror in tuba signatur. Quæcumque vero et in isto et in præcedenti Angelo dicuntur per præteritum probabili certitudine intelliguntur de futuro, *Et factæ sunt voces magnæ,* id est exultationes : et laudes bonorum de pace collata eis et damnatione impiorum justa reddita illis. De his duobus gaudebunt sancti, et laudabunt Dominum salvatorem animæ illorum. Unde Isa. li, *Consolabitur Dominus Sion*, id est Ecclesiam, *et consolabitur omnes ruinas ejus.* Et bis dicitur *consolabitur* propter causam prædictam, et quia tempore Antichristi sustinebit Ecclesia duplicem desolationem. Unam quia a multis vexabitur. Secundam quia non faciet miracula ; et ideo post mortem Antichristi, scilicet tempore septimi Angeli, erit duplex consolatio ; scilicet pacis redditio et fidei multiplicatio. Tunc enim multi Judæi convertentur ad fidem, juxta illud Isa. x, *In veritate reliquiæ convertentur, et reliquiæ, inquam, Jacob ad Dominum fortem.* Malach. ult., *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis ; et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum ; et post mortem ejus multi convertentur visa ejus resurrectione.* Ex hac auctoritate manifeste habetur quod Elias est unus de duobus testibus Christi, de quibus loquitur Joannes in hoc capitulo. Sed unde habetur quod Enoch sit alter eorum ? forte ex hoc habetur, quod cum

Elia translatus est vivus in paradisum. Tamen aliqui dixerunt, quod Moyses erit ille alter: quod conjiciunt ex hoc quod Dominus apparuit tribus discipulis in monte cum Moyse et Elia. Matth. XVII, Sancti magis consentiunt, quod Enoch erit ille alter, qui nondum mortuus est, et cum Elia occidetur ab Antichristo, sicut Joachin dicit, cui consentit. Joannes consentire videtur, hoc quod dicitur hic de his duobus in spiritu esse consummandos, non in litera; et quod hi duo testes sunt duo ordines, qui in fine mundi sunt venturi; et duæ olivæ et duo candelabra dicuntur, quia et oleo charitatis ardebunt et splendore sapientiæ lucebunt: quorum duorum ordinum reliquias stare oportet in conspectu illius principis, qui tunc erit, sicut Moyses et Aaron steterunt coram Pharaone, qui erat dominus terræ Ægypti, et Petrus et Paulus coram Nerone qui erat imperator totius orbis. Qui habebant potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ illorum, quia ipsi spiritualia verba Scripturæ abscondent indignis, et prædicationem et doctrinam hæreticorum cessare facient, ita ut docere et prædicare publice non audeant, sic faciebant ante adventum illorum ordinum. Convertent etiam aquam in sanguinem, id est doctrinam hæreticorum esse mortiferam ostendent; et non solum doctrinam hæreticorum mortiferam ostendent, immo etiam Philosophorum, quæ plena est vanitate; et scientias sæculares, quæ sicut abyssum plenæ sunt cupiditate; percutient quoque terram omni plaga, quia terrena et carnalia corda hominum ostendendo plagas mundi percutiunt. Quas illi, quia velamen habent ante oculos, per se videre non possunt. Cruciabuntur etiam populi a conspectu eorum. Vel quia prohibebunt pluviam ut descendat diebus suis, vel quia multorum scientiam et doctrinam quæ putatur esse utilis, ostendent esse carnalem, ita ut non sit salutis, sed mortis et perditionis fere omnibus utentibus ea; et sic hac de causa semper odio habebuntur. Tamen in fine quando abundabit magis cupiditas et refrigerabit plus charitas, tunc multi insurgent contra eos, in disceptationibus Scripturarum, sed non prævalebunt, quia ignis exiet de ore ipsorum, id est spiritualis doctrina charitate et sapientia evidenter plena: qui destruent et confundent inimicos eorum. Quod autem dicitur de finito testimonio eorum, Ascendet bestia de abysso quæ faciet bellum eos, et vincet et occidet eos, hoc significat quod circa finem mundi rex ipsius assistentibus pseudo prophetis qui cupiditate terrenorum ei favebunt, incipiet disputare de fide Christi et quos poterit attrahere ad perfidiam suam, vel donis, vel minis, vel disceptationibus. Quod iterum dicitur, quod corpora eorum jacebunt inhumata, tribus diebus et dimidio in plateis civitatis magnæ quæ spiritualiter vocatur Sodoma et Ægyptus, hoc significat, quod occisis a bestia, id est a rege impio, prædicatoribus veritatis, in mundo, et maxime in illis qui sunt platea civitatis, id est lata via vadunt, quæ ducit ad perditionem, morientur omnino intellectus spirituales et testimonia veritatis quæ signantur per corpora sanctorum. Unde mortuo Domino, sol obscuratus est, sed eo resurgente multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt et apparuerunt multis in sancta civitate. Hæc sunt testimonia veritatis prius occulta malis, Domino resurgente revelantur in Ecclesia multis. Quod iterum dicitur, Quod postea spiritus vitæ intrabit in eos et stabunt super pedes suos, hoc significat quod mox, ut sancti occiduntur, a carcere liberantur; et qui prius habebant corpora alia quæ cadere poterant virtute Dei fient spiritualia quæ cadere non poterunt, sicut prius. Quod iterum dicitur, In illa hora erit terræ motus magnus et decima pars civitatis cecidit et occisa sunt a terræmotu nomina hominum septem millium et reliqui in timore missi. Hoc significat quod in hora ultimæ persecutionis multi de clericis et multitudo innumera laicorum, qui christiano nomine censentur, seducti cadent a fide. *In cœlo*, id est in Ecclesia quæ tunc maxime cœlestis erit amissa terra. Voces dico dicentes *Factum est regnum hujus mundi*, in quo longo tempore regnavit hostis antiquus *Domini nostri Jesu Christi. Glossa*, Patris et Filii, quorum semper fuit regnum hujus mundi secundum potestatem. Sed tunc dicitur finis eorum, quia fraudulentia et sævitia diaboli quæ diu regnavit in mundo, penitus deficiet, et Dominus in suis fidelibus in tranquillitate et pace perpetua regnabit. Unde sequitur, *Et regnabit in sæcula sæculorum*, id est in æternum. Unde Dan. VII, ubi agitur de eadem ma-

teria, dicitur, *Suscipient autem regnum Dei altissimi sancti et obtinebunt usque in sæculum regnum et sæculum sæculorum.* Aliqui libri habent, amen, sed non est textus, immo interlinearis quæ ostendit omnia firma et vera. Nota quod mundus tribus modis accipitur. Uno mundus est, cujus Deus creator est et servator, scilicet universitas rerum, de quo dicitur Joan. I. *In mundo erat et mundus per ipsum factus est.* Alio modo dicitur mundus cujus Deus redemptor est et salvator, scilicet universitas fidelium. De quo Joan. III. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Tertio modo mundus est, cujus diabolus princeps et rector est, scilicet universitas malorum, qui mundum istum plus debito diligunt. De quo Joan. XIV, *Princeps mundi ejicietur foras.* Item I Joan. II, *Filioli mei nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Primus mundus nunquam est diaboli, sed semper Dei. Secundus similiter semper est Dei, et nunquam diaboli per damnationem, licet divina virtute eis exponatur in parte ad exercitationem hujus mundi. Regnum tunc perfecte fiet Dei, quando omnino exterminabitur potestas diaboli et apparebit potestas Christi. Quintus mundus est diaboli quo ad vexationem et seductionem et pravæ voluntatis suæ effectum; sed tamen Dei est, quo ad pravæ actionis ordinationem. Mera enim bonitate Dei fit, ne malum quod ab ipso non est ortum, nunquam dimittat sub se inordinatum. *Et viginti quatuor seniores.* Hic agitur de gratiarum actione sanctorum de sua liberatione et glorificatione, et diaboli et suorum damnatione. Unde dicit, *Et vigintiquatuor seniores*, id est universi prædicatores, et doctores, et Ecclesiæ doctores, tam vovi quam veteris Testamenti, *qui in conspectu Domini sedent.* Active qui semper quod divino conspectui placet considerant et intendunt. Psalm.: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Et passive, quia et ipsi et facta eorum a Domino approbantur. Psalm.: *Exultent justi in conspectu Dei.* Dicuntur autem sedere ut judices sui ipsorum. II Corinth. XI. *Si nos ipsos etc.* Ut reges. Prov. XX, *Rex qui sedet etc.* Ut Episcopi, id est superintendentes. Act. XX, *Attendite etc. In sedibus suis,* Vel sedent, id est sedebunt in sedibus suis, id est in thronis, de quibus dicitur Matth. XIX. *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel, Ceciderunt in facies suas,* id est intus considerantes conscientias suas, se humiliaverunt, nil suis meritis, sed Deo attribuentes. *Glossa,* In faciem cadit qui in hac vita culpam suam agnoscit et eam pœnitendo diluit. Retrocadit qui in hac vita repente cadit et ad quæ supplicia ducatur nescit. Sic cecidit Eli, ut dicitur I Reg. IV. Sic omnes reprobi. Prov. IV, *Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi currunt. Et adoraverunt Deum,* omnia sua ei attribuentes, *dicentes* corde, ore, opere, quæ est dictio christiana: *Gratias agimus tibi, cui soli debetur honor et gloria,* ut dicitur I Timoth. II. Et ultra *Domine* cui servi sumus, *Deus* quem colimus, *omnipotens* quem timemus. Vel Domine qui nos liberasti, Deus qui nos creasti, omnipotens qui nos judicabis: *qui es* immutabilis, *qui eras* olim cum despiciebaris. Non dicit, et qui venturus es, quia agitur de fine mundi, unde apparebit jam venisse, vel statim venturus. *Qui accepisti.* Hic ostendit quare gratiæ sunt agendæ, quia scilicet bonos liberavit et malos damnavit: quasi dicat: Merito gratias agimus, quia dignus es qui accepisti virtutem magnam Ecclesiam congregandi, a morte resurgendi, discipulos virtute ex alto induendi, malos damnandi, bonos glorificandi, *Et regnasti,* id est tuos a diabolo defendisti et tuo imperio subjecisti *et iratæ sunt gentes* id est mali gentiliter viventes, videntes regnum contrarium surgere et elevari et suum deprimi. Sicut *Herodes audito, quod natus esset Jesus, turbatus est et omnis Jerosolyma cum illo,* ut dicitur Matth. II. Ubi dicit *Glossa,* Rege cœli nato rex turbatur, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum cœlestis celsitudo aperitur. *Et advenit contra illos ira tua,* id est justa vindicta tua quæ in omnibus est ad iram, vel cum ira frequentissime vel semper, in Deo autem nunquam, sed semper cum tranquillitate judicas. *Et advenit* similiter *tempore mortuorum,* id est opportunitas *judicari,* id est separari post mortem bonos a malis. De quo judicio dicit Psalm. *Judica me Domine et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.* Matth. XXV. *Congregabunt ante eum omnes gentes et separabunt eos adinvicem. Et reddere mercedem servis suis prophetis,* id est prædicatoribus et prælatis prævidentibus et providentibus sibi et aliis in futuro, *Et sanctis,* id est pau-

peribus, vel omnibus in baptismo sanctificatis, *Et timentibus*, filialiter. *Nomen tuum*, id est te nominabilem, *Pusillis et magnis* : quasi dicat : non solum majoribus reddet mercedem quando tempus advenerit, sed omnibus fidelibus qui laborant in vinea tua. Matth. xx, *Voca operarios etc.* Psalm. *Cum dederit dilectis suis somnum.* Vel sic. Tempus advenit reddere mercedem, id est præmium laboris et servitii sui, Servis suis, id est prophetis et sanctis, id est confessoribus qui fuerunt magni dignitate, et charitate et fide. Unde Eccles. XLIV, *Homines magni virtute et prudentia sua præditi.* Et iterum, *Tempus advenit exterminandi*, id est eliminandi a regno Dei, *Eos qui corrumpunt terram*, id est corpus suum male vivendo et aliis malum exemplum dando. Ecce væ septimi Angeli, scilicet exterminatio malorum in fine mundi, de quo dixerat supra eodem, væ secundum abiit et ecce væ tertium cito : sed multi qui non credunt quod ita cito debeat venire. Quia revera si crederent aliter viverent et alibi ædificarent et thesaurizarent, siquidem thesauros ubi se mansuros in perpetuum sperarent. Sed quia hic diu manere sperant ; ideo hic ædificant et thesaurizant. Contra quos dicit Dominus, Matth. VI : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo* superbiæ *et tinea* luxuriæ *demolitur. Ubi fures*, ad literam, vel parentes, vel principes *effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlis, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, et ubi fures non furantur.* Job XXVI, *Dives cum dormierit nil secum affert; aperiet oculos suos et nil inveniet, quia nil præmisit.* Unde sequitur, ibi : *Apprehendent eum quasi ab inopia.* Psalm. *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nil invenerunt in manibus suis.* Quare? quia nil posuerunt in manu pauperis, quia portasset eis in cœlum. Ideo dicitur Eccles. IX, *Mitte manum tuam super transeuntes aquas*, scilicet pauperes, quia post multa tempora invenies illum. Luc. XVI, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Jacobi V, *Agite nunc divites, plorate et ululate in miseriis vestris quæ advenient vobis : divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt ; aurum vestrum et argentum vestrum æruginavit et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis enim vobis iram in novissimis diebus.* Qui re vera cito erunt. Joel I, A, a, dicit, quio prope est dies Domini et quasi vastitas a potente veniet. Deuteronom. XXXII, Juxta est dies perditionis et adesse festinant tempora.

Et apertum est templum etc. Hic incipit quarta visio in qua agitur de pugna Ecclesiæ cum dracone et familia ejus, in quo continetur profectus illius Ecclesiæ per mulierem designatæ : et satis competens est ordo visionum. Prima enim continet correctionem Ecclesiæ generalis et est arguitoria per correctionem septem Ecclesiarum monens ad pœnitentiam per affectum doloris. Secunda est consolatoria, per revelationem mysteriorum et apertionem sigillorum, id est secretorum universalis Ecclesiæ movens ad amorem per affectum gaudii. Tertia est comminatoria per clangorem Angelorum et damnationem reproborum in septem ordinibus, movens nos ad terrorem, per affectum timoris. Quarta est exhortatio ad pugnam, exemplo victricis mulieris ut animet nos ad victoriam per affectum spei. Unde patet quod istæ quatuor visiones Joannis generant quatuor affectiones animæ ordinatas in Deum. Prima dolorem de peccatis. Secunda gaudium de beneficiis. Tertia timorem de pœnis. Quarta spem de victoria obtinenda. Istæ ergo quatuor visiones respiciunt universalem statum Ecclesiæ. Tres ultimæ quæ sequuntur hanc respiciunt finalem statum, de quo etiam statu aliqua dicta sunt in apertione quinti et sexti et septimi sigilli. Sciendum est autem, quod duplex describitur hic pugna. Primo ponitur hic pugna mulieris cum dracone : et hæc ponitur in tertiodecimo et quartodecimo capitulo : siquidem hæc visio continet tria capitula, ut diximus a principio : scilicet duodecimum et tertiumdecimum et quartumdecimum. Primum istorum trium capitulorum, agit de processu Ecclesiæ sub persecutione diaboli, quæ persecutio incipit a principio mundi. Secundum agit de profectu ejusdem sub persecutione Antichristi quæ erit circa finem mundi. Tertium agit de auxilio Dei impenso Ecclesiæ contra tyrrannidem Antichristi. Hoc autem præsens capitulum dividitur in duas partes. In prima describitur pugna mulieris et draconis in cœlo, ubi continetur profectus Ecclesiæ sub aperta persecutione. In secunda parte describitur pugna mulieris et draconis

in terram, ubi continetur profectus Ecclesiæ sub aperta persecutione ipsius, ibi, *Et postquam vidit draco.* Item prima pars hujus capituli continet quinque. Primum est descriptio mulieris, ibi, *Mulier amicta.* Secundum descriptio draconis, ibi, *Et visum est aliud signum.* Tertium est pugna draconis cum muliere, ibi, *Et draco stetit.* Quartum est adjutorium mulieris a Deo, ibi, *Et factum est prælium.* Quintum est victoria mulieris in projectione diaboli, ibi, *Et projectus est draco.* Ante vero quam ponatur visio, ponitur quoddam antecedens, quod continet tria : scilicet templi apertionem, arcæ visionem, et aeris immutationem. Dicit ergo, *Et apertum est.* Copulativa conjunctio innuit, quod hæc visio dependet a præcedentibus : unde etiam duo ponuntur hic : quorum unum pertinet ad secundam visionem. Sic apertio templi, pertinet ad tertiam visionem, scilicet aeris immutationem. Sed ex hoc videtur, quod hæc quarta visio non incipiat hic, sed infra ibi, *Et signum magnum.* Solutio. Hæc quæ ostenduntur ibi, ideo pertinent ad secundam et tertiam visionem, et non ostendit visionem inquantum pertinet ad profectum Ecclesiæ, quod determinatur in quarta visione. Posset tamen concedere, quod hæc quarta visio incipit ibi, *Et signum magnum apparuit in cœlo.* Quia ibi incipit tractare de profectu Ecclesiæ, et ea quæ præponuntur sunt quasi continuatio istius visionis ad alias præcedentes. Dicit ergo, *Et apertum est templum Dei in cœlo,* id est manifestatum est mysterium Domini nostri Jesu Christi latentis prius in Scriptura. Nomine enim cœli intelligitur Scriptura. *Habens luminaria :* luminare majus novum est Testamentum : minus, vetus est Testamentum. *Stellæ,* sanctorum expositiones, scilicet singulæ sententiæ : quatuor partes cœli, scilicet oriens, occidens, auster et septentrio, sunt quatuor modi exponendi, scilicet historicus, allegoricus, tropologicus, anagogicus. In hoc cœlo fuit clausum templum, quod diu mysticum latuit sub figuris; sed apertum est, quando veritate veniente in medium, recessit sub umbra, evanescunt tenebræ ascendente Aurora, et de hoc cœlo dicitur in Psalm. *Extendens cœlum sicut pellem,* id est Scripturam, dilatans per multiplicem expositionem. Unde Dan. XII, *Pertransibunt, et multiplex erit scientia.* Quid autem secutum sit apertionem templi in cœlo, id est patefacta veritate, in Scriptura, ostendit. *Et visa est arca Testamenti ejus,* id est Christus, ipsius Testamenta, quæ tamdiu latuerunt sub figuris in templo ejus id est Ecclesia, vel Scriptura; unde moriente Christo scissum est velum templi, et terra mota est, velamen Scripturarum et veritas patefacta. Christus vero dicitur arca, quia tria habuit in se veraciter quæ fuerunt in arca figuraliter : ibi enim fuerunt tabulæ Testamenti, virga Aaron, urna aurea plena manna cœlesti : et in Christo sunt tabulæ Testamenti, quia de Patre nobis fidele testimonium tulit et de nobis Patri. Unde supra I, *Qui est testis fidelis primogenitus mortuorum.* Hoc scivit Job XVI, quando dixit, *Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in Ecclesiis.* Item in eo fuit virga, id est natura disciplinæ. Unde Isa. LIII, *Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.* De qua virga dicit Psalm. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Item in eo fuit urna aurea plena manna, id est cœlestis doctrina dulci consolatione plena. Col. II, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi : in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Item in eo sunt tabulæ Testamenti, quia ipse est nobis eruditio et forma vivendi. Item virga, quia nos corrigit et dirigit. Unde Psal. *Virga directionis, virga regni tui.* Item manna, quia nos consolatur, cum tribulamur. Unde II Cor. I, *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Item nomine cœli signatur Ecclesia. Isa. ultimo, *Cœlum mihi sedes est* Psal. *Dominus in cœlo sedes ejus.* Habens luminaria sua : luminare majus, id est majores prælatos, et luminare minus, id est minores prælatos, Et stellas, id est singulos fideles. Unde Phil. II, *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo verbum vitæ confitentes.* Eccles. XLIII, *Fili hominis, ostende templum Domini Israel, et confundantur ab iniquitatibus suis.* Sed templum apertum fuit in cœlo, id est in Ecclesia. Primo per Angeli denuntiationem. Luc. II, *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis salvator mundi, qui est Christus Dominus, in civitate David.* Secundo per magorum adorationem, et stellæ demonstrationem. Matth. : *Stella quam viderant in Oriente antecedebat, donec veniens staret supra ubi erat puer :* quasi dicat : hic est quem quæritis, et statim *intrantes adoraverunt*

eum. Tertio per sanctam conversationem, et miraculorum apertionem. Joan. II, *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam*. Quarto per crucifixionem, et lateris apertionem. Joan. XIX, *Unus militum lancea latus ejus aperuit : et fluxerunt aqua et sanguis*. Quinto per ejus resurrectionem et Apostolorum eruditionem. Luc. XXII, *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*. Sexto per ascensionem et sancti Spiritus missionem. Act. I, *Videntibus illis elevatus est*. Septimo per Apostolorum prædicationem, quæ tota est de Christi manifestatione. Matth. ult. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*. Item nomine arcæ debet accipi intelligentia sacræ Scripturæ, ubi sunt tabulæ, duo Testamenta, et Virga, id est veteris Testamenti duritia, et manna, id est novi Testamenti dulcedo : vel virga justitiæ, et manna misericordiæ. Dicit ergo, *Et apertum est templum in cœlo*, id est manifestatus est Christus in Ecclesia, quem Judæi et Gentiles, et aliis infideles negant adhuc esse Deum, *Et visa est arca Testamenti ejus in templo ejus*, id est sapientia Dei, et intelligentia Scripturæ manifeste visa fuit in Christo. Luc. IV, quando aperuit librum, et legit in eo : et Matth. V, quando *aperuit os suum dicens : Beati pauperes spiritu etc.* Item, *Apertum est templum in cœlo. Glossa*, id est data est intelligentia mysteriorum Christi Ecclesiæ ejus, *Et facta sunt fulgura*, id est miracula manifesta. Et hoc necessarium erat in principio Ecclesiæ novellæ, quæ magis indigebat potu lactis, quam solido cibo. Visio enim miraculorum fuit quasi potus, ducens cibum prædicationis per membra Ecclesiæ, ut sic fieret eis nutrimentum fidei. Et dicuntur miracula fulgura propter stuporem, propter splendorem, propter fœtorem, propter sectionem, propter ustionem. Sunt enim tria genera fulgurum : quædam urentia, et miracula primo fœtebant, quia peccata, quæ prius placebant, fœtere et displicere faciebant. Deinde urebant quia in amore Christi accendebant. *Et voces*, idest laudum confessiones, quia visis miraculis omnes laudabant Deum, et benedicebant, *Et terræmotus*, idest terrenorum, quidam enim ad iram, et quidam ad fidem movebuntur. Joan. VII, *Dissensio facta est in turba propter eum. Et grando magna*, idest persecutio magna quibus videbatur prædicatio intolerabilis. Et merito comparatur persecutio grandini : quia sicut grando in casu suo frangit segetes virentes, et lædit primitia, et tamen liquefacta postea humectat, et terram uberem reddit, ita persecutio novellos in fide frangit : et tamen Ecclesiam reddit fecundam, quia ex tribulatione augetur virtus et charitas ejus. Unde Psal. *In tribulatione dilatasti mihi*. Exod. I, *Quanto magis affligebantur filii Israel, tanto magis multiplicabantur*. Item, *Facta sunt fulgura*, idest eruditiones, *Et voces*, idest admonitiones, *Et terræmotus*, idest admirationes, *Et grando magna*, idest increpationes. Ideo omnino, habitum supra VIII.

CAPUT XII.

Et signum magnum etc. Hic incipit agere de pugna mulieris et draconis, idest Ecclesiæ et diaboli quæ ab ipso ortu Ecclesiæ incipit, per quod armat et animat fideles, ne deficiant in tribulatione, sed confidant in Domino cujus auxilio superabunt, sicut mulier ista, si tamen ei assimilentur. Propter quod describitur ipsa mulier secundum statum et habitum. Unde dicit, *Et signum magnum*, idest magnificans, *Apparuit in cœlo*, idest Ecclesia militante, quia virtus erit in triumphante. Hoc autem fuit signum, *Mulier amicta sole*, idest Ecclesia ornata Christi imitatione, juxta illud Gal. III, *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*, id est mores et virtutes ejus, scilicet paupertatem, vilitatem, humilitatem etc. De hoc signo dicitur Luc. II, *Et hoc vobis erit signum : invenietis infantem positum in præsepio, pannis involutum*. Per infantem signatur Christi humilitas, per præcepium vilitas, per pannos paupertas. Sed de hoc signo dicit Simeon ad Mariam eodem capitulo : *Ecce positus est hic in ruinam, et in signum cui contradicetur*. Item, *Mulier amicta sole*, idest Ecclesia circumdata ferventi tribulatione, quæ nomine solis intelligitur. Unde Psal. dicit de Christo : In sole posuit tabernaculum suum, idest tribulationis fervore et merito : quia sicut sol illuminat mundum et desiccat lutum, sic illuminat tribulatio intellectum, et desiccat peccatum. Isa. XXVIII, *Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui*. Jerem. VI, secundum aliam translationem : « Per omne flagellum erudieris Jerusalem. » Ecclesia vero dicitur mulier propter prolis fœcunditatem,

et subjectionis humilitatem. Ephes. v, *Ut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus.* Item, *Mulier amicta sole,* idest Ecclesia induta charitate, et cognitione. Sol enim calorem habet, in quo charitas designatur; et splendorem, in quo signatur cognitio; et ista duo vestiunt Ecclesiam. Prov. xxi, *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus: Et luna,* idest mundi prosperitas, qui crescit et decrescit, ut luna. Eccles. xxvii, *Homo sanctus in sapientia manet. Sub pedibus ejus,* idest sub affectibus. Quia licet Ecclesia temporalibus sustentetur, tamen non affectat ea. Unde Cant. ii, *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Cant. v, *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos?* Item, *Luna sub pedibus ejus;* id est mundus sub prædicatoribus, qui sunt pedes Ecclesiæ, quia portant et sustentant eam : de quibus Cant. vi, *Quam pulchri gressus tui in calceamentis filia principis!* id est Ecclesia filia Domini nostri Jesu Christi. Isa. lii, *Quam pulchri supra montes pedes annunciantis!* Supra montes dicuntur, quia totum mundum conculcant et contemnunt. Deut. viii, *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit, Et in capite ejus corona aurea stellarum duodecim,* id est in initio Ecclesiæ duodecim Apostoli, quibus quasi stellis duodecim illuminata, quasi duodecim margaritis ornata cognoscitur. Ipsi enim hostes Ecclesiæ vicerunt. Ipsi Ecclesiam ornaverunt. Ipsi quasi præcipui milites in capite exercitus positi, sicut stellæ in firmamento cœli in nocte adversitatis luxerunt, et totum mundum illuminaverunt. Unde Matth. v, *Vos estis lux mundi.* Baruch iii, *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis,* Thomas in India majori, Bartholomæus in India minori, Simon et Judas in Persia, Philippus in Samaria, Matthæus in Ethyopia, Matthias in Alexandria, Joannes in Asia, Andreas in Achaia, duo Jacobi in Judæa, Petrus in Cappadocia, Paulus in Græcia, et tandem Paulus et Petrus in Italia. In his regionibus prædicaverunt, et miracula multa fecerunt Apostoli, et sic stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ in tribulationibus suis, et vocatæ sunt a Christo ad istud officium, et dixerunt, Adsumus, et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit eas. Dicuntur autem stellæ, quia mundum in adversitatis nocte illuminaverunt. Item quia in Christo quasi in firmamento fixi manserunt. Unde Judith v, *Stellæ manentes in ordine in cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt,* id est contra diabolum, qui nititur nos excludere a gaudio Paradisi. Hi dicuntur corona, quia undique ambierunt et munierunt Ecclesiam et Christum, id est sponsam et sponsum. Cant. iii, *In lectulum Salomonis ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi.* Job. xxix, *Cum sederem quasi rex circumdante exercitu, erat tamen mœrentium consolatio.* Unde : Christus rex redet in cœna, turba cinctus duodena. Item quia per eos vicit Christus mundum. Unde Habacuc iii, dicit de Ecclesia, *Deducet me super excelsa mea victor in psalmis canentem.* Excelsa Ecclesiæ fuerunt Apostoli. Item, quia suas victorias non sibi, sed Christo attribuerunt. Unde Job xviii, *Numquid mittet fulgura?* id est Apostolos coruscantes miraculis. Ibunt, et reverentia dicent, Adsumus, id est totum quod fecimus, tibi attribuimus. Item, *In capite ejus corona stellarum duodecim,* id est habitus, et ornatus duodecim fructuum spiritus. De quibus Gal. v, *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, modestia, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, continentia, castitas.* Item, *In capite ejus corona stellarum duodecim,* id est in mente ejus spes gaudiorum. Quorum primum et præcipuum est de plena cognitione, quia scient tunc omnia, juxta illud I Corinth. xiii, *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Secundum est de plena dilectione; tunc enim plene diliget unusquisque Deum et proximum, secundum gradum suum. Juxta illud Isa. xxxi, *Dicit Dominus, cujus ignis in Sion, et caminus in Jerusalem.* Tertium est de firma apprehensione, de qua Cant. iii, *Tenui, et non dimittam illum.* Philipp. iii, *Sequar, si quo modo comprehendam, et in quo modo comprehensus sum a Christo Domino.* Hæc tria pertinent ad tres dotes animæ. Quartum est de corporis claritate. De quo Matth. xiii, *Fulgebunt justi sicut sol.* Quintum est de corporis agilitate, de qua Sap. iii, *Fulgebunt justi, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Sextum est de corporis subtilitate, quod notatur in hoc, quod justi dicuntur fulgere sicut sol. Cujus radium penetrat vitrum et chrystallum, sine eorum læsione : quod etiam notatur,

quando Dominus *januis clausis intravit ad discipulos*, Joan. xx. Septimum est de corporis impassibilitate, de qua dicitur I Corinth. xv. *Seminatur corpus in infirmitate, surget in virtute :* hæc quatuor pertinent ad statum corporis. Octavum est de pacis tranquillitate : de qua Isa. xxxii, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Nonum est de grata et magna et nobili societate, de qua dicitur infra xiv, *Ecce agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadragintaquatuor millia habentia nomen ejus, et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis.* Et infra : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt, hi sequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Decimum est de loci amœnitate. Erit enim locus ille luminosus, spatiosus, deliciosus, sanus et mundus. De primo infra dicitur xxi, *Civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea ; nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus erit Agnus.* De secundo dicitur Judith. xviii, *Introibimus ad securos in regionem latissimam.* De tertio dicitur Ezech. xxviii, *In deliciis Paradisi fuisti.* De quatuor dicitur infra, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et mors ultra non erit.* De quinto Tob. xiii, *Ex lapide candido et mundo, omnes plateæ ejus sternentur.* Infra xxi, *Plateæ civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.* Omnia ista tangit Apostolus Gal. iv, ubi dicit : *Quæ sursum est Jerusalem, quæ mater est nostra.* Locus enim sublimis et clarus, deliciosus, et spatiosus, et sanus, et mundus consuevit esse. Undecimum est de status immutabilitate, de quo Psal. *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Jacob. i, *Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* Duodecimum est de securitate, de qua Isa. xxxii, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Psal. *Lauda, Jerusalem, Dominum, quoniam confortavit seras portarum tuarum.* Item, *In capite ejus corona stellarum duodecim,* id est in nobiliori et digniori dignitate et parte Ecclesiæ decor virginum. Primo enim sunt conjugati, postea aliquantulum altius viduæ, super omnes virgines, quæ recte duodenario numero comprehenduntur, quæ supra decalogum addunt duplicem castitatem, interiorem et exteriorem. Dicuntur autem stellæ virgines, quia sicut stellæ cœlum decorant, ita virgines Ecclesiam. Unde Eccles. xliii, *Species cœli gloria stellarum*, *Et in utero habens*, id est in mente filios quos parere desiderat, id est fide imbuere et charitate perficere, *Et clamat parturiens*, id est parere desiderans, *Et cruciatur*, vigilando, prædicando, jejunando, *Ut pariat*, Christo filios multos, filios quotidie parit Ecclesia sponso suo, non tamen sine dolore et cruciatu, quia patitur ab æmulis detractiones et a seipsa carnis tentationes et afflictiones jejunando, orando, prædicando, discurrendo, sicut sciunt illi qui hoc experimento didicerunt. Sic faciebat Apostolus I Corinth. ix. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Sic etiam faciebat ipse Christus Dominus noster. Matth. iv, *Circuibat Jesus totam Galilæam docens.* Sic facit Joan. xvi, *Mulier cum parit tristitiam habet.* Isa. xxxvii, *Venerunt filii usque ad partum et virtus non est pariendi.* Et Galat. iv, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Signum magnum apparuit mulier amicta sole etc.* Primo notantur hic tria, quæ facta sunt in ipsa die assumptionis ipsius. Primum est corporis ipsius glorificatio, quod notatur ibi : *Mulier amicta sole*, idest Maria induta corporis glorificatione, quæ consistit in quatuor dotibus ejus ; scilicet claritate, agilitate, subtilitate, impassibilitate, quæ omnia in sole signantur. Radius enim solaris clarus est, iterum est agilis, unde subito volat ab oriente in occidentem. Iterum subtilis est, quia intrat vitrum sine ejus fractione. Iterum impassibilis est, quia nec gladio nec lapide potest lædi : propter hoc dicit Dominus, Matth. xiv, *Fulgebunt justi sicut sol.* Beatus Bernardus : « Quis erit splendor animarum, quando solis splendorem habebit lux corporum ? » Item Isa. lxi, *Dicit Dominus : dabo ei coronam pro cinere*, idest gloriam animæ pro humilitate pœnitentiæ, *et oleum gaudii*, idest stolam seu gloriam corporis. Unde *gaudium erit pro luctu.* Oleum enim sanativum seu mitigativum doloris est, per quod significatur impassibilitas. Item penetrativum est per quod significatur subtilitas. Item leve est, unde supernatat, per quod significatur agilitas. Item lucidum est, ut cibus luminis, per quod significatur cla-

ritas. Beatissima Virgo Maria dicitur mulier sexus discretione, non corporis fractione. Item prolis fecunditate, non mentis fragilitate. Ideo ipse Dominus noster Jesus Christus, vocat eam mulierem. Joan XIX, *Mulier ecce filius tuus* qui pendet in cruce. Item Joan. II, *Quid mihi et tibi mulier? nondum venit hora mea*, ut ostendatur quid a te habeo. Eccles. XXVI, *Sicut sol oriens in mundo, in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ :* idest sicut oriens et in alto existens, illuminat mundum, sic Maria hodie ascendens illuminat cœlum, quod est domus Dei et filiorum ejus, *in qua domo mansiones multæ sunt*, ut dicitur Joan. XIV, Quarum pulchriorem et nobiliorem et altiorem elegit Domina nostra sancta Maria. Unde ipsamet dicit Eccli. XIV, *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*. Cedrus super omnes arbores exaltatus, sic Domina nostra sancta Maria super omnes creaturas exaltata est in cœlo. Psalm. : *Exaltata est magnificentia tua super cœlos*, idest Maria te magnificans super Angelos. Item dicitur Maria, *Amicta sole*, in die assumptionis suæ, idest circumdata sanctorum congregatione, qui cum Christo veniunt ei obviam, et cum magno gaudio deduxerunt in cœlis. Item Num. x, *Elevata est nubes*, idest Virgo Maria, *et profecti filii Israël per turmas suas* eam comitando. Turma Angelorum una, turma Patriarcharum alia. Turma Prophetarum tertia, turma Apostolorum quarta, turma Martyrum quinta, turma Confessorum sexta, turma Virginum septima. Omnes hi, qui cum ea fuerunt semper : unde ipsa dicit Eccles. XXIV, *Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.* Item in eodem, *In Domino honorabitur et in medio populi sui gloriabitur et in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum et in conspectu virtutis illius gloriabitur et in medio populi sui exaltabitur et in multitudine sancta admirabitur et in multitudine electorum habebit laudem et inter benedictos benedicetur.* Hoc totum satis eleganter significatum fuit II Reg. VII, ubi dicitur, *Abiit David et adduxit arcam Dei de domo Obededom*, idest de mundo, *in civitate David cum gaudio, et erant cum eo septem chori*, de quibus prædictum est, idest septem turmæ Angelorum, Patriarcharum et Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque sanctarum Virginum. Item inter quos pinguior et excellentior fuit et est sanctissima Virgo Maria. Unde ipsa dicit, Eccles. XXIV, *In omni gente principatum tenui in mundo.* Et adhuc habet in cœlo, quia ipsa sedet juxta filium suum, qui est rex cœli et alii omnes inferius. Unde III Reg. II, *Surrexit rex in occursum suum.* Positus quoque est thronus matri regis quæ sedet ad dexteram ejus. Secundum est omnis defectus et imperfectionis depositio. Tunc enim deposuit Beata Virgo Maria omnem defectum et perfecta est omni bono. Quod notatur ibi : *Et luna sub pedibus ejus*, idest omnis defectus et imperfectio. Unde tunc potuit dicere Beata Virgo Maria : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Et quid mirum? sæpe rogaverat hoc ipsa, Cant. I : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, idest in cœlo, ubi est meridies, idest cognitio sine obscuritate. Prov. XXX, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Et ideo *luna sub pedibus ejus*, idest tota Ecclesia tam militans quam triumphans inferior ea. Esther IV, *Ducta est Esther ad cubiculum superius.* Tertium est plena animæ beatitudo quæ consistit in duodecim gaudiis paradisi quæ signantur infra ulterius per duodecim fructus ligni vitæ, quod notatur cum dicitur, *In capite ejus corona stellarum duodecim*, idest in mente ejus perennitas duodecim gaudiorum : quorum duo oriuntur a Domino, scilicet gaudium de visione divinitatis et gaudium de visione humanitatis. Item alia duo a loco ; unum de speciositate, aliud de spatiositate. Item duo a consortio. Unum de societate Angelorum, aliud de societate hominum. Item alia duo a mundo. Unum de pulchritudine creaturarum, aliud de stabilitate creaturarum. Item duo ab inferno ; uno ab evasione, aliud a clausione. Item alia duo a seipso ; unum de stola corporis, aliud de stola animæ. Vel Thema in nativitate Beatæ Virginis. Item : *Signum magnum apparuit in cœlo*, idest Ecclesia, *Mulier amicta sole*, idest Beata Maria ornata clarissima et altissima castitate. Clara quidem et alta est castitas conjugalis si bene servatur. Clarior et altior castitas vidualis. Clarissima et altissima castitas virginalis. Unde I Corinth. XV dicitur, quod *alia sit claritas solis*, idest continentiæ virginalis, *alia claritas lunæ*, idest claritatis vidualis. Item *alia claritas*

stellarum, idest continentiæ conjugalis. Omnes habuit Beata Virgo. Nam conjugata fuit, et virgo castissima fuit. Ideo ipsa dixit, Eccles. xxiv, *In me omnis gratia*, quia conjugatarum et viduarum et virginum gratiam habuit. Præterea, sol septem habet effectus, qui omnes fuerunt in Beatissima Virgine spiritualiter et specialiter. Primus effectus solis est calefactio : hoc est donum sapientiæ quo spiritus incalescit in amorem Dei. Eccles. xliv, *Sol simpliciter exurens montes*, idest excelsas mentes inflammans tripliciter : in amorem scilicet Dei, sui et proximi. Vel in amorem Dei tripliciter : scilicet ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, radios igneos exsufflans, idest calidas affectiones immittens. II Machab. i, *Refulsit sol qui prius erat in nubilo, et accensus est ignis maximus*. Spiritus enim gustans Deum per donum sapientiæ, inardescit in amorem ipsius. Augustinus: « Gustavi, et esurio, et sitio ; tetigisti me et exarsi in concupiscentiam tuam. » Eccles. xxiv, *Qui edunt me adhuc esurient etc*. Secundus effectus est illuminatio, qui pertinet ad donum intellectus. Eccles. xliv, *Sol illuminans per omnia respicit*, et respicere facit in cœlo summa gaudia et in inferno summa supplicia et in mundo pressuras et angustias, in seipso peccata et negligentia. I Machab. vi, *Refulsit sol in clypeos aureos,* idest in Christum et Mariam, et resplenduerunt montes ab eis, idest electorum mentes. Tertius effectus solis est denudatio, quia facit vestes exurere : et hoc ad donum consilii refertur, quod docet veterem conversationem et sæcularem vitam deponere. Cant. i, *Nolite considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol,* idest colorem pristinæ conversationis me mutare fecit. Matth. *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus ; et veni sequere me*. Quartus effectus solis est consolidatio ; et hoc ad donum fortitudinis pertinet, per quod spiritus solidatur. Eccles. xxvii, *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol sanctus*, idest firmus. Quintus effectus solis est totius vitæ humanæ regulatio ; et hoc pertinet ad donum scientiæ, per quod scimus bene conversari in medio pravæ et perversæ nationis, ut dicit Augustinus. Unde Philipp. ii, *Simplices filii Dei in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo*. Sextus effectus solis est liquefactio, et hoc ad donum pertinet pietatis, quo liquescit anima in compassionem proximi. Exod. xvi, *Cum incaluisset sol, liquefiebat manna*. Sap. xvi, *Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*. Psalm. *Flavit spiritus ejus et fluent aquæ*. Septimus effectus solis est desiccatio humidorum ; et hoc ad donum timoris pertinet, quo carnis concupiscentia desiccatur. Unde Jacob i, *Exortus est sol cum ardore et arefecit fœnum*, idest carnem, quia *omnis caro fœnum et omnis gloria ejus quasi flos fœni*, Isa. xl. Prov. xii, *In timore Domini declinat omnis a malo*. Propter hos septem effectus solis salvatur homo : et ideo dicitur I Reg. xi, *Cras erit vobis salus cum incaluerit sol*. Hic est sol qui nescit occasum. Unde Isa. lx, *Non occidet ultra sol tuus*. Sequitur, *Et luna sub pedibus ejus*, idest tota Ecclesia et omnis defectus. Sunt autem quatuor quæ generant defectum homini. Primum est superbia. Psalm. *Inimici*, idest superbi, *defecerunt frameæ in fine*. Item Psalm. *Auferes spiritum eorum et deficient*. Secundum est impatientia. Job iv, *Venit super te plaga et defecisti*. Tertium est avaritia. Isa. xl, *Deficient pueri et laborabunt*, idest avari qui plus diligunt pomum quam regnum cœlorum. Quartum est vanitas. Psalm. *Defecerunt in vanitate dies eorum*. E converso sunt quatuor, quæ defectum impediunt. Primum est patientia. Jacob i, *Patientia perfectum opus habet*, ut simus perfecti et immaculati, in nullo deficientes. Secundum est spei constantia. Isa. xl, *Qui sperant in Domino habebunt fortitudinem ; assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*. Tertium est memoria Dominicæ passionis. Hebr. xii, *Recogitate eum qui tales sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictiones, ut non fatigemini animis vestris deficientes*. Quartum est desiderium petendi Deum. Psalm. *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*. Galat. vi, *Bonum autem facientes non deficiamus ; tempore enim suo metemus non deficientes*. Sequitur, *Et in capite ejus corona stellarum duodecim*, idest duodecim prærogativæ virginitatis. Prima est spiritualis electio Dei Patris ad opus Filii sui. Unde xxiv, *Virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, ipsa est quam præparavit Deus*, Isaac, idest Christo. Unde Psalm. *Elegit Dominus Sion*, idest Beatissimam Virginem

quæ est speculum et specula Ecclesiæ. Secundo ipsa prærogativa Virginum est Dei Filii specialis desponsatio. Unde II Corinth. *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Et in festo virginum cantat Ecclesia : Agnum sponsum Virginum. Unde in veteri lege summus Pontifex, non ducebat uxorem, nisi virginem. Tertia est Spiritus sancti fœcundatio. Unde Zach. IX, *Quid bonum est, aut quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum et vinum*, idest gratia sancti spiritus, *germinans virgines*, ab effectu. Matth. I dicitur de Beata Virgine. *Inventa est habens in utero de Spiritu sancto.* Quarta est Dei conceptio et generatio. Isa. VII, *Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen ejus Emmanuel, idest nobiscum Deus.* Quinta est Dei refectio. Cant. : *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia*, idest inter Virgines. Sexta est Dei meditatio. I Corinth. VII, *Mulier innupta et virgo cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu.* Septima est inscriptio in libro vitæ. Apoc. III, *Habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et non delebo nomina eorum de libro vitæ*, Magnum quippe nomen acquireret sibi, quod nunquam posset oblivioni tradi, si quis parvus et modicus et debilis fortissimum athletam et astutissimum superaret in campo certaminis. Hoc facit Beatissima Virgo Maria, et quælibet virgo, quia diabolum in mundo superat. Unde Judith. XIII, *Una mulier hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor.* Una dicitur indivisa : unde una mulier idem est, quod virgo quæ diabolum vicit, unde nomen sibi magnum acquisivit. Unde et Augustinus dicit : « Quanto fragilior sexus, quanto infirmius vasculum, quod repræsentat ab hoste triumphum, tanto majoris opprobrii confusionis diabolus induitur, tanto mirabilior Deus in sanctis suis agnoscitur, tanto rex martyrum Christus in pugnatricibus suis jucundius delectatur. » Præterea magnum nomen sibi faceret inter amantes, quæ pro amico suo delitias, divitias et honores magnos pro nihilo reputaret, et pro ipso paupertati et utilitati subjiceret. Sic inter sanctos faciunt Virgines. Unde de ipsis cantat Ecclesia : Regnum mundi et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. Octava est quod ipsa est ornatus et pulchritudo cœli. Unde Eccles. XLIV, *Species cœli gloria stellarum*, id est Virginum, quæ dicuntur stellæ, quia de die non lucent, sed in vespere incipiunt apparere, id est in præsenti latere, sed in fine apparebit quid sunt. Unde Joannes virgo electus a Domino et pro se et aliis virginibus dicit, infra cap. III, *Filii Dei sumus, sed nondum apparet quid erimus ; scimus autem quoniam cum apparuerit similes ei erimus.* Nona est perfecta Christi assimilatio. Unde infra XIV, *Virgines enim sunt ; hi sequuntur agnum quocumque ierit.* Decima est novi cantici decantatio, quod solæ virgines decantabunt. Unde infra XIV, *Cantabant quasi canticum novum ante thronum Dei.* Psalm., *Quomodo cantabimus canticum novum in terra aliena ?* id est in carcere corrupta. Undecima majoris fructus promissio : nam fructus trigesimus promittitur bonis conjugatis, sexagesimus viduis, centesimus virginibus. Matth. XV, Propter quod dicitur I Corinth. XV, *Alia est claritas solis*, id est virginum : *alia lunæ*, id est viduarum : *alia stellarum*, id est conjugatorum. Duodecima est duplicis coronæ adeptio ; nam ipsis debetur aurea et aureola ; unde I Machab. IV, *Ornaverunt faciem templi coronis aureis.* Facies, quæ altior et nobilior pars corporis est, est corpus virginum, quod est nobilius et pulchrius et altius membrum Ecclesiæ ; quæ ornantur coronis aureis ; non corona una tantum, sed coronis ; quia aurea pro charitate, aureola pro virginitate. Jerem. XXXI, *Virgo Israel, adhuc ornaberis timpanis tuis et gradieris in choro ludentium*, ludo illo de quo dicitur Eccles. XXXII, *Præcurre prior in domum tuam, et illic advocare et illic lude*, ludo devotionis, *quoniam reliquiæ cogitationis diem festum agunt* Christo, id est agent *tibi.* Item dicitur, *Mulier amicta sole* Maria, propter peccati omnimodam immunitatem. Unde Cant. : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te, Et luna sub pedibus ejus*, propter omnimodam paupertatem, quam habuit et amavit. Unde Eccles. XXIV, *Mater pulchræ dilectionis*, quia nullo modo fuit in ea amor terrenorum, *Et in capite ejus corona stellarum duodecim*, id est duodecim prærogativæ, quas super illas mulieres habuit in cœlo quæ super terram fuerunt. Prima fuit uteri sanctificatio, propter quod dicitu electa et prælecta. Secunda fuit Ange salutatio. Tertia Spiritus san cti supe

ventio. Quarta fuit Dei conceptio. Propter hæc quatuor dicitur, *Ave gratia plena.* Aliæ quatuor fuerunt ex parte animæ. Quarum prima fuit humilitas, ex qua dixit, *Ecce ancilla Domini.* Secunda fuit prudentia, ex qua quæsivit. *Quomodo fiet istud.* Tertia fuit erubescentia, ex qua turbata fuit, viso et audito Angelo. Quarta fuit charitas, ex qua cognatam servivit, et vino deficiente in nuptiis dixit, *Fili, vinum non habent*, Joan. II. Propter hæc quatuor dicitur, *Dominus tecum.* Alias quatuor habuit ex parte corporis. Prima fuit maternitas sine corruptione. Secunda virginitas cum fecunditate, seu fecunditas cum virginitate. Tertia fuit gravitas sine gravamine. Quarta fuit partus sine dolore. Propter has quatuor dicitur : *Benedicta tu inter mulieres.* Sequitur, *Et in utero habens*, filium spiritualiter et corporaliter, quia statim ut credidit et consensit ipsum concepit, et in utero habuit. Unde Angelus ei dixit, Dominus tecum. *Et clamat*, admirando dicens : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? Parturiens*, id est parere cupiens, salva omni virginitate. *Et cruciatur*, id est jejuniis, vigiliis et orationibus, abstinentia, continentia, et aliis hujusmodi castigatur. *Ut pariat*, id est tanto partu digna fiat. *Mulier amicta sole*, potest dici religio induta cœlesti conversatione. Unde Phil. III, *Conversatio nostra in cœlis est. Et luna sub pedibus ejus*, id est mundus, quem religio contemnendo conculcat. Phil. III, *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucri facerem.* Unde Roman. VI, *Tamquam nihil habentes, et omnia possidentes*, id est sub pede tenentes. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim*, id est quatuor cardinales virtutes, quarum quælibet triplicata fuit in species duodecim. Prudentia enim tres habet species : scilicet memoriam, intelligentiam, et prudentiam. Prima respicit vitam præteritam. Secunda præsentem. Tertia futuram. Item temperantia tres habet species : scilicet abstinentiam, continentiam, et modestiam. Prima gulam, secunda renes, tertia linguam moderatur. Fortitudo tres habet species ; scilicet magnanimitatem ab ingressu bonorum. Patientiam in tolerantia malorum, longanimitatem in expectatione præmiorum. Item justitia tres habet species, scilicet humilitatem, æquitatem, benignitatem. Prima ordinat ad superiores. Secunda ad æquales. Tertia ad inferiores. *Et habens in utero*, scilicet duas filias, congratulationem et compassionem. *Et clamat* orando, consolando, parturiendo, suspirando, gemendo. *Et cruciatur*, jejunando, vigilando. *Ut pariat*, filios et filias servientes Domino nostro Jesu Christo.

Et visum est aliud signum in cœlo etc. Descripta muliere, describit Joannes draconem, contra eam pugnaturum, quia non nisi per pugnam venitur ad coronam, juxta illud II Tim. II, *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit ;* et promittitur ut virilius certetur in pugna. Ista autem pugna incœpit in isto principio mundi, quando tentavit mulierem primam, et durabit usque in finem : et semper acerbior fit pugna, quia draco semper crescit in malitia : propter quod et mulier, id est Ecclesia debet crescere in patientia et virtute, ne vincatur, sed potius vincat et coronetur. Dicit ergo, *Et visum est aliud signum.* Non dicit a quo visum, sed intelligendo ab eodem quo primum. Et bene dicit aliud, quia primum fuit signum proficiendi, istud fuit signum impugnandi, et impediendi profectum. Eccles. XI, *Multæ sunt insidiæ dolosi*, id est diaboli, quibus impedit bona quæ potest. Et specificat illud signum, id est ubi vidit, *In cœlo*, id est in Ecclesia, quæ pugnat in se ipsa, quia extra se vinceretur, sicut membrum nisi in corpore maneat pugnare vel operari non potest. Deinde ostendit quale sit, dicens : *Et ecce draco, magnus et rufus*, id est diabolus, qui dicitur draco propter astutiam, qua latenter insidiatur, ut noceat. Gen. : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Psalm. : *Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua, Magnus* propter potentiam nocendi. Job XLII, *Non est potestas super terram quæ comparetur ei. Rufus*, propter malitiam, qua mortem et sanguinem hominis sitit ab initio. Joan. VIII : *Ille homicida fuit ab initio.* Et nota, quod aliquando diabolus dicitur leo, aliquando draco. Leo dicitur ubi aperte sævit. Draco ubi occulte decipit. Ideo duo sunt mulieri necessaria : scilicet patientia contra malitiam leonis, et sapientia contra fallaciam draconis. Et ideo dicitur infra, eodem, quod duæ alæ datæ sunt mulieri, quibus se defendat, scilicet patientia et sapientia. *Habens capita septem*, id est universos principes mundi per quos operatur ; *Et cornua decem*, id est opulentiam et potentiam, et sapientiam

sæcularem, quæ dicuntur cornua, quia per hæc elevaverunt homines in superbia. Unde Isa. VII, dicitur, Quod Syria requievit super Ephraim, id est superbia super opulentias. Ideo dicit Apostolus I Tim. VI, *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere.* Ibi Augustinus : « Vermis divitum superbia. » Psalm. : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Dicuntur autem decem, quia propter hæc decalogus impugnatur, et propter illa despicitur. Unde Habac. I, *Congregabit quasi arenam captivitatem, et ipse de regibus triumphabit et tyranni ridiculi ejus erunt, ipse super munitionem sedebit, et comparabit aggerem, et capiet eum.* Aggerem vocat propheta divitias sæculares, et honores, quibus diabolus Ecclesiam capere intendit et cœpit jam pro magna parte, quia eorum amore pervertitur æquitas, relinquitur veritas, et dominatur falsitas. Unde Oseæ IV, *Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit*, scilicet peccatum superbiæ, peccatum avaritiæ. *Et in capitibus ejus*, id est in principibus sæcularibus septem diademata, id est septem vitia principalia, quasi victores coronantur a rege suo diabolo. Non enim nisi per vitia vincit diabolus ; et ideo vitia vocat Joannes diademata. Item diabolus habet septem capita, inquantum suggerendo movet ad septem criminalium peccatorum commissionem. *Et in capite ejus diademata septem*, quod ad septiformem tentationem, per quam victores coronantur. Unde beatus Bernardus, « Septem sunt genera tentationum. » Prima est importuna, quæ procaciter insistit, ut saltem tædio vincat. Job XIV, *Mons cadens defluit, et saxum transfertur de loco suo, lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur.* Secunda est dubia, quæ animum ambiguitatis nubilo involvit. Job XX, *Idcirco tentationes meæ variæ succedunt sibi, et mens mea in diversa rapitur.* Tertia est subita, quæ judicium provenit. Thren. IV, *Velociores fuerunt persecutores mei aquilis cœli.* Quarta est occulta, quæ deliberationes et considerationes prætergfugit. Unde Job XIII, *Quantas habeo iniquitates et peccata, et scelera ostende mihi.* Item Job XXXI, *Quis ei velabit portas vultus ejus, quis aperiet*, id est occultas ejus tentationes. Quinta est violenta, quæ vires animæ suæ mentis transcendit. Job XXX, *Quasi rupto muro et aperta janua irruerunt super me, et ad medias miserias devoluti sunt.* Sexta est fraudulenta, quæ animum seducit. Prov. IV, *Est via, quæ videtur homini recta, novissima autem illius ducunt ad mortem.* Septima est perplexa, quia variis vitiis simul impetit. Job XXXIX, *Procul odoratur bellum exhortationem ducum, et ululamen exercitus.* Possent et per septem capita intelligi septem hæresiarchæ, et per decem cornua, decem reges, qui tempore Antichristi tam falsa prædicatione, quam tyrannica potestate affligent sanctos et Ecclesiam totam, multos vincentes. Unde dicuntur in capitibus habere septem diademata, propter victoriam, quam habebunt de vitiis, quæ victoria magis fiet fraudulenta, quam violenta. Unde subdit, *Et cauda ejus,* id est finalis tentatio, vel simulata deceptio : quæ malitiam tegit, sicut *cauda*, dicitur Isa. IX, Propheta loquens mendacium ipse est causa. *Qua trahebat*, de fide ad infidelitatem, *Tertiam partem stellarum cœli*, id est omnes reprobos qui reprobi dicuntur stellæ, propter fidem quam habent saltem informem, *Et misit eas*, tractas et allectas, *In terram*, id est in amorem terrenorum, ut plus ea, quam cœlestia diligant. Nota : quidam sunt, qui semper volunt trahi, et nunquam trahere, ut simplices faciunt, qui nunquam volunt alios regere suo sensu, sed semper volunt ab alio regi. Quidam volunt aliquando trahere et aliquando trahi, ut sapientes et boni Magistri, qui aliquando regunt alios suo sensu, et aliquando nolunt regi ab alieno sensu, quia nolunt inniti semper suæ prudentiæ. Ecce, duæ partes stellarum. Alii sunt qui semper volunt trahere et nunquam trahi : hi semper volunt alios regere et nunquam ab alio regi, ut sunt illi, qui semper præponunt sensum suum omnibus aliis : hi sunt tertia pars, quam trahit cauda diaboli in infernum, una de Lucifero qui dixerat, *Ascendam in cœlum et ero similis Altissimo.* Dictum est Isa. XIV, *Verumtamen ad infernum traheris*, id est in profundum laci. Ad litteram hæc auctoritas inducitur frequenter a sanctis, ubi agunt de numero Angelorum qui cum Lucifero ceciderunt, quos vocant tertiam partem stellarum cœli. Sed quæritur quomodo dicatur tertia pars cum tamen decima ceciderit ? Item quæritur, quare Lucifer cauda sua traxerit

eos. Gregorius II *Moralium* : potest esse quod suggesserit ei, ut consentirent ei, quia omnes cum Lucifero peccaverunt et simul de cœlo statim facto peccato ceciderunt. Solutio. Ad primum dicimus, quod duo sunt genera Angelorum : quidam ministrant, quidam assistunt. Unde Dan. VII, *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* Boni ministrantes dicuntur prima pars stellarum. Item boni assistentes dicuntur secunda pars. Alii autem qui nec assistere Deo voluerunt, nec ministrare bonis propter Deum, sed Lucifero consenserunt : Lucifer simul enim appetiit æqualitatem Dei et aliis Angelis revelavit voluntatem suam ; ideo dicitur eos traxisse, et in terram misisse, id est in istum caliginosum aerem, in quo sunt usque ad diem judicii, ad nostram probationem. Item stellæ cœli dicuntur omnes in Christo fideles, quasi in firmamento manentes, fide et vita lucentes ; sed maxime clerici dicuntur stellæ, quia vita et doctrina debent Ecclesiam illuminare. Sed causa diaboli, id est suggestio in fine pœnitentiam promittens, multos trahit in terram, id est in terrenam concupiscentiam. Promittit enim eis longam vitam et in fine pœnitentias, et multi capiuntur et decipiuntur. Eccles. XXIX, *Repromissio nequissima multos perdidit diligentes et amovit eos, quasi fluctus maris.* Sed quia terræmotus est violentus et cauda sonat in deceptionem, ex illorum conjunctione, Nota quod diabolus quosdam trahit violenter, quosdam fraudulenter : sunt et multi qui nullo istorum malorum trahuntur, sed ipsi secum trahunt peccata post se et ad se tentationes præveniendo. De quibus dicit Isa. : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis iniquitatis.* Et quare ? vinculum plaustri peccatum. Thren. I, *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.* Merito utrisque subvenire debemus, immo tenemur quantum possumus, maxime prælati. Prov. XXIV, *Erue eos qui ducuntur ad mortem et eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* Sequitur.

Et draco stetit ante mulierem etc. Hic ostenditur pugna draconis contra mulierem. Et primo ostenditur pertinax malitia diaboli, cum dicit, *stetit.* Secundo status mulieris, cum dicit, *Quæ erat paritura :* quod valde notabile est. Cum enim gravida est anima conceptione boni propositi, instante partu, maxime insurgit diabolus, ut impediat partum. Tertio ostenditur intentio stantis draconis, cum dicit, *Ut cum peperisset*, et postea ponitur partus mulieris, cum dicit, *Et peperit filium.* Quarto ponitur conservatio partus, cum dicit, *Et raptus est filius.* Tandem ponit fugam mulieris in solitudinem a facie draconis, ubi servata est ab illo, cum dicit, *Et mulier fugit.* Dicit ergo, *Et draco*, id est diabolus sic armatus, ut dictum est, scilicet potentia, astutia et malitia, quæ est maligna Trinitas, *stetit*, non fessus, non fatigatus, sed semper vigilans et insidians bonis, *Ante mulierem*, id est contra Ecclesiam quæ erat paritura, sed nondum pepererat per effectum. Contra tale maxime nititur diabolus impedire. Vellet enim diabolus, quod semper essent prægnantes, et nunquam parturientes. Isa. XXVII, *Filii venerunt usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Luc. XXI, *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus : erit enim pressura magna super terram.* De diligentia et sollicitudine diaboli contra Ecclesiam dicitur Isa. *Væ. Ecce festinus veniet velociter ; non est deficiens neque laborans in eo ; non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, neque rumpetur corrigia calceamenti ejus, quia ab omnibus his expeditus est.* I Petr. V, *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens.* Ad quid autem stabat, ostendit. *Ut cum peperisset filium ejus*, ad peccatum traheretur : sed ubi non potest diabolus impedire partum boni operis, postea nititur edere partum per vanam gloriam, quam frequenter in fine operis ostendit. Unde Genes. III dicitur mulieri, *Ipse insidiabitur calcaneo tuo, et tu conteres caput suum.* Zach. *Satan autem stabat a dextris ejus, ut adversaretur ejus.* Ideo dicitur Exod. III, quod *parentes Moysi videntes puerum elegantem, absconderunt eum tribus mensibus.* Tres menses sunt tres defectus qui debent attendi in operibus nostris, ne inde inaniter gloriemur. Primus quia opera nostra non sunt pura. Isa. XLIV, *Universæ justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* Job IX, *Si lotus fuero quasi aquis nivis et fuerint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me.* Gregorius : Sæpe sordet ante oculos judicis, quod fulget ante oculos facientis. Secundus est quia et si essent pura sine admixtione peccati, tamen non

sunt plena. Supra III, *Non invenio opera tua plena coram Deo.* Tertius est, quia etsi essent pura et plena, non sunt multa, sed pauca. Unde Psalm. : *Paucitatem dierum meorum nuntia mihi*, id est quam pauca merita habeam ostende mihi. Unde dicebat Job. IX, *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Et certe si hæc tria concurrant in operibus nostris, scilicet quod essent pura et plena, et multa, tamen non debemus adhuc extolli, quia non sunt a nostra virtute, sed Dei operantis in nobis. Unde Isa. XXVI, *Omnia opera nostra operatus es nobis nobis, Domine.* Ideo dicit Apostolus I Cor. IV, *Quid habes, quod non accepisti?* Et nota quod dicitur, *Et cum peperisset filium ejus.* De filio enim Ecclesiæ maxime insidiatur diabolus ad devorandum. De aliis enim non multam curam gerit, quia de facili habet illos. Job. XL, *Absorbebit fluvium et non mirabitur ;* habet enim fiduciam, quod Jordanis influat in os ejus. Item non dicit : Ut cum peperisset filiam ejus devoraret, sed filium. Quia quanto quis fortior et sanctior est, tanto invidia diaboli major est ; et quanto melius opus facit, tanto diabolus magis eum extinguere nititur. Aut a principio intentionem pervertendo, aut in finem vanam suggerendo. Exod. I, *Dixit Pharao obstetricibus Hebræorum : quando tempus advenit pariendi, si masculus fuerit, interficite eum, feminas reservate. Et peperit mulier*, id est Ecclesia, *Filium masculum*, id est Christum nil femineum in se habentem, quod opponitur virtuti sed omnino virtuosum. I Corinth. I, *Quod infirmum est Dei, fortius est omnibus hominibus.* De hoc partu dicitur Isa. VII, *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Mich. V, *Dabit eos Dominus usque ad tempus, in quo parturiens pariet, qui recturus erat omnes gentes in via justitiæ.* Unde Isa. XXXIII, *Dominus judex noster, ipse veniet, et salvabit, et faciet judicium et justitiam in terra.* Unde et hic dicitur, *In virga ferrea* quasi in potentia, vel justitia inflexibilis Dei misericordiæ unita. In virga enim signatur misericordia. Unde Psalm. *Visitabo in virga iniquitates eorum et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo.* In ferro autem notatur justitiæ rigor ; sed *misericordia superexaltat judicium*, ut dicitur Jacob. I. Ideo virga ponitur substantive et ferrea adjective. Sed in futuro non reget Dominus nisi forte virga æquitatis, sed confringet malos in virga ferrea. Quia et si puniendo condemnet irrevocabiliter, tamen puniet et misericorditer, quia non juxta condignum. Psalm. *Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos. Et raptus est filius ejus ad Deum*, id est ascendit in cœlum captivam ducens captivitatem, *Et ad thronum ejus*, id est ad æqualitatem Patris, non per effectum novum, quia ab æterno fuit coæqualis et coæternus et consubstantialis Patri ; sed per manifestationem, sicut dicitur Rom. I, *Prædestinatus est Filius Dei.* Philipp. II, *Dabit illi nomen, quod est super omne nomen.* Item. Raptus est filius ejus ad Deum, id est virtute divinitatis ascendit in cœlum. Juxta illud Joan. III, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlis. Et ad thronum ejus*, id est ad potestatem ejus, ut cum potestate regat et judicet omnia, sicut ab æterno. Proverb. VIII, *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies cum eo.* Moraliter, per filium masculum significatur fides, vel opus bonum, quod mulier vel Ecclesia parit et generat, prædicando et bene vivendo, in cordibus auditorum. Jacob. I, *Voluntarie genuit nos verbo veritatis.* Hic filius regit gentes in virga ferrea, id est motus carnales et animales et affectus domat et ordinat rationabili disciplina. Hæc est virga quam Dominus dedit Moysi, Exod. IV, In qua fuerunt miracula in Ægypto. Quia qui in mundo disciplinatur, securus est, quod salvabitur. Hic filius debet rapi Ad Deum, et ad thronum Dei, id est non homini credenti, sed operanti, debet attribui, quod credit, vel operatur : sed Deo auctori, *qui operatur in nobis velle et perficere pro sua bona voluntate*, Philipp. II. Et est hic optimum documentum contra tentationem diaboli, cum vult devorare opus bonum, scilicet referre ad Deum, et nil sibi attribuere. Et tunc non solum evadet filius, immo superabitur diabolus. Unde Isa. IX, *Sceptrum exactoris ejus superasti.* Et subdit quare : *parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis.* Sequitur, *Et mulier*, id est Ecclesia, *Fugit*, per auxilium filii sui, *In solitudinem*, *Glossa*, In mentis secretum spreto mundi tumultu. Unde Psalm. *Elongavi fugiens, et mansi solitudine. Ubi habet locum paratum a Deo ad quiescendum*, quia in mundo non est quies. Unde

Job XXXIX, dicit de viro sancto sub figura onagri : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus dissolvit? qui dedit in solitudine domum, et tabernaculum ejus in terra salsuginis*, id est in carne, ubi multas sentit amaritudines. Et ideo libenter fugit in solitudine, id est ad mentis quietem. Vel, *In solitudinem*, id est in cœlum per contemplationem, quæ dicitur solitudo, sicut desertum, propter tumultus carentiam, et quia derelictum fuit a Lucifero et sociis ejus. Unde Luc. XV, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat?* quasi dicat Dominus : sic feci ego, id est in cœlo, et dimisi novem ordines Angelorum, et veni in mundum quærere hominem qui perierat, qui ovis centesima reputatur, quia de hominibus reparabitur ruina Angelorum, ut eorum numerus integer sit, ubi habet locum paratum a Deo, ut tandem rapiatur ibi per apertam visionem. Joan. XIV, *Vado vobis parare locum*. Ut ibi pascat eam *esca Angelorum*. Sap. XVI, *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum de cœlo panem præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem*. Vel, In solitudine, id est in religione, ubi mundo contempto, soli Deo et sibi vacant religiosi. De qua dicitur Isa. LI, *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur ruinas ejus, et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi ortum Domini. Ubi habet locum paratum a Deo ad comedendum*, non cibum qui perit, sed cibum æternum, et in æternum, scilicet verbum Dei, et ipsum Deum. Uterque cibus comeditur in lectione, uterque in contemplatione : et hunc locum parat ipse Dominus suis. Unde Psal. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*. Et hoc est quod sequitur : *Ut ibi pascat eam* pane doctrinæ, pane eucharistiæ, et pane gloriæ. De quibus dicitur Luc. XI, *Amice, commoda mihi tres panes*. De hoc dicit Psal, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loço pascuæ ibi me collocavit*. Jerem. XXXIV, *Congregabo oves meas de terris, et inducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel*, id est in claustris, in rivis, et in cunctis etc. Multi non credunt quod tanta sint refectio animarum in claustro, quia non senserunt, et ideo non credunt. Unde dicitur in Psal. *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* id est doctrinam in claustro. Hoc est nomen, id est res nominis, quod nemo scit nisi qui accipit, supra II. Unde cum Andreas quæreret a Domino : Rabbi, ubi habitas? Respondit Dominus, Veni, et vide : quasi dicat : Non signo, sed experientia potest cognosci locus hujus habitationis. Habacuc I, *Opus factum est in diebus nostris, quod nemo credet cum enarrabitur*, supple nisi probaverint sensum. Eccles. XXXIV, *Qui non est expertus, pauca recognoscet*. Bernardus : « Multi vident cruces nostras, qui non sentiunt nostras consolationes. » *Diebus mille ducentis sexaginta*, id est toto tempore vitæ præsentis ; quia tantum durabit Ecclesia, id est Christi doctrina. Matth. IX, *Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Per dies Mille ducentos sexaginta, intelligitur omne tempus a prædicatione Christi usque ad finem mundi, quod tot diebus prædicavit Christus, et doctrina et veritas ejus prædicationis non variatur. Quamvis dies multo sunt plures, quam Mille ducenti sexaginta, a prædicatione Christi usque ad finem mundi, tamen tot dicuntur esse quot sunt illi in quibus facta est prædicatio. Nullum enim alium cibum sumimus in Ecclesia vel in claustro, nisi quem in illis Mille ducentis sexaginta diebus Dominus noster Jesus Christus præparavit. Tale est ergo ac si diceret : ut ibi pascat eam suavissimo ac dulcissimo cibo, quem Christus in illis Mille ducentis sexaginta diebus, præparavit. Hæc refectio significata est Matth. XXIV, Ubi turbam, quæ secuta est eum, pavit quinque panibus et duobus piscibus, et postea alia vice septem panibus et pisciculis paucis. Sequitur.

Et factum est etc. Diabolus insidiatur Ecclesiæ, quod significavit cum dixit, *Draco stetit ante mulierem parituram*, qui callidus et malitiosus et fortis est : ideo indiget Ecclesia adjutorio : propter quod ostendit hic Joannes duplex adjutorium, quod habet Ecclesia contra diabolum. Unum a filio quem peperit, qui draconem expugnavit, et Ecclesiam liberavit, et de hoc adjutorio jam dictum est. Aliud adjutorium habet a ministris filii, id est Angelis bonis, qui contra malos Angelos pro Ecclesia pugnant. Vel præliare dicuntur, quia conatibus malorum resistunt, et Ecclesiam monitionibus et inspirationibus bonis instruunt, quam mali destruere nituntur, et eam trahere ad pec-

catum. Unde et ipsi fide pugnare dicuntur : et de hoc ajutorio dicitur ibi, et dicit hic *Glossa*. Dicit ergo, quod *Factum est prælium in cœlo,* id est pro cœlo, quod dæmones volunt auferre hominibus ex invidia, quia inde per superbiam ceciderunt. Similem expositionem habemus Ephes. VI, ubi dicitur : *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates etc. in cœlestibus*, id est pro cœlestibus quæ nobis auferre conantur mali Angeli ; sed boni nos custodiunt, ideo pugnare invicem dicuntur. Unde sequitur. : *Michael, et Angeli ejus pugnaverunt cum dracone*, id est cum Lucifero. Michael nominatur solus, quia est præpositus Ecclesiæ. Unde ei præcipue incumbit custodia ejus. Alii Angeli, qui singuli singulis hominibus sunt deputati, sub illo sunt, sicut episcopi sub præpositis : et ideo dicuntur Angeli ejus, id est minores, qui sunt. Michael autem fuit præpositus Synagogæ. Unde Angelus Domini dixit : *Nemo adjutor meus fuit in omnibus his, nisi Michael princeps noster*. Dan. X. Sed ex quo Synagoga crucifixit Christum, translatus est Michael ad præposituram et custodiam Ecclesiæ. *Angeli ejus*, id est minores, qui sunt, custodes singulares. De quibus dicitur Hebr. I, *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Item Matth. XIX, *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris*. Ibi dicit *interlinearis*: Angeli eorum deputati sunt eis ad custodiam. Item : Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui, Angelum delegatum. *Præliabantur* Ecclesiam sustentantes, pro ea orando, ei bona inspirando, malos refrenando, *Cum dracone*, id est contra Luciferum principem dæmoniorum, *Et draco*, id est Lucifer, *pugnabat, et Angeli ejus*, id est qui cum eo et propter eum ceciderunt, et ei obedierunt tamquam principi suo, supple, præliabantur contra Michaelem et Angelos ejus, destruentes munitiones eorum, et contrarias suggerendo hominibus. *Et non valuerunt* removere auxilia bonorum Angelorum, *Neque locus eorum amplius inventus est in cœlo*, id est in Ecclesia. Quo ad bonos, dicit *Glossa :* Et si aliunde Deo permittente peccent boni, non habent tamen dæmones locum in eis, quia eos non detinent quantum volunt, quia Dominus cito liberat eos. Unde II Petr. *Novit Deus pios de tentatione eripere, iniquos vero in die judicii cruciandos servare*. Vel in malis, qui sunt in Ecclesia, saltem non habet diabolus locum, id est quietam mansionem, sicut habebat in Antichristi adventum, et adhuc in infidelibus, quia frequenter inquietatur a prædicatoribus, multo plus solito. Unde Job : *Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare leviathan*. Et hoc significavit Dominus Matth. VIII, ubi dæmones ejecit de duobus hominibus, et misit in porcos. Ibi dicit *Glossa*, Nisi forte ad probandum. Unde sequitur.

Et projectus est draco ille magnus etc. potentia *serpens* astutia antiquus ex antiquo tempore nocens. Joan. VIII, *Ille homicida fuit ab antiquo qui vocatur diabolus*, id est deorsum fluens de cœlo ad terram : de bonis ad malos : vel de peccato in peccatum, quia continue peccat, et quanto plus peccat profundius fluit. Unde Psal. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper, et Satanas*, id est adversarius. I Petr. I, *Adversarius vester diabolus etc. Qui seducit*, id est seorsum divertit a veritate ad falsitatem : a charitate ad cupiditatem ducit actu vel voluntate universum orbem. *Et projectus est in terram*, id est in corda terrenorum. *Et Angeli ejus*, id est ministri illo auxilio Filii et ministrorum ejus, in quo magis desævivit, repulsi a sanctis. Ad litteram hoc totum potest exponi de bello, quod fuit in cœlo Empyreo, quando Lucifer et sui propter superbiam ceciderunt, et alii propter suam sapientiam et Dei gratiam remanserunt. Unde diversitas affectuum et effectuum potest dici eorum prælium. Lucifer et sui, superbiendo ceciderunt. Michael et sui humiliando se, steterunt. Unde dicit, Et factum est prælium in cœlo, id est diversitas voluntatum et concensuum. Ad litteram, in cœlo Empyreo, Michael, et Angeli ejus præliabantur cum dracone. Deo adhærentes, et Lucifero reprobantes. Et draco pugnabat, et Angeli ejus, id est Lucifer et ejus complices superbiendo super omnem, divinitatem appetendo, Et non valuerunt assequi quod optabant. Neque locus inventus est eorum amplius, in cœlo Empyreo. Et projectus est draco ille, ut Lucifer, qui draco dicitur, propter audaciam. Draco enim animal est sitibundum. Magnus, propter superbiam. Serpens, propter astutiam. Antiquus, propter longam experientiam, Qui vocatur diabolus, propter ruinam.

vel propter invidiam. Quia vult de homine duos bolos facere ; id est unum de corpore, et alium de anima. Totum enim intendit perdere, propter invidiam. Et Satanas, propter iram, vel propter malitiam, quia omni bono adversatur. Qui seducit universum orbem, per fallaciam, sicut Adam, quibus promisit immortalitatem, libertatem, scientiam. Nequaquam, inquit, moriemini, ecce primum. *Eritis sicut Dii*, ecce secundum. *Scientes bonum et malum*, ecce tertium. Sed solum inde moriendi necessitate, servitute, ignorantia. De primo dicitur Rom. v, Genus, propter peccatum mortale est in moriendi necessitatem adductus. De secundo Joan. VIII, *Qui facit peccatum, servus est peccati.* De tertio Eccles. IX, *Nescit homo finem suum etc. Et projectus est in terram*, infimam, id est infima in infernum. Ezech. XXXI, *Ecce ductus est cum lignis voluptatis ad terram ultimam, et in medio incircumcisorum dormiens cum eis, qui interfecti sunt gladio. Et Angeli ejus missi sunt cum eo*, id est mittentur, quando dicetur, Ite maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et Angelis ejus. Sequitur. *Et audivi.* Hic ostenditur quantum Angeli gratulentur de liberatione Ecclesiæ, et diaboli dejectione. In quo provocat nos Joannes ad gratulandum de bonis proximi. Nam si Angeli gaudent de bono hominis, multo fortius gaudere debent homines de bono hominum, qui sunt fratres. Propter hoc debet unusquisque laborare, ut vincat diabolum cum sua victoria, ut sancti Angeli exultent Unde dicit, *Et audivi vocem magnam*, id est lætitiam magnam, *In cœlo*, id est in Ecclesia, tam militanti quam triumphanti, *Dicentem*, id est significantem. *Nunc* principe mortis devicto, *Facta est salus*, id est remissio peccatorum in baptismo, *Et virtus*, id est pugnandi audacia diaboli virtute deliberata, *Et regnum Dei nostri*, Regnum scilicet hujus mundi, in quo diabolus dominari ut rex videbatur. Joan XIII, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, Et potestas Christi ejus*, supple, *Facta est*, nunc, inquit, super genus humanum, quam prius habebat diabolus, Deo permittente, et peccatis nostris exigentibus : sed Domino veniente superatus est ab eo, et perdidit eum. Unde Luc. XI, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confitebat, et spolia distribuet etc. Quia projectus est*, quasi : bene dico : *Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri*, qui regit eos de virtute in virtutem, *Et protestas Christi ejus*, qua dominatur destructo dominio diaboli, *Quia projectus*, id est procul jactus, sine spe revertendi, *Accusator fratrum nostrorum.* Dicunt Angeli, id est diabolo, cujus officium est accusare fratres, id est per peccatum accusabiles reddere. Dicit *Glossa*, Sed quæritur quomodo Angeli dicant nos fratres, cum non sint per naturam ? Vel per creationem, quia ab uno sumus nos et ipsi creati, vel quia ad eamdem hæreditatem sumus nos et ipsi vocati. Sed iterum quæritur quare dicit singulariter, Accusator. Solutio : propter unitatem intentionis omnium dæmonum. Vel hoc refertur ad principem dæmonum, a quo mittuntur alii. *Qui accusabat*, id est accusabiles facere laborabat, *Illos*, id est fratres, suggerendo eis materiam peccandi. *Ante conspectum Dei nostri*, quem nil latet. Unde Hebr. IV, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo, Die ac nocte*, id est continue, vel per prospera, vel per adversa. Ipse enim cognoscit quos potest damnare per prospera, et quos per adversa, et secundum hoc tentat eos. Et credo, quod plures damnentur per prospera, quam per adversa. Unde Psal. *Cadent a latere tuo mille*, id est in adversitate, *et decem millia a dextris tuis*, id est in prosperitate, *Et ipsi*, scilicet fratres auxilio Angelorum fulti, *Vicerunt eum*, suggestionem ejus non recipiendo. Semper enim vincuntur, quando suggestio eorum non recipitur : quod satis facile videtur. Unde illud : debilis est hostis, qui non potest vincere, nisi volentem. Sed ne crederet quis quod virtute vicisset : ideo sequitur, *Propter sanguinem Agni*, id est propter fidem et imitationem passionis Christi. I Joan. v. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Hebr. XI, *Sancti per fidem vicerunt regna.* Hoc significatum fuit Exod. XII, Ubi dicitur quod tantum illis non nocuit exterminator, qui postes domus, et superliminare, sanguine tinxerunt. Duo sunt postes anima et corpus. Superliminare domus est ratio sive intellectus. In corde est sanguis agni per affectum compassionis. In corpore per affectum imitationis. In ratione per fidei illuminationem. De hoc dicitur Cant. VIII, *Pone me ut signaculum*

super cor tuum ut signaculum super brachium tuum. Et propter verbum testimonii sui, id est propter prædicationem qua testificati sunt nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem ejus etc. Unde Act. IV, *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi. Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem*, exclusive, id est non dilexerunt vitam suam temporalem, ut animæ eorum morerentur. Sicut Paulus dicit Act. V, *Non facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum.* De his dicitur Judith. V, *Qui sponte obtulistis ex Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.* Propterea hic invitant se mutuo Angeli et sancti ad gaudendum super diaboli dejectionem et hominis. Unde dicunt, *propterea.* Quia diabolus est dejectus et homo liberatus, *Lætamini cœli*, id est vos majores Angeli, *Et qui habitatis in eis*, id est vos minores. Et dicuntur minores in majoribus habitare, quia ab illis recipiunt illuminationem, ut dicit Dionysius. Vel cœli dicuntur Angeli, et qui habitant in eis dicuntur sancti alii qui auxilio aliorum sunt salvati; et ideo dicuntur habitare in eis, cum eis et pro eo. Vel cœli dicuntur prælati, quorum vita cœlestis est, juxta illud Philip. *Conversatio nostra in cœlis est* : et qui habitant in eis dicuntur boni subditi, qui quasi in castro habitant in prælatorum subsidio. Et omnes hi invitantur ad gaudium propter diaboli dejectionem et Ecclesiæ exaltationem. *Væ habitoribus terræ.* Supra actum est de pugna draconis cum Michaele in cœlo. Hic agit de pugna ejusdem in terra. Priori enim pugna impugnatur Ecclesia. Vel prior pugna est occulta, secunda manifesta. Vel prior pugna fuit contra perfectos ; et ideo dicitur fuisse in cœlo. Secunda contra imperfectos ; et ideo dicitur fuisse in terra. Vel prior fuit per occultam fraudem, secunda erit per apertam tribulationem. Volens ergo Joannes significare nobis finalis persecutionis magnitudinem, dicit *væ*, maxime tribulationis, vel æternæ damnationis, *Terræ et mari*, id est omni peccatori. Per terram significatur avaritia, per mare superbia. De utrisque legitur quod est caput omnium malorum. De avaritia dicitur I Timoth. VI, *Radix omnium malorum cupiditas.* De superbia dicitur Eccles. X, *Initium omnis peccati superbia.* Et ideo recte per terram et mare significantur omnes peccatores, quibus imminet gravis tribulatio et æterna damnatio. Vel per terram possunt significari mali christiani, propter amorem terrenorum avidi. Per mare significantur infideles, propter errorum amaritudinem. Vel per terram, quæ stabilis est, significantur illi, qui sunt stabiles in uno peccato ; per mare, quod instabile est significatur illi, qui de uno peccato in aliud fluunt. Unde Isa. LX, *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Et omnibus illis væ. Quare autem dicitur, *Væ terræ et mari*, determinat dicens, *descendit*, id est de cœlo dejectus est, vel de sanctis expulsus et confusus diabolus, non jam inveniens locum in sanctis ad eos decipiendos et possidendos, *habens iram magnam* de sua dejectione et sanctorum salvatione, quos non patitur amplius impugnando vexare *sciens quod modicum tempus habet* ad impugnandum sanctos ; et ideo ferventius in eos qui recte volunt vivere et ardentius eos impugnare conatur. Et notantur hic duo modi impugnationis, qui erunt tempore Antichristi. Unus est per simulatam habitudinem ; et ideo ad hoc dicitur, descendit. Alius erit per apertam persecutionem : et quo ad hoc dicitur, *Habens iram.* Sequitur. *Et postquam.* Hic ostenditur conatus diaboli aperte Ecclesiam persequentis. Postquam enim vidit diabolus se per occultam fraudem non posse perficere, aperta tribulatione aggreditur expugnare. Unde dicit : *Et postquam vidit draco*, id est diabolus, qui habet acumen visus per subtilem astutiam, et magnitudinem corporis per potentiæ violentiam. Ad litteram draco habet subtilem visum et corpus magnum ; et significatur diabolus, qui est subtilis per astutiam et magnus per potentiam, *Qui projectus est de cœlo in terram*, id est in infernum. Vel in terram, id est inter reprobos expulsus a sanctis, *Persecutus est mulierem*, id est Ecclesiam. *Quæ peperit masculum*, id est Dominum nostrum Jesum Christum qui ei præstabat auxilium contra apertam tribulationem diaboli. Sic contra occultam tribulationem vel impugnationem. Ecce postquam sancta Ecclesia vel sancta quælibet anima facit aliquod magnum, statim insurgit tribulatio et persecutio iniquorum. *Et datæ sunt mulieri*, id est Ecclesiæ, *Duæ alæ aquilæ magnæ*, id est duæ vitæ. Activa

scilicet et contemplativa. Vel duo Testamenta. Vel contemptus mundi et desiderium cœlestis regni : quæ dicuntur *Alæ aquilæ*, quia in cœlum faciunt volare ; et ideo fixum habent intuitum. Unde Isa. XL *Qui sperant in Domino habebunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ.* Item duæ alæ possunt dici patientia et sapientia, quæ datæ sunt Ecclesiæ contra duplicem impugnationem qua impugnatur ab adversariis. Una est per verba : contra hanc datur sapientia. Alia est per verbera : contra hanc datur patientia. Aquila magna, cujus sunt hæ alæ, proprie Christus est. Unde Deuteronom. XIII. *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, atque portat in humeris suis.* Vel Duæ alæ aquilæ magnæ, possunt dici humilitas et virginitas Beatissimæ Mariæ, quibus mulier, id est Ecclesia, fuit a diabolo liberata. Et bene per aquilam significatur Maria : quia sicut aquila excedit alias aves, ita Virgo Maria alias mulieres, quasi regina et domina mulierum. Prov. ult. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*, Cant. II. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Job XXXIX dicitur de hac aquila : *Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila et in arduis ponit nidum suum?* Vel Duæ alæ aliquæ magnæ, sunt duo præcepta charitatis : quæ recte dicuntur alæ aquilæ, quia sicut aquila alias volatu superat aves, ita charitas alias virtutes. I Corinth. XIII, *Manent autem tria hæc, fides, spes, charitas; major autem horum est charitas.* Ezech. I, *Aquila desuper ipsorum quatuor.* Vel *Duæ alæ aquilæ magnæ*, sunt duæ partes justitiæ, scilicet declinare a malo et facere bonum, quibus volatur in cœlum Unde Psalm. *Quis est homo qui vult vitam et cupiet dies videre bonos? declina a malo et fac bonum etc.* Et recte dicitur justitia aquila magna ; quia sicut aquila habet acumen visus, sic justitia acuit intellectum. Unde Psalm. *Lux orta est justo.* Item Psalm. *A mandatis tuis intellexi,* id est in observantia mandatorum tuorum. Eccles. II. *Filii concupiscens sapientiam serva justitiam.* Vel Duæ alæ aquilæ, sunt timor et amor Ecclesiæ, quæ sursum et non deorsum volat. Cant. IV, *Vadam ad montem myrrhæ*, id est ad tumulum immobilem tormentorum inferni, *et ad collem thuris*, id est ad culmen immobile gaudiorum Paradisi. Et licet majora sint gaudia cœli quam tormenta inferni : tamen quia minus cognoscuntur et sentiuntur gaudia cœli ; ideo per collem thuris designantur, et tormenta inferni per montem myrrhæ. Vel per montem myrrhæ intelligitur multitudo peccatorum, per collem thuris paucitas meritorum quæ uterque alternis vicibus sunt consideranda. Vel Duæ alæ, sunt intellectus et affectus, quibus volat Ecclesia cogitando et desiderando. Quæ datæ sunt Ecclesiæ, ut cum illis a facie draconis volando fugiat. Vel Duæ alæ aquilæ magnæ, sunt justitia et misericordia. Quæ datæ sunt Ecclesiæ, ut de se justitiam faciens et aliis misericordiam impendens, cum Deo ambulet fugiens draconem. Mich. VI, *Judicabo tibi homo quid sit bonum, et quid Dominus requirit a te : utique facere judicium et justitiam, et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Vel Duæ alæ aquilæ magnæ, sunt duæ partes sapientiæ ; scilicet cognitio Dei et cognitio sui. De quibus Augustinus in libro *de Confessione :* « Domine, noverim me, noverim te : » bona et brevis est oratio, nam cognitio Dei vitat desperationem, cognitio sui præsumptionem. Sapientia vero dicitur aquila propter acumen visionis. Magna propter dignitatem, quia primum locum obtinet inter dona. De qua dicitur Sapientiæ VII, *Dilexi sapientiam et proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius.* Et de his aliis dicitur I Reg. VII, *Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera, id est decem cubitos habentes a summitate alæ usque ad alterius summitatem etc.* Quid sunt quinque cubiti primæ alæ nisi quinque quæ debet homo cognoscere? Primum est nascendi vilitas. Secundum vivendi brevitas. Tertium moriendi necessitas. Unde quidam dixit, Væ mihi nascenti, væ morienti, væ vivo. Quartum est vivendi calamitas. Quintum est mortis incertitudo. De quatuor primis dicit Job XIII, *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis : qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra.* De quinto dicitur Eccles. IX, *Nescit homo suum finem etc.* Item quinque cubiti alterius alæ sunt quinque, quæ debet homo cognoscere de Deo et in Deo. Primum, quod est largissimus donator. Jacob I, *Dat omnibus affluenter et non improperat.* Secundum, quod est patientissimus redditor. Eccles. V, *Ne dixeris, peccavi et quid mihi acci-*

dit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Tertium est, quod est sapientissimus investigator, cui nihil potest abscondi. Hebr. IV, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo.* Magnæ probitatis necessitas indicta est nobis nisi dissimulare velimus, cum cuncta agamus ante oculos judicis cuncta tenentis. Quartum est quod est justissimus judex, quia nulla causa potest flecti. Psalm. *Deus judex, justus, fortis.* Prov. VI, *Zelus et furor viri, non parcet in die vindictæ etc.* Quintum est quod est potentissimus executor, Exod. XV, *Dominus, omnipotens nomen ejus.* Sap. XIII, *Misereris omnium, quia omnia potes.* Ad quod autem datæ sunt istæ alæ mulieri, dicit Joan. consequenter, *Ut volaret*, adjutorio illarum, *In desertum*, sanctæ conscientiæ. Vel in locum pœnitentiæ. Vide quantum proficiat Ecclesia in tribulatione. Supra dictum est quod *Mulier fugit in solitudinem*, pedibus utens quasi adhuc terrena inhians ordinate: nunc dicitur quod volat, quia non jam pedibus tangit terram. Item prius fugit in solitudinem, quia excludit tumultum hominum, sed non copiam rerum. Nunc dicitur volare in desertum, quia excludit tumultum et copiam rerum in locum suum proprium. Unde patet quod proprius locus Ecclesiæ et filiorum ejus, est desertum: ubi, nec tumultus causarum, nec frequentia hominum, nec copia rerum invenitur. Job III, *Requiescere cum regibus et consulibus terræ qui ædificant sibi solitudines.* Et infra ibi: *Cessaverunt a tumultu, requieverunt fessi robore; et quando victi pariter sancti molestia, non exaudierunt vocem exactoris*, id est ventris. *Ubi alitur per tempus, et tempora et dimidium temporis:* idest doctrina prædicationis Christi, si hoc referatur ad statum Ecclesiæ tempore Antichristi, quæ fit per tempus, et tempora, et dimidium temporis, idest tribus annis et dimidium. Est enim mos Hebræorum per tempus significare annum unum, per dimidium temporis dimidium. Si autem hoc referatur ad generalem statum Ecclesiæ, tunc est sensus, Ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis, tanto tempore factæ. Christus enim tribus annis et dimidium prædicavit: cujus prædicatione pascitur Ecclesia quotidie ab initio prædicationis ipsius usque ad finem. *A facie serpentis*, id est contra serpentem et præsentem impugnationem diaboli. Unde Psalm. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Modum impugnationis diaboli ostendit Joannes consequenter dicens: *Et misit serpens*, id est callidus diabolus, *Post mulierem*, id est post Ecclesiam, quia ad eam attingere non potuit, quia non habebat alas sicut ipsa, *Ex ore suo*, id est inspiratione per suos satellites, *Aquam tamquam flumen*, id est tribulationem inundantem. Licet enim diabolus non ad emendationem, sed ad suffocationem mittat tribulationem, tamen Deus sua dispositione facit, ut tribulatio missa mundet justos. Isa. IV, *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion et in spiritu judicii:* et cum David dicebat, *Amplius lava me ab injustitia* etc. De his aquis tribulationum dicitur Cant. VIII, *Aquæ multæ non possunt extinguere charitatem. Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Vel misit serpens, id est diabolus tortuosus, *Ex ore suo*, id est suggestione sua venenosa, *Post mulierem*, fugientem in desertum, *Aquam tamquam flumen*, id est jucunditatem et abundantem tribulationem, per principes mundi quibus diabolus tota die suggerit, ut Ecclesiam persequantur, *ut eam faciat trahi* in peccatum, de peccato in infernum, *A flumine*, id est ab impetuosa et abundanti tribulatione. Isa. VIII, *Adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes et multas, regem Assyriorum et omnem gloriam ejus, et ascendet super omnes rivos ejus et fluet super universas ripas ejus, et ibit per Judam inundans et transiens, usque ad collum veniet, et erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ Emmanuel. Usque ad collum dicit*, non usque ad os vel oculos: quia et si opprimatur Ecclesia multitudine et magnitudine tribulationis, tamen non suffocabitur, sed a Christo misericorditer liberabitur. Et signanter ostenditur Matth. XIV, ubi dicitur, *Vespere autem facto solus autem Jesus erat in monte. Navicula autem in medio maris jactabatur fluctibus, et erat ventus contrarius ei: quarta autem vigilia noctis venit ad eos super mare.* Quatuor vigiliæ noctis sunt quatuor partes persecutionis Ecclesiæ. Prima fuit tyrannorum contra martyres. Secunda hæreticorum contra confessores. Tertia falsorum christianorum contra prædicatores. Quarta erit tempore Antichristi, quæ gravior omnibus erit de qua hic mentio fit. Et tamen *tunc liberabitur Ecclesia, quia Dominus veniet et interfi-*

ciet eum spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui, ut dicitur II Thess. II. Unde Psalm. *Multæ tribulationes justorum etc.* Unde hic sequitur, *Et adjuvit terra*, id est cœlestis Ecclesia, quæ est viventium, *Et aperuit terra*, id est cœlestis Ecclesia, quæ est viventium, *Os suum*, in orbem ad prædicandum Deum pro muliere, *Et absorbuit flumen*, id est consumpsit et annihilavit illam magnam tribulationem. Vel terra, id est Christus in carne assumpta. De qua dicit Job, Terra data est in manu impii. *Et adjuvit mulierem*, id est Ecclesiam militantem, quotidie filios suos parientem viro suo Christo. Et quomodo adjuvit ? quia tribulationes ipsius primo portavit et exemplum et virtutem sustinendi donavit. Unde Isa. LIII. *Vere languores nostros ipse portavit etc. Adjuvit*, et orando pro Ecclesia, ut non deficiat in tribulationibus. Unde Luc. XXII, *Simon, ecce Satanas expectivit vos ut cribaret sicut triticum ; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Unde juvit eam tempore tribulationis eam breviando. Unde Matth. XXIV. *Erit tunc tribulatio magna quæ non fuit ab initio mundi usque modo neque erit. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro ; sed propter electos breviabuntur dies illi.* Vel *Adjuvit eam*, non permittendo augeri tribulationes, quantum vellet tentator supra vires justorum. Unde I Corinth, x, *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis sustinere.* Vel *Adjuvit eam*, Angelos suos ad custodiam deputando. Unde Psalm. *Angelis suis mandavit Deus de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Et Isa. LXIII, *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes*, scilicet Angelos, ut dicit *Glossa*, Item adjuvat quotidie et adjuvat usque in finem faciendo prædicari evangelium, ubi sua passio recitatur. Cujus victoria absorbet in electis magnitudinem tribulationis, ut non sentiatur, vel ut non timeatur. Quia, ut dicit beatus Bernardus : « Devotus miles sua non reputat cum benignitas dulcis vulnera intuetur. » Propter quod dicitur Hebr. XII, *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio etc. usque ad sanguinem restitistis.* I Petr. IV, *Christo sibi in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Sicut fecit Moyses. De quo dicit Apostolus Hebr. XI, *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam etc.* Et hoc est, quod sequitur, *Aperuit terra os suum*, id est Christus prædicatores evangelii sui. De quo ore dicit Jerem. XV, *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Psalm. *Os meum aperui et attraxi spiritum. Et absorbuit flumen*, id est destruxit tribulationem. Matth. x, *Noli timere eos qui occidunt corpus.* Luc. XII, *Nolite timere pusillus grex.* Et non solum absorbuit flumen aperiendo os ad prædicandum, immo ad bibendum in cruce nimium myrrhatum calicem passionis potum nostræ salutis. Psalm. *De torente in via bibet.* Matth. XXI, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ?* Beatus Bernar. : « Super omnia reddit te amabilem, mi bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ. » Hoc enim omnino amorem meum vendicat totum sibi. Neque solum aperuit os suum ad sorbendum flumen nostræ tribulationis ; immo etiam latus et manus et pedes, et quasi totum corpus suum aperuit : verum postea pluvia inundans tota recipitur, et quasi absorbetur. Psal. *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum*, id est apostoli. Et comparat Christo, quia eorum passio et tribulatio respectu passionis Christi tota absorpta est. Ideo dicit Isa. III, *Ingredere in petram, et abscondere in fossam humo.* Vel adjuvit mulierem, id est auxilium in pugna ostendit, et post pugnam, adjuvit adjutorium promittendo. Genes. XV, *Noli timere, Abraham : ego protector tuus sum? et merces tua magna nimis*, post pugnam. Vel terra, id est beata Maria. De qua Psalm. *Terram autem dedit filiis hominum*, scilicet *Adjuvat mulierem*, id est Ecclesiam, pro ipsa orando, exemplum patientiæ conferendo, Filium Dei adjutorem fortissimum pariendo. De quo Psalm. Unde Eccle. XXIII, *In Ecclesiis altissimi aperuit os suum*, id est Ecclesiæ. Et absorbuit flumen, id est sua prece Ecclesiæ tribulationem mitigavit. Vel per aquam fluminis significatur abundantia terrenorum, quæ fluunt continue sicut aqua. Unde Psalm. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Et de hac aqua fluminis dicitur Jerem. II, *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam ? et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis ?* Significat abundantiam quam misit draco Domino permittente in Ecclesiam Dei, quando a Con-

stantino datum est ei imperium occidentalis Ecclesiæ. Et signanter dicit, quod *Draco* sive Serpens, *ex ore suo misit aquam post mulierem.* Quia ex ore serpentis non exit nisi sibilus et venenum. Et ista temporalia non sunt nisi sibilus unus, quia cito transeunt, et plena sunt novitatis et litis, et quæ venenosa sunt, quia libenter occidit. Unde tunc audita fuit vox Angelorum in aere dicentium, Hodie infusum est venenum in Ecclesia Dei, sicut legitur in Apocryphis Sylvestri; et quia jam appropinquat venenum ad cor Ecclesiæ: in Psalm. *Salvum me fac, Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et de consueta bonitate, nunc primo incipit adjuvare Ecclesiam suam. Misit mundo adjutorem, id est terram, quæ absorbere vult totum flumen, id est principem terrenorum, qui vult auferre ab Ecclesia omnia temporalia. Et licet intentio ejus non sit eadem cum Domino, qui propter bonum Ecclesiæ suæ misit illum. Sic Nabuchodonosor dicitur, quod Dominus misit eum in vindictam et ad correctionem. Ipse autem ivit ad occidendum totum, et diripiendum bona eorum. Dominus misit eum ex misericordia, et ipse ivit ex superbia et avaritia. Unde Isa. x, *Væ Assur virga furoris mei; et baculus ipse est, in manu ejus indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat prædam, et ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitratur, et cor ejus non ita æstimabit, sed ad conterendum erit cor ejus, et ad interemptionem gentium non paucarum. Dicet enim. Numquid non principes mei simul reges sunt?* Multa ergo, quæ ibi dicuntur, et modo. Dicit ergo, *Et misit serpens*, id est diabolus, *Ex ore suo*, venenato, id est suggestione sua, *post mulierem*, id est Ecclesiam, *Aquam tamquam et flumen*, id est a fluxu temporalium, quæ superfluunt deorsum. Et bene dicit, *trahit.* Tractus enim motus est violentus. Nam contra naturam est, quod Ecclesia deorsum feratur, quæ facta est ut feratur sursum. Et ideo motus sursum est ei naturalis, deorsum est ei violentus. Et ideo dicit Salomon, Prov. xxiv, *Erue eos, qui trahuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Et adjuvit terra,* id est principes terreni desiderium suum. *Et absorbuit flumen*, id est opulentiam temporalium. *Et misit draco de ore suo aquam*, id est abundantiam temporalem procreavit, quam procuravit Ecclesiæ dari. Non quod Constantinus hoc fecerit ex diabolica suggestione; sed credo, quod magis fecit, hoc ex instinctu Spiritu sancti. Sed quia diabolus procuravit, et procurat quotidie, quod Ecclesia cor apponat in istis temporalibus, et sic minus possit intendere spiritualibus; ideo dixi, quia diabolus procuravit dari Ecclesiæ abundantiam temporalem. Et tamen diabolus modo procurat ut terra absorbeat flumen; hoc facit in adjutorium mulieris. Sed nescius juvat eam, quia sic paupertate recuperata liberius vacabit saluti animarum. Nam cum esset in divitiis suis, non poterat vacare orationi, nec lectioni, et meditationi. Unde Psalm. *In diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Sed siccato diluvio melius faciet officium suum. Sed modo nimia ira cæcatus, non advertit. Unde sequitur: *Et iratus est draco in mulierem*, id est contra Ecclesiam, videns, quod non potest eam trahere post se, et quod habet auxilium, unde ipse putavit inferre nocumentum: et sic non desinit Ecclesiam diabolus impugnare semper, quærens novos modos et novas artes impugnandi eam. Unde sequitur. *Et abiit*, ab illo modo a quo non potuit nocere Ecclesiæ, *Facere prælium cum reliquis*, de servis ejus, qui custodiunt mandata ejus mente et opere, et habent testimonium Jesu active et passive, id est qui testimonium perhibent Jesu, et Dominus Jesus eis. Matth. x, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ergo eum coram Patre meo et Angelis ejus.* Item qui habent testimonium Jesu in charitate, quo signantur Filii Dei. Joan. I, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* De hoc testimonio dicit Psalm. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Reliquos autem de semine Christi vocat ideo omnes minores sanctos, qui habent fidem, et fidei confessionem, quos pugnare aggreditur. Unde dixit Dominus serpenti de muliere, per quam significatur Ecclesia: *ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est minoribus, qui erunt in fine. Psal. *Insidiatur ut rapiat pauperem,* id est illum, qui parum habet virtutis. Sed neque omnes minores potest vincere, sed tantum instabiles et incompactos et aridos, sub se tenens eos, et insidiatur homini. Unde Psalm. *Sedet in in-*

sidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Et ideo sequitur *Et stetit super arenam maris.* Job : vocat umbra calamum, et loca humentia, Per umbram proprie significantur hypocritæ, qui habent sanctitatis figuram sed non veritatem : per calamum, qui intus est vacuus et extra nitidus, de facili movetur a quolibet vento, signantur nobiles et instabiles : per loca humentia voluptuosi, qui malis moribus et humoribus abundant.

CAPUT XIII.

Et vidi de mari bestiam etc. Descripta est pugna in partu mulieris, et draconis in præcedenti capitulo ; hic describitur pugna familiæ draconis. Describitur autem acies draconis sub duplici specie monstruosa duarum bestiarum ; unius ascendentis de mari, et alterius ascendentis de terra. Et videtur prima bestia conflagari ex malitia laicorum, et superbia sæcularium principum : et ideo dicitur, *Ascendentem,* de mari, quia significat elationem superbiæ. Unde Psalm. *Mirabiles elationes maris.* Et Isa. LVII, *Impii,* id est superbi, *quasi mare fluctuans quod quiescere non potest.* Secunda bestia constat ex malitia clericorum, et cupiditate prælatorum. Unde de terra per quam significatur avaritia, dicitur ascendere. Et huic expositioni concordat *Glossa* quæ dicit primam bestiam constare ex principibus Antichristi, per quos violenter opprimet Ecclesiam. Secunda ex apostolis, seu ex prædicatoribus ejusdem, per quos fraudulenter impugnabit Ecclesiam. Ex his patet, quod hoc capitulum duas habet partes. In prima ponitur descriptio primæ bestiæ, ibi, *Et vidi de mari.* In secunda ponitur descriptio secundæ bestiæ, ibi, *Et vidi aliam bestiam.* Circa descriptionem prioris bestiæ, hoc modo procedit Joannes : primo ponit ejus proprietatem, secundum quod dividitur ab aliis bestiis, cum dicit ipsam ascendere de mari, et habere capita septem et cornua decem : ponit triplicem convenientiam : in pelle cum pardo, in pedibus cum urso, in ore cum leone. In pelle pardi, varietas hypocritarum, in exteriori conversatione : in pedibus ursi, diversitas voluptatum, in interiori affectione : in ore leonis fœtor detractionis, in superba locutione. Vel forte similitudo refertur ad pseudo claustrales. Assimilatio ursi ad pseudo sæculares. Assimilatio leonis ad pseudo principes, seu prælatos. Ad claustrales enim pertinet pellis, id est ostensio sanctæ conversationis exterius. Ad sæculares suppositio pedum. Ad prælatos doctrina ejus. Quia igitur in doctrina familia draconis : Primo ponitur et ostenditur ejus crudelitas per hoc, quod notatur bestia, quia totum vastabit. Deinde ostenditur ejus nativitas sive genus, cum dicitur, *Ascendentem de mari,* id est de Judæis : quia et si primo fuerunt terra fertilis exculta per legem et prophetas, cum propter peccatum, maxime crucifigendo Christum, facti sunt sicut mare, et instabiles et amari. Juxta illud Threnorum I : *Peccatum peccavit Jerusalem : propterea instabilis facta est.* Hoc est quod dixit Dominus ad Cain, Genes. IV : *Vagus et profugus erit super terram.* Quia scilicet occidit Abel fratrem suum. Hoc satis bene competenter figuratum fuit. Gen. XIII, Ubi dicitur quod Pentapolis erat sicut paradisus Dei, sed postea propter peccatum suum facta est abominabilis, et mare mortuum appellatum. Sic judaicus populus primo fuit populus peculiaris Dei et quasi Pentapolis, propterea habuit Pentateucum. Sed post peccatum, factus est abominabilis, instabilis et fœtidus, sicut mare Mortuum. Dicitur etiam ascendere de mari, quia per Antichristum magna tribulatio nascetur, qui erit de tribu illa Dan, quæ fuit vilissima inter tribus Israel. Unde Gen. XLIX, *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita etc.* Bene etiam dicitur ascendere, quia de vili genere venit ad magnam crudelitatem inardescet ; quia quando aliquis vilis sublimatur, crudelior omnibus est. Et in alia Scriptura : rusticus si exaltatus fuerit, in audaciam crescit. Unde versus :

Asperius nihil est humili cum surgit in altum.

Per hoc etiam quod dicitur ascendere de mari, notatur quod cito casurus, et de instabili et fluxibili fundamento veniet, et ideo non potest super hoc ædificium, hoc modo diu stare. Unde et in fine præcedentis capituli dicitur stare super arenam maris. De quo dicitur Matth. VI : *Omnis qui audit verba mea, et non facit, similis est viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam etc.* Sed licet per bestiam possit accipi et intelligi congrue et vere Antichristus, ut dictum est, congruentius intelligitur per bestiam istam tota collectio

malorum, id est integer Antichristus. Dicit ergo, *Et vidi*, id est spiritualiter intellexi, *Bestiam*, id est malorum multitudinem bestialem. *De mari*, id est de amara suggestione diaboli : vel de infidelitate cordis Christi, *Ascendentem*, de vitio in vitium : vel per principes malos contra Ecclesiam se extollentes. *Habentem capita septem*, idest universos principes qui regunt et defendunt bestiam, id est infidelium multitudinem contra Ecclesiam bestialiter insurgentem. De quibus capitibus dicitur Amos vi, *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in montes Samariæ optimates capita populorum etc.* Item *Septem capita bestiæ* sunt principes totius iniquitatis, in septem ætatibus mundi. Quorum primum est Cain in prima ætate, in quo incœpit Ecclesia malignantium, sicut Ecclesia catholica ab Abel. Et recte a Cain incœpit Ecclesia malorum, et Ecclesia bonorum ab Abel. Cain interpretatur possessio. Abel interpretatur nihil hoc. Quia malorum Ecclesia surgit, et fundatur super divitias. Bonorum vero ex paupertate surgit, et super paupertatem fundatur. Ecclesia malignantium terminatur in Antichristum, in secunda ætate, qui est ultimum caput. Et Ecclesia bonorum terminatur in Christum pauperem, qui est ultimum caput Ecclesiæ bonorum. Secundum caput fuit Nembroth, qui cœpit primo dominari in orbem terrarum. Unde de ipso dicitur Gen. x, *Porro Chus genuit Nembroth. Ipse cœpit esse potens in terra, et erat robustissimus venator coram Domino : fuit autem principium regni ejus Babylon. Caput fuit Ismael, a quo fuerunt Ismaelitæ*, id est Saraceni, *cujus manus contra omnes, et omnes contra ipsum*, ut dicitur Gen. xvii, et hoc fuit tertia ætate. Quartum cap. in quarta ætate Pharao in terra Ægypti rex qui populum Israel multipliciter in Ægypto afflixit, ut legitur Exod. ii et iii. In quinta ætate fuit quintum caput Nabuchodonosor, qui populum Israel captum duxit in Babylonem, ut legitur IV Reg. xxv. In sexta ætate fuit sextum caput *Herodes* qui Dominum quærens *pueros occidit*, ut legitur Matth. ii. In fine sextæ ætatis, quæ similis erit cum septima, quasi in septima ætate erit septimum caput, scilicet Antichristus, sub quo erit maxima persecutio et afflictio Ecclesiæ Dei. Sed quoniam hæc bestia quam vidit Joannes tantum contra Ecclesiam Christi pugnaturam ostendit, videtur, quod aliter sint assignanda septem capita, per quæ Ecclesia Christi a principio Christi usque in finem legitur esse oppressa et afflicta. Primum ergo caput bestiæ, per quod bestia venenum suum effundit in Ecclesia, et eam inquantum potuit laniavit, fuit Herodes. Per ipsum enim voluit natum Christum devorare, et quæsivit ; et quia ipsum occidere non potuit, innocentes occidit, Matth. ii. Cum ipso autem accipiendi sunt omnes reges regionis Judæorum, quos in persecutione Christi tam regni quam sceleris habuit successores. Secundum caput fuit Nero interfector principum Apostolorum Petri et Pauli, cum quo accipiendi sunt omnes ejus successores, usque ad Julianum apostatam, qui omnes persecuti sunt Ecclesiam Christi. Tertium caput fuit Constantinus Arianus, qui miro modo cum omnibus Arianis afflixit Ecclesiam Dei. Quartum caput fuit rex Persarum Chosroas, in cujus tempore confirmata est secta Manichæorum. Quintum caput fuit rex Babylonis novæ qui volens apparere similis Altissimo, et sedere in monte Testamenti, multas propter hoc Ecclesiis Domini nostri Jesu Christi persecutiones ingessit. Sextum caput est illud, de quo dicitur in Danielis vii, *Alius consurget post eos, et ipse potentior erit præ omnibus :* qui nostris temporibus multa mala fecit Ecclesiæ Christi. Sed quis sit ille non est nostrum determinare. Septimum caput erit Antichristus. De quo dicit Dan. viii, *Consurget rex impudens facie, et intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis, et supra quam credi potest universa vastabit.* Quamvis aliquibus videatur, quod hic rex, de quo sic loquitur Dan, ad sextum caput pertineat. Sed forte sicut Joannes Christum prævenit, sic iste Antichristum : et ideo, quod dicit Daniel, utrique potest convenire. Septimum caput, id est Antichristum, inducit diabolus ad loquendum per os ejus, qui in signis et prodigiis et mendaciis decipiet multitudinem infinitam, ita ut pauci evadant. Et sicut Christus dictus est rex, pontifex et propheta, ita ipse nunc regem, nunc pontificem, nunc prophetam se simulabit, et dicet : et tam magna signa faciet, licet omnia sint falsa, ut nulla existimentur signa Christi comparatione signorum ejus. Ab his septem capitibus Joannes vidit Ecclesiam passuram : quæ tamen septuplex persecutio figurative

præcessit in Synagoga. *Omnia siquidem contingebant illis in figura*, ut dicitur Corinth. x. Prima fuit ab Ægyptiis mortuo Joseph, quorum caput fuit Pharao cum magis suis. Secunda fuit a Chananæis mortuo Josue, quorum caput fuit Jabin cum Sisara, Judith iv. Tertia fuit decem tribuum contra duas, cujus caput fuit Jeroboam mortuo Salomone, III Reg. xii. Quarta fuit ab adversariis, quorum caput fuit Salmanassar, contra decem tribus, et Sennacherib contra duas tribus, IV Reg. xvii et xviii. Quinta fuit a Chaldæis, quorum caput fuit Nabuchodonosor, qui Jerusalem destruxit, et Israel captivum duxit. Sexta fuit in ipsa captivitate, sub Assuero rege, qui dedit sententiam de omnibus Judæis pariter occidendis, Aman cædem procurante, Esther iii. Septima fuit in Assyriis, quorum caput fuit Antiochus Epiphanes, qui templum Domini profanavit, et multa mala fecit populo Israel, ut legitur I Machab. in multis capitulis, circa principium. Sed est valde notandum, quod in qualibet persecutione misit Deus filiis Israel aliquem adjutorem, vel liberatorem, qui eriperet eos de manibus inimicorum. A prima liberavit Moyses et Aaron. A secunda Barach et Debora. A tertia Ezechias, qui reliquias decem tribuum revocavit ad cultum divinum, cum ducibus. A quarta Angelus Dei, qui una nocte occidit exercitus Sennacherib, scilicet centum octuaginta quatuor millia. A quinta Cyrus rex Persarum sub Esdra et Zorobabel. A sexta Esther et Mardochæus. A septima Judas Machabæus et fratres ejus. Sic Ecclesiæ suæ misit et mittit adjutores Christus in suis persecutoribus. Nec est mirum si prædictis septem capitibus Ecclesia tribulatur diabolo procurante, qui super omnia studet operibus creatoris contrarius inveniri : propter quod contra prædicta septem capita, septem ordines prædicatorum, de quibus supra dictum est, misit Christus, qui Ecclesiam suam consolati sunt in septem suis persecutoribus. Sed diabolus, ut dixi, operibus creatoris vult semper contrarius inveniri. Unde per Adam, quem quasi colonum Deus posuit in Paradiso, ipse diabolus in civitatem, Deo permittente, sibi præparavit Herodem ad Christi persecutionem. Item pro Noe, viro justo, arcæ rectorem posuit in urbe Neronem, Ecclesiæ destructorem. Item pro Abraham fideli posuit in imperio Constantinum Arianum. Item pro Moyse legis sanctæ latore posuit Machometum, legis profanæ doctorem. Item pro Joanne Baptista surget, vel forte jam surrexit rex ille, qui scriptus est in Dan., vii capite. Item pro Elia, qui venturus est, surget rex septimus, scilicet Antichristus Eliam occisurus. *Et cornua decem*, id est decalogi decem transgressores et impugnatores, qui illi bestiæ adhærebunt, et membra bestiæ erunt, *Et super cornua ejus decem diademata*, id est gloriam de impugnatione eorum, qui servant decalogum, et de destructione decalogi, quia omnia præcepta per principes illos infringentur, et de hoc gloriantur. Sicut dicitur Proverb. i, *Lætantur cum male fecerint. Et super capita ejus*, id est super principes iniquos, *Nomina blasphemiæ*. Quia dicent, et dici facient, Christum fuisse non verum Deum, sed magum. Item septem capita bestiæ possunt dici septem vitia capitalia. Et decem cornua, prævaricatores decalogi : et ideo capita et cornua conjunguntur, quia per septem vitia capitalia decalogus impugnatur. *Et super cornua ejus*, id est super legis prævaricatores, *Decem diademata*, id est decem gentes, quæ miro modo Ecclesiam Christi expugnare conati sunt, et super eam victoriam obtinere volunt. Quarum prima est gens Judæorum. Secunda gens Paganorum. Tertia gens Saracenorum. Quarta gens Arianorum. Et hæ quatuor significatæ sunt in Dan. vii, per quatuor bestias, de quibus ibi dicitur, *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari grandi, et ecce quatuor bestiæ ascendebant de mari diversæ inter se. Prima, quasi leæna, et alas habebat aquilæ : aspiciebam donec avulsæ sunt alæ ejus, et sublevata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso, in parte stetit, et tres ordines dentium erant in ore ejus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas. Et post hæc aspiciebam, et ecce alia bestia quasi pardus, et alas habebat avis quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia. Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedebat, atque comminuebat*. Cœli nomine signatur sacra Scriptura. Ergo quatuor venti cœli sunt quatuor intellectus Scripturæ, scilicet Hystoricus, Allegoricus, Tropologicus et Anagogicus. Per mare magnum desi-

gnatur hoc sæculum. Quatuor ergo venti cœli pugnant in magno mari, quia quatuor sunt intellectus Scripturæ, quibus mundus impugnatur, quia per hos terrena contemni videntur, atque docentur. Cum autem hæc pugna fieri cœpit prædicantibus Apostolis, tunc prima bestia apparuit, id est ferocitas Synagogæ. Cujus duæ alæ, quibus superbiendo ferebatur in altum, sunt duæ sectæ Judaici populi. Una Sadducæorum, alia Pharisæorum. Sed hæ ejus alæ sunt avulsæ a leæna, quia tradita est bestia, id est exercitus Judæorum in manibus inimicorum, qua tradita, mox illæ sectæ perierunt. Et tunc stetit supra pedes suos quasi homo, quia humiliata fuit, et se homines cognoverunt Judæi, qui prius se super alios efferebant. Quod autem sequitur, *Et cor ejus datum est ei*, refertur ad tempus Eliæ, quando revertentur corda patrum ad filios, ut dicitur ult. Malachiæ. Vel forte, quia semper fuerunt duræ cervicis, et indomabilis cordis, dicitur, quod tunc datum est ei cor ejus, quia adhuc in sua duritia persistunt. Secunda bestia similis urso : hæc est Paganorum bestialis multitudo, cui dicitur, ut surgat, et comedat carnes plurimas, quia infinita multitudo Christianorum occisa est a Paganis. Unde Psal. : *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Et rursus, *Et comederunt Jacob,* id est populum Christianum. Tres ordines dentium, quos habebat in ore, sunt Tyranni eorum, sacerdotes templorum, et cultores idolorum, quia sine timore in Christianorum necesse sævierunt. Tertia bestia similis pardo fuit gens Ariana, quæ idcirco quatuor capita dicuntur habuisse, quia quatuor gentes tunc temporis in illam hæresim convenerunt, a quibus inchoata est gens Gotthorum, Vandalorum, Longobardorum, qui omnes simul contra sanctam Ecclesiam surrexerunt. Et recte dicitur hæc bestia similis pardo, quia quidam Arianorum Pagani fuerunt, quidam Christiani. Item per malitiam latentem interius, et simplicitatem apparentem exterius. Quatuor autem ejus alæ sunt quatuor errores. Una propria Arii. Alia Eunomii. Tertia Macedonii. Quarta Cerinthi, quibus per totum mundum volabat hæresis Ariana, propter quam Martinus Papa, jubente Constantio imperatore, in exilium missus est. Quia Arius fuit caput inter omnes istos, ideo caput nomine ejus omnis hæresis illius temporis dicta est Ariana. Quarta bestia est gens Saracenorum a Machometo decepta, cujus ferocitas sive malitia, quantum invaluerit, testatur desolatio Ecclesiarum Syriæ, Phœnicis, Palestinæ, Ægypti, Mauritaniæ, et multarum insularum maris. In quibus abolito Christi nomine, ipsius Machometi detestanda traditio quasi magni prophetæ prædicatur. Heu quanta mala faciet Antichristus, cum iste in suo mendacio, tot mala fecerit. Sicut enim Moyses lator legis præcessit Chrystum, sic Machometus lator mendacii præcessit Antichristum. De ista bestia dicitur, quod non est similis alii. Quia Judæi, licet peccaverint contra fidem Christi, etiam ipsis renitentibus, ædificatæ sunt Ecclesiæ multæ in Jerusalem, et non post multos dies dissipati sunt a Romanis. Item Pagani pugnaverunt contra Christum, sed quotidie vincebantur a militibus Christi, ita ut in diebus Sylvestri Papæ, ipsi Christi Vicario jus imperiale tradiderunt. Item Gothi et Vandali, Longobardi, et alii Ariani, partim deleti sunt exercitu Romanorum, partim suasi ad fidem catholicam. Sed hæc quarta bestia indomabilis extitit semper, ut etiam hodie nullus valeat contra eos os aperire, quia capitalis sententia data est contra prædicatores, si quis auderet contra eam prædicare. In his ergo quatuor bestiis, si bene advertas, *Decem diademata*, id est decem gentes invenisti. Nam prima bestia duas fecit ; scilicet Saducæos et Pharisæos. Secunda tres ; scilicet Tyrannos, Paganos, Sacerdotes templorum, et cultores Idolorum. Tertia bestia quatuor facit : Græcos, Gothos, Vandalos, Longobardos, qui fuerunt omnes Ariani. Hæc nona cum ultima bestia sunt decem. Sequitur, *Et super capita ejus*, id est super septem vitia, *Nomina blasphemiæ*, habebat, id est viros blasphemos, in nequitia nominatissimos. Et dicuntur esse super, quia non ipsi ut tententur expectant, vel ut trahantur ab amicis ; sed ipsi trahunt vitia, et subjectos his vitiis servientes, et de familia sua habent. Juxta illud Proverb. XIV. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes mendaces habet ministros.* Sequitur, *Et bestia quam vidi*, Hic describit bestiam Joannes, tam a potestate, quam a nequitia bestiæ ante. Unde dicit, *Et bestia*, eadem scilicet quam vidi de mare ascendentem, similis erat pardo, propter varios modos decipiendi.

quos habebat hæc bestia. Variis enim hæresibus erat plena, et variis simulationibus occultans sua vitia. Jerem. XIII, *Si mutare potest Æthyops pellem suam, et pardus varietates suas etc. Et pedes ejus*, id est inferiores portantes eam, hi sunt, qui necessaria provident bestiæ laborando, et artibus diversis lucra congerendo, unde vivit bestia. *Sicut pedes ursi*, qui lati sunt et pilosi, et unguibus armati, et isti erunt possessoribus plurimis dilatati, et nihilominus cupidi et avari, quocumque modo rapientes non sua. *Et os ejus*, id est doctores bestiæ, *Sicut os leonis*, quod est fœtens et vorans; et doctores bestiæ fœtent fama, et nocent malitia. Jerem. IV, *Ascendit leo de cubili suo : prædo gentium sublevabit se, et egressus est de loco suo, ut ponat terram suam in solitudinem. Et dedit illi*, scilicet bestiæ, *Draco*, scilicet diabolus, *Virtutem* suam ad nocendum, et decipiendum, ad miracula faciendum, ut dicit *Glossa*. Sed cum miracula fiant ad Dei manifestationem, et Deus non manifestetur per illa, quomodo erunt miracula ? Præterea diabolus non habet potestatem nisi in naturalibus, et non in eis quæ supra naturam sunt; unde videtur, quod non possit facere miracula. Ergo non potest dare potestatem aliis faciendi illa. Solutio. Re vera illa non erunt miracula licet videantur, sed erunt mirabilia præter solitum usum naturæ facta. Et vera differentia est inter mirum, et mirabile, et miraculum. Mirum enim et mirabile sunt juxta naturam, miraculum supra. Vel mirum dicit admirationem in vidente. Mirabile in visibili. Miraculum in utroque, et fit proprie ad manifestandum Dei virtutem. Est ergo sensus, *Dedit illi draco virtutem suam*, ad faciendum miracula, id est mirabilia. Unde admirari possunt videntes propter novitatem rei, vel propter modum faciendi. Sicut quando fecerunt magi serpentes de virgis, non fuit miraculum, sed mirabile, quia cito fecerunt quod natura tardius faceret. *Et potestatem magnam*, seducendi multos. Vel opprimendi. Et nota undecim, quæ ponuntur hic per ordinem, per quæ significatur totum corpus malorum, qui semper sunt in transgressione. Primo dicitur bestia ascendere. Secundo, De mari. Tertio, Habens septem capita. Quarto, Habens cornua decem. Quinto, Habens decem diademata. Sexto, Habens nomina blasphemiæ. Septimo, quod Est similis pardo. Octavo, quod habet Pedes ursi. Nono, quod habet Os leonis. Decimo, quod habet Virtutem draconis. Undecimo quod habet Os loquens, et quod habet Potestatem magnam. Et quia undenarius numerus est transgressionis, ideo significatur, quod hæc bestia complectitur totum corpus malorum. Sicut in Psal., ubi dicitur : *Tabernacula Idumæorum, et Ismaelitæ*. Ibi nominantur undecim populi, per quos significatur totum corpus diaboli, cui debetur pœna significata per undecim generationes. Soph. I, ubi dicitur : *Dies illa etc.* Et per undecim opera Isa. XIII, usque ad XXIV. Sequitur, *Et vidi*. Post descriptionem bestiæ, in qua dictum est quod habet septem capita, describit Joannes principale caput ejus, id est Antichristum. Primo ponens simulationem, per quam cunctos adducit in admirationem. Ipse enim, ut credatur esse Christus in lege promissus, simulabit se esse mortuum, et post tres dies per artem magicam feretur in aerem, ministerio dæmonum, et sic putabitur resurrexisse. Sed tandem patebit falsitas simulationis, quando a Christo occidetur. Dicit ergo, *Et vidi*, spiritualiter, *Unum de capitibus suis*, id est Antichristum, qui principatum obtinet inter septem capita nefandæ multitudinis, quasi occisum in mortem, id est quasi mortuum, *Et plaga ejus mortis*, simulatione *Curata est*, per simulatam rationem. Sic enim mors simulata erit, et in numero. Sic et resurrectio utcumque magna arte et mysterio dæmonum fiet; quod patet quia moriens non occidet mortem, sed Christus. De quo dicitur Oseæ, *Ero mors tua, o mors etc. Et admirata est universa terra*, id est homines, qui nesciebant fraudem, admirati sunt, dicentes, et credentes mortuum resurrexisse. *Post bestiam*, euntes mente, et corpore. Ad literam sequuntur eam, admiratione. Sicut legitur Joannis XII, *Et multi veniebant videre Lazarum*, quem Jesus a morte suscitavit. *Et adoraverunt draconem. Glossa*, id est diabolum, *qui dedit potestatem*, *Glossa*, resurgendi, ut videbatur bestiæ, id est Antichristo, *Et adoraverunt bestiam*, id est diabolum in Antichristo, quem putabant vere a mortuis resuscitatum : sicut illi, qui videbant Christum miracula facientem, glorificabant Deum, qui per Christum et in Christo talia faciebat. Sed numquid isti credent Antichristum a diabolo habere po-

testatem an a Deo? Si a Deo, ergo adorabunt Deum, et non diabolum. Si a diabolo, quomodo ergo sequentur eum? Solutio. Multi scient eum esse malum, et multi simplices non advertent aliquid de malitia aut de bonitate sua. Sed omnes sequentur eum propter dona quæ dabit, aut propter timorem mortis, aut videntes mirabilia quæ ipse faciet, dicent, Benedictus, qui dedit illi talem potestatem, id est usum talis potestatis, et hic est diabolus; et ita in communi adorabunt diabolum, non sub propria ratione, dicentes, ex admiratione visorum, et ex pusillanimitate cordis, *Quis similis bestiæ huic*, id est, potestate, et miraculorum operatione? *Et quis poterit pugnare cum ea?* id est resistere potestati et voluntati ejus? quasi dicat nullus. Et nota quod quatuor dicuntur hic de bestia, id est de Antichristo, in quo laudatur. Primum admiratio. Unde dicitur, Et admirata est universa terra. Secundum est imitatio. Unde dicitur, Post bestiam. Tertium est adoratio. Unde dicitur, Et adoraverunt bestiam. Quartum est laudatio. Unde dicitur, Dicentes, quis similis bestiæ? Hæc quatuor debet omnis Christianus reddere Christo: scilicet admiratio sapientiæ ejus. Unde Rom. XI, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Hic enim valde admirabilis in majoris mundi creatione, quia de nihilo scivit tam pulchrum mundum facere. Sed magis admirabilis est in minoris mundi id est hominis formatione, in quo totum mundum majorem conclusit, quod valde mirabile est. Unde et omnis creatura dicitur, supra, quia universalis mundus in homine extrinsecus abbreviatus est. Et significatum est in hoc, quod universale verbum, æternum, et inclytum erat, et abbreviandum, quod maxime admirabile est. Modo sapientia Christi admirabilis est in mundi creatione. Admirabilior in hominis formatione. Admirabilissima in sui humanatione. Item imitatio debet reddi patientiæ, humilitati, et obedientiæ ejus. Unde Matth. XI, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Ideo factus est homo ad imaginem Dei, ut scilicet posset eum imitari, in quibus imitandus est. Item adoratio debet reddi ejus divinitati, sive potentiæ. Unde Matth. IV, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Item laudatio debet reddi ejus bonitati. Unde Psal. *Confitemini Domino, quoniam bonus*, id est laudate eum. Infra XIX, *Laudem dicite Deo omnes sancti ejus.* Exod. XIII, *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia.* Revera mirabilia, quia fecit Deum, hominem, matrem, virginem, cor credulum. *Et datum est ei.* Hic ostenditur Joanni effectus simulationis Antichristi. Ex eo enim, quod ipse videbit, quod credetur eum resurrexisse a mortuis, orietur in eo præsumptio blasphemandi Christum et sanctos ejus, ut dicit *Glossa*. Unde dicit, *Et datum est ei*, permissive, tamen *Os loquens magna*, de se. Dicet enim se esse Christum verum Deum, *Et blasphemias*, quia dicet se esse majorem Christo. Unde II Timoth.: *Qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Dan. X, *Adversus Deum Deorum loquitur magnifica.* Ad istum pertinent tamquam membra ejus, omnes qui se magnificant: contra quos dicit Psal. *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. Et data.* Hic ostenditur, quantum durabit persecutio Ecclesiæ, et dominatio Antichristi; scilicet tribus annis, et dimidium, quantum duravit aperta prædicatio Christi. Et hæc frequenter recitat Joannes, triplici ex causa. Primo, ut nos præmuniamur contra illam. Secundo, ut minus timeamus, quia cito transibit. Tertio, ut non quæramus talem gloriam, quia cito terminabitur. Dicit ergo, *Et data est illi potestas*, id est voluntas facere prædicta mala, *Menses quadraginta duos*, id est per tres annos et dimidium. In quo tempore, maxime circa finem, in tanta præsumptione extolletur, ut jam publice audeat blasphemare, quod prius faciebat occulte, Unde sequitur, *Et aperuit os suum in blasphemias*, apertas et manifestas. *Ad Deum*, id est contra Deum, vel ad Deum, id est usque ad Deum, quia dicet Christum non fuisse vel esse filium Dei, et Apostolos Christi non fuisse veros Apostolos. Dan. VII, *Contra Excelsum loquetur, sanctos Altissimi conteret, et putabit, quod possit mutare tempora et leges, et tradentur ad manus ejus, usque ad tempus, et tempora, et dimidium temporis.* Item Daniel. XI, *Adversus Deum Deorum loquetur magnifica, et dirigetur donec compleatur iracundia*: perpetrata quippe est definitio: et Deum patrum suorum non reputabit et erit in concupiscentia feminarum. Unde adhuc sequitur hic, *Blasphemare nomen ejus*, adhuc supple. *Aperuit*

os suum. Ut scilicet blasphemet nomen Domini. *Glossa*, id est omnem institutionem ejus. Vel nomen ejus, id est vitam et doctrinam ejus, per quam nominabilis est, dignus nominatione et memoria. Prov. x, *Memoria justi cum laudibus et nomen impiorum putrescet. Et tabernaculum ejus. Glossa*, id est illos qui Christo militant. Vel *Tabernaculum ejus*, id est sancta Ecclesia, in quo Christi milites suscipiunt arma, id est virtutes, doctrinam, et dona, et sacramenta quæ sunt arma fidelium, id est corpus, dicendo ipsum phantasticum non verum. Vel dicendo ipsum adhuc in morte detentum, vel dicendo ipsum peccato obnoxium, vel de Joseph semine esse natum. De hoc tabernaculo dicitur infra xxi, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitavit cum eis.* Levit. xxvi, *Ponam tabernaculum suum etc.*, id est ardorem passionis in corpus suum. *Et tabernaculum*, scilicet *Et eos qui in cœlo habitant*, id est sanctos, jam ferventes Deo, ut Petrus et Paulus et alios, quos ipse condemnabit, id est damnatos prædicabit, quia secuti sunt Christum. Sic dicunt multi hæretici : scilicet, omnes confessores qui fuerunt a tempore Sylvestri, esse condemnatos. De quibus dicit Psal. : *Adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam*, *Et datum est illi*, id est permissum est, *Facere bellum cum sanctis*, disputando, promittendo, convivando. *Et vincere eos*, corporaliter occidendo : quod non multum timendum est : quia Dominus pro quo corpus occiditur, cito reddet melius. Occidetur enim corpus mortale, corruptibile et deforme, et Dominus reddet immortale, incorruptibile et gloriosum. I Corinth. xv, *Mortale hoc induet immortalitatem, et corruptibile incorruptibilitatem.* Vincet etiam Antichristus aliquos specialiter quos vel minis vel beneficiis, vel rationibus vel promissionibus trahet in peccatum. Unde Dan. xi, *Ingredietur terras, et conteret, et pertransiet et introibit in terram gloriosam, et multos conteret vel corruet. Et data est illi potestas, in omnem tribum*, quo ad minores. *Et linguam*, quo ad malos christianos. *Et gentem*, quo ad Paganos. *Et adorabunt eam*, id est bestiam. *Omnes qui habitant in terra*, *Glossa*, id est qui dediti sunt terrenis. *Quorum non sunt scripta nomina*, stylo prædestinationis, *In libro vitæ et agni*, qui est ipse agnus. Eccles. xxiv. *Hæc omnia liber vitæ et Testamentum Altissimi et agnitio veritatis.* Agni dico, *Qui occisus est ab origine mundi*, id est præfiguratus occidi in mortem ipsius. Vel in agno quem obtulit Abel. Vel occisus est, id est prævisus occidi a tempore, id est ab origine mundi, id est ante originem mundi. Simile Eccl. xxiv, *Ab initio et ante sæcula*, id est ante initium mundi, *prævisa sunt creari.* Vel *Occisus ab origine mundi.* Tunc enim statim, id est post originem mundi cœpit Christus occidi in suis. Cum aliquis pro Christo occiditur, Christus in eo occiditur. Unde Petro quærenti de eo, quo vadis? respondit Dominus, vado Romam iterum crucifigi. Matth. xxv, *Quod enim uni ex minimis fecistis etc. Si quis habet aurem*, corporis, *audiat*, et auribus cordis, quæ scilicet pœna et miseria sequatur Antichristum qui in tanta gloria erit, sed parum durabit. Unde Psalm., *Ne timueris* (tu christiane) *cum dives factus fuerit homo*, id est Antichristus; qui revera erit homo, quamvis dicat se Deum. Quoniam cum interierit non sumet omnia etc. *Qui in captivitatem*, peccati, vel inferni *duxerit*, velit nolit, *vadit.* Non dicit, *vadet*, quia data est sententia de talibus. Joan. iii, *Qui non credit jam judicatus est.* Item Joan. xvi : *Princeps mundi ejicietur foras cum corpore suo.* Ezech. xi, *In transmigrationem et captivitatem ibunt*, scilicet socii Antichristi et dux qui est in medio eorum, id est ipse Antichristus, in humeris scilicet portabunt in infernum. Amos i, *Super tribus sceleribus traham, et super quatuor non convertam, eo quod conclusit per peccatum captivitatem in Idumæam.* Isa. xxxiv, *Væ qui prædaris etc.* Et qui in gladio mortali, vel iniquæ persuasionis, aut cujuscumque pravæ deceptionis, occiderit alios sicut Antichristus et sui, *Oportet eum gladio*, finali sententiæ, *occidi*, in anima et corpore. De quo gladio dicit Job xix, *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatis est gladius.* Similiter intelligitur illud verbum Domini, Matth. xxvi, *Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit :* æterno, sive extremo judicio : vel *gladio spiritus quod est verbum Dei*, Ephes. vi. Et talis morte bona non occiditur quia peccato moritur. Item qui in gladio linguæ occidit aliquem tradendo, vel maledicendo, vel litigando, vel falsum testimonium dicendo, vel jurando, vel causam injustam in advocatione scienter favendo, oportet eum gladio occidi hic bona occisione gladio

propriæ linguæ peccatum confitendo et veniam petendo. Sicut dicit Augustinus : « Non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta etc. » Vel in futuro, gladio æternæ damnationis. De quo Psalm. *Gladius ipsorum intret in corda ipsorum*. De gladio linguæ dicit Psalm. *Lingua eorum gladius acutus*. Jerem. *Sagitta vulnerans lingua eorum*. Vel in gladio occidi, qui injuriam suam quasi judex vindicat, oportet in gladio occidi, id est ipsa vindicta quam sumpsit, erit ei causa damnationis, quia rem alienam sibi usurpavit. Deuteronom. XXXII, *Mihi vindictam, vel mea est ultio*, Rom. XII, Eccles. XXVIII, *Qui judicari vult a Domino inveniet vindictam, vel qui in gladio etc.*, id est juxta mensuram culpæ vel injuriæ dabitur eis mensura pœnæ vel emendæ. Matth. VI, *Eadem mensura etc*. Deuteronom. XXV, *Juxta mensuram peccati et erit etc*. *Hic est patientia et fides sanctorum*, id est hoc tempore probatur quicumque sanctorum sint patientes et fideles. Multi enim tempore pacis videntur sibi patientes et fideles, qui tempore persecutionis inveniuntur infideles et impatientes. Luc. VIII, *Ad tempus credunt etc*. Ideo dicit Eccles. II, *In humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum etc*. Vel hic, inter tribulationes præsentes est patientia necessaria, qua æquanimiter sustineatur. Et fides sanctorum, similiter est necessaria, quia credunt post tribulationem se remunerandos et per tribulationes ad regnum perventuros. Act. XIV, Per multas tribulationes apparet patientia et fides sanctorum, id est in tempore tribulalationis quæ tempore pacis latent. Unde Eccles. II, *Non agnoscitur in bonis amicus et non abscondetur in malis inimicus*. Item hæc est patientia et fides sanctorum, id est ad considerandas pœnas malorum et remunerationes bonorum. Licet modo opprimantur, et vincunt et superant omnes tribulationes, aspicientes in futurum. Unde Hebr. XII, *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei etc*. Super hoc verbo dicit Augustinus : » Omnia bona contempsit Christus homo, ut contemnenda monstraret : et omnia mala sustinuit quæ sustinenda præcepit : ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur adversitas. » Item *Hic est*, id est in præsentia est sustinentia passionum quæ est patientia et fides sanctorum, sunt illæsa et incontaminata, quia quantumcumque sint graves passiones omnes, in nullo redditur patientia et fides eorum, immo in omnibus superat. Hebr. XI, *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam*. Jacob. VI, *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*. Luc. XXI, *In patientia vestra*. *Vel hic*, id est sustinendo præsentes tribulationes, *Est patientia et fides sanctorum*. Quia ad hoc datur omnis fides et patientia, ut possit substinere præsentes tribulationes. Unde Paulo oranti ut discedat ab eo stimulus dictum est, Sufficit tibi gratia mea, I Corinth. XII, id est patientia quam Dominus dederat ei, ut posset sustinere. Vel *Hic est patientia et fides*, scilicet in præsenti, et usus fidei et præmia sanctorum quæ in futuro cessabunt. I Corinth. XIII, *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est :* patientiæ vero succedet præsentia fidei et visio manifesta. Vel *Hic est*, id est contra hæc, scilicet passiones et tribulationes, *Est patientia et fides sanctorum*, sicut circa merces est negotiatio eorum : hic siquidem sunt merces et negotiatio eorum. Unde comparant sibi divitias regni cœlorum. *Beati qui patiuntur propter justitiam*, Matth. V et Luc. XIX, *Negotiamini dum venio*. Gregorius : « Sancti pœnas præsentes lucrum putant, quia per æternas evadere non ignorant. » Vel : Hic est patientia et fides sanctorum, sicut argentum in argentaria et aurum in aurifodina. Fides enim et patientia sanctorum ex his exercetur. Rom. V, *Tribulatio patientiam operatur*. Job XXVIII, *Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur*. Vel : Hic est fides et patientia sanctorum, sicut fructus in arbore verbi oritur et maturatur. Cant. VI, *Ascendi in palmam et apprehendam fructus ejus*. Vel, *hic*, id est in tribulationibus, *Est patientia,* sicut piscis in aqua, sine aqua vivere non potest. Isa. L, *Ponam flumina in siccum, computrescent pisces*. Vel, Hic est patientia, sicut aurum in fornace, ubi purificatur. I Petr. I, *In quo exultabitis modicum nunc si contristari oportet in variis tentationibus, ut probatio fidei vestræ probatior sit auro*. Quod fornax auro, hoc tribulatio viro justo. Vel, Hic est patientia, id est ad hoc considerat finem eorum, cujus consideratione conficitur patientia vel fides sanctorum. Unde *Glossa*, Respiciendo pœnam malorum et remunerationem beatorum patientes sunt et fidem tenent sancti. Vel *hic*, id est in

tribulationibus et pressuris mundi, *Est patientia et fides sanctorum*, sicut in auro gemma. Eccles. XXXII, *Gemma carbunculis in ornamento auri expectatio præstolantis*. Vel, Hic est patientia, sicut semen in agro, ubi non solum servatur, sed crescit ac multiplicatur et fructificat. Psalm. *In tribulatione dilatasti mihi*. Exod. I : *Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabuntur*. Genes. VII, *Multiplicatæ sunt aquæ*, id est tribulationes, *et elevaverunt arcam in sublime*. Sequitur,

Et vidi unum de capitibus etc. Hic est secunda pars capituli, in qua agitur de persecutione Ecclesiæ a falsis christianis Antichristi inferenda ; quæ nomine bestiæ designatur, quia carnales et irrationabiles erunt circa Ecclesiam bestialiter sæviendo. Primo autem describit Joannes hanc bestiam. Postea docet quomodo cavendum est ab ea. Describit autem a duobus. Primo a malitia tam occulta quam aperta. Deinde a potentia et potentiæ suæ differentia. Hæc autem bestia differt a præcedenti, quia illa de mari ascendit, hæc autem de terra. Unde per illam significatur Antichristus et principes sui. Item per illam significatur multitudo gentium Christo adhærentium in Ecclesiæ persecutione. Per hanc significatur multitudo falsorum christianorum Ecclesiam persequentium cum Antichristo. Dicit ergo, *Et vidi*, id est spiritualiter intellexi *aliam bestiam ; Glossa :* id est pseudo Apostolos Antichristi, bestialiter et irrationabiliter Ecclesiam lacerantes. Crudelius etiam persequenter Ecclesiam pseudo Apostoli et falsi christiani, quam principes vel gentiles. Deuteronom. XXXII, *Dentes bestiarum immittet in eos,* id est pseudo Apostolos falsa doctrina Ecclesiam lacerantes. Psalm. *Dentes eorum arma et sagittæ*. Arma ad protectionem sui, sagittæ ad impugnationem Ecclesiæ. Et lingua eorum gladius acutus, corda fidelium seducendo. *Glossa*. Dicit quod hæc bestia est minor prædicta : et intelligimus, quod minor sit numero vel potentia, sed non crudelitate. Sequitur, *Ascendentem*, id est in superbiam proficientem. *De terra*, id est de terrenorum opulentia. Psalm. *Prodit quasi ex adipe iniquitas eorum*. I Timoth. VI, *Divitibus præcipue non sublime sapere*. Ibi *Glossa*, Vermis divitum superbia. Isa. VII, *Requievit Syria super Ephraim*, id est, *superbia super divitias*. Vel *Ascendentem*, id est in malitia sua proficientem et super fideles invalescit. De terra, id est per terram, per divitias terrenas quas habebunt. Vel per divites terrenos qui pseudo Apostolos Antichristi mittent et defendent. Et nota quod Joannes dicit de bestia, unde ascendit, sed non dicit quo ; quia malorum finis est descensus. Job XXI, *Ducunt in bonis dies suos etc.* Exod. XVI, *Descendit in profundum quasi lapis*. Psalm. *Dejecisti eos dum allevarentur*. E contra dicitur de bonis quo ascendunt, et tacetur unde : supra IX, *Ascendite huc*, id est in cœlum, sicut dictum est Eliæ et Enoch. Supra VII, Unde ascendent boni, ut sciant et velint illud fundamentum, unde ascenditur, in seipsis habere ? *Hi*, inquit, *sunt qui venerunt ex magna tribulatione*. Et hæc bestia, *Habebat duo cornua similia agni*, id est duo Testamenta quæ defendunt Ecclesiam, sicut cornua defendunt animal, quæ habebunt prædicatores Antichristi per notitiam, sed non per vitam ; vel per usurpationem, non per veritatem ; dicent enim se scire utrumque Testamentum, et re vera nescient ; et ideo dicitur quod non habebunt cornua agni, sed similabunt habere. Vel Duo cornua dicuntur, Similia agni, id est simulata dilectio Dei et proximi quæ erit in eis. Unde *Glossa*, Si quid bonum in eis erit, similatum erit. Vel Duo cornua possent dici virtus faciendi miracula et prava vita et doctrina quæ se habere simulabunt prædicatores Antichristi ; et ideo non dicit simpliciter quod Habebat duo cornua agni, sed similia agni. Vel Duo cornua possunt dici virtus faciendi miracula et vitæ innocentia quæ per simulationem non per veritatem habebunt, et per hoc impugnabunt quasi cornibus. *Et loquebatur sicut draco*, id est sicut Antichristus in quo diabolus loquebatur : quasi dicat : Ita loquentur Apostoli Antichristi a diabolo, sicut Spiritus sanctus loquitur in Apostolis Christi. Unde Matth. X, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Sic loquetur malignus spiritus in Apostolis Antichristi. Unde III Reg. XXII, *Ego ero spiritus mendax in ore vestro pro eis. Et potestatem prioris bestiæ omnem*, id est omnes modos decipiendi et nocendi, quibus diabolus per priorem bestiam nocuit et decepit *faciebat in conspectu ejus*, id est in beneplacito Dei, vel Antichristi. Sicut enim Apostoli Christi faciunt omnia ut placeant Deo sive Christo, ita Apostoli Antichristi

omnia faciunt ut placeant Antichristo a quo sperant habere divitias et honores. Unde Dan. XII, *Multiplicabitur ejus gloria, et dabit ei potestatem in multis, et terram dividet gratuito. Et fecit terram et inhabitantes in ea*, id est amatores terrenorum, et in hoc amore perseverantes, *adorare bestiam primam*, id est diabolum, vel Antichristum qui est principale caput prioris bestiæ, quam adorabunt apostoli sui, sicut Christum adoraverunt Apostoli sui. Sicut enim cupiditas Judæam excæcavit, ut Christum quem tot miracula fecisse viderat, et in cujus nomine ipse multa miracula fecerat, et putavit postea incantatorem et magum, ut dicit Isa,, ita excæcabit istos, ut credant Antichristum Deum. Vel certe si non crederent, tamen servient ei cum magna reverentia, sicut Domino, propter cupiditatem. Tanta enim est labes, et pestis avaritiæ, ut de facili faciat declinare a fide. I Tim. VI, *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide*. Causa autem, quæ multos trahet ad Antichristum adorandum erit simulatio resurrectionis. Unde sequitur, *Cujus*, id est quia ejus, *Curata est plaga mortis*, simulatæ, per simulatam resurrectionem, quam tamen ut veram prædicabunt Apostoli ejus, quos ipse mittet per universum mundum. Unde supra IX, dictum est, *De fumo putei, exierunt locustæ in terram*, id est prædicatores Antichristi, *Et fecit*, id est faciet, *Signa magna. Glossa*, Ad confirmationem suæ prædicationis. Sicut de Apostolis Christi dicitur Matth, ult. : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique*. Tamen non erunt vera miracula, quia non fient voce divina, sed potestate diaboli, sicut ea quæ fecerunt magi Pharaonis. *Ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum*. Ad literam hoc facere poterunt apostoli Antichristi operatione dæmonum, quia alia vice hoc idem fecisse leguntur. Job I, *Ignis de cœlo venit etc.* Vel sicut Apostolis Christi datus fuit Spiritus sanctus in spiritu ignis. Act. II, Ad prædicationem Apostolorum Christi dabatur etiam Spiritus sanctus signo visibili. Sicut dicitur Act. X, *Adhuc loquente Petro etc.* Sic illi dabunt spiritum, scilicet, malignum in specie ignis, quod totum facient arte magica. Et quia hoc fiet palam in conspectu hominum, jactabunt se meliores esse Apostolis Christi, qui in conclavi receperunt Spiritum sanctum, Act. II. Per hæc autem signa multi seducentur. Unde sequitur, *Et seduxit*, id est seducent, *Habitantes in terra*, id est amore terrenis inhærentes, *Propter signa, quæ data sunt illi*, permissione divina, *Facere in conspectu bestiæ*, id est Antichristi, in cujus nominis vocatione apostoli ejus facient miracula, sicut veri Apostoli ad invocationem nominis Christi fecerunt vera miracula : *Dicens*, id est præcipiens, *Habitantibus in terra*, id est amatoribus terrenorum, *Ut faciant imaginem bestiæ*, id est se conformarent illi, in malitia, in Ecclesiæ persecutione, *Quæ habet plagam gladii et vixit*, id est quæ de morte surrexit, non tamen vere, sed simulate, sicut dictum est supra. Ideo forte dicta est bestia de terra ascendere, quasi de sepultura resurgere. Quia Antichristus, qui est caput bestiæ, simulans se mortuum tertia die, ascendet in aerem quasi de morte resurgens. Vel ad literam præcipient apostoli Antichristi hominibus sibi credentibus, Ut faciant imaginem, id est statuam Antichristi, et illam adorent in ejus veneratione. Sicut fecit Nabuchodonosor, Dan. III. *Et datum est illi*, bestiæ, id est apostolis Antichristi a diabolo, Deo permittente, *Ut daret spiritum imagini bestiæ*, id est statuæ factæ ad similitudinem et ad reverentiam Antichristi. Quam imaginem ipse faciet loqui, et moveri, ad majorem hominum deceptionem. Quod Deus permittet exigentibus peccatis hominum, sicut olim permisit, cum vigeret idololatria ante adventum Christi, *Et ut loquatur imago bestiæ*, id est statua per malignum spiritum, respondens sicut olim in idolis dabant responsa : *et faciet*, per suam suasionem, principum etiam sæcularium potentia, *Ut quicumque non adoraverit imaginem bestiæ*, id est statuam Antichristi, *Occidatur*, morte corporali. Similiter fecit Nabuchodonosor, Dan. III. Edictum siquidem dedit, ut quicumque statuam auream non adoraverit, quam fecerat, interficeretur : recte illud fuit figura hujus. *Et faciet omnes pusillos et magnos, et divites et pauperes, liberos et servos habere characterem*, id est signum aliquod, *In dextera manu*, ad literam, aut *In frontibus suis*, id est in capitibus suis, per quod cognoscantur esse de familia Antichristi, sicut Judæi modo habent. Vel dicitur, quod *Faciet omnes etc.* Intelligitur fieri distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Quia de omni statu et condi-

tione multos habebit credentes Antichristus, immo plurimos. *Ut ne quis possit emere vel vendere*, ad literam hæc facient Apostoli Antichristi, per principes, qui eis per omnia acquiescent, *Nisi qui habeat characterem*, id est signum, *Aut nomen bestiæ;* ut sicut a Christo dicuntur Christiani, ita ab Antichristo Antichristiani dicantur. Vel ab aliquo discipulorum ejus. Sicut ab Ario Ariani, a Sabellio Sabelliani, et sic de aliis, qui tunc erunt. Ad literam dabitur edictum, ut nullus possit emere vel vendere aliquid in nundinis, vel mercatis, qui non emunt vel vendunt alicujus sectæ, de illis quæ erunt tempore Antichristi. Aut in nomine ejus, id est virtutem, qua faciet opera, quibus confiteatur se esse Antichristum, absque ullo timore. Vel sic. Ab illo loco, *Datum est illi*, id est bestiæ Antichristo, *ut daret spiritum prophetandi, Imagini bestiæ*, id est sequacibus suis, ut loquatur diversitate linguarum. Imago bestiæ, id est discipuli et sequaces Antichristi. Sic datum fuit discipulis Christi, ut possent loqui variis linguis. Sed quomodo dabit hæc Antichristus, vel diabolus, qui etiam non potest dare scientiam? Eccles. I, *Omnis scientia et sapientia a Domino Deo est.* Præterea, Solus Deus scit futura, quia solus potest dare spiritum prophetandi, id est prævidendi et prædicendi futura. Solutio. Dæmones velocissimi sunt, et quasi in instanti possunt longa terrarum spatia pertransire. Unde quod fit hodie in Jerusalem statim possunt Romæ nunciare, tamquam res illa sit adhuc quasi futura. Verbi gratia, si multus sanguis in fonte funderetur unde Sequana oritur, ita ut totus fieret rubeus, statim possent dicere Parisiis : cras erit Sequana sanguineus , et cum ita fieret, diceretur, quod ille, per quem diabolus dixisset hæc, prædixisset futura. Hæc modo revelant dæmones futura, vel divinando ex conjecturis præteritorum. Unde mentiuntur frequenter. Et faciet Antichristus et diabolus, ut quicumque non adoravit nomen bestiæ, id est apostolos Antichristi conformes sibi non adoraverit, et obedierit eis, Occidatur, corporaliter. Quod melius est quam adorare eum, quia omnes qui adorabunt occidentur spiritualiter. Et faciet, bestia, id est Antichristus, vel diabolus, quasi dicat, totus malorum cœtus, frequenter enim nomine bestiæ modo diabolus , modo Antichristus , modo malorum cœtus intelligitur, quæ diversitas potest discerni ex diversitate attributorum. Omnes pusillos et magnos, corpore vel corde, Et divites, et pauperes, sensu, vel censu, Liberos, et servos, justitiæ vel peccati, habere characterem, id est vitæ et doctrinæ conformitatem, In dextera manu, id est in præcipuis operibus suis. Aut in frontibus suis, id est ut manifeste omnibus appareat, quod sunt ministri Antichristi, ut sic sine verecundia Antichristum confiteantur esse suum dominum et magistrum , et se discipulos et servos ejus , Et nequis possit emere intelligentiam veritatis , studendo vel audiendo , vel Emere, aut, Vendere, docendo, vel prædicando : auditores siquidem labore studii emunt scientiam, et doctores prædicando et docendo vendunt. Proverb. XXIII, *Veritatem eme, et noli vendere sapientiam*, pretio scilicet temporali, quia pro spirituali, scilicet pro fide et patientia audientium, debet omnis doctor vendere scientiam, secundum sententiam Isa. XLV, *Omnes sitientes venite ad aquas*, sanctæ doctrinæ : *et qui non habetis argentum, properate et emite*, id est vobis incorporate, venite etc. Vel ne quis possit emere cœlestia, vel vendere temporalia. Matth. X. *Glossa*, id est, Servos Dei acquirere, aut vendere tunicam conversationis humanæ, id est mundanæ per opera misericordiæ : hoc siquidem non licebit, quia dicent tunc, non est tempus flendi, sed ridendi et deliciis affluendi. Unde Luc. XVI, *Sicut factum est in diebus Loth, edebant et bibebant etc.* Thess. V, *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerit pax et securitas, tunc repentinus super eos veniet interitus sicut dolor parturientis et refugiet.* Ad litteram quasi excommunicati erunt omnes boni, ut nec bona facere possint, nec aliquem contractum emptionis et venditionis, cum aliis hominibus habere, *Nisi habeat characterem*, id est pravum finem in corde, *Aut nomen bestiæ*, id est confessionem fidei Antichristi in ore, *Aut numerum nominis ejus*, id est opera et conversationem cum impiis. *Hæc sapientia est*, id est ad hoc intelligendum est necessaria sapientia, vel hoc attendere et cogitare est sapientia, vel *Hic*, id est in hoc tempore quando tanta erit tribulatio, *Est sapientia*, necessaria ad cavendum casum, quia res obscura est multo. Et ideo attentos reddit auditores dicens, *Qui habet intelle-*

ctum, id est sensum et gratiam intelligendi mysteria, et obscura, explicet, vel *Computet numerum bestiæ*, id est litteras nominis ejus, quibus patebit ipsa bestia, id est Antichristum esse purum hominem licet dicat se Deum esse. *Numerus enim hominis est*, id est per quem probatur esse homo, *Et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex*, id est literæ nominis ejus talem numerum significant. Et quoniam liber iste græce scriptus fuit a Joanne, idcirco hic numerus more Græcorum requirendus est, apud quos singulæ literæ numeros continent, et significant per se apud Græcos nomen Antichristi. Primum nomen est Attemos, quod nomen continet numerum prædictum, id est sexcentum sexaginta sex, juxta significationem litterarum nominis. Verbi gratia A, apud Græcos, significat unum. Numerus quinquaginta, signatur T. CCC. est signatum V. M. signat XL. O signat LXX. S. signat C C. quæ simul collecta faciunt prædictum numerum, id est DCLXVI. Item alia duo nomina, quibus nominatur Antichristus, apud Græcos sunt, quæ eumdem numerum continent. Primum est Arnoyme : et considera numerum significationem litterarum secundum Græcos, et habebis eumdem numerum, scilicet DCLXVI. Verbi gratia A, signat unum ; R signat C. N. signat L. O. LXX. Y. CCCC. M. XL. E. V. : quæ simul collecta faciunt prædictum numerum, id est DCLXVI. Tertium nomen Antichristi apud Græcos est Teytan, quod hunc eumdem numerum continet. Verbi gratia T. significat CCC. E. V. Y. X. T. CCC. A. unum. N. quinquaginta : quæ simul collecta faciunt DCLXVI. Item, et satis conveniunt hæc nomina Antichristo, secundum eorum interpretationes. Attemos enim interpretatur Deo contrarius, et ipse in omnibus Deo contrariabitur, id est Christo. Item Arnoyme interpretatur negans, alias negatio, et ipse Christum et fidem ejus negabit. Item Teytan interpretatur sol, vel gigas : et ille miser dicet se solem justitiæ, et gigantem geminæ substantiæ, id est divinæ et humanæ : hujus nomina id est res nominum usurpabit sic Antichristus. Ipse enim faciet se vocari Attemos, id est Christo contrarium ; et Arnoyme, quia Christum negabit esse Deum, et se esse Deum confirmabit : et Teytan, quia solem justitiæ, et Deum, et hominem se prædicabit, et sui idem prædicabunt. Item Latinis literis scribitur nomen ejus, qui se vocari faciet dies lux, quia ipse dicet se esse lucem mundi, et per hoc nomen idem habetur apud Latinos. Nam D significat CCCCC, I unum, C centum, L quinquaginta, V quinque, X decem, Collecta simul faciunt DCLXVI. Per hunc numerum, qui continetur in nominibus Antichristi, volet ipse apparere Deus. Sed a sapientibus et veritatem cognoscentibus purus homo apparebit. Ideo dicit Joannes, Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Sed quæret aliquis quomodo per hunc numerum apparere poterit Deus, vel quomodo per eumdem numerum apparebit purus homo? Ideo per senarium, cujus aliquotæ tres sunt, et perficiunt totum, nec ultra procedit, nec ultra remanet, significatur perfectio Dei, cui nihil est addendum vel subtrahendum, sed simpliciter tenendum vel subtrahendum quod ipsa Scriptura determinat. Sicut senarii sunt tres partes, scilicet duo, tria, unum, sic tria credenda, et subjecta fidei scilicet tres personæ, duæ naturæ in Christo, una essentia Dei. Hæc est enim prima perfectio, et magna, sine qua quis *non potest Deo placere :* ut dicitur Hebr. xi. Per sexaginta significatur perfectio duplex. Una propter senarium operationis. Altera propter decalogi observationem. Sexaginta enim fiunt ex senario ducto in denarium. Nam sex decem, vel decies sex sunt sexaginta. Et hæc est secunda perfectio major quam prior, *quia fides sine operibus mortua est*, Jacob. ii. Per sex centenarium significatur perfectio triplex. Una fidei per senarium. Alia operationis propter denarium. Tertia supererogationis, propter impletionem consiliorum quam inducit charitas, quæ significatur per centenarium : hæc est perfectio maxima sine qua aliæ parum valent. Posset enim fides esse integra, sed informis. Item possent servari mandata, sed ex timore ; et parum valeret hoc totum nisi aliquando addantur consilia quod totum perficit charitas, vel charitatis regula. Juxta illud I Corinth. xiii, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum etc.* Quia igitur hanc triplicem perfectionem, vel potius præmium quod debetur huic triplici perfectioni, promittet Antichristus suis : propterea reputabitur Deus ab illis, quia hujus dare est solius Dei, et sic responsio ad primum. Ad aliud dicitur, quod licet per prædictum numerum, tri-

plex perfectio significetur, tamen quia per senarium describitur, et homo sexta die factus est, per hoc creatura monstratur non creator. Item per senarium significatur prima perfectio, quæ est conjugatorum. Per sexaginta significatur secunda, quæ est viduarum, atque continentium. Per sexcenta signatur tertia, quæ est sanctarum virginum. Prima facit fructum trigesimum. Secunda sexagesimum. Tertia centesimum. Discipuli autem Antichristi tunc prædicabunt, neminem posse salvari, nisi Antichristo obtulerit aliquando de fructibus istis, quasi Deo. Item in prædicto numero est triplex senarius. Unus est unitatum, scilicet sex. Secundus sex decies denarii, scilicet sexaginta. Tertius centenarii, sexcenta. Primus signat initium boni. Secundus profectum boni. Tertius consummationem boni. Unde per primum designatur incipientium vita, per secundum proficientium, per tertium vita perfectorum. Item primus senarius significat perfectionem naturæ, quæ sex diebus facta est. Secundus perfectionem gratiæ, quæ consurgit ex observantia mandatorum. Tertius signat perfectionem sapientiæ, quæ consistit in contemplatione cœlestium, quæ per centum designatur : et hanc perfectionem dicent Antichristi discipuli, dari ab illo solo : et ideo credent illum esse Deum, quamvis sit purus homo : et per eumdem numerum designatur, qui est numerus hominis. Nam senarius unitatum respicit naturam creatam. Senarius denarii, respicit gratiam datam. Senarius centenarii, respicit gloriam promissam, ad quod est omnis homo. Quia nomen et natura hominis condita per gratiam, venit ad gloriam promissam ; ideo numerus hominis est sexcentum sexaginta sex.

CAPUT XIV.

Et vidi et ecce Agnus etc. Descripto dracone, et familia ejus, a quibus Ecclesia gravissime impugnatur, describit hic Joannes Agnum, et familiam ejus, a quibus Ecclesia sufficientissime adjuvatur. Sicut autem a prima descriptione incussit timorem, sic in hac subjicit consolationem. Dum enim Ecclesia tales habet adjutores, non oportet timere qualescumque habeat impugnationes. Juxta illud Rom. VIII, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Propter quod dicit Job. XVII, *Pone me juxta te etc.* Dividitur autem hoc capitulum in quinque partes. In prima ostenditur Agnus stare paratus, et familia ejus cum eo in auxilium Ecclesiæ. In secunda monetur Ecclesia ad talem accedere auxiliatorem, ibi, *Et vidi alterum Angelum.* In tertia monetur ad mundi contemptum, et aliorum quæ præstant impedimentum accedendi ad Deum, ibi, *Et alius Angelus.* In quarta proponitur, quod promittitur servis suis, ut securius et libentius accedatur ad ipsum, ibi, *Et audivi vocem.* In quinta agitur de judicio futuro, ubi omnes boni et mali remunerabuntur secundum merita sua, ibi, *Et vidi, et ecce nubem.* Dicit ergo, *Et vidi*, id est intellexi spiritu revelante mihi, *Et ecce Agnus*, id est Christus pro mundo immolatus, *Stabat*, semper juvare paratus, unoquoque monstratur humanitas passa, in statu commendatur divinitas illæsa : pati quidem humanitati convenit, sed stare divinitati. Unde quia simul fuit homo et Deus, pati simul et stare potuit. Et ideo *Agnus stabat supra montem Sion*, id est supra Ecclesiam virtutibus celsam et Deum speculantem, quam Christus virtutibus, etiam speculationis, superexcellit. Isa. II, *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super omnes colles.* Dicitur autem Agnus propter omnimodam innocentiam, quam habuit, quia sine originali et actuali fuit. I Petr. I, *Agnus immaculatus et incontaminatus.* Immaculatus, quia non contraxit originale, quod probat matris gloriosæ virginitas. Incontaminatus, quia non commisit actuale, quod probat Patris divinitas. De hoc agno dicitur Exod. XI, *Erit agnus absque macula etc.* Item in eodem. *Non comedetis ex eo etc.* Crudum comedit qui eum habuisse originale credit. Coctum aqua manducat, qui eum per naturam peccasse affirmat. Nos nascimur crudi et immundi, et postea coquimur aqua concupiscentiæ. Ipse autem, et sanctus conceptus est, et sanctus natus est, et sanctus decrevit, propter quod, nec crudum quid ex eo, nec coctum aqua debet comedi, sed assum igni, passum ex charitate debet credi. Ignis iste non est comburens, sed illuminans ; ideo Christus significatur per piscem assum, Joan. XXI, ubi dicitur, *Viderunt prunas positas, et piscem positum.* Luc. ult. *Et obtulerunt partem piscis assi.* Caput et pedes cum

intestinis vorare, est divinitatem et humanitatem Christi credere, et infirmitates ejus, per fidem et unitatem sibi incorporare. Ergo Agnus virtute divinitatis, stantis, merito cadentis humanitatis, mundi peccata purgavit. Unde Joan. I, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: et bis dicit, ecce, ut utrumque admiretur in Christo, et stans divinitas, et cadens humanitas. Et ideo considerabant antiqui ejus adventum. Isa. XVI, *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti ad montem*, id est de Ruth Moabiti ad montem *filiæ Sion*, id est ad exaltationem Ecclesiæ. Unde et hic dicitur supra montem stare : sed certe in hoc non fuit solus agnus, immo multos habuit sanctos secum, per quos salvavit et sublimavit Ecclesiam. Unde sequitur, *Et cum eo centum quadraginta quatuor millia*, ex quatuor partibus mundi, collectos, qui omnes per hunc numerum designantur. Siquidem hic numerus surgit ex duodenario ducto in se. Nam duodecim duodecies sunt centum quadraginta quatuor. Duodenarius autem primus numerus abundans est, et conficitur ex tribus ductis in quatuor. Unde significat abundantes in fide Trinitatis collectos ex quatuor partibus mundi. Per mille vero significatur perfectio maxima, quæ est virginum. Nam cum sit magna perfectio conjugatorum, major perfectio continentium, maxima est perfectio virginum : et ita per centum quadraginta quatuor millia, recte signantur omnes virgines perfecti, et abundantes in fide sanctæ Trinitatis ex quatuor partibus mundi collecti : omnes hi stant cum Domino supra montem Sion, quia sunt in supremo gradu Ecclesiæ constituti. Sequitur, *Habentes nomen ejus*, id est Christi a quo dicuntur christiani. *Et nomen Patris ejus*, ut a Deo Patre dicantur filii Dei. Psalm. *Ego dixi, Dei estis et filii Excelsi omnes.* I Joan. IV, *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut Filii Dei etc.* Roman. VIII, *Ipse spiritus reddet testimonium spiritui nostro, quod sumus Filii Dei, si autem filii etc.* I Joan. III, *Charissimi filii Dei sumus*, hoc est nomen quod Exod. XX, *Non accipias nomen Dei tui in vanum.* Quod revera in vanum omnis accipit, ille qui non facit opera ejus. Vel Habentes nomen ejus, in gratiæ susceptione, qua interius uncti dicuntur Christiani. Et nomen Patris ejus, in hæreditatis participatione, quod erit in gloria : hæc duo dat Dominus. In præsenti dat gratiam, per quam sumus christiani, et a Christo uncti. In futuro dabit gloriam, per quam erimus hæredes et filii. Psalm. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Vel vidi, id est mente conspexi. Et ecce admirationem notat in vidente, et admirabilem in viso. *Agnus*, id est Christus innocens, patiens, humilis, mansuetus. *Stabat*, ut adjutor, ut speculator, ut pugillator. *Supra montem Sion*, id est supra Ecclesiam tamquam super specula sua. *Ecce, fili hominis, speculabitur de te.* Habacuc II, *Super custodiam meam stabo. Et cum eo centum quadraginta quatuor millia stantes*, non supra montem, sed circa montem, cum agno montem custodientes, et ei se conformantes. Et significantur quatuor status bonorum per quatuor prædictos numeros. Nam Quadraginta cum sit numerus pœnitentium, signat statum incipientium; Quatuor signat statum proficientium, qui scilicet in quatuor virtutibus secundum regulam evangeliorum se extendendo in bono proficiunt : per Centum, qui transit de læva ad dextram signatur status contemplantium, seu perfectorum, qui jam mente conversantur in cœlo. Per Mille, signagnatur numerus perseverantium, et hi omnes cum Agno stant ad defensionem et custodiam Ecclesiæ, et ad bellandum contra ejus hostes parati. *Habentes nomen ejus*, id est rem nominis, scilicet gratiæ unctionem. I Joan. II, *Et vos unctionem habetis. Et nomen Patris ejus*, id est rem nominis ejus, scilicet gratiæ unctionem, id est rem nominis paterni, scilicet filiationem Dei. Isa. LV, *Dabo eis in domo mea, et in viis meis locum, et nomen etc. Scriptum in frontibus suis.* Scriptum dicit, non pictum vel tinctum, ut possit ab aliis videri. Proverb. III, *Misericordia et veritas non te deserent etc.* Primo ponitur nomen Christi, et postea nomen Patris. Debet describi in mentibus nostris fides passionis, et spes promissionis, et amor promissoris : quas quidem scriptiones, id est virtutes, aqua tribulationis non delet, sed magis informat. Quod fides tribulatione formetur, habetur I Petr. I, *Ut probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur.* De spe Rom. V, *Tribulatio patientiam operatur, patientia spem.* Cant. VIII, *Aquæ multæ etc.* Sequitur. *Et audivi.* Hic exprimit et ostendit Joan. desiderium, quod habent de adjuvando

Ecclesiam, quam re vera totis conatibus juvant. Unde, et stare cum Agno dicuntur. Dicit ergo, *Et audivi*, auditu quidem interiori. *Vocem de cœlo*, id est ad admonitionem a perfectis, qui cum Agno sunt, ad imperfectos cœlitus procedentem. *Tamquam vocem aquarum multarum*, id est populorum multorum : de quibus sancti cum Agno stantes collecti sunt. Per aquas siquidem, quæ continuæ defluunt in mare, signantur homines, qui sine intermissione fluunt in morte. Unde Regum II, *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur*. Eccl. I, *Generatio præterit etc.* Et hoc dicit, quia oratio unius sancti viri vim obtinet orationum multarum, vel propter efficaciam emendationis, vel certe ideo, quia sicut aquæ velocius et impetuosius currunt cum oppressionem inveniunt, sic sancti cum tribulationes crescunt, ferventius orant et prædicant. Jud. VI, *Humiliatus est valde Madian in conspectu Israel, et clamavit ad Dominum postulans auxilium.* Sequitur, *Et tamquam vocem tonitrui magni*, id est plena terroris et admirationis. Sermo enim sanctorum valde terribilis est omnibus malis, qui ad eorum consortium venire nolunt. De hac voce sanctorum quæ tonitruo comparatur, propter terrorem et admirationem, dicit Psal. *Vox tonitrui tui in rota*. Jerem. XXVI, *Cum parvam stillam sermonum ejus audiverimus, quis poterit intueri tonitruum magnitudinis ejus ?* Ut autem vox ista non modicæ virtutis et efficaciæ reputetur, dicit Joannes quales sunt illi a quibus procedit : quia quod dicebant, opere implebant, propter quod efficacior erat sermo eorum. Dicit ergo, *Et vocem*, id est vox, *Quam audivi*, *erat sicut vox citharædorum*, id est prædicatorum, *Citharizantium*, id est carnis mortificationem prædicantium, *In citharis suis*, id est in seipsis ostendebant. Ideo dicit Apostolus I Cor. X, *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo etc.* Cithara duo habet, lignum et chordas : in ligno extensas : chordæ sunt corda pœnitentium, vel corporis singula membra, quæ singula debent habere suam mortificationem, eo quod peccandi instrumenta fuerunt. Unde Roman. VI, *Sicut exhibuistis membra vestra etc.* In cithara enim, ad hoc ut bene cantet, oportet tangere omnes chordas, non simul, sed successive. Ita in pœnitentia, ad hoc ut Deo placeat, oportet singula peccata dicere in confessione et singula tangere in satisfactione. Ut *per quæ peccavit homo, per hæc puniatur*, ut Sap. VI. Dives ideo torquetur in inferno, quia in lingua peccavit hic in mundo. Dicit Isa. XXV, *Sume tibi citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita est, bene cane, frequenta canticum.* Nota quod dicit sume citharam, id est voluntariam accipe pœnitentiam. Psal. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Matth. X, *Tollite jugum meum super vos etc.* Item bene dicit, *Cane* id est benefac confessionem omnia nude et aperte dicendo, *Frequenta canticum*, quia frequens debet esse confessio cum frequentes sint defectus nostri, et in certa hora mortis. In hoc ergo, quod dicit Citharizantium in citharis suis, vocat illos, qui semper citharizant in citharis alienis, id est qui prædicant aliis pœnitentiam, et ipsi nullam, vel modicam faciunt. De quibus dicitur Matth. XXIII, *Super cathedram Moysi etc.* Et in hoc notantur claustrales, et prælati, qui jejunante conventu, vel male procurato, comedunt in cameris abundanter et large. Isti re vera cantant, sed in citharis alienis, non suis, quia religionem tenent, non in se, sed in subditis suis. Contra quos dicit Sapiens : *Patere legem, quam ipse tuleris.* Eccle. XXIII, *Rectorem te posuerunt ? noli extolli : sed esto in eis quasi unus ex illis*, scilicet in refectorio, in dormitorio, in oratorio et in claustro. In vigiliis, in jejuniis et in disciplinis. *Et cantabant*, gratias agendo de acceptis beneficiis, et de integritate mentis observata. *Quasi canticum novum*, quod nunquam veterascit, sed semper erit novum. Quasi canticum, dicit ut notetur quædam imperfectio integritatis et gaudii quousque anima et corpus glorificentur. Tunc enim erit gaudium plenum et perfecta integritas, quia non poterit amplius amitti. Nunc autem fragile bonum est corporis integritas, et ideo gaudium imperfectum. Sed quia multi citharizant in citharis suis, et cantant pro favore mundi, ut hypocritæ et virgines fatuæ, et ideo sequitur, *Ante sedem, et ante quatuor animalia, et seniores*, id est in præsentia et approbatione Angelorum, in quibus sedet Deus, et prophetarum, et Apostolorum, quasi per quatuor per quos exercet Deus judicia sua. Per quatuor animalia prædicatores quatuor evangeliorum : per seniores antiqui patres : ante quos isti cantant quia illi istorum canticum approbant. Et ne crederes, quod

quilibet posset hoc canticum cantare et ita non esse magnum cantare canticum ante sedem, ideo addit, *Et nemo poterat dicere canticum*, id est de integritate mentis et corporis habere gaudium. *Nisi illa centum quadraginta quatuor millia*, id est nisi virgines perfecti, qui per Centum quadraginta quatuor signantur, secundum primam expositionem, quam facit *Glossa*. *Qui empti sunt de terra*, id est separati a carnis concupiscentia per virtutem baptismi, cujus innocentiam servaverunt. Item ideo dicit, *Empti sunt*, quia per baptismum mundati, qui habet a Christi sanguine virtutem. Quod ergo dicit Apostolus, I Cor. vi, *Empti enim estis* convenit baptizatis. Quod autem dicitur I Petr. i, *Non corruptibilibus auro vel argento redempti etc.* Convenit pœnitentibus. Qui autem sunt isti, evidentius ostendit Joannes, dicens : *Isti sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, nec mente per consensum, nec opere per corpus coinquinati. Et hoc probat, quia mente et corpore incorrupti. *Virgines enim sunt, et ideo sequuntur*, quasi imitantur Christum. *Quocumque ierit.* Pede, scilicet, mente, et corpore, scilicet corporis integritate. Quocumque ierit, id est quacumque via ierit, sive præceptorum viam vadit, sive viam consiliorum teneat. *Hi sequuntur*, post eum. Unde beatus Bernardus : « Sequitur ad præcepta sicut plures, sequitur ad consilia sicut pauci virginitatem servant. » Altissimus enim status in Ecclesia est virginitas. Unde Ambrosius : « Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Qui enim virginitatis puritatem servant, supercœlestibus assimilantur. » Unde Augustinus *de doctrina Christiana*, et sunt verba Cypriani : « Nobis ad virgines sermo est ; quorum quo sublimior est gloria, eo major cura de ea esse debet custodienda, quia cito potest amitti, et recuperari nunquam. » Unde Amos v, *Cecidit, non adjiciet ut resurgat virgo Israel.* I Cor. vi, *Qui marito jungit virginem suam etc. O quam pulchra est casta generatio cum claritate.* Sed cum Christus prædicator fuerit, et martyr, sic et virgo quilibet, omnibus debetur aureola spiritualis : quare potius dicitur de virginibus, quod sequuntur ipsum quocumque ierit, quam de prædicatoribus, vel martyribus? Virginitas signum est innocentiæ generalis. Prædicatio vero vel martyrium peccata sequuntur. Ut patet in Paulo, qui de persecutore factus est prædicator, et latro in cruce factus est martyr : sed virginitas omnia peccata præcedit. Sed iterum quæritur quare istis tribus debetur aureola spiritualis. Solutio : tres sunt vires animæ, rationalis, concupiscibilis et irascibilis. Potissimum actus rationalis est prædicatio veritatis, et hoc convenit prædicatoribus. Item potissimus actus concupiscibilis est observantia virginitatis, et hoc convenit virginibus. Potissimus actus irascibilis est contemptus mortis, et hoc convenit martyribus. Primus actus vitat falsitatem mundi. Secundus voluptatem carnis. Tertius errorem mortis. Et ideo probat hanc triplicem victoriam esse debitam his prædictis statibus, aureola spiritualiter. Sequitur, *Hi empti sunt ex hominibus*, id est separati quadam prærogativa, ex fructibus melior fructus. *Primitiæ* oblatæ *Deo et agno*, id est Filio. Sed quare non dicitur Spiritui sancto, cum sit tribus honor unus? Solutio. Spiritus sanctus est nexus et amor Filii cum Patre ; et ideo per illos sub aliis positus necessario intelligitur Spiritus sanctus. Vel forte, quia ad observandam virginitatem, hæc duo sunt necessaria, scilicet potentia Patris, et sapientia Filii. Item quæritur quare virgines potius dicuntur oblatæ Deo quam martyres et prædicatores. Solutio. Virginitas in ipso principio vitæ habetur, sed non prædicatio vel martyrium. Unde martyres et prædicatores possunt dici decimæ oblatæ Deo : sed virgines dicuntur primitiæ, quia primordia vitæ suæ obtulerunt Deo. *Et in ore ipsorum non est inventum mendacium.* Quia quod in baptismo promiserunt, fideliter servaverunt. De quibus dicit Isa. xx, *Vota vovebunt Domino, et solvent.* Sed de aliis dicit, Isa. xxiv, *Irritum factum est pactum. Glossa,* baptismale. Sunt autem, ut dicit Augustinus in libro *de Mendacio*, octo genera mendaciorum. Primum est in doctrina, ad quod nulla causa debet adduci. Secundum est, quod tale est, quod nulli prosit, et alicui obsit. Tertium est tale, quod ita prodest uni quod obsit alteri. Quartum tale est quod fit sola causa mentiendi, fallendique libidine. Quintum, quod fit placendi cupiditate. Sextum, quod nulli obest, et prodest omnibus : ut si aliquis alicui pecuniam injuste vellet tollere, sciens ubi sit, nescire se mentiatur. Septimum est quod omnibus pro-

dest. Si quis nolens hominem ad mortem ducere, mentiatur. Octavum est, quod nulli obest et quod ab immunditia corporali aliquem tueatur. Et postea dicit Augustinus. In his tanto minus quisque peccat, cum mentitur, quanto magis a primo recedit. Quisque vero aliquod hujusmodi genus mendacii putaverit peccatum, non sic decipit se ipsum turpiter, cum honestum esse deceptione arbitretur. Ergo genus mendacii summopere fuge, quia omne mendacium non est a Deo. Eccle. xx, *Potior fur, quam assiduitas viri mendacis*. Sap. *Os quod mentitur etc. Sine macula sunt ante thronum Dei*, id est ante Deum judicem. Psal. *Beati immaculati*. Nota quod multiplex est macula : carnalis voluptatis, quæ multos magnos maculat. Unde de Salomone legitur Eccl. vii, *Potestatem habuisti in corpore tuo, et dedisti maculam in gloria tua ;* et de Ruben primogenito dicitur Gen. xlviii, *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, et principium doloris mei.* Prior in donis, major in imperio : effusus es sicut aqua. Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus. Ruben gerit hic typum clericorum, qui sunt filii visionis, et priores in donis, et majores in imperio. Hæc macula multum deformat Ecclesiam, et multum laboratum est, et quotidie laboratur ad emendationem hujus maculæ : multæ siquidem fuerunt ejus constitutiones, multæ prohibitiones, multæ visitationes, multæ suspensiones, et excommunicationes. Contra hanc maculam, nec aliquid valet. Unde Ezech. xxiv, *Væ civitati sanguinum, et ollæ ejus ; rubigo in ea est, et rubigo ejus non exivit de ea per partes suas etc. Et non cecidit super eam sors : sanguis enim ejus in medio ejus est, et in multo labore fundatum est.* Et mirum est quomodo sacerdos vel clericus eisdem manibus audet tangere corpus Christi, quibus paulo ante tractaverat pudenda meretricis. De quibus dicitur Malach. i, *Dicit Dominus exercituum ad vos. O sacerdotes, qui despicitis nomen meum, et dicitis, in quo despeximus nomen tuum?* Respondet Dominus. *Offertis super altare meum panem pollutum.* Item Psalm. *Initiati sunt*, id est consecrati, *Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum*, id est sacerdotes. Quibus dicit Dominus, Jerem. xxvi, *Ecce ego autem in manibus vestris sum : facite mihi quod bonum etc.* I Corinth. xi, *Quicumque manducaverit panem etc. Glossa*, ita puniendus est, sicut si Dominum occidisset. Hebr. xi, *Irritam quis faciens legem Domini, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit ?* Secunda macula est gulositas quæ etiam hodie multum maculat. Unde dicitur in Scriptura, *Hi sunt in epulis suis multum convivantes sine timore semetipsos pascentes.* Unde Isa. xxviii, *Omnes mensæ eorum repletæ sunt vomitu sordium, ita ut non esset ultra locus.* Tertia est macula loquacitatis. De qua dicitur Jacob. iii. *Lingua constituitur in membris nostris quæ maculat totum corpus.* Hæc tertia macula ex secunda provenit, quia ex gulositate nascitur loquacitas. Ut legitur Genes. vii, Videtur quia ex fluvio Ægypti ascenderunt ranæ. Unde dicitur Luc. x, *Dives qui epulabatur quotidie splendide,* torquebatur in lingua propter loquacitatem. Quarta est macula cupiditatis. De qua dicitur Eccles. xxi, *Beatus est ille, qui inventus est sine macula.* Et infra, *Quis est hic et laudabimus eum ?* quasi dicat : Si quis talis est, quicumque ille sit. Septem tamen inveniuntur in Scriptura, qui post aurum et argentum non abierunt, sed potius manus suas ab omni munere excusserunt : et per omnes illos significantur Ecclesiasticæ personæ quæ tenentur similiter facere. Primus est Abraham, Genes. xiv, *Qui regi dicenti sibi : Da mihi animas, cetera tolle tibi*, Respondit: *Levo manus meas ad Deum excelsum possessorem cœli et terræ, quod a filo subtegminis, usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Per Abraham qui hostes occidit et prædam reduxit intelliguntur viri Ecclesiastici, qui pro justitia facta, vel etiam facienda, non debent accipere munera parva vel magna, occulta vel aperta : quod notatur in filo subtegminis et in corrigia caligæ. Secundus fuit Moyses, qui ait ad Dominum, Num. xiii, *Ne respicias eorum sacrificia : tu scis, quod nec quidem asellum unum acceperim ab eis*, id est quodcumque munus. Per Moysen autem qui Levitas instituit et ordinavit, significantur episcopi quorum est conferre orationes et beneficia. Unde per hoc notatur, quod episcopi pro collatione beneficiorum et ordinum nullum debent munus accipere. Tertius fuit Samuel, III

Reg. II, *Qui ait, conversatus sum coram vobis ab adolescentia mea, usque ad diem istum : ecce præsto sum, loquimini ad me coram Domino et coram Christo ejus utrum bovem alicui tulerim, vel asinum, si quippiam aliud.* Per hunc intelliguntur omnes orantes pro aliis. Quia de ipso legitur, quod pro aliis oravit. Unde dixit : *Absit a me hoc grande peccatum in Deo, ut cessem orare pro vobis.* Per hoc significatur quod sacerdotes pro missis aut sepulturis, aut psalteriis, nullum munus debent accipere. Neque etiam illi qui orant pro beneficiis vel ordinibus obtinendis aliis. Quartus fuit Eliseus, IV Reg. V, *Qui dixit Naaman, vade et lavare septies in Jordane et mundaberis*, et post factam lotionem vel mundationem, nil voluit accipere, licet ille multa offerret. Septena lotio significat septem sacramentorum dispensationem, per quæ fit mundatio animarum. Per hoc ergo notatur quod aliqua debent accipi : licet postea non acceperit. Quintus est Daniel, cui cum dixisset Balthasar, *si valueris Scripturam legere et interpretationem dicere, vestieris et torquem auream circa collum tuum habebis et eris tertius in regno meo*, respondit : *Munera tua tibi sint et dona domus tuæ alteri da, Scripturam autem legam tibi et interpretationem ostendam tibi, rex*, Dan. V. Per hoc notatur quod doctores et expositores sacræ Scripturæ pro expositione sua nullum debent accipere munus. Item legitur de Paulo, Act. XX, *Aurum et argentum* (inquit), *aut nullius vestem concupivi.* Unde manifestum est quod nullum temporale accipi debet pro prædicatione, licet prædicatori debeatur victus necessarius. Matth. X, *Dignus est mercenarius etc.* Sextus fuit beatus Petrus, Act. VIII, cui cum dixisset Simon Magus : *Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*, respondit Petrus : *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Per hoc ostenditur quod opera miraculorum aut impositio manuum aut gratia dispensationum, non debent mediante pretio fieri. In quo etiam facto arguuntur venditores et emptores reliquiarum. Septimus fuit Naboth, III Reg. XXI, cui cum dixisset Achab : *Da mihi vineam tuam, et faciam mihi hortum olerum, daboque tibi vineam meliorem pro ea, aut pecuniam accipe*, respondit : *Propitius sit mihi Deus : ne dem tibi hæreditatem patrum meorum.* Per hoc ostenditur, quod decimæ et primitiæ et hujusmodi non sunt pro temporalibus commutanda. In quo etiam damnatur commutatio Ecclesiarum et beneficiorum quæ fiunt temporalis lucri intuitu. Felices sunt qui sine his maculis sunt ante thronum Dei. Scriptum est enim Levit. XXII, *Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offerat panem Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus.* Huic etiam simile legitur I Machab. IV, *Elegit Judas sacerdotes sine macula.* Hæc omnia pertinent ad laudem et commendationem virginitatis, cujus status dignior et favorabilior Deo dicitur esse. Propter quod dicitur quod Sine macula sunt ante thronum Dei. Ad quod etiam facit illud, Eccles. XXVI, *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. Ecce quam digna res et quam nobilis est virginitas, quam sic commendat Dominus, quam etiam tantum honoravit, in sancta nativitate, in vita, in prædicatione, in morte. In nativitate, quia de Virgine natus. In vita, quia virgo semper vixit. In prædicatione, quia virginitatem ceteris statibus plus commendavit, quando fructum centesimum eis assignavit, Matth. XIII. In morte, quia matrem suam, quam supra omnia diligebat, virgini commendavit, et virgines tamquam sibi familiares ad se vocavit et inter eos spiritum reddidit. Item apparet dignitas virginum, quia habent vitam mundiorem, securiorem, jucundiorem, salubriorem, excellentiorem. Et ideo dicit Apostolus, I Corinth. : *Volo omnes homines esse sicut me*, id est virgines, quia talis erat Paulus. Sequitur,

Et vidi alterum Angelum etc. Secunda pars capituli, in qua monetur Ecclesia accedere ad talem et tantum auxiliatorem. Hæc autem pars duo continet. Primum est dignitas admonentis. Secundum dignitas admonitionis, ibi : *Timete Dominum.* Dignitas vero admonentis consistit in quinque, quæ necessaria sunt omni prædicatori. Primum auctoritas. Secundum humilitas. Tertium vita. Quartum doctrina. Quintum finis, sive intentio recta : hi sunt quinque lapides quos David, id est Christus, posuit in pera pastorali, id est prædicatoribus et prælatis, ad occidendum Goliam, id est diabolum, I Reg. XVII. Dicit ergo, *Et vidi*, id est intellexi, *Alterum Angelum*, Glossa, id est prædicatores qui sunt alteri a

Christo, id est vicem ejus exequentes. Et per hoc quod dicitur Angelus, id est missus, notatur auctoritas prædicandi. Rom. x : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Per hoc quod dicitur, alterum, id est vicarius, notatur humilitas et auctoritas : quæ recte junguntur. Quia auctoritas reprimit humilitatem, ne sit pusillanimus ; et humilitas reprimit auctoritatem ne sit præsumptuosa. *Volantem. Glossa*, id est a terrenis se removentem et ad cœlestia elevantem et velociter discurrentem per medium cœli, id est per omnem Ecclesiam, quam secum exemplis et verbis trahit, sicut equi currum. Isa. xi, *Qui sunt isti, qui ut nubes volant ?* Habent ergo prædictas alas, sive pennas quibus volant. Ezech. i, *Quatuor facies uni et quatuor pennæ uni*. Prima facies hominis per mansuetudinem. Secunda leonis per audaciam. Tertia bovis propter patientiam. Quarta aquilæ per sapientiam. Hæ quatuor virtutes sunt quatuor facies ; sed quatuor pennæ, quibus volant, sunt quatuor animæ affectiones, scilicet spes futuri boni, timor futuri mali, gaudium de præsenti bono, dolor de præsenti malo. Nec sufficit quod prædicator sit pennatum animal, nisi sit unus de Seraphim : de quibus dicit Ezech. vi, *Stabant Cherubim super illud ; sex alæ uni et sex alæ alteri*. Sex primæ alæ sunt sex opera misericordiæ, quæ debet habere perfectissimus prædicator. Quo ad Deum duo, scilicet contemplationem et orationem. Duo quo ad seipsum, scilicet lectionem et moderationem. Duo quo ad proximum, scilicet verbum et exemplum. Duabus primis volat ad Deum. Duabus mediis circa se ipsum. Duabus ultimis ad proximum. Si quis talis esset, stare secure posset cum Domino super solium ejus. Sed plures volunt esse Cherubim quam Seraphim, quia magis laborant lucere per scientiam, quam ardere per charitatem ; et tunc magis vacant studio, quam orationi. Forsitan vellent esse Domini principes et potentes. Item *Vidi alterum Angelum*, id est prædicatorem catholicum, *Volantem per medium cœli*, volantem, inquam per utriusque Testamenti concordiam, *Per medium cœli*, id est vetus Testamentum. Per hoc non volat Manichæus quia vetus Testamentum non recipit, cujus finis est novum Testamentum. Per hoc non volat Judæus, quia in Christum non credit, nec novum Testamentum recipit. Medium cœlum est concordia utriusque Testamenti : per hoc volat fidelis prædicator. Unde Psal., *De medio petrarum dabunt voces*. Ezech. vi : *Vidi et ecce quadrigæ quatuor egredientes de medio duorum montium*. *Habentem evangelium æternum*, in corde per fidem et obedientiam et per amorem et intellectum. In ore per doctrinam et prædicationem. In manu per operis adimpletionem. Hoc triplici modo prædicator debet habere evangelium. De primo Psalm., *In corde meo, abscondi eloquia tua*. Prov. iii, *Misericordia et veritas non te deserant ; circumda ea gutturi tuo et describe in tabulis cordis tui*. De secundo, Judicum xiv, *Ecce examen apum erat in ore leonis*, id est evangelium in ore prædicatoris. Isa. xl, *Clama ne cesses*. Psalm. *Semper laus ejus in ore meo*. De tertio. Psalm. *Gladii ancipites in manibus eorum*. Supra x, *Vidi alium Angelum et habebat libellum in manu*. Dicitur autem evangelium Christi æternum, quia ei non succedit aliud. Item quia æterna promittit. Matth. *Agite pœnitentiam*, appropinquabit enim regnum cœlorum. Lex vero temporalia promittit. Isa. i, *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis*. Multi habent non evangelium, sed vanilogium, quia magis vanitatem, quam veritatem vel bonitatem nunciat. Psalm. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*. Psalm. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum*. Multi etiam habent litteras Uriæ quas portant contra se. Hi sunt qui bene docent et male vivunt. Matth. xxiii, *Super cathedram Moysis ederunt Scribæ et Pharisæi*. Rom. ii, *Qui alios doces, te ipsum non doces ?* Hi revera portant nuntium, sive litteras mortis suæ sicut Urias, II Reg. xii. Unde Augustinus in libro *Prosperitatis*, « Bene docere et male vivere, nil aliud est quam se sua voce damnare. » Unde Rom. ii, *In quo alios judicas, teipsum condemnas*. Item dicit, habentem evangelium non dissipantem. Sicut illi qui ad libidum exponendo, veritatem intelligentiæ lacerant, ne forte contra se loquantur si dicerent veritatem sicut jacet. De quibus Psalm. *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam*. Isa. xxiv, *Transgressi sunt legem, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum*. Deinde vidit Joannes, ad quid haberet Angelum. Non enim ad vendendum in foro, sicut venditores olerum. Neque ad custodiendum in armariolo, ut librarii. Neque ad

illuminandum pulchriores litteras ut pueri. Sed magis ad prædicandum. Unde sequitur, *Ut evangelizaret*, id est ut bona nuntiaret, *Sedentibus super terram*, id est bonis qui terrena calcando et sibi subjiciendo et omnia abjiciendo contemnunt. Et quia parum esset prædicare solis bonis, ideo dicit, *Et super omnem gentem*, id est omnibus gentibus. *Et omnem tribum*, id est omnibus Judæis, qui dicuntur tribus, quia per tribus fuerant distributi, *Et linguam et populum*, id est populo cujuscumque linguæ sit. Vel forte hoc dicit propter nobiles qui filios suos faciunt edoceri diversas linguas et diversa idiomata. Sub eadem lingua continentur, verbi gratia, Gallicum, Lombardicum etc. Eadem lingua est, sed diversa idiomata. Populum autem vocat minores in quacumque gente : per quod innuit, quod sine omni acceptione personæ omnibus, tam nobilibus quam plebeis, est prædicandum evangelium. Matth. ult. *Prædicate evangelium omni creaturæ*. Dicit autem, super, quia prædicator omnis debet excedere merito vitæ, sicut prædicatoris officium. Isa. XL, *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion*. Mons est cumulus terræ, id est cupiditas terrenorum, divitiarum, delitiarum carnalium, et dignitatum sæcularium. Primus est mons Gelboe, id est acervus arenæ. Secundus mons Seyr, id est Hispidus. Tertius Ebal, ubi dantur maledictiones. Deuteronom. XXVII, *Quare omnes maledicunt prælatis*. Super hunc triplicem montem ascendere debet prædicator omnia conculcando. Isa. LII, Quam pulchri supra montes pedes etc. Talibus enim prædicatoribus dat Dominus virtutem verbi. Psalm. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Ideo dicit Paulus, II Timoth. IV, *Opus fac evangelistæ*. *Dicentem voce magna*, id est libera sine timore. Isa. XL, *Exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Sion, exalta noli timere*. Magna ergo debet esse vox prædicatoris, idest libera et severa, et ex magno cordis amore, et propter magna, scilicet honorem Dei et salutem animarum, *Timete Dominum*. Hic ostenditur dignitas amoris Christi quæ apparet ex re. Quoniam si eum amamus, ipsum timere et honorare debemus. Et hic est cultus Dei qui est duplex ; interior et exterior. Interior vero duplex : honor scilicet et timor ; exterior autem est adoratio quæ consistit in bona operatione, per quam conformatur homo Deo. Dicit ergo Angelus, Timete Dominum, casto et filiali timore quo timendus est Dominus qui est omnipotens, non homo vel diabolus qui non potest nocere nisi volenti, ut dicit Hieronymus, *Et date*, gratis et bona voluntate. *Illi*, Deo non Antichristo, *Honorem*, latriæ, quæ consistit in fide, spe et charitate. Timor proprie debetur Deo, honor vero patri. Unde Malach. I, *Filius honorat patrem et servus dominum suum timebit : si ego pater sum etc*. Vel *Timete Dominum*, ejus præcepta faciendo et prohibita vitando. Et date illi honorem, non vobis, sed ejus gloriæ, si quid boni habetis, attribuendo. I Timoth., *Soli Deo honor*. Vel Timete Dominum, declinando a malo. Proverb. VI, *In timore Domini declinat omnis homo a malo*. Et date illi honorem, faciendo bona. Proverb. III, *Honora Dominum Deum tuum*. *Quia venit hora judicii ejus*, quando justi hæreditabunt terram, injusti autem disperibunt. Malach. IV, *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula et inflammabit eos* etc. Ideo magis timendum est quia illa hora judicii omnibus est incerta. Matth. XXIV, *De die autem illa et hora nemo scit*. *Et adorate eum*, humiliando, subjiciendo et inclinando ei. Non solum corde interius, sed et corpore exterius. Ut inclinatio capitis, aut corporis exterius facta, sit signum cordis interius faciendi inclinationis. Matth. IV, *Dominum Deum tuum adorabis*. Et merito adorandus est Dominus, quia fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ etc. Scilicet in cœlo Angelos, in terra homines, in mari pisces. Et fontes aquarum dulcium. Ad literam istud est valde contra Manichæos : quia si malus Deus, nullo modo adorandus : ille autem adorandus est, qui fecit cœlum et terram etc. Unde verum est, quod ipse diabolus non fecit hæc. Item quæritur, si omnes aquæ a mari veniunt, juxta illud Eccles. I, *Et ad locum unde exeunt flumina revertuntur*, quomodo ergo copulat inter mare et fontes aquarum? Conjunctio est enim copulativa quæ quærit diversitatem inter copulata. Unde cum pars non differat a toto, non potest cadere copula inter partem et totum. Solutio. Verum est quod omnes aquæ veniunt a mari per meatus subterraneos, ubi ipsæ aquæ quæ in mari erant salsæ et amaræ fiunt dulces, quod facit Deus mediante natura : et ideo quia ibi est quædam operatio nova, ponitur conjunctio copu-

lativa mystice. *Qui fecit cœlum*, idest spiritum rationalem. *Et ea quæ in eo sunt*, idest vires et virtutes. *Et terram*, humanam carnem. *Et ea quæ in ea sunt*, idest sensus et membra. Luc. XII, *Stulti, qui fecit quod de foris est, nonne etc. Et mare*, idest tribulationum, et tentationum amaritudinem, *et ea quæ in eo sunt*, idest utilitates, quæ inde proveniunt, *Et fontes aquarum*, idest duo testamenta, unde omnes aquæ doctrinæ exeunt : quibus omnes sordes peccatorum lavantur, et ardor malæ concupiscentiæ temperatur, et sitis mali desiderii sedatur. De quibus dicitur Isa. XII, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris etc.* Sequitur,

Et alius Angelus, etc. Hæc est quarta pars capituli, in qua monetur Ecclesia accedere ad auxiliatorem suum, et recedere a mundo, et eis quæ in eo sunt, quæ impediunt accedere ad Dominum. Duo autem sunt generalia impedimenta accedendi ad Deum : scilicet amor male inflammans, et timor male humilians ; a quibus recedere monetur hic Ecclesia, per casum et ruinam Babylonis, quæ hic ostenditur. Unde dicit, *Et alius Angelus*, dest alius ordo prædicatorum, non officio quidem prædicandi alius, sed diversitate personæ, quæ sibi invicem succedunt in prædicatione secundum temporis successionem et Dei revelationem. I Corinth. XIV, *Si quid revelatum fuerit sedenti etc.*, potestis per singulos prophetare, idest unus potest alium secutus illum priorem. *Glossa*, Quia prædicatores sibi invicem succedunt, *Dicens, cecidit Babylon illa magna*, idest malorum universitas, quæ est civitas, quam primo ædificavit Cain, Gen. III, et postea Gigantes. Unde Gen. XI, *Venite faciamus nobis civitatem, et turrim ejus.* Hic dicit, *Cecidit*, ad majorem confirmationem et certitudinem. Unde et præterito utitur pro futuro, prophetali certitudine. Vel ideo, quia cito cadit, et jam incepit. I Corinth. VI, *Præterit figura hujus mundi.* I Joan. V, *Transit mundus, et concupiscentia ejus.* Vel ideo forte, quia homo primo cadit per culpam, postea per pœnam. Vel in casu culpæ primo cadit per consensum, postea per opus. Vel in casu pœnæ primo cadit anima in inferno, postea cadit simul cum corpore. Vel ideo, quia velox et continua est ruina mundanæ gloriæ, et ascensus ejus casus, sicut fumus ascendendo declinat, et quanto magis ascendit, tanto citius deficit. Sic vana gloria mundi. Psal. *Defecerunt sicut fumus.* Job. XXX, *Elevasti me, et quasi super ventos posuisti, elisisti me valide.* Sap. V, *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactatio etc.* Isa. XIII, *Erit Babylon civitas gloriosa in superbia Chaldæorum versa sicut subvertit Dominus etc.* Dicitur autem Magna, vel propter multitudinem spatii et superbiæ, vel dignitatis, quia et caput regni erat. Vel propter altitudinem turrium et murorum, sicut Roma. Unde Dan. IV, *Gloriabatur Nabuchodonosor dicens : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni.* Causam autem quare cecidit Babylon subjungit, *Quæ*, idest quia illa, *A vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.* Per vinum intelligitur quodlibet mortale peccatum, quod mentem seducit, ut vinum, et animam separat a vero sponso, sicut fornicatio carnalis. Joel. I, *Expergiscimini, ebrii, flete et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* Calix autem quem Babylon potat, idest mundus, est voluptas, pro cujus mensura mensuratur pœna. Infra XVIII, *Quantum glorificavit se etc.* Matth. VII, *Eadem mensura qua mensi etc.* De hoc calice dicitur Jerem. LII, *Calix aureus Babylonis in manu Domini inebrians omnem terram, et de vino ejus biberunt omnes gentes.* Sequitur,

Et tertius Angelus etc. Hic removet Joannes secundum impedimentum accedendi ad Deum, scilicet timorem malæ humilitatis, ostendens quod mundani non sunt timendi. Et ostenditur quasi triplici argumento, quia ipsi cadent, sicut et mundus quia, ut dicit Augustinus, « Cum mundo labente labitur, qui labenti mundo innititur. Secundo quia ipsi a Domino puniuntur. Tertio quia justi ex persecutione impiorum proficiunt. Sicut filii Israel ex persecutione Ægyptiorum multiplicabantur, ut dicitur Exod. I. Dicit ergo, *Tertius Angelus secutus est illos*, duos præcedentes : qui dicitur tertius pro fide Trinitatis quam prædicavit, sicut alii duo. Significatur autem hic tertius Angelus ultimus ordo prædicatorum. Qui quanto plus appropinquare vident finem mundi, tanto magis quotidianæ prædicationi instabunt, et omnem gloriam mundi contemnendam monstrabunt, et mundanas persecutiones non esse timendas. *Dicens voce magna*, idest secura et libera prædicatione. Quia illi prædicatores audacter dicent veritatem, sine omni timore mundano, vel humano. *Si quis adoraverit be*

stiam, idest Antichristum, qui nomine bestiæ hic accipitur, cum supra per bestiam omnis multitudo intelligatur. Et in hoc est difficultas. Quia bestia aliquando dicitur Antichristus, et aliquando diabolus, aliquando multitudo malorum. Sed hoc prudens lector potest advertere. *Et imaginem ejus*, idest statuam ad honorem ejus factam. Illi enim qui præsentialiter videbunt, adorabunt ipsum. Aliqui absentes erunt, qui habebunt imaginem, quam in ejus veneratione adorabunt, sicut nos adoramus imaginem crucifixi, in honorem Christi. *Et accepit characterem*, idest fidem ejus *In fronte sua*, idest in mente sua, *Aut in manu sua*, idest in comparatione sua : quasi dicat : quicumque crediderit Antichristo, vel vixerit secundum doctrinam ejus, *Et hic bibet de vino iræ Dei*, sicut Babylon, idest de æterna damnatione, *Quod mixtum est mero*, idest præsenti flagellatione, quæ fit ad correctionem, *In calice iræ ipsius*, idest ad vindictam, quod iratus facit, tamen secundum mensuram culpæ. Unde Isa. XXVII, *In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit, judicabit eam*. In hoc calice est merum superius, fæx inferius, mixtum in medio. Per merum intelligitur pœna inflicta per correctionem, vel assumpta voluntarie : per fæcem pœna æterna, quam reprobi potabunt in inferno, qui modo volunt bibere merum. Per mixtum significatur flagellum, quod adhuc potest converti in utrumque, scilicet ad correctionem et damnationem. Quod ideo dicit mixtum, quia hic mixtæ sunt tribulationes consolationibus. Unde dicit Augustinus, Sic omnes delectationes meas, Domine, amaritudinibus respersisti. Vel melius, calix Domini est justitia ejus, qua unicuique mensurat præmium secundum meritum. Merum autem est gaudium pœnitentiæ quod est purum sine admixtione tristitiæ vel doloris, vel alicujus modi extrinseci. Ex perfectione significatur dolor æternæ damnationis quæ est sine omni consolatione. De qua Isa. LI, *Bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum soporis calicis bibisti, et potasti usque ad fæces*. Ezech. XXIII, *Dolore repleberis calice mœroris et tristitiæ, calicem sororis tuæ Samariæ bibes illum, et potabis usque ad fæces* : et de hac fæce se gloriatur ereptum, Psal. *Eduxisti me de lacu miseriæ, et de luto fæcis*. Per mixtum vero significatur præsens pœna, ubi mixta sunt merum cœli et pœna inferni per spem et timorem. Ibi enim pariter mixta sunt consolatio, et tribulatio. Proverb. XIV, *Risus vero dolore miscebitur*. Sicut enim aqua vino miscetur, ne bibenti noceat vinum purum, sic gaudiis in patria præsentibus, Deus miscet tribulationes, infirmitates. Ne bibentes præsentia gaudia nimis inebriarentur, et nocerent eis. De hoc dicit Psal. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, in via, et inclinavit ex hoc in hoc, idest de mero in mixtum. Quia tota die, cum præsenti tribulatione infundit Deus spem consolationis internæ et externæ. Sic igitur de mero potat amicos in cœlo, in fæce potat inimicos in inferno. Mixto potat omnes in mundo, quos post præsentem tribulationem recipit in patria, et per primam transfert de mundo, idest de mixto in merum. Unde Joan. XVI, *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Qui autem murmurat in flagellis, et in tribulatione patientiam non habet, mixtum transibit ad fæces, et nihil aliud bibet. Unde Jerem. L, *Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes biberunt, et tu quasi innocens relinqueris, non eris innocens, sed bibens bibes*. Quod ergo Psalmus *fæces* vocat calicis Domini, vocat hic Joannes *Vinum iræ Dei*. Unde sensus est : *et hic* scilicet. Qui accepit characterem bestiæ, idest qui conformaverit se Antichristo, credendo, vel imitando illum, *Bibet de vino iræ Dei*, idest damnabitur in inferno, ubi habebit abundanter pœnam et tribulationem, *quod est mixtum mero*, *In calice iræ ipsius*, idest quæ pœna et tribulatio æterna, mixta est modo, In calice iræ Dei, idest in vindicta præsenti, quam iratus infligit. Quia, ut dicit Hieronymus : « Quicquid mali patimur, peccata nostra meruerunt. » Vel calix Domini dicitur sacra Scriptura. David dicit in Psal. *Calix tuus inebrians, quam præclarus est !* Continet autem iste calix quadruplex vinum, idest quadruplicem intelligentiam : s... cet historicam, tropologicam, alle... cam, et analogicam. Primum vinu... tificat et inebriat, rerum gestarum ... tione. Secundum affectuum facier... ...m institutione. Tertium intellectuum intelligendorum ostensione. Quartum totum hominem, appetendorum et fugiendorum prælibatione. Sunt autem in calice : Merum vinum, fæx et mixtum. Vinum merum propinat nobis calix iste, ubi cœli gaudia tractat : fæcem propinat ubi inferni supplicia comminatur. Mixtum vero

propinat ubi pœnitentia perhortatur. Unde Ezech. II, *Vidit librum ubi erant lamentationes pœnitentium, et ecce mixtum carmen triumphantium, et ecce merum iræ damnatorum, et ecce fæx :* de quo Psal. *Bibent omnes peccatores terræ.* Nihilominus vinum merum, dicitur expositionis intelligentia, quam propinant expositores et doctores Ecclesiæ. Fæx dicitur commixtæ expositionis intelligentia : quam propinant hæretici. Mixtum est expositio prophetica Scripturæ sacræ, quam propinant multi miscentes vanitatem philosophicæ curiositatis cum soliditate theologicæ veritatis, secundum quod dicit Dominus per Isa. I, *Caupones tui miscent aquam vino.* Heu hodie libentius bibitur mixtum quam merum, quia libentius auditur vanitas philosophica quam veritas theologica. Unde Proverb. IX, *Aquæ furtivæ dulciores sunt*, idest expositiones quas theologici furantur a philosophis libentius audiuntur. II Tim. IV, *In novissimis diebus erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt etc.* Vel certe mixtum potest dici expositio hæreticorum, qui aliquid veritatis primo proponunt, et postea miscent falsitatem. Quia si tota esset falsa expositio eorum, non reciperetur ab aliquo : et ideo falsitatem palliant aliquantula veritate. Unde Joan. II, *Omnis homo primum bonum vinum ponit*, id est hæreticus veram expositionem. Cum hoc mixto potabit Antichristus et sui omnes illos, qui ejus characterem acceperint : quos et Deus postea potabit fæce, id est pœna æterna, quæ fæx dicitur : hoc vinum calicis iræ Dei. Secundum hoc sensus est, *Tertius Angelus*, id est ordo prædicatorum ultimis temporibus venturis, *Secutus est illos*, id est priores prædicatores, doctrinam et vitam imitatus, *Dicens voce magna*, id est corde, et ore, et opere prædicans, *Si quis adoraverit bestiam*, id est Antichristum ei obediendo, *Et imaginem ejus*, qui cum in omnibus imitantur et prædicant sicut imago prædicat rem imaginatam, *Et acceperit characterem*, id est ejus confessionem, *In frontibus suis*, id est in apparentia, in evidentia, et publice cum confessus fuerit. Vel *In manu sua*, id est opere eum imitatus fuerit, et hic est talis, qui sic damnatus bibit, id est *biberit de vino*, *Calicis iræ Dei*, id est pravæ expositioni antichristianorum, assenserit, *Quod mixtum est*, *mero.* In cujus expositionis intelligentia, mixta est veritati catholicæ, In calice iræ ipsius, id est in sacra Scriptura, quam damnant illi : propter quod dicitur *Calix iræ Dei :* et talis, quicumque est ille, *Cruciabitur igne et sulphure*, id est fœtenti et fœtore ardenti. Hæ enim sunt duæ pœnæ inferni. Unde Psal, *Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et prima pars illorum erit in stagno ardenti. Hæc duo, scilicet ardor et fœtor, sunt in omni peccato, et maxime in peccato carnali, et præcipue in illo ignominioso contra naturam. Unde et civitates sulphureæ fuerunt succensæ, ut pœna responderet culpæ. Gen. XVIII, *Pluit Dominus etc.* Nec erit occulta pœna eorum, immo omnibus nota. Unde sequitur, *In conspectu Angelorum sanctorum*, id est videntibus Angelis, et omnibus etiam aliis, hoc dicit, Quia Angeli testes erunt contra eos, qui viderunt peccata eorum, *Et ante conspectum agni*, quæ illorum sæcula non latebunt : et ideo dicitur quia nec pœna ipsorum abscondetur ei. Et dicit hoc ideo, quia boni semper vident pœnas malorum, et hoc ipsum erit cumulus doloris reprobis, quia scient se et pœnas suas manifestas esse apud Christum et Angelos et alios spiritus : et ex hoc etiam augebitur dolor eorum, quia scient Christum sufficienter passum pro omnibus, et sufficientissimum pretium dedisse pro redemptione omnium, et se privatos tanto beneficio pro modica voluptate seminatæ corruptionis, de qua surgit vermis conscientiæ. De quo Isa. in fine, *Vermis eorum non morietur.* Sequitur, *Et fumus tormentorum eorum*, quæ plura et varia erant, *Ascendit in sæcula sæculorum*, id est æternaliter sine fine. Ubi enim semper fumus ascendit, ibi nunquam ignis deficit. Et re vera, ignis ille inextinguibilis est, quia nec extinguet illos quos cremabit, nec extinguetur, ad litteram. Erit autem fumus densissimus, qui violenter extrahet lacrymas ab oculis eorum, quæ lacrymæ ita calidæ erunt, quod comburent corpora eorum. Unde quidam de patribus dixit discipulo suo : Ploremus hic, frater, antequam veniamus ad locum illum, ubi lacrymæ comburent corpora nostra. Nihilominus tamen cum ardore illo vehementissimo erit ibi algor vehemens. Unde compellentur stridere dentibus. Matth. XVIII, *Ibi erit fletus*, Quod autem dicitur quod fumus ascendit. non est intelligendum, quod ascendit in cœlum, ubi sancti sunt : nec etiam extr

infernum. Sed per hoc tangit fumi proprietatem. Et nota, quod pœna illorum semper erit in notitia eorum sanctorum sine oblivione. Unde Jerem. xx, *Confundantur confusione, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum*, quia nulla poterit oblivione deleri. Et ne forte putaret aliquis illorum, quod pœna illorum in inferno aliquando cessaret, et per intervalla puniret, et non continue, subjungit, *Nec habent requiem die ac nocte*, id est nunquam quiescent a pœna. Sed numquid erit dies et nox? patet quod non, quia sol stabit immobilis in oriente, in loco ubi fuit creatus, nec veniet ad occasum. Nec impii in tormentis sub terra positi fruentur luce ejus, ut dicit Isidorus. Sed in inferno semper erit nox et dies simul, quia ibi erunt densissimæ tenebræ, sicut dicitur Matth. xx, *Ibi erunt tenebræ exteriores*. Erit etiam ibi quædam lux, quia ignis ille aliquid lucis habebit, non ad consolationem eorum, sed ut videant unde magis doleant, ut dicunt Gregorius et Isidorus. Qui autem sunt illi, quorum talis pœna est, determinat dicens, *Qui adoraverunt bestiam*, id est Antichristum, ei obediendo, *Et imaginem ejus*, id est statuam factam ad honorem ipsius, vel prædicatores ipsius ipsum imitantes, *Et si quis acceperit characterem nominis ejus*, id est in signo aliquo sibi se conformem ostenderit, vel domesticum ipsius appellari fecerit, similiter, supple, punietur. Et ideo bonum consilium dat Paulus, I Corinth. xv, ut *si quis portavit imaginem Antichristi, portet de cetero imaginem Christi*. Et I Reg. I, *Dixit Saul, abite, recedite ab Amalec, ne forte involvam vos cum eo*. *Hic*, id est in vita præsenti. Vel in tribulatione præsenti et consideratione futura, *Patientia sanctorum est*. *Glossa*, id est hic debent sancti patienter pati ne veniant ad æternam pœnam. Ideo dicit Gregorius, Sancti pœnam præsentem lucrum putant, quia per hanc æternam evadere non ignorant. Sanctorum dico, qui custodiunt opere adimplendo mandata Dei, diligendo Deum et proximum, ad quæ omnia alia reducuntur, ut dicitur Matth. xxii, *In his duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ*. *Diliges etc.* dulciter, prudenter, fortiter, et proximum tuûm sicut teipsum, id est quomodo teipsum, et quo ordine teipsum, et quo tenore teipsum. *Et fidem Jesu confitentes*, ipsum verum Deum esse, et verum hominem corde, ore et opere. Rom. x, *Corde creditur ad justitiam*.

Et audivi vocem de cœlo etc. Quinta pars capituli; ubi ponitur sanctorum præmium, ut securius accedant ad auxiliatorem, et fugiant mundum, et ea quæ accessum impediunt. Unde dicit, *Et audivi*, aure interiori, *Vocem de cœlo*, id est de cœlesti visione, dicentem mihi interius sine strepitu soni, *scribe*, primo in corde tuo, deinde in codice, ubi diutius retineas, ne oblivioni tradas, et sit ad doctrinam et consolationem futurorum. Rom. xv, *Quæcumque scripta sunt etc.* Habacuc II, *Scribe visum et explana eum super tabulas*. Et est advertendum quod omnia illa scribenda sunt quæ valent ad eruditionem et consolationem multorum. Quod debebat scribere subjungit dicens, *Beati mortui etc.* Sed quomodo possunt mori mortui? Nam si moriuntur, non sunt mortui; et si mortui sunt non moriuntur. Solutio. Quinque sunt mortes, ut dicit Augustinus: duæ malæ et duæ bonæ et una indifferens. Prima est mors culpæ, id est ipsa culpa quæ dicitur mors animæ, quæ separat vitam ejus, id est Deum ab ipsa. Isa. LIX, *Iniquitates nostræ diviserunt inter nos etc.* Sap. I, *Perversæ cogitationes separant a Deo*. Multo fortius perversi consensus. Adhuc fortius perversæ locutiones. Maxime autem perversæ operationes. De hac morte dicitur Sap. I, *Deus mortem non fecit*. *Glossa*, id est peccatum, sed impii, id est Adam et Eva manibus ac verbis accersierunt illam. Manibus quas extenderunt ad pomum, verbis quibus Eva suggessit Adæ ut de pomo comederet et quibus male respondit diabolo. Secunda est mors gehennæ, id est ipsa pœna inferni; quæ dicitur mors æterna, quia sine fine est ibi cruciatus, multo major, quam sit in morte corporali; qui tamen tantus est, ut vix possit una hora sustineri. De hac morte dicitur in Psalm. *Mors peccatorum pessima*. Mala quidem propter pœnarum diversitatem, pessima propter acerbitatem. Hæc est secunda mors de qua supra II, Qui vicerit non lædetur a morte secunda; et infra XIX, *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima*: in his secunda mors non habet potestatem. *Glossa*, id est Damnatio æterna, hæc mors dicitur secunda respectu præcedentis, sicut effectus respectu causæ. Quia hæc ex illa causatur priori morte, mortui moriuntur morte secunda. Sed

non in Domino ; et ideo non dicit, beati, sed miseri. Unde Ezech. XVIII, Quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem peccatoris, dicit Dominus, sed ut magis convertatur etc. Hæ duæ mortes malæ sunt, et ideo fugiendæ. Contra has duo sunt remedia præcipua : unum est eleemosyna. Unde Tob. IV, *Eleemosyna ab omni peccato et morte liberat et non patitur animas ire in tenebras*. Secundum est obedientia, id est impletio mandatorum Dei. Unde Ezech. VIII, *Quare non portat filius iniquitatem patris, quia filius judicium et justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit et fecit illa, vita vivet et non morietur*. Duplicem vitam duplici morti opposuit : contra mortem culpæ, vitam gratiæ; et contra mortem gehennæ, vitam gloriæ. Tertia mors quæ est bona, qua homo peccato moritur et peccatum sibi ; quæ fit per virtutem pœnitentiæ, quæ peccatum destruit in anima per contritionem et confessionem et instrumenta peccandi per satisfactionem. Col. III, *Mortificate membra vestra*. De hac morte dicitur Rom. VI, *Qui enim mortui sumus, quomodo vivimus in illo?* Quarta mors quæ iterum bona est mors, qua homo spiritualiter moritur mente. Quam mortem operatur ingressus claustri per votum et confessionem obedientiæ. De qua dicitur Col. III, *Mortui estis et vita vestra abscondita est etc*. Sic fuit mortuus Paulus qui dixit Galat. VI, *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo*. Quinta mors est mors naturæ qua moritur corpus separatione ab anima. De qua dicitur Genes. III, *Quacumque hora comederitis morte moriemini*, id est moriendi necessitati addictus eris, I Reg. XIV, *Omnes moriemur*. Illi qui sunt mortui tertia vel quarta morte, moriuntur ista quinta morte et in Domino ; et ideo beati. Dicit quoque, beati, parte beatitudinis, id est stolæ animæ. Mortui peccato, ut boni christiani, vel mundo, ut boni religiosi, *Qui in Domino*, id est in confessione Domini. Vel in Domino existentes per charitatem ; quia *qui manet in charitate in Deo manet et Deus in eo*, ut dicitur I Joan. IV, *Moriuntur* corporaliter separatione animæ a corpore. Horum autem quidam statim evolant et sine purgatorio, ut pueri baptizati, martyres pœnitentes perfecta pœnitentia. In cujus signum Christo baptizato cœli aperti sunt, Luc. III, Stephano lapidato, Act. VII, et Joanni in Patmos insula, supra XII. Hi moriuntur in terra promissionis, cum Abraham. Alii vero non statim evolant, sed vadunt in purgatoıium, ut imperfecti qui non perfecerunt pœnitentiam de peccatis suis, vel addiderunt venialia quæ secum portaverunt. De quibus dicitur I Corinth. III, *Si quis ædificat supra fundamentum hoc lignum, fœnum, stipulam etc*. Hi moriuntur in Ægypto cum Jacob et Moyse, quorum ossa portata fuerunt de Ægypto in terram promissionis. In signum quod illi qui sunt in purgatorio, peracta pœnitentia deferuntur ministerio Angelorum in Paradisum. Unde Eccles. XLVI, *Ossa eorum pullulant de loco suo et nomina eorum permanent in æternum*. Nullus autem eorum qui mortui sunt in deserto deportatus legitur in terram promissionis. In signum eorum qui mortui sunt in peccato mortali deserti a gratia, tales nunquam ibunt in paradisum, cujus figura tenet terra promissionis. Item *Beati mortui*, peccato, *Qui in Domino*, vel propter Dominum, *moriuntur*, corporaliter martyrium sustinendo, vel spiritualiter claustrum intrando : et tales dicuntur mortui, quia mors talium nil aliud est quam carceris ruptio, peregrinationis terminus, laquei contritio, finis exilii, laboris meta, periculi evasio, periculosæ domus exitus, descensio de equo præcipiti, reditus ad patriam, paternæ hæreditatis investitio, victoria pugnæ, exterminatio miseriæ, janua vitæ. Propter quod dicitur, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*. E contrario autem mors peccatorum pessima quæ est carceris introitus, peregrinationis initium, laquei captio, exilii inceptio etc., quæ supradicta sunt per contrarium. Et ideo dicit Eccles. *O mors, quam amara est memoria tua*. Isti sine Domino moriuntur, et ideo infelices : priores in Domino, et ideo sunt beati. Sunt enim ab hoste securi, a periculo liberi, a pœna expediti, de gloria certi. Magnum bonum est esse ab hoste securum, qui nos multifarie, dum hic vivimus, inquietat, unde multifaria sortitur vocabula ob multiplices quas contra nos molitur insidias. Nam aliquando tentando adversatur bono proposito nostro, ne proficiamus : et secundum hoc dicitur Satan, id est adversarius. Aliquando suggerit plusquam facere possumus ; et secundum hoc dicitur Leviathan, id est additamentum, quando suggerit voluptatem carnalem sub specie necessitatis vel

discretionis : et sic dicitur Behemoth, id est animalis. Interdum suggerit pusillanimitatem, et secundum hoc dicitur diabolus deorsum cadens, quando suggerit sub specie calliditatis, et sic serpens vocatur et multis aliis modis. Unde vere beati censendi sunt qui a tali hoste sunt securi. Secundum est quod a periculis sunt liberi, quorum infinitus est numerus. Sed ad præsens illa octo exponamus quæ ponit Apostolus II Corinth. XI : scilicet pericula fluminum, pericula latronum etc. Pericula fluminum sunt periculum divitiarum, ubi perit humilitas. Quia vermis divitum est superbia, ut dicit Augustinus super illud. *Præcipe divitibus hujus sæculi*. I Timoth. VI, Isa. VIII, *Requievit Syria super Ephraim*, id est superbia super divitias. Syria enim sublimis interpretatur Ephraim fructificans, propter hoc dicit Psal. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Pericula latronum sunt pericula delitiarum quæ furantur homini cordis virtutes : unde Oseæ IV, *Fornicatio et vinum et ebrietas aufert cor*. Pericula ex genere supra generis nobilitate, ubi perit fraternitas. Quia ex quo aliquis ex una parte aliquid habet nobilitatis, omnes alios de genere suo non recognoscit, et despicit omnes quasi non ipse sit homo. Unde Malach. II, *Numquid non unus pater omnium nostrum etc*. Pericula ex gentibus sunt pericula ex amore parentum, fratrum, sororum et aliorum qui nobiscum vel ex nobis sunt geniti ; quæ pericula destruunt Ecclesiam Dei. Unde Habacuc II, *Væ qui ædificant Sion in sancto*. Pericula in civitate sunt pericula conspirationis et discretionis, ubi perit pax et æquitas. Unde Psalm. *Vidi iniquitatem etc*. Pericula in solitudine sunt pericula singularitatis, ubi perit charitas et dominatur avaritia : propter quod dicitur Eccles. IV, *Væ soli ! quia si ceciderit, non habet sublevantem*. Pericula maris sunt pericula sæculi, ubi perit charitas, sicut dicit beatus Bernardus : propter quod dicit Apostolus Rom. XII, *Nolite conformari huic sæculo. Pericula in falsis fratribus*, sunt pericula malæ societatis. Seneca, « Nequam socius candido et innocenti socio ingerit rubiginem. » Eccl. XIII, *Qui tetigerit picem etc*. Tertium propter quod mortui sunt beati, quia sunt a pœna et miseria expediti. Quæ triplex est : Mundana, purgatoria, et æterna. Mundana pœna et purgatoria, est finita, nec meritoria. Et hujus scilicet triplex pestilentia exprimitur II Reg. ult. Per triplicem vindictam Domini, quorum optio data est David per Gad Prophetam : scilicet pestilentia trium dierum, aut persecutio inimicorum per tres menses, aut fames septem annorum. Pestilentia trium dierum est præsens pœna quæ tripliciter affligit per contritionem, confessionem et persecutionem inimicorum, per tres menses est pœna purgatorii quæ pro ligno, fœno et stipula sustinetur, ut dicitur I Corinth. III. Fames septem annorum est pœna inferni, ubi est universalis omnium bonorum defectus : ubi etiam corpus ex quatuor elementis compositum et anima in tribus potentiis existens punietur. Quarta causa beatitudinis illorum est certitudo gloriæ, de qua dicitur Judith XVIII : *Vidimus terram valde opulentam et uberem ; nolite negligere, nolite cessare, eamus et possideamus eam etc*. Isa. XXXII, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Quia illi qui in Domino moriuntur sunt beati, probat dicens, *Amodo jam dicit Spiritus*, vel toto Trinitas qui est missus Spiritus, *Ut requiescant a laboribus suis*, sic ordina constructionem : vere Beati sunt enim, quia Spiritus dicit ut jam amodo, id est post mortem, requiescant, æternaliter, *A laboribus suis*, id est post labores suos et pro laboribus suis. Sap. III, *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Matth. XI, *Venite ad me omnes qui laboratis etc*. Isa. XIV, *Erit in die illa cum requiem dederit ei Deus a labore suo, quia tunc mirabitur anima, quomodo potuit a tot periculis liberari*. Illi autem qui in labore hominum non sunt, nec cum hominibus non flagellabuntur, non terminabitur in requiem labor eorum, sed erit perpetuus. Unde Psalm., *Laboraverunt in æternum etc*. Beati igitur dicuntur sancti cum moriuntur propter præteritorum malorum evasionem ; et non solum propter hoc ; immo potius propter bonorum omnium adeptionem, quia de carcere egrediuntur ad regnum. Unde Eccles. IV, *De carceris catenis, quia interdum quis egreditur ad regnum*. Hoc quærebat Psalm. *Educ de carcere animam meam*. Et Apostolus, Rom. VI, *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?* et Joseph, Gen. XL, *Memento mei, ut suggeras Pharaoni, ut educat me de isto carcere*. Item de pugna ad victoriam, II Timoth. IV, *Bonum certamen certavi*. Item de labore ad requiem, Psalm., *Convertere anima*

mea in requiem tuam. Item de servitute ad libertatem, Rom. VIII, *Creatura liberabitur a servitute corruptionis*. Job. III, *Ubi servus liber a domino suo etc*. Galat. IV, *Illa autem quæ sursum est Jerusalem* etc. Item de periculis ad securitatem, Isa. XXXII, *Sedit populus meus in pulchritudine pacis etc*. Psalm. *Confortavit seras portarum tuarum*. Item de exilio ad patriam, Matth. II, *Per aliam viam reversi sunt etc*. Item de paupertate ad hæreditatem paternam. Psalm. *Cum dederit dilectis suis somnum*, idest majorem quietem, *ecce hæreditas Domini;* ideo dicitur Isa. XLI, *Noli timere vermis Jacob qui mortui estis ex Israel*. Sed ne putaret aliquis quod sancti nihil cooperati sunt suæ beatitudini; et ideo si operati essent, nihilominus beatitudinem expectarent, et ideo vellent occisi esse, sequitur, *Opera enim illorum sequuntur illos*, sicut famuli Dominum suum sequuntur. Et bene dicit, sequuntur, non præcedunt, quia sancti non vident opera sua, ut Deus videt. Unde Job XXXI, *Si vidi solem cum fulgeret et lunam incedentem clare*. Matth. VI, *Cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt*. Item, *Opera illorum sequuntur illos*, idest reddetur in futuro, non in præsenti, sicut hypocritis, quibus statim redditur merces eorum. Unde Matth. VI, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. De sanctis autem dicitur, *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es et bene tibi erit etc*. Unde dicitur Eccles. XI, *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, et post multa tempora invenies illum*. *Et vidi*. Quinta pars capituli agit de judicio futuro, ubi redduntur præmia bonis et supplicia malis secundum quod prædictum est. Dicuntur autem hic sex. Primo describitur judex idoneus ad judicandum. Secundo ostenditur desiderium sanctorum de judicio faciendo, ibi : *Et Angelus exivit*. Tertio ostenditur, quod sancti tunc exaudientur, qui tunc videntur obliti, ibi : *Et misit ille*. Quarto ostenditur quod sancti qui modo judicantur et comprimuntur judicabunt tunc cum Christo, ibi : *Et alius Angelus exivit de templo*. Quinto ostenditur quod licet sancti cum Christo judicent, tamen auctoritas judicii penes Christum erit, ibi : *Et alius angelus exivit de altari*. Sexto ostenditur obedientia sanctorum ibi : *Et misit Angelus falcem*. Sunt autem judiciaria necessaria : scilicet justitia, scientia et potentia, sive auctoritas. Ideo Joannes ab his tribus describit judicem. Unde dicit, *Et vidi*, idest intellexi, *Et ecce nubem candidam*, idest carnem dominicam, et puram, et mundam. *Et supra nubem sedentem*, idest divinitatem supra humanitatem existentem : vel animam Christi, carni ejus præsidentem et ad libitum sine omni rebellione regentem. Unde Isa. XIX, *Ascendet Dominus super nubem levem*. *Similem filio hominis*, immo vere filium hominis : et hoc dicit Joannes, quia non jam immortalis et impassibilis erat, sicut homo naturaliter post peccatum. Quod enim homo immortalis et impassibilis sit, gratia est; quia ex sua natura corrupta tantum habet quod sit mortalis. *Habentem in capite suo*, idest in se qui est caput Ecclesiæ. Vel in divinitate. *Coronam auream*. Et ad similitudinem triumphantis. Quia ipse virtute divinitatis vicit diabolum et Antichristum per sapientiam. *Et in manu sua*, idest in potestate sua, *Falcem acutam*, idest judiciariam potestatem qua malos a bonis separabit, sicut manus metentis segetes secat et atterrat et separat. Item, Vidi et ecce nubem candidam, idest sanctam Ecclesiam, habentem non maculam neque rugam; quæ pluit doctrinis, coruscat miraculis, tonat minis. De qua nube dicitur Eccles. XXIV, *Thronus meus in columna nubis*, idest in Ecclesia. Unde sequitur, *Et supra nubem sedentem, ut judicem, ut regem, ut episcopum*. Isa. XXXIV, *Dominus judex noster, Dominus rex noster*. Similem filio hominis, idest Christum Deum et hominem; et ideo dicit, non Filium hominis, sed similem. Vel dicit Joannes, similem, quia si tamquam judex sedeat quasi nubem in judicio, tamen humilis et mansuetus apparebit bonis, sed valde terribilis reprobis. Unde Isa. XXX, *Ardens furor ejus et gravis ad portandum*. In capite suo coronam auream, idest æternam gloriam, qua coronabit suos pro victoria, qua diabolum et peccata vicerunt. Dicitur autem eam habere In capite suo, quia eamdem coronam et gloriam quam habebit Christus homo dabit suis, licet non tantam. Quod significatum est Esther : fecitque eam reginam, Et in manu sua falcem, idest in potestate justitiam ad puniendos malos. Unde Dan. VI. dicitur, quod *fluvius igneus rapidusque egrediebatur a facie ejus*. Idem significatur per flumen igneum rapidumque, et per falcem acutam, hic sci-

licet severitas justitiæ iræ Dei, quæ dicitur gladius. Job. XIX, *Fugiant a facie gladii*. Et alius Angelus. Hic ostendit Joannes desiderium sanctorum de futuro judicio, quod re vera desiderant sancti propter duo. Primo, quia tunc recipient secundam stolam. Secundo propter consortium fratrum, quod perficiendum est, quod ipsi expectant. Unde supra VI, dictum est eis, Ut requiescerent modicum tempus, Dicit ergo, *Et alius Angelus*, scilicet quidam cœtus fidelium, qui sunt alii a Christo, qui per præcedentem Angelum designantur, *Exivit de templo*, idest de occulto : hoc est : desiderium, quod habent de futuro judicio sancti, tunc manifestum est ; et ideo dicitur exire Angelus de templo, quia desiderium sanctorum, quod modo latet, tunc veniet in aperto, *Clamans voce magna*, idest laborans desiderio, affectu magno, *Ad sedentem supra nubem*, idest ad Christum, Ecclesiam regentem, *Mitte falcem tuam*, idest exerce potestatem judiciariam, *Et mete*, idest collige tuos tamquam triticum in horreum. *Quia venit hora ut metatur*, seges de agro, idest tollantur homines, et excussa segete granum in horreo recondatur, et palea in igne comburatur. Matth. III, *Cujus ventilabrum in manu ejus etc*. Et ostendit, quod hora est metendi, *Quoniam aruit messis terræ*, idest quia consummata est malitia mundi, et jam plus non habet aliquid viriditatis, quod de cetero posset esse ad utilitatem bonorum. Unde malitia mundi dicitur viridis, quam diu prodest bonis. Sed quoniam impletus erit numerus electorum, tunc erit arida messis terræ, idest consummata malitia mundi, et boni parati ad suscipiendam palmam, et mali ad suscipiendam pœnam promeritam. De hoc dicitur Joan. III, *Nonne vos dicitis etc*. Messes sunt quatuor defectus Ecclesiæ generalis, quos sustinuit Ecclesia, ex quatuor persecutoribus generalibus ; quæ inceperunt ab introitu Ecclesiæ sub Herode Ascalonita, qui occidit pueros ; et continuatæ sunt una post aliam, usque ad messem generalem, quæ fiet in die judicii. Prima ergo fuit persecutio tyrannorum, qui martyres occiderunt. Secunda hæreticorum, qui confessores vexaverunt. Tertia falsorum christianorum, idest hypocritarum, qui Christi mores corrumpent. Quarta erit Antichristi, et suorum, qui fidem et mores corrumpent, et vitam auferent, et ideo gravior omnibus erit. Matth. XXIII, *Tunc erit tribulatio magna qualis etc*. Matth. XIII, *Messis est consummatio sæculi. Angeli sunt messores*, sic ergo colligunt zizania. *Et misit*. Hic ostenditur exauditio sanctorum, et impletio desiderii eorum. Unde dicit, *Et misit, qui sedebat supra nubem*, idest Christus Ecclesiæ præsidens, ut rector judex, et Dominus, *Falcem suam in terram*, idest omnes homines terræ in unum locum, quasi in arena congregabit ad judicandum. Unde Joel III, *Congregabo omnes gentes in unum locum, quæ sub cœlo sunt. Et appareat arida*, idest Ecclesia. *Et vocavit Deus aridam, terram*, idest stabilem Ecclesiam ab humore noxio desiccatam. *Congregationes aquarum* inferni *appellavit maria*, quia in inferno erit maxima amaritudo. Amos IV, *Per aperturas exibitis alter contra alterum*. Vel exibit de inferno, et corpus de sepulcro, et ipsis convictis projicientur in Arnon, quod interpretatur arca mœroris, idest in infernum, ubi erit fletus et stridor dentium sempiternus, *Et alius Angelus*. Hic ostendit Joannes, quod sancti cum Christo judicabunt; non tamen omnes : sed illi, qui pro ipso omnia reliquerunt, et secuti sunt eum. Unde Matth. XIX, dicit Petrus ad Jesum, *Ecce nos relinquimus omnia*. Supra. IV, *Qui vicerit dabo ei sedere mecum, in throno meo*. Job. XXVIII, *Non salvabit impios, et judicium pauperibus tribuet*. Isti enim se judicantes propter Deum hominibus se subjecerunt, et ideo potestas judicandi eis a Christo tribuetur. Dicit ergo, *Et alius Angelus*, idest supradictus sanctorum cœtus aliud habens officium, *Exivit de templo, quod est in cœlo*, idest de occulto in publicis venit, et qualis esset apud Deum innotuit, *Habens, et ipse*, sicut Christus, *Falcem acutam*, idest potestatem judiciariam, quia ex ejus potestate judicabunt. Cap. XXIII, *Judicabunt sancti nationes*. Isa. III, *Dominus ad judicandum veniet cum senibus. Et alius Angelus*. Hic ostendit Joannes, quod potestatis judiciariæ auctoritas residet penes Christum, qui dat sanctis suis ut possint cum eo judicare, Dicit ergo, *Et alius Angelus*, idest Christus alius a sanctis, quia super omnes est. *Exivit de altari*. *Glossa*, idest talis qualis est apparuit, scilicet Deo Patri consubstantialis, qui prius visus apud infideles fuerat. Ideo dicitur exire de altari, idest de loco secretiori, ubi nullus potest pertingere ; quia et si alii sancti sunt in templo Dei, Christus

tamen est in loco altiori et secretiori, etiam inquantum homo, quia in gloria majori. Unde dicitur sedere a dextris Dei, idest frui potioribus donis Dei, et modo potissime. *Qui* habebat potestatem, *sicut verus Deus*, Super *ignem*, idest super pœnam æternam, infligendi eam cuilibet reprobo secundum exigentiam meritorum. *Et clamavit voce magna*, id est potestate, et auctoritate imperiali, *Ad eum*, qui habebat *falcem acutam*, id est ad sanctos, qui habebant potestatem judiciariam, dicens, *Mitte falcem tuam acutam*, id est exerce potestatem tuam judiciariam, *Et vindemia botros vineæ terræ*, id est separa bonos a terrenis vino malitiæ inebriatis, *Quoniam maturæ sunt uvæ ejus*, id est completa est malitia eorum, et jam non habet locum, quoniam non prodest amplius bonis. Nam permittit Deus ex sui dispensatione, regnare malos, quamdiu prosunt bonis. Eccles. VIII, *Peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod bonum erit timentibus Deum, qui venerantur faciem ejus.* De hac vindemiatione, id est malorum separatione. Matth. XIII, *Exibunt Angeli et separabunt etc., Et misit.* Hic ostenditur obedientia sanctorum, quorum ministerio punientur, id est puniendi judicabuntur, mali. Et ostenditur etiam ubi patientur, scilicet in lacu ; et modum punitionis, quia calcabuntur in lacu. Unde dicit, *Et misit Angelus*, id est sanctorum cœtus statim post imperium Christi, *Falcem suam in terra*, id est exercuit potestatem judiciariam in terrenos, qui plus terram quam cœlum finaliter amaverunt, *Et vindemiavit vineam terræ*, id est separavit bonos a malis, omnes terrenis delectationibus inebriatos. Et quod hic dicitur factum, facient, sed in futuro judicio. Non per executionem operis, quod est Angelorum, ut patet Matth. XIII, sed per approbationem et sessionem et suam cooperationem, ad malos, qui in eis legent ea, quæ facere debuerunt et noluerunt. Unde judicabuntur. *Et misi in lacum iræ Dei magnum*, id est in infernum, ubi multi perpetuo iram Dei sustinebunt. Qui dicitur, propter profunditatem, lacus. Isa. XXX, *Præparata est enim ab heri. Thophet, a rege præparata, profunda, et dilatata.* Item propter miseriam quam ibi inveniet. Psal., *Eduxit me de lacu miseriæ.* Dicitur magnus, propter capacitatem, quia magni sunt ibi, quia multos capit. Isa. V, *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum etc.* Isa. XXIV, *Visitabit Dominus super militiam cœli*, id est super clericos militantes in excelso, et super reges terræ, qui sunt super terram, id est super principes et prælatos, et congregabuntur in congregatione unius faciei in latum, et claudentur ibi in carcere, quia abusi sunt hic libera potestate. Ad litteram. Sic fiet, sicut fit in adventu alicujus principis de novo vel de longe venientis in civitatem suam : mundantur plateæ civitatis, et projiciuntur sordes in lacubus et fossatis. Sic in adventu Domini purgabitur mundus a malis, et projicientur in infernum. Psal. *Ut lutum platearum delebo eos.* Amos. IV, *Per aperturas exibunt de sepulchris corpora, et de inferno animæ, et una contra alteram projicientur in Arnon, quod interpretatur Arca mœroris. Et calcatus est lacus*, id est compressi et abjecti sunt mali in infernum. *Extra civitatem*, unum in mundo, aliud in purgatorio, alterum in inferno. De primo dicitur Isa. LXII, *Torcular calcavi solus.* Thren. I, *Calcavit Dominus torcular virgini filiæ Sion.* De secundo et tertio, Joel. III, *Plenum est torcular*, purgatorii scilicet ; *exuberant torcularia*, inferni ; scilicet, quia multiplicata est malitia eorum. Vel aliter : peccatum in præsenti omnino per pœnitentiam non purgatum, et in torculari mundi depressum, mittit in torculari purgatorii. Multiplicatio malitiæ mortalium reprobos mittit in torcularia inferni. Duo prima non sunt extra civitatem, quia virtute charitatis et patientiæ quo ad primum, et meritis et precibus Ecclesiæ quo ad secundum, de ipsis elegitur bonum vinum, quod portatur in cellarium Paradisi. Tertium est extra civitatem, quia nec patriæ nec Ecclesiæ subsidia valent eis qui ibi sunt, sed in perpetua pœna et conculcatione remanebunt. Malach. in fine : *Calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum. Et exivit sanguis de lacu,* id est de pœna exuberavit, *Usque ad frenos equorum*, id est usque ad dæmones rectores eorum iniquorum, qui simul eadem pœna puniuntur cum iniquis hominibus. Argumentum est hic, quod dæmones non præerunt hominibus in puniendo, in inferno. Ad quod facit illud Apostoli, I Corinth. XV, *Tunc evacuabit omnem principatum etc.* Super hoc dicit Haymon, « Dum durat mundus, Angeli Angelis, dæmones dæ-

monibus præsunt : sed omnibus collectis, tum jam omnis prælatio cessabit. » Tamen quidam dicunt quod dæmones, qui fuerunt incentores reproborum in culpa, erunt tunc tortores eorum in pœna. Neque hoc est contra Haymonem ; quia ipse non loquitur nisi de prælatione dæmonum ad dæmones. Item per frenos equorum intelliguntur prælati rectores minorum ; qui sicut in culpa fuerunt similes, sic et in pœna. Immo magis punientur prælati quam subditi, quia gravius peccant. Unde Sap. vi, *Judicium durissimum fiet his qui præsunt.* Durum, quia male intraverunt in prælatione, non per ostium, sed aliunde ; id est mediante carnalitate, aut calliditate aut pecunia aut prece armata. Durius, quia post ingressum male vixerunt. Durissimum, quia ingressu non pœnituerunt. Et hæc tria tangit Psal. dicens, *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam*, id est in prælationem Ecclesiæ, non vocati a te, nec electi canonice. Ecce malus ingressus. *Polluerunt templum sanctum tuum* male vivendo. Ecce mala vita post ingressum. De quo dicitur Jerem. ii, *Induxi vos in terram Carmeli etc.* Et egressi occupastis eam. *Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam,* id est in custodiam puerorum, qui debent custodire poma. Nahum iii, *Custodes tui quasi locustæ*, quæ totum comedunt ; *et parvuli tui quasi locustæ locustarum*, quæ potitis nocent. Vel posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam, id est ad modum custodiæ pomœriorum, quæ custodiuntur dum poma sunt ibi, sed collectis pomis recedunt custodes, et relinquit domumculam custodiæ solam. Sic faciunt clerici præbendati : quando fructus colliguntur, et denarii dantur, et redditus distribuuntur, sunt in Ecclesiis : sed facta distributione, tunc vadit quilibet ad domestica negotia, et relinquunt Ecclesiam solam usque ad futuros fructus, et tunc iterum revertuntur. Unde Proverb. vii, *Non est vir in domo*, id est prælatus vel canonicus in Ecclesia. Abiit in via longissima, id est a Deo remota. Sacculum pecuniæ secum tulit, id est redditus suos. In die plena lunæ reversurus in domum suam, id est in Antichristo, quando iterum fiet distributio reddituum, et divisio præbendarum. Isa. i : *Ecce relinquetur filia Sion, ut umbraculum.* Item hoc, quod dicit, *Exivit sanguis de lacu usque ad frenos*, innuit duo Joannes : abundantiam pœnarum in inferno, notitiam eorumdem per totum mundum. Loquitur enim parabolice. Sicut enim cum magnum prælium et magna strages hominum alicubi facta esset, et significare volumus, solemus dicere tanta est effusio sanguinis, quod equi natabant in eo. Sicut in hoc loco, volens Joannes divinam ultionem et malorum pœnam notificare, dicit eorum sanguinem usque ad frænos equorum crevisse. Quod videtur exponere Isaias in fine, ubi dicit : Egredientur sancti, et videbunt cadavera eorum qui prævaricati sunt in me, et erit usque ad satietatem omnis carnis, hoc est usque ad frenos equorum. Quantum autem exibit sanguis, ostendit, scilicet usque ad notitiam omnium, qui in mundo sunt, vel fuerunt in septem ætatibus mundi. Unde dicit, *Per stadia mille sexcenta.* Per mille stadia intelligitur totius mundi ambitus. Per sexcenta, sex ætates. Et merito per mille stadia totus mundus intelligitur, quia mille continet sub se omnes numeros sicut mundus omnis, *Exivit ergo sanguis de lacu usque ad frenos equorum mille stadia*, quia omnibus qui in mundo sunt pœna eorum notificata est. Iterum *Exivit per sexcenta stadia,* quia nulla ætas fuit, in qua hoc idem non fuerit revelatum. Quod autem non solum terræ dimensio, sed etiam temporis longitudo stadium notat, testatur Apostolus I Corinth. ii, *Nescitis, quia hi qui in stadio currunt etc. Sic currite*, id est tamdiu etc. Et hoc viditur exponere, II Tim. iv, *Bonum certamen certavi etc. Glossa* aliter exponit dicens, quod per stadia intelliguntur omnes, qui subjecti sunt lucibus et vanitatibus hujus sæculi ; qui quærunt tantum coronam et gloriam in præsenti et futuro ; sicut illi qui Romæ bene currunt in stadio, statim recipiunt, id est in ipso spatio, suam coronam corruptibilem, ut dicit Apostolus. Horum tria genera sunt. Quidam sunt minus exercitati in his ludis, et hi significantur per sex. Alii magis exercitati, et hi per centum. Alii sunt plene et perfecte exercitati, et hi per mille significantur. Et omnibus secundum diversitatem statuum suorum reddetur pœna in inferno et hoc est, Exivit, inquit, sanguis de lacu usque ad frenos equorum, id est a minoribus usque ad majores, omnes involvendo ; scilicet perfectos in malo, mediocres et minores, hoc est, mille sexcenta. Malum est ergo se immiscere ludis, quia qui fuerit socius

udorum, erit et socius suppliciorum. Ideo dicit Psal. : *Non sedi cum concilio vanitatum, et cum his qui in levitate ambulant participem me non præbui.* Jerem. xv, *Non sedi cum concilio ludentium, et gloriatus sum.*

CAPUT XV.

Et vidi aliud signum etc. Hic incipit quinta visio. Quatuor præcedentes visiones monstrant universalem statum Ecclesiæ, a nativitate Christi usque ad diem judicii, sicut dictum est. Tres ultimæ, quæ hic incipiunt, monstrant finalem statum Ecclesiæ : quæ sic distinguuntur. Hæc præsens est de effusione septem phialarum iræ Dei, et refertur ad tempus Antichristi. Secunda post hanc de damnatione Babylonis et bestiæ et pseudo prophetæ, et refertur ad tempus judicii. Ultima est de gloria sanctorum, et refertur ad statum Ecclesiæ post judicium. Præsens igitur visio est de septem Angelis, effundentibus septem phialas iræ Dei : per quarum effusionem intelligitur damnatio, sive demonstratio damnationis malorum qui erunt tempore Antichristi. Est enim phiala prædicatio comminatoria damnationis æternæ, de qua hic agitur : phiala vero misericordiæ est prædicatio promissoria remunerationis æternæ. De qua dicitur Judith v, *In phiala principum obtulit butyrum.* Et dicitur phiala prædicatio propter formæ significationem. Est enim phiala clausa deorsum, et aperta sursum. Sic prædicationis intentio, ad cœlestia est, non ad terrena. Manifestatur igitur in hac visione quinta damnatio reproborum, quæ erit tempore Antichristi : et hoc tripliciter. Primo per inspirationem, et hoc in præsenti capitulo. Secundo per prædicationem, et hoc in sexto decimo capitulo. Tertio per causam, et hoc in decimo septimo capitulo. Demonstratio autem, quæ fit in hoc capitulo, per inspirationem, dupliciter fit. Primo quidem revelatur pœna reproborum, per gratias agendum Deo ; postea revelatur ad documentum. Deinde aliis, ut et ipsi consolationem habeant de vindicta malorum. Dividitur autem hoc capitulum in sex partes. In prima ostendit Joannes septem *Angelos habentes septem plagas novissimas,* quibus reprobi punientur, sed non boni. Secunda ostendit causam, quæ liberat bonos ab istis plagis, ibi, *Et vidi tanquam mare.* In tertia ostendit causam involvendi malos in his plagis, ibi, *Et post hæc vidi.* In quarta agitur de prædicatione septem Angelorum administrantium septem plagas, ibi, *Et exierunt septem angeli.* In quinta ostenditur, quod ad hoc sunt idonei prædicti Angeli, ibi, *Vestiti lapide mundo.* In sexta agitur de obstinatione malorum, ibi, *Et repletum est templum.* Dicit ergo, *Et vidi.* Visio hæc fuit imaginaria, cui contradicunt multi. Sed potest dici, quod Joannes primo videt rem figurative intellectuali visione, et postea ostensa est ei in figura, sub qua nuntiaret eam, et scriberet. *Et vidi aliud signum.* Quia hoc signum proprie signat profectum malorum. Præcedens nota profectum bonorum, ex persecutione malorum provenientium. *In cœlo,* id est in Ecclesia virtutum, varietate stellata et a terrenis elevata. Vel *In cœlo,* id est in ministerio reprobis collato, *magnum,* significatione, et mirabile, dignum admiratione, propter rei arduitatem. Magnum enim et mirabile est hominem dare potestatem damnandi alios. Deinde ostendit quod fuerit illud signum dicens, *Angelos septem,* id est universos prædicatores qui dicuntur Angeli, quia missi. Juxta illud Rom. x, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur ?* Matth. x, *Ecce ego mitto.* Dicuntur autem septem, propter septem virtutes, tres theologicas et quatuor cardinales, quas debent in se et aliis prædicare. Vel propter septem dona Spiritus sancti, quæ similiter debent habere et prædicare. Et hi septem Angeli significantur per septem columnas, quibus tota Ecclesia sustentatur. Unde Proverb. IX, *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Habentes,* ex eo officio prædicationis, *Septem plagas novissimas,* ad denunciandum, id est universa mala, quibus reprobi qui erunt tempore Antichristi plagabuntur : unde dicuntur novissimæ plagæ, quia novissimis temporibus homines his ferientur. Item quia post illas non inferiuntur aliæ. Vel novissimæ, id est graves, quia illi gravissime peccaverunt. *Quoniam in illis consummata est ira Dei,* id est in his plagis illis illatis, non inferet Deus alias plagas mundo, sed his consummatis incipiet in eis furor inferni. Moraliter hoc signum magnum et mirabile in cœlo, id est in Ecclesia, est, quod prædicatores qui debent esse medici ad curanda vulnera peccatorum

et qui debent portare unguenta suavissima, id est verba consolationis et compassionis ad sanandum, non porrigunt nisi gladium ad occidendum, id est verba dura et mordentia. De quibus dicitur Mich. III, *Hæc dicit Dominus super prophetas qui seducunt populum meum, quem mordent dentibus suis et prædicant pacem : si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum prælium.* Proverb. XXX, *Gens quæ pro dentibus gladios habet et commandit molaribus suis etc.* Jerem. IX, *Sagitta vulnerans sinum eorum.* De talibus dicit Gregorius Nazianzenus, Meliores prædicatores æstimantur qui melius mordere noverunt ; et sancti sunt prædicatores satyrici. Unde quæritur Dominus, Isa. I : *Ecce viri veniebant de via portæ superioris quæ respicit ad aquilonem, et uniuscujusque vas interitus in manu ejus.* Sequitur,

Et vidi tamquam mare etc. Hæc est secunda pars capituli, ubi ad consolationem bonorum agit Joannes de causa liberante ab his plagis ; quæ triplex est secundum triplicem statum bonorum. In statu incipientium causa liberans est firmitas fidei ; quod notatur per hoc quod dicit, *vicerunt.* Fide enim diabolo resistitur. Unde I Petr. V, *Cui resistite fortes in fide.* Et etiam mundus fide vincitur. Unde Joan. *Hæc est victoria quæ vincit mundum*, scilicet divitias, delitias, honores. Unde Hebr. XI, *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis* (et sic vicit Hebræos) *majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi :* et sic vicit delitias. In statu perfectorum causa liberans est prærogativa operum, maxime circa carnis propriæ mortificationem : quod notatur per cytharas. Sed quare hic agit Joannes de causa liberante a plagis istis ad bonorum consolationem, quum eos non tangat ? Non enim erunt universales plagæ istæ, sed proprie malorum. Solutio. Ideo, agit, ut hæc tria quæ liberant ab his plagis carnis amplectantur. Dicit ergo : *Et vidi*, spiritu revelante conspexi. *Tamquam mare vitreum*, id est baptismum, qui per mare designatur. Sive dicatur mare lavatorium vitrum factum ad lavandum faciem, ubi etiam solebant poni specula mulierum ad videndum si aliqua macula esset in facie, sive mare proprie accipiatur pro aquarum congregatione. Nam sicut in lavatorio lavata facies et clara ac munda efficitur ; item sicut in mari rubro submersi sunt Pharaonistæ, sic in baptismo submerguntur et destruuntur peccata, et animæ puræ et lucidæ et lucis receptivæ, id est gratiæ efficiuntur : quod notatur in vitro, quod est lucidum et lucis solaris receptivum. *Mixtum igne*, id est Spiritu sancto qui datur in baptismo. Hic tanguntur tria quæ fiunt in baptismo. Primum est peccatorum remissio sive mundatio ; et hoc intelligitur per mare, sicut dictum est. Secundum est characteris impressio, quod notatur per vitrum. Est enim character quædam dispositio animæ qua anima est pervia gratiæ divinæ. Tertium est gratiæ collatio ; quod notatur per ignis admixtionem. Et notandum quod sunt tres baptismi, scilicet sanguinis, flammæ et aquæ : hic ultimus solus habet hæc omnia. Nam duo primi characterem non imprimunt. *Et eos, qui vicerunt bestiam*, id est Antichristum vel diabolum, nolentes credere ejus miraculis, nec flecti promissis, nec ejus minis. *Et imaginem illius* vicerunt similiter nolentes conformari vitæ illius. Vel imaginem vocat statuam Antichristi, quam noluerunt, id est nolent, adorare. Vel forte imaginem dicit prædicatores et principes Antichristi, qui ei per omnia conformabunt se, quos similiter sancti vincent, nullo modo acquiescentes eis, nec abstracti divitiis, nec illecti delitiis, nec subducti blanditiis, nec fracti verberibus, nec territi verbis. Et tangitur hic secunda causa liberans, scilicet fides : per fidem autem omnia vincent sancti. Hebr. XI, *Sancti per fidem etc.* Augustinus, « Qui veram fidem de Deo habet, non quærit in his miseriis fieri dives. » *Et numerum nominis ejus*, vicerunt similiter, id est vincent : quasi dicat : licet per nomen quod sibi imposuit velit Antichristus videri et existimari Deus, tamen ipsi purum hominem cognoscent et falsum ; et ideo vilipendent. De hoc dictum est supra XIII, Numero nominis etc. *Stantes supra mare vitreum. Glossa*, id est gratiam baptismi integram servantes. De quibus dictum est supra XIII, *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt*, id est mundi et integri. Item *Stantes supra mare vitreum*, id est supra mundum contemnendo et conculcando. Ideo vincunt Joan. XVI, *Confide quia ego vici mundum.* Quomodo ? certe conculcando. Unde Matth. XIV, *Venit Jesus ad eos ambulans super mare.* Sic venit ad eos, quia docebat calcare

mundum. Deuteronom. xi, *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit.* Item, Stantes supra mare, id est perseverantia tribulationum et tentationum amaritudines superantes, non fracti, non incurvati earum multitudine vel amaritudine. Tales fuerunt Apostoli Christi. Unde II Corinth. iv : *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur etc.* Item per mare significatur infernus, ubi est multum amaritudinis. Eccles. i, *Omnia flumina intrant in mare*, id est omnes peccatores fluidi per peccatum descendunt in infernum, Psalm. *Transferentur montes in cor maris*, id est superbi in infernum. Super hoc stant sancti considerantes pœnam inferni et fugientes ab eis. Quia, ut dicit Bernardus, « Non potest vitari malum, nisi cognitum ; similiter nec desiderari bonum. » Ideo dicit Sponsa, Cant. iv, *Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris ;* quasi dicat : aliquando cogitabo de inferni amaritudine, aliquando de paradisi dulcedine, ut illum possim vitare, alterum desiderare. De hoc dictum est supra iv, *In circuitu sedis, tamquam mare simile crystallo.* Et in judicio erit inferni amaritudo ad recipiendos impios qui modo in circuitu ambulant. Et bene per mare significatur infernus. Est enim mare latum, profundum, longum, multas habens aquas amaras. Latus est infernus. Unde Isa. v, *Præparata est ab heri Tophet.* Longus, quia perpetuo durabit. Matth. xxxv, *Ite maledicti in ignem æternum.* Isaiæ in fine. *Vermis enim non moritur.* Propter hæc tria dicit Joel. i, *A a a.* Mare hoc etiam dicitur vitreum : hoc est stabile non defluens, sicut amaritudo præsens quæ in se deficit et terminatur in gaudium, Proverb. xiv : *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ.* Matth. v, *Beati qui persecutionem etc.* Item dicitur vitreum propter transparentiam. Vel quia sancti videbunt semper pœnam malorum, juxta illud Isaiæ in fine. *Egredientur et videbunt cadavera mortuorum.* Vel quia ipsi reprobi semper videbunt causam amaritudinis suæ, id est peccata sua, et semper erit amaritudo et causa amaritudinis ante oculos eorum. Unde semper murmurabit contra eos conscientia accusans eos et condemnans. Quia pro tam modico lucro, tam magnam incurrerunt pœnam et tam magnam gloriam perdiderunt. Unde Luc. xii, *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Quia utique finaliter, ecce transparentia causæ. Nunc vero hic consolatur, tu vero cruciaris ; ecce transparentia pœnæ. Dicitur etiam : *Simile crystallo*, propter frigiditatem, quæ nimia erit in inferno. Psalm. *A facie frigoris ejus quis sustinebit ?* Job. xxiii, *Ab aquis nivium etc.* Item propter duritiam. Cant. viii, *Dura sicut infernus æmulatio.* Item crystallus gelatur ab aquis per flatum aquilonis. Eccles. xliii, *Frigidus ventus Aquilo flavit, et gelavit crystallus ad aquas.* Sicut divitiæ temporales, delitiæ carnales et honores, quæ omnia fluunt et transeunt sicut aqua, flatu diaboli indurantur in pœnam gehennæ quasi in lapidem crystallinum. Proverb. xxii, *Suavis est panis mendacii, et postea replebitur os ejus calculo.* Qui lapis est durus et ponderosus et frigidus, et pœna inferni est in intellectu dura. In affectu ponderosa, In memoria frigida. Vel in duritia calculi notatur pœnarum acerbitas. In ponderositate diversitas. Per hoc quod dicit, os ejus implebitur, notatur pœnæ acerbitas. Lapis enim qui implet os, nec potest projici extra, nec transgluti, nec masticari. Durus et hyspidus erit iste morsellus. Job vi, *Numquid potuit comedere insulsum quod non est sale conditum ?* aut poterit aliquid gustare quod gustarum affert mortem ? Psalm. *Mors depascet eos.* Sequitur. *Et habentes cytharas Dei,* id est carnis mortificationem, juxta mandatum et præceptum Christi, qui primus mortificavit carnem suam, vigilando, jejunando, discurrendo, ad ultimum moriendo, in Ecclesiam propter Deum assumptam. Pluraliter autem dicit cytharas, quia pluribus modis fit mortificatio carnis. Scilicet jejuniis. Unde Joannes : « Non sanat oculum, quod sanat calcaneum. » Jejunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis. Item vigiliis. Eccles. xxxi, *Vigilia honestatis tabefacit carnes.* Item disciplinis. Unde Eccles. xxxiv, *Cibaria et virga et onus asino :* id est cibus ne deficiat : disciplina, ne lasciviat : opus, ut proficiat. Item meditationibus. Unde Eccles. xii, *Frequens meditatio carnis est afflictio.* Joannes. « Ama studium litterarum, et carnis vitia non amabis. » Item operibus et laboribus assiduis. Eccles. xxxiii, *Jugum et lorum gravant collum durum, et servi inclinantur operatione assidua.* Per hæc omnia mortificabat Apostolus carnem suam Unde dicebat I Corinth. ix, *Castigo cor-*

pus meum et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar. Ad hoc quod cythara bene sonet oportet quod omnes chordæ per ordinem tangantur. Sic ad hoc quod pœnitentia sive carnis mortificatio valeat, oportet quod omnia membra corporis quæ peccaverunt puniantur. Juxta Sap. xi, *Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur.* Unde dicit Apostolus Rom. vi, *Sicut exhibuistis membra vestra servire etc.* De hoc satis dictum est supra xiv. Quasi cytharœdorum. Item pluraliter dicit cytharas. Quia tres sunt cytharæ quas debent habere prædicatores ad hoc ut bene cytharizent : alias autem non bene cytharizabunt. Prima est carnis mortificatio. Eccles. xxxix, *Confitemini Domino in voce labiorum vestrorum in canticis et cytharis*, id est in confessione et oratione, in carnis mortificatione. Secunda est cordis compassio. Isa. xvi, *Venter meus ad Moab*, id est ad peccatores, quasi chorda sonat. Tertia est oris prædicatio. Isa. xxiv, *Conticuit dulcedo cytharæ.* Job. xxx, *Cythara mea versa est in luctum.* Prima tot chordas habet, quot sunt miseriæ proximorum. Tertia quatuor habet chordas, quia quadruplex est prædicatio : historica, tropologica, allegorica, anagogica. Hæc habet altissimum sonum quia tantum de cœlestibus et divinis cantat. *Canticum Moysi servi Dei*, id est cum gaudio prædicantes continentiam veteris Testamenti, quod canticum est bonum intelligenti. Exod. xv, *Cantemus Domino gloriose etc.* Canticum Moysi. *Et cantantes. Glossa*, id est cum gaudio adimplentes præcepta veteris Testamenti. *Canticum agni*, id est facientes et opere adimplentes cum gaudio præcepta novi Testamenti. Psalm. *Confitemini Domino in cythara etc. Dicentes* corde, ore et opere : *Magna et mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens.* Magna quidem in creatione, mirabilia, in recreatione. Item magna, tam quantitate continua, quam discreta, mirabilia, specie et potestate. Job v, *Qui facit magna et inscrutabilia et mira absque numero.* Sap. xiii, *A magnitudine spei etc.* Sunt autem tres considerationes creaturæ mundi, ex quibus potest cognosci creator per triplicem considerationem, secundum quod creator existit. Nam ex magnitudine creaturæ potest cognosci potentia quæ Patri appropriatur, et hoc respicit hic quod dicitur, Omnipotens. A pulchritudine potest cognosci bonitas, sive benignitas Dei. Et hoc respicit cum dicitur, Dominus. Sequitur, *Justæ et veræ sunt viæ tuæ*, id est opera tua et mandata tua. Vel judicia et flagella, quibus tu venis ad nos et nos ad te, Justæ, quia unicuique pro merito redditur seu pœna seu gloria. Psalm. *Quia tu reddes unicuique juxta opera sua.* Psalm. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Rex sæculorum*, id est ordinator temporum. *Quis non timebit te ?* id est quis non ex timore serviet ? intellige de timore filiali. Psalm. *Servite Domino in timore. Glossa*, Per timorem Domini declinat omnis a malo. Item, *Quis non timebit te, Domine? Glossa*, id est quis non reverebitur te, Domine ? Sunt autem octo genera timoris. Primus est timor naturalis, qui est fuga eorum quæ sunt contra nostram naturam. De quo dicitur Genes. ix, *Terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ.* Hoc timore timuit Christus mortem, Luc. xiv, *Cœpit Jesus pavere et tædere.* Secundus est timor humanus quo homo timet omnia gravamina carnis ; qui dicitur esse intra terminos naturæ. Non naturalis est, quando excedit humanam naturam et est peccatum. Hoc timore timuerunt obstetrices martyrium, propter quod mentitæ sunt, Exod. i. Tertius est timor mundanus, quo nimis timemus amissionem rerum mundanarum ; et est vitiosus sicut humanus. Nam naturalis indifferens est. Et de hoc timore mundano dicitur in Psalm. *Illic trepidaverunt timore.* Et hic timor fuit in Judæis, quia ideo Christum occiderunt, quia gentem et regnum amittere timuerunt, Joan. xi. Quartus est timor servilis, quo tantum timetur pœna : quo etiam timore, tantum cessatur a peccatis. Unde Augustinus : « Qui timet serviliter regnat in eo peccandi voluntas, et sequeretur opus si speraretur impunitas : hic est a Spiritu sancto et non cum Spiritu sancto. » Et de hoc dicitur Joan. iv, *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Quintus est timor nuptialis, quo partim timore pœnæ, partim amore justitiæ declinatur a malo, licet nulla pœna timeatur. De hoc dicitur Eccles. *Initium sapientiæ timor Domini.* Sextus est timor separationis, quo tantum declinatur a malo, licet nulla pœna timeatur. De quo Eccles. xv, *Qui timet Deum faciet bona.* Septimus est timor offensionis : quo licet nec pœna nec separatio timeatur, tamen pure ne offendatur sponsus, declinatur a malo. De quo

Psalm. *Beatus vir qui timet Dominum.* Octavus est timor reverentiæ quo sola reverenda timetur majestas. Isa. xi, *Replevit eum spiritu timoris Domini : sanctus permanens in sæculum sæculi.* Hic timor facit hominem resilire in sua parvitate et aspecta majestate divina, et sic exaltatur et magnificatur Deus. Unde sequitur, *Et magnificabit nomen tuum ?* Repete quis non magnificabit nomen tuum, credendo, prædicando, operando ? Psalm. : *Magnificate Dominum mecum.* Luc ii, *Magnificat anima mea Dominum.* Eccles. xliii, *Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis ; major est enim omni laude.* Et vere omnes debent te timere et magnificare, quia solus pius es. *Glossa*, id est gratis salvans. Unde Psalm. : *Salvum me fac, Deus.* Sap. xi, *Parcis, Domine, omnibus quoniam omnia bona tua sunt, qui amas animas.* Sed non videtur quod assignet bonam causam quare debeat timeri ; quia severus et durus princeps magis timetur quam pius. Solutio. Hic agitur de timore reverentiæ, vel separationis, qui dicitur non severi. Quia in hoc apparet pietas tua. *Quoniam omnes gentes*, id est aliqui de omnibus, ut fiat distributio pro generibus singulorum, et non pro singulis generum. *Venient*, passibus fidei, et bonorum operum. Fides enim sine operibus etc. Jacob. ii, *Et sine illa nemo venit ad Deum.* Unde oportet, quod qui vult venire ad Deum, quod fide et opere ad Deum veniat. *Et adorabunt*, adoratione latriæ, Hoc est *in spiritu et veritate*, ut dicit *Glossa :* et sumitur de Joan. iv. *In conspectu tuo*, *Glossa*, id est in beneplacito tuo, et facit placere Deo odorantes. Vel sic : in conspectu tuo, id est ut te conspiciant. Et tu es et re vera adorandus, timendus et magnificandus es. *Quoniam judicia tua manifesta sunt. Glossa*, id est quoniam revelata sunt mysteria Ecclesiæ, in quibus Deus habitat, et illi qui ad honorem Dei militant. Vel judicia tua, quibus bonos eligis et malos reprobas : quibus hos flagellas et humilias in præsenti, et cetera judicia tua discretionis et definitionis. Manifesta sunt, tam bonis quam malis, et erunt. Quia omnes scient, quia omnia juste fecisti. Unde Deut. xxxii, *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta etc.* Contra. Roman. xi, *O altitudo divitiarum etc.* Psalm. *Judicia Dei abyssus multa.* Solutio jam dicta est, ut diximus : sunt id est erunt. Vel potest dici : quod multiplex est judicium Dei. Est enim judicium singulare, et est judicium universale. Judicium singulare dicitur, quo Dominus sine merito hunc eligit et hunc reprobat. Verbi gratia, Jacob et Esau. Item quo unum facit divitem, alium pauperem. Vel alium semper infirmum, alium semper sanum. Vel unum pulchrum, alium turpem. Ex causa rationabili facit hæc omnia, licet nobis ignota. Unde Job v, *Nil in terra sine causa fit prælata.* Nihil fit cujus ortum legitima causa non præcessit. Hæc omnia judicia manifesta sunt in suo actu in quem exeunt. Quia omnibus patet, quod sic est ; sed occulta sunt in causa sua, ex qua exeunt. Quia incertum est omnibus quare ita sit. Unde Gregorius dicit, quod Job sciebat se puniri, sed causam punitionis ignorabat. Unde dicebat x cap. *Quis etc.* De his ergo judiciis dicit Apostolus, quod incomprehensibilia sunt. Et David dicit, *Abyssus multa*, quo ad causæ cognitionem, quæ penitus ignota est mundo. Hic vero dicit, quod sunt manifesta, quo ad exitus evidentiam, quia omnibus notum est quod ita est. Quia judicium universale est triplex, Primum est discretionis, quo Deus judicabit in futuro separando bonos a malis, collocando bonos ad dexteram suam, malos ad sinistram, ut dicitur Matth. xxv, Et de hoc judicio dicitur in Psalm. *Judica me Deus, et discerne causam meam etc.* Secundum est judicium disceptationis, quo primo dicet bonis, *esurivi* etc. Malis : *esurivi, et non dedistis etc.* Matth. xxv. Et de hoc judicio dicitur Joel iii. *Adducam omnes gentes in vallem Josaphat, et ibi disceptabo cum eis.* Tertium est judicium definitionis, quando hoc facto dabit sententiam de bonis et de malis. *Ite maledicti. Venite benedicti.* Matth. xxv, Et de hoc judicio dicitur in Psalm. *Rectum judicium tuum.* Item Psalm. *Judicia Domini etc.* Hæc omnia modo manifesta sunt in causa, quia manifestum est quod omnes secundum exigentiam operum suorum judicabuntur. Sed ignota sunt in exitu causæ, quia nescitur adhuc, qui sunt, hi vel illi. Unde quo ad exitum causæ loquitur Apostolus, ubi dicit, *Judicia Dei incomprehensibilia.* Et David similiter, quando dicit, *Abyssus multa.* Joannes autem hic loquitur quo ad causam tantum exitus, quæ manifesta in genere vel in corpore est. Sequitur,

Et post hæc vidi etc.. Hæc est tertia

pars capituli involvens in plagis prædictis. Unde *Glossa*. Cum ostendisset Joannes illos Angelos habere potestatem plagandi, dicturus quas plagas illi sunt illaturi, prius proponit causam, qua ostendit illos dignos esse qui plagas sunt passuri ; scilicet quia omnia mysteria fiunt revelationibus. Et qui volunt intrare in illa, oportet intervenire merita, quæ isti malo merito suo non possunt intelligere, ideo merito plagabuntur. Dicit ergo, ***Post hæc***, id est post prædicta, ***Vidi***, id est spiritu revelante intellexi. *Et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo*. Templum vocat hic cœtum apostolicum, juxta illud Cor. III, *Templum Dei sanctum est etc*. Tabernaculum testimonii vocat Ecclesiam, quæ modo militat Deo, et in qua est Christus et milites ejus, in qua etiam armantur milites Christi armis virtutum, doctrinarum, sacramentorum, exemplorum, sanctorum, divinorum beneficiorum. De quibus armis, II Cor. VI : *In omnibus exhibete vosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia* : et postea additur : *per arma justitiæ*. Et dicitur Tabernaculum testimonii, quia Christus perhibet fidele testimonium vivendo, docendo, moriendo. Vel quia utriusque testimonia fideliter servat. Unde dicit Ecclesia per Psalm. *A testimoniis tuis non declinavi*. Item Psal. *Inclina cor meum Deus etc*. Vel quia multos testes pro Christo producit in causa ejus, id est martyres, qui moriendo testimonium dicunt pro fide, et ideo moriuntur. Martyr enim græce, testis interpretatur. Unde quot fuerunt, sunt et erunt in Ecclesia martyres, tot producit Ecclesia pro ipso testes. Unde Isa. XLIII, *Vos vere testes mei, dicit Dominus*. ***In cœlo***, id est in Ecclesia triumphante, cujus status nobis modo celatur, juxta illud Isa. III, *Oculus non vidit Deus absque te*. In hoc cœlo habitabant Apostoli mente, cum in terra essent corpore. Unde Phil. III, ***Conversatio nostra in cœlis est***. Templum, ergo Tabernaculi testimonii in cœlis, id est revelata sunt mysteria Ecclesiæ et secreta cœli, per Apostolorum prædicationem. Item per templum intelligitur Christus, juxta illud Joan. II, *Solvite templum hoc*. Tabernaculum testimonii dicitur sacra Scriptura, quæ tot continet testimonia, quot habet verba. Unde significatur per montem Galaad, qui interpretatur acervus testimonii, ut dicitur Genesis vigesimo primo. Templum tabernaculi testimonii, idest Christus, continens in se testimonia utriusque Testamenti, et dicitur eum continere, quia scit in se omnia, et de ipso sunt omnia. Per cœlum autem significatur Ecclesia quæ dicitur cœlum, idest casa eloim, hoc est domus Dei. Et secundum hoc tantus est sensus : Et apertum est templum tabernaculi testimonii, idest doctrina Christi, mundo manifesta est. ***Et exierunt septem Angeli***, idest septem prædicatores in septem statibus Ecclesiæ prædicantes et interna gratia Spiritus sancti revelantes, idest vitia per septem virtutes quas prædicant detestantes. ***Habentes septem plagas***, pœnitentiam prædicantes. Vel pœnam æternam impœnitentibus comminantes. Vel septem plagas vocat Scripturæ auctoritates, quibus quasi quibusdam sagittis plagantur a prædicatoribus peccantes ad salutem. Unde Psalm. ***Sagittæ parvulorum***, idest humilium prædicatorum *factæ sunt plagæ*. Unde Isa. XIII, *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non habent etc*. Et determinat unde exierunt, dicens, ***De templo***, idest à Christo, a quo missi sunt. Vel ***De templo*** id est de cœtu apostolico, a quo omnes prædicatores originem duxerunt, et quod suis temporibus prædicatione ab aliis didicerunt. ***Vestiti lino mundo et candido***, idest firmitate fidei et patientiæ. Mundo ab omni peccato, candido omni virtute. Sic enim debent esse vestiti, fide et patientia firma. Psalm. ***Bene patientes erunt etc***. Prov. XXX, ***Doctrina viri per patientiam noscitur***. Ezech. III, ***Ut adamantem et ut silicem***, scilicet dedi, ***faciem tuam***. Adamas ferrum attrahit, et silex ictus repellit, vel non sentit. Sic prædicator per fidem debet attrahere peccatores : et per pœnitentiam et per patientiam repellere a se, vel non sentire ictus tribulationum. Debent etiam esse mundi per declinationem malitiæ, et candidi per occupationem boni : et hoc vestimentum debent habere prædicatores et prælati. Unde Isa. III, *Vestimentum tibi est, esto princeps noster* : et ipse respondet : *Non, sum mendicus, et in domo nostra non est panis, neque vestimentum : nolite constituere me principem populi*. Quia sine dubio, qui non habet in domo sua panem doctrinæ, et vestimentum virtutum, et panem maxime justitiæ, cujus duæ sunt partes, scilicet declinatio a malo, et operatio boni, non debet constitui princeps populi. Unde Job XXIX, *Justitia indutus sum, et ve-*

stivi me, sicut vestimentum. Psalm. *Sacerdotes tui induantur justitia.* Eccle. L, dicitur, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso. *Et præcincti pectora zonis aureis*, idest mundis cogitationibus, et sanctis desideriis, quæ regunt cor et corpus a fluxu malarum cogitationum, seu carnalium affectuum. Istas zonas debent habere prædicatores et prælati. Sed multi habent zonas luteas, quia habent cogitationes carnales, et desideria terrena. Unde Isa. XIII, *Pro zona erit funiculus* (idest pro consideratione cœlestium erit cogitatio terrestrium) *pro crispanti crine calvitium* (idest pro ornatu virtutum denudatio vitiorum, et mentis evagatio ad acquirendum), *pro suavi odore fœtor*, idest pro desiderio cœlestium, ambitio terrenorum. Aureæ autem dicuntur zonæ prædicatorum, quia cogitationes et desideria eorum debent fabricari auro charitatis, quia circa amorem Dei et proximi versantur eorum cogitationes et desideria. Quod significatur III Reg. VI, per expansionem et contractum alarum Cherubim. Unde ibi dicitur, Posuit Salomon, scilicet Cherubim, in medio templi interius. Expandebat autem alas suas Cherubim, et tangebat ala una partem alteram. Alæ autem albæ in medio templi se invicem contingebant. Et nota quod dicitur, Præcincti : per quod ostenditur, quod ministri Domini debent esse prædicatores et prælati. Nam accingimur pugnaturi, subcingimur ituri, præcingimur ministraturi. Ideo dicitur Luc. XII, *Sint lumbi vestri præcincti. Et lucernæ ardentes*, quasi diceret : illuminate alios quasi ministri portantes ante eos lucernas, idest doctrinam verbi et Christi. Job XII, *Balteum regum dissolvit, et præcingit fune renes eorum.* Joan. XIII, *Cum accepisset linteum præcinxit se.* Ecce officium implevit ministri, et postea dixit, *Exemplum dedi vobis.* Ideo dicit Apostolus I Cor. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* Sequitur, *Et unum de quatuor animalibus*, idest concordia et unitas quatuor evangelistarum. *Dedit septem Angelis*, idest prædicatoribus universis, *Septem phyalas aureas*, idest sacræ Scripturæ universas intelligentias, quæ dicuntur phyalæ, quia clausæ sunt inferius et apertæ superius : et dicuntur aureæ, propter sapientiam charitatis quam continent. Unde significantur per scyphos aureos Salomonis. De quibus dicit Eccle. II, *Feci mihi scyphos et urceolos in ministerium, ad vina fundenda. Plenas iracundiæ Dei,* quam plene comminantur peccatoribus. Unde Psalm. *Effunde iram tuam.* Iram dico Dei *viventis in sæcula sæculorum*, idest in æternum. In quo notatur potentia punitionis, quia potest punire per omne tempus : quasi dicat : Quicquid loquantur prædicatores de pœnis infligendis malis, procedit doctrina quatuor evangeliorum. Et ideo patet, quod sunt apti ad prædicandum, et digni, ut per omnia eis credatur. Sed cum dicantur phyalæ aureæ, idest charitatis et sapientiæ plenæ, quomodo dicuntur postea plenæ iracundiæ Dei ? Solutio. Verba sacræ Scripturæ plena sunt charitate, ad quam vocant praedicatores ; et plena sunt iræ Dei, ad quam revocant. Sequitur,

Et impletum est templum Dei etc. Sexta pars capituli est, ubi ostenditur obstinatio reproborum : quæ ex hoc potest perpendi, quia sanctis aperta erunt divina judicia, quæ ipsi timebunt, et Scriptura sacra, quam credent, et Ecclesiæ occulta, quæ revelabuntur. Reprobis autem erunt omnia clausa, propter iniquitatem et infidelitatem eorum. Unde dicit, *Et impletum est templum*, id est Ecclesia vel Scriptura. *Fumo*, id est obscuritate et ignominia, quo ad malos, qui non videbunt mysteria Ecclesiæ et secreta Scripturæ, et judicia divina, quæ erunt bonis aperta : quod erit a divina virtute, sic juxta voluntatem suam et justitiam faciente. Unde sequitur, *A majestate Dei*, id est a virtute Dei, et hoc juste et misericorditer disponente. Unde sequitur, *et virtute ejus.* Et pro id est. Vel majestas dicitur, quoad revelationem bonorum ; virtus quoad clausionem malorum. Unde Isa. XXI, *Dabo claves domus David ;* aperiet, quoad bonos, et claudet, quoad malos, Et hoc est, quod dicitur supra III : *Hæc dicit, qui habet clavem David.* Et nemo de numero reproborum poterat *introire in templum*, id est Ecclesiam per fidei susceptionem, vel in sacram Scripturam, per veram intelligentiam. Excæcavit enim eos malitia eorum. Sap. II : *Donec consummarentur septem plagæ Angelorum*, id est donec impletæ essent comminationes omnium prædicatorum, de malis puniendis et ad infernum retrudendis. Tunc enim sensus experientiæ pœnarum faciet eos intelligere quod modo etiam nolunt audire. Unde Gregorius : « Pœna oculos aperit,

buos culpabilis prosperitas claudit. » Unde tunc dicetur illud Sap. v : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum*. Hæc est confessio reproborum in inferno : sed nimis tarda, et non valebit eis, quia a mortuo, quasi ab eo qui non est. Vel quasi : nil poterit confessio, ut dicitur Eccles. xxvii ; ubi dicit : *In parte vade sæculi sancti, cum vivis, et dantibus confessionem Domini; nec demoreris in numero impiorum :* ante mortem quærent : a mortuo, quasi nil perit confessio : confiteberis vivis, et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et glorificabis in miserationibus ejus. Vel nemo malorum poterat, et poterit, introire in templum cœlestis curiæ. *Donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum*, id est donec perfecte erunt puniti mali, ut præxerunt prædicatores. Et ponitur donec inclusive ; quia nec postea poterunt introire in templum cœlestis Ecclesiæ. Simile I Reg. iii, de Elia. *Qui non poterat videre lucernam Domini, donec extingueretur*. Vel nemo, generaliter, nec bonus nec malus. Poterat introire in templum, id est penetrare cœlestia ad intelligendum. Donec consummarentur in ipso septem plagæ Angelorum, id est universa peccata, et universæ miseriæ de quibus locuti sunt prædicatores. Quod erit scilicet post vitam temporalem, quia tunc intelligent veritatem cœlestium bonorum, quam modo non possunt capere. Unde Psalm. *Existimabam ut cognoscerem*, secretum, id est statum cœli. Sed, labor est ante me, id est supra me, donec intrem in sanctuarium Dei, id est in cœlum, et tunc intelligam in novissimis eorum, scilicet bonorum, et etiam malorum.

FINIS VOLUMINIS TRIGESIMI PRIMI.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

EXPOSITIO IN LIBRUM GENESEOS.

EXPOSITIO IN DANIELEM PROPHETAM.

EXPOSITIO IN LIBROS MACHABÆORUM.

LIBER PRIMUS.

Atrebati, typis Societatis dictæ du PAS-DE-CALAIS, via Ambianensi, n° 43